Apud **Fr. Pustet**, typographum S. Sedis Apostolicae,

Ratisbonae, Neo Eboraci et Cincinnati excussi sunt libri sequentes:

Ballerini, P. A., S. J., Jus et Officium Episcoporum in ferendo Suffragio pro Infallibilitate Romani Pontificis contra nuperas cavillationes per disquisitionem moralem assertum et vindicatum. Editio altera ab auctore correcta et aucta. 1870. 8°. 30 kr. — 9 ngr.

Biblia sacra Vulgatæ editionis Sixti V. Pontificis Maximi jussu recognita et Clementis VIII. auctoritate edita. Nunc novissime ad exemplar Vaticanum expressa cura Dr. Jos. Fr. Allioli. Cum multis Approbationibus. Editio quarta stereotypa. (Apposita est versio germanica.) 1871. 3 Volumina 8°. 6 fl. — 3 Thlr. 15 ngr.

Decreta authentica S. Rituum Congreg. cum notis Gardellini et instructio Clementina cum Commentariis in usum cleri commodiorem ordine alphabetico concinnata opera et studio W. Mühlbauer, Cæremoniarii archiepiscopali. 1867. 4 Volumina in 8°. 25 fl. — 14 Thlr. 12 ngr.

Epistola Encyclica Ss. D. N. Pii P. P. IX. data die 8. Dec. 1864. Ad omnes catholicos antistites unacum Syllabo praecipuorum aetatis nostrae errorum et Actis Pontificis, ex quibus excerptus est Syllabus. Accedit Appendix antiquiora et novissima documenta continens, quae ad Epistolam Encyclicam et Syllabum referuntur. 1865. 8°. 1 fl. 50 kr. — 27 ngr.

Patrum Apostolicorum S. Clementis Rom., S. Barnabae, S. Ignatii et S. Polycarpi Epistolae accedunt S. Ignatii et S. Polycarpi Martyria. Textum ad optimarum editionum fidem recensuit F. X. Reithmayr, S. Th. Doctor. 1844. 16°. 1 fl. 36 kr. — 1 Thlr.

Pennacchi, Jos., De Honorii I. Romani Pontificis causa in Concilio VI. Dissertatio. Præfatus est P. Bon. Wimmer, Abbas S. Vincentii. 1870. 8°. 2 fl. — 1 Thlr. 3 ngr.

Schneider, Jos., P. S. J., Lectiones quotidianae de Vita, Honestate et Officiis Sacerdotum et Clericorum, quas ex S. Scriptura, Conciliorum Decretis, Summ. Pontificum Constitutionibus, Episcoporum Epistolis pastoralibus, Ss. Patrum et piorum auctorum operibus collegit etc. 1870. 8°. 2 fl. 18 kr. — 1 Thlr. 12 ngr.

R. D. Mehler in suis ephemeridibus „Der Prediger und Katechet" has lectiones ita commendat:

„Ex quo hic liber præclarus in manus meas incidit, quotidie eum magis adamo et ex plena persuasione debes dicere, sacerdotes et clericos non facile posse invenire meliorem et utiliorem librum, ex quo quotidianam lectionem spiritualem possint instituere, quam hunc, in quo optima et maxime necessaria quæque ex theologia ascetica et pastorali collecta et pro singulis anni diebus disposita sunt ordine et serie per quam naturali et facili. Singulæ lectiones, prout jam titulus libri indicat, ex fontibus præclarissimis desumptæ et adeo præcise et succincte propositæ sunt, ut sacerdos quotidie per horæ quadrantem legens in hoc libro, pro vita et actione sacerdotali plurimum utilitatis capere possit. Hæc sufficiant, ad confratribus nostris indicandum et commendandum librum qui eorum attentionem singularem meretur et certo certius eorum votis respondebit."

Pari modo præstantissima quæque folia publica hunc librum summis laudibus extollerunt et clero commendaverunt.

— —, Manuale Clericorum in quo habentur Instructiones asceticae liturgicaeque, ac variarum precum formulæ, ad usum eorum, qui in Seminariis clericorum ad presbyteratus Ordinem instituuntur. Superioribus approbantibus. 1868. 16°. 2 fl. 27 kr. — 1 Thlr. 12 ngr.

Non solum per totam Germaniam, sed etiam per Austriam, Galliam, Angliam immo per Americam meridionalem et septentrionalem hoc Manuale jam divulgatum est. Ephemerides plurimae, inter quas *„Bonner theologisches Literaturblatt"*, *„Katholik"*, *„Literaturblätter der Sion,"* *„Etudes religieuses, historiques et littéraires"*, *„The Month"*, *„Literarischer Handweiser"*, *„Wiener Literaturzeitung"*, *„Augsburger Pastoralblatt"* et *„Kölner Pastoralblatt"* hunc librum summopere laudaverunt et clericis enixe commendaverunt.

Pontificalis Romani Ritus seu **Ordines** frequentius usitati ad majorem Episcoporum dioecesim praesertim visitantium commoditatem in parva Volumina apte digesti. In Folio majori. Fasciculus I. (continens: Formam Confirmationis, Consecrationum Patenæ et Calicis, Benedictiones minores, Ordinem ad recipiendum Prælatum et ad visitandas parochias, Ritum Benedictionis Apostolicæ.) Cum Approbatione. Rubro et nigro. 1 fl. 30 kr. — 1 Thlr.

— — Fasc. II. (continens: Benedictionem novæ Crucis, Imaginis B. M. V. et aliorum Sanctorum, Capsarum pro Reliquiis includendis, unius Campanæ et plurium, acquæ pro reconcilianda Ecclesia consecrata, Insignium pontificalium, Benedictiones diversas ex Rituale Rom.) Cum Approbatione. Rubro et nigro. 1 fl. 30 kr. — 1 Thlr.

Pontificale Romanum, Clementis VIII. ac Urbani VIII. jussu editum et a Benedicto XIV. recognitum et castigatum, tribus partibus constat. *Quae sive uno tantum volumine*

comprehendantur, sive tribus voluminibus dispertitae sint, unumquodque propter rituum, quos continet, numerum et longitudinem, adeo magnum, graveque exsistit, ut tam ipsi Episcopo, ecclesias praesertim suae dioecesis visitanti, ideoque illud secum vehenti, quam clericis librum coram Episcopo tenentibus, haud parvam quandoque molestiam creet. Accedit quod ritus seu sacrae actiones, quae saepissime una eademque occasione peragi solent, exempli gratia visitatio parochiarum, administratio Sacramentis Confirmationis, consecratio patenarum et calicum, variaeque pontificales benedictiones, non in una Pontificalis Romani parte, sed in duabus vel tribus diversis reperiantur. Quae plurimis Episcopis causa fuit, ut ejusmodi ritus frequentius usitatos compendio conscribi jusserint, quo in itineribus utantur; a nobis vero saepissime postulatum fuit, ut ejusmodi ritus, e Pontificali Romano opportune selectos, typis excusos suppeditemus. Huic desiderio obsequi volentes, ritus frequentiores colligere et in parvis, commodisque voluminibus digestos paullatim in lucem edere statuimus, servato in omnibus textu, quem authentica Romana exemplaria exhibent, et obtenta a Reverendissimo Ordinario facultate et approbatione.

Musica Divina sive Thesaurus Concentuum Selectissimorum omni cultui divino totius anni juxta ritum S. Ecclesiae catholicae inservientium: ab excellentissimis superioris aevi musicis numeris harmonicis compositorum. Quos e codicibus originalibus tam editis quam ineditis accuratissime in partitionem redactos ad instaurandam polyphoniam vere ecclesiasticam publice offert Carolus Proske. Annus I. Harmonias IV Vocum continens:

TOMUS I. Liber Missarum. 4° LXX.-350 p. Partitura. 4 fl. 36 kr. – 2 Thlr. 24 ngr.
— — Voces separatae. 12 Fasciculi. 2 fl. 44 kr. — 1 Thlr. 19 ngr.

TOMUS II. Liber Motettorum. Sectio I-III. cum Appendice. 4° LVI-580 p. Partitura. 7 fl. 48 kr. – 4 Thlr. 24 ngr. Voc. separatae. 8. Fasc. 4 fl. 51 kr. – 2 Thlr. 24 ngr.

TOMUS III. Psalmodiam, Magnificat, Hymnodiam et Antiphonas B. M. V. Partit. 6 fl. 48 kr. – 4 Thlr. Voces separatae. 5 Fasc. 5 fl. 24 kr. – 3 Thlr. 6 ngr.

TOMUS IV. Liber Vespertinus. Partitura. 6 fl. — 3 Thlr. 15 ngr.
— — Voces separatae. 6 Fasc. 4 fl. 48 kr. — 2 Thlr 25 ngr.

(Tomus IV Annum Primum complet.)

Selectus novus Missarum etc. 16 Missae continens. 2 Volumina in Quarto. Part. 11 fl. 54 kr. – 7 Thlr. 6 ngr. Voces separatae. 16 Fasc. 5 fl. 26 kr. – 3 Thlr. 9⅔ ngr.

Musica divina etc. Annus II., Harmonias IV vel V etc. Voc. continens. 4°.

TOMUS I. Missa I. „*Octavi Toni*“ 4 voc. Auct. J. M. Asola. Part. 36 kr. — 10 ngr. Missa II. „*Pro defunctis*“ 4 voc. Auct. Franc. Anerio. Part. 42 kr. – 12 ngr. Missa III. „*Quatuor Vocum*“. Auct. J. L. Hasler. Part. 27 kr. — 8 ngr. Missa IV. „*Tu es Petrus*“ 6 voc. Auct. J. P. A. Praenestino. (Missa inedita.) Part. 1 fl. — 18 ngr.

TOMUS II. „Sex Motetta“, IV, V, VI et VIII Vocum. Auctore Casciolini, Anerio, Orl. di Lasso, Giovanelli, Vittoria. Part. 48 kr. — 14 ngr.

TOMUS III. „Quatuor Litaniae Lauretanae“, IV et V Vocum. Auct. ignoto, Orlando di Lasso, Rinaldo de Mel et Fileno Cornazzano. Partitura. 48 kr. — 14 ngr.

TOMUS IV. „Quinque Psalmi Vespertini“, V et VI Vocum in Falsobordone. Variorum Auctorum unacum Cantico „Magnificat“, VIII voc. auct. Joanne Gabrieli pro festo Dedicationis B. M. V. ad Nives, necnon in Communi B. M. V. Part. 36 kr. — 10 ngr.

Nostris temporibus ubique locorum illi qui in rebus ad sacram Musicen pertinentibus versantur, ad unum omnes, eos potissimum viros, qui saec. XVI. et XVII. florebant, Musicen sacra religione vere dignam composuisse contendunt. Et si qui Missas vel Motetta vel Psalmos publice exsequitur, recte postulant, ut is illorum opera agat, qui hac in nobilissima arte summam laudem adepti sunt, quorum numeri ad augustum Templi splendorem et Ceremoniarum gravitatem exacti, quantum a profanis mollibusque Theatri modulationibus abhorrerent, tantum serviant animos ab humanarum rerum illecebris. Ii vero, qui delapso et hoc sæculo modos musicos templis dedicatos fecerunt, sæpissime, posthabitis hisce optimis Sacræ Musices Magistris, quoddam Concentuum genus composuerunt, scenicis Ludibus plane dignum sed in aula Dei pias aures offendens.

Joh. Petraloysius Prænestinus (Palestrina) (schola Romana), Orlandus Lassus (schola inferiorum terrarum), Andreas et Joh. Gabrieli (schola Venetiana) eorumque familiæ rectam viam rationemque invenerunt quippe quæ catholici cultus postulatis satisfacerent et pietatem augerent. Sed illo infausto sæculo XVIII. eorum divina et præstantissima opera pene sempiterna oblivione obruta sunt.

Qua de causa inter omnes convenit, doctissimum illum virum Dr. C. Proske de Musica ecclesiastica optime meruisse, qui in illo opere, quod „Musica divina“ inscribitur, pretiosos Musices ecclesiasticæ thesauros effodisset eosque in templa reduxisset. Thesaurus quem modo diximus omnium qui adhuc in lucem prodierunt, longe optimus amplissimusque est, quod in sex tomis ordine anni ecclesiastici observato quam plurima quæ in Missis cantatis et in Officio divino et Hebdomade sancta aliisque diebus cantantur cantica complectitur, neque admittit, nisi quæ vera Musices liturgicæ exempla habenda et usu omnibus probata sunt. Neque quisquam nisi homo hac arte sacra leviter imbutus contendere audeat, ea cantica quæ in hoc corpore collecta sunt, summum artis fastigium non consequi.

CAUSÆ SELECTÆ

IN

S. CONGREGATIONE CARDINALIUM

CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM

PROPOSITÆ

PER SUMMARIA PRECUM

AB ANNO 1823 USQUE AD ANNUM 1869.

COLLEGERUNT

CHRISTIANUS LINGEN J. U. D.

PRESBYTER ARCHIDIŒCESIS COLONIENSIS

ET

PETRUS ALEXANDER REUSS J. U. D.

PROFESSOR IN SEMINARIO CLERICALI TREVIRENSI.

RATISBONÆ, NEO-EBORACI ET CINCINNATII.

SUMTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET

S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.

PARISIIS: P. Lethielleux. **MDCCCLXXI.** **TORNACI**: H. Veuve Castermann.

ROMÆ: Propaganda et Spithœver. **MATRITII**: Tejado. **TILBURGI**: W. Bergmans.

LONDINI: Burns, Oates & Co.

45938

Imprimatur.

Ratisbonae, die 24. Febr. 1871.

Mich. Reger, Vic. Gen. in spirit

Praefatio.

Partem edituri earum resolutionum, quas hoc saeculo «per summaria precum» — dedit Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, rem hucusque fere neglectam, sed non semper, ut putamus, negligendam suscepimus. Etsi enim eae quas proponimus causae non tam gravis momenti esse videantur, quam aliae, quae in «Thesaurum resolutionum» collectae sunt, versantur tamen plerumque circa eas res, quae quotidie occurrunt et non tam in judiciis quam in dioecesium administratione tractantur, ubi saepe non de stricto jure, sed de gratia danda quaeritur, et in negotiis quid aequius, quid prudentius sit, dispiciendum est.

Ut modum rei poneremus, collegimus causas per summaria precum tractatas ab eo tempore, quo suas causas eodem modo absolutas edidit Cardinalis Antonius Gamberinus, incepimus scilicet ab anno 1825 adjunximusque nonnullas, quas Gamberinus protulerat, quia postea nulla earum exempla occurrerunt. In deligendis causis, rerum copiae nonnunquam indulgendum esse censuimus, quia in administrationis et gratiae negotiis saepe non tam legibus, quam exemplis res geruntur; inutiles vero repetitiones resecavimus, illud accurate observantes, ne vel minimam rem facti, quae causae speciem mutaret, omitteremus. Quae italico idiomate conscripta erant, in latinum convertimus, ea vero, quae in ipsis foliis minus eleganter saepe expressa erant, reliquimus, ne ab authenticis exemplaribus nimis recederemus. Omnes porro causas, quas referimus, et responsa Congregationis, religiose ex ejus tabulario desumpsimus vel ab ipso secretario, cum Cardinalium sententiam promulgaret accepimus, ita ut fides eis adhiberi omnium possit. Si quis autem magis de resolutionum fide cavere sibi velit, sequatur consilium quod Benedictus XIV. in praefatione ad opus «de Synodo dioecesana» dedit, adeat scilicet secretarium Congregationis, quem indicatis die et nomine causae authenticum

ejus exemplar prolaturum esse pollicemur, quod a nostro nulla in re, quae alicujus momenti esse possit, differet. Praecipuam in id operam contulimus, ut laudatas in causis alias Congregationis resolutiones in ipso «Thesauro» inspiceremus. Ea vero decreta, quae ante annum 1718, quo incipit «Thesaurus», edita esse dicuntur, revolvere non potuimus ideoque de eis non respondemus, an recte allata sint et ad rem pro qua allegantur, pertineant. In disponendis causis non eum, quem alii adhibuerunt ordinem secuti sumus, ut secundum annos vel nomina dioecesium et litterarum ordinem eas digereremus, sed ut facilior esset usus, rerum ordinem observavimus, quantum nobis in tanta earum mole et difficultate licuit, indicesque in fine libri adjecimus.

Omnibus denique, qui in hoc opere componendo benigne nobis adfuerunt consilio vel exhortatione, gratias agimus quam maximas, atque prae ceteris profitemur nos plurimum debere reverendo patri Josepho Schneider, societatis Jesu religioso, et clarissimo viro Joanni de Montel nobili de Treuenfest, in Romana Curia advocato, qui in opere suscipiendo et conficiendo saepe praesto nobis fuit consilio et auxilio, ea comitate, quam plerique qui Romam conveniunt Germani sacrarum rerum studiosi in eo norunt. Quibus fausta feliciaque omnia adprecamur.

Editores.

Prolegomena.

Rem gratam lectoribus hujus operis nos facturos esse confidimus, si de Sacra Congregatione Concilii Tridentini nonnulla latius disseramus. Etsi enim ad hujus libri institutum non necessariò pertineat, res tamen est memoria digna, quae apud juris ecclesiastici scriptores plerumque vel paucis absolvitur, vel non satis exacte exponitur. Ea denique quae ab aliis et ample et recte scripta sunt, nonnisi paucis nota sunt.[1]) Totam vero rem absolvemus, si de hujus Congregationis origine et progressu, de ejus officio, de personis, quae ad eam pertinent, de modo quo res tractantur in ea, de ejus decretis collectionibusque et auctoritate decretorum agamus.

I. De origine et progressu Congregationis Concilii.

Origo Congregationis Concilii repetenda est ex decreto Tridentinae Synodi, quae in decreto de recipiendis et observandis decretis Concilii[2]) ita statuit: „Quodsi in his recipiendis (decretis) aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quae declarationem, quod non credit, aut definitionem postulant, praeter alia remedia in hoc concilio instituta confidit sancta synodus beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis praesertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro Dei gloria et ecclesiae tranquillitate consulatur.“ Duos hic casus seu casuum genera Concilium respexit. Nam aut clarus est sensus ipsius decreti Concilii, sed difficultas oritur in eo exsequendo et rebus et temporibus accommodando, dubium scilicet est facti; aut difficultas est de ipso sensu verborum decreti, quod dubium juris est. Quodsi jam per se patet, haec juris dubia solvere legemque declarare authentice neminem posse nisi eum qui legislatoris auctoritatem habet, haec prohibitio interpretandi decreta Concilii Tridentini severior eo facta est, quod Pius IV. in bulla confirmationis Concilii „Benedictus Deus“ data VII. Cal. Febr. 1564 secutus exemplum Imperatoris Justiniani[3]) et sui praedecessoris Nicolai III.[4]) „ad vitandam confusionem, quae oriri possit, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilii commentarios et interpretationes suas edere“ prohibuit omnino, ne quis sine auctoritate Apostolica auderet ullos commentarios, glossas, ullumve interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere“ etc.[5]) Atque hanc reservationem interpretationis postea

[1]) Fagnan. in cap. Quoniam, de constit.; et in cap. Cum venissent, de judiciis Schmalzgrueber, Jus eccl. univ. tom. 1. dissert. prooemial. §. 9 ; Card. de Luca, Rel. Rom. Curiae disc. 15.; Bangen Roemische Curie p. 145. Phillips Kirchenrecht tom. 6. p. 624. Zamboni Collectio declarationum tom. 1. et 8. in fin. [2]) s. 25 continuat.

[3]) L. 1. §. 12., L. 2. §. 21., L. 3. §. 21. Cod. de jure vet. enucl. I., 17.

[4]) Cap. 3. Exiit de verb. signif. in VI. §. Itaque.

[5]) Confer de hac constitutione Fagnan. in c. Cum venissent, de judiciis.

repetiit, cum literis motu proprio datis incipientibus: „Alias nonnullas“ die 2. Augusti 1564 deputaret octo Cardinales, qui Concilio interfuerant, quibus mandavit ut firmiter observari curarent non solum ea, quae ipse paulo ante de reformandis tribunalibus Urbis statuerat, sed et decreta Concilii Tridentini. Hoc fuit initium Congregationis Concilii. Excepit vero Pius IV. casus, in quibus quoad executionem dictorum decretorum Concilii aliqua dubietas aut difficultas emergeret, quos ad se referri voluit. Sed haec exceptio certe non de dubiis facti, sed de dubiis juris agit, ideoque potestas, quae Congregationi data est, non interpretandi, sed administrandi jus fuit. Neque vero omittendum est, cum eo officio exsequendi decreta etiam judicis auctoritatem datam Cardinalibus esse, cum judicis officium nihil aliud sit, quam administratio juris solemnibus quibusdam formis ob rerum gravitatem aucta. Totus agendi modus, quem illi Cardinales sequebantur, optime patet ex libris literarum et decretorum Congregationis, qui in secretaria Congregationis asservantur, ex quibus liber primus literarum ab anno 1564 usque ad annum 1568 publici juris factus est.[1]) Ex his libris non solum ea comprobantur quae diximus, sed apparet etiam Congregationem saepe in consilium adhibitam esse a Pio IV., S. Pio V. ac Gregorio XIII. ad interpretanda decreta Concilii, imo Congregationem multis casibus respondisse inconsulto Pontifice. Refert Fagnanus[2]) dubitatum deinde esse, an jure hoc fecisset Congregatio ob prohibitionem Pii IV. in laudata constitutione, imo an ipsa Congregatio in censuras ejus constitutionis incidisset; atque rem a S. Pio V. melius definitam esse. Indulsit enim Pontifex, ut posset Congregatio absque alia delegatione decidere casus quos tamquam claros putaret decidendos; quos vero tamquam dubios existimaret referendos, Sanctitati Suae referret, quod in eam usque diem fecerat;[3]) moxque ipsi Congregationi ampliores etiam facultates pro decidendis causis et controversiis Concilii interpretationem concernentibus idem S. Pius V. tribuit. Idem fecit Gregorius XIII. qui dixit se recte meminisse, Congregationi Concilii commisisse se omnia quae ad Concilium interpretandum pertinent.[4]) Crescente vero negotiorum mole, quae ex omnibus terrae partibus ad eam confluebant, ob quam jam initio anni 1565 quatuor Cardinales additi erant illis octo,[5]) constitutum est, ut pro faciliori expeditione quatuor Cardinales ex corpore generalis Congregationis frequentius convenirent sub nomine Congregationis particularis. Quam quidem Congregationem Gregorius XIII. die 8. Maji 1576 declaravit in praeteritum potuisse et in futurum posse expedire casus alias decisos a Congregatione generali atque etiam eos, quos claros haberet ex omnium sententia.[6]) Hujus parvae Congregationis erat, si vel unus Cardinalis dissentiret,[7]) rem ad Congregationem generalem rejicere, atque votum suum ei proponere.[8]) Sed his praetermissis apparet jam a Pio V. et Gregorio XIII. additum aliquid esse auctoritati Congregationis. In iis quidem rebus, ubi non de jure intelligendo et declarando sed exsequendo secundum varias temporum et

---

[1]) Reperiuntur inter literas Julii Pogiani Senensis vol I. p. 335 seqq. edit. Romanae ann. 1762.

[2]) In cap. Quoniam de constit. n. 7. et in cap. Cum venissent, de judiciis n. 30.

[3]) Hae facultates non constitutione scripta datae sunt Congregationi, ut cl. Phillips, Kirchenrecht. tom. 6. p. 627 suspicabatur, sed in consistorio vivae vocis oraculo. Fagnanus innititur iis quae Card. Carafa in libris Congregationis notavit, et quamvis ea in libris Decretorum, quos perlustravimus, non reperiantur, exstat tamen relatio in cod. Corsiniano 33 fol. 602 seq. iisdem fere verbis, quibus utitur Fagnan. in c. Cum venissent n. 30.

[4]) Fagnan. ll. cc. [5]) Cf. Julii Pogiani ep. ad Card. Commendonum 5. Apr. 1565. opp. tom. 2. p. LIII. not. [6]) Fagnan. in c. Cum venissent. n. 30. [7]) Cod. Cors. 33. fol. 603. [8]) Cod. Cors. 34 fol. 32.

personarum conditiones agebatur, eadem permansit Congregationis potestas; sed in iis casibus, ubi de sensu ipsorum decretorum Concilii agebatur, statutum est, esse Congregationis ipsius definire, utrum sibi soli competeret de casu sententiam ferre, an referendum esset ad Pontificem. Nam etsi qui Congregationem adiret, de jure in casu dubius esset, si tamen ipsa minime dubitaret, totam rem ipsi Papa definiendam reliquit.

Haec igitur fuerunt initia Congregationis. Auctoritatem Congregationis quoad interpretationem Concilii confirmavit potius quam ampliavit (quod quidam volunt[1]) Sixtus V., addidit tamen nonnulla alia. Sciunt omnes eum in constitutione „Immensa aeterni“ 22. Jannuar. 1588[2]) multas pro ordinandis negotiis ecclesiasticis totius orbis et pro rebus ditionis Pontificiae Congregationes instituisse vel confirmasse. Inter quas fuit octavo loco ea quae ab eo appellatur: Congregatio pro executione et interpretatione Concilii Tridentini.[3]) Inprimis Pontifex declarationem eorum quae in decretis Concilii ad fidei dogmata pertinent, sibi reservavit. Quod ideo expressum videtur, ne Congregatio harum rerum definitionem saltem indirecte assumeret. Evenerat enim, ut Congregatio adiretur a quaerentibus etiam de rebus fidei ratione poenae anathematis in decretis Concilii appositae.[4]) Decretorum vero de reformatione executionem atque etiam interpretationem Sixtus Congregationi concessit, atque exceptionem a praedecessoribus appositam ita moderatus est, ut ipsi Cardinales interpretarentur etiam in difficilioribus casibus Pontifice tamen consulto, quod cum priori modo eundem quidem effectum habet, eam

---

[1]) Bangen, Römische Curie p. 130. conf. Philipps lc. p. 632.

[2]) Bullar. Roman. ed. Coqu. tom. IV. p. IV. p. 392 seqq.

[3]) En verba Sixti V.: Deo autem Patri misericordiarum gratias agentes, qui in oecumenico Concilio Tridentino Spiritus Sancti lumine diffuso, catholicam veritatem omnibus patefecit, haereses nostrorum temporum confutavit, mores et disciplinam restituit, ejusdemque Concilii decreta ab omnibus observari volentes, cum ad singularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo spectet generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari, et ut ubique locorum serventur, curare ac praecipere:

§. 1. Eorum quidem decretorum quae ad Fidei dogmata pertinent, interpretationem Nobis ipsis reservamus, Cardinalibus vero praefectis interpretationi et executioni Concilii Tridentini, si quando in his, quae de morum reformatione, disciplina ac moderatione et ecclesiasticis judiciis aliisque hujusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerserint, interpretandi facultatem, Nobis tamen consultis, impertimur. Et quoniam eodem Concilio Tridentino decretum est, synodos provinciales tertio quoque anno, dioecesanas singulis annis celebrari debere, id in executionis usum ab iis, quorum interest, induci eadem Congregatio providebit. Provincialium vero, ubivis terrarum illae celebrentur, decreta ad se mitti praecipiet, eaque singula expendet et recognoscet. Patriarcharum praeterea, Primatuum, Archiepiscoporum, et Episcoporum (quibus beatorum Apostolorum limina certo constituto tempore visitare alia nostra sanctione jussum est) postulata audiat, et quae Congregatio ipsa per se poterit, ex caritatis et justitiae norma expediat, majora ad Nos referat, qui fratribus nostris Episcopis quantum cum Domino licet, gratificari cupimus. Item ab iisdem Praesulibus ecclesiarum exposcat, quae in ecclesiis eorum curae ac fidei commissis, cleri populique morum disciplina sit, quae Concilii Tridentini decretorum, cum in omnibus, tum praesertim in residentiae munere executio, quae item piae consuetudines, et qui omnium denique in via Domini sint progressus; ipsisque det literas ex formula praescripta in testimonium obitae per eos visitationis liminum sanctorum eorumdem Apostolorum. Habeat itidem Congregatio auctoritatem promovendi reformationem cleri et populi, nedum in Urbe et statu ecclesiastico temporali, sed etiam in universo christiano orbe, in iis, quae pertinent ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam, et mores christiani populi ad praescriptum ejusdem Concilii componendos, atque ad rationes difficillimis his perturbatisque temporibus necessarias confirmandos, quo uberius divinae misericordiae vim in nobis sentiamus, justamque iram atque animadversionem effugiamus.

[4]) Exemplo sit declaratio facta die 17. Januar. 1576 ad sess. 4. decr. de canonicis scripturis §. Si quis autem, quae habetur in Cod. Corsin. 770 bis et Cod. 30; cujus summa est apud Gallemart. decl. ad sess. 4. decl. 1.

tamen speciem prae se fert, ut Papa Congregationis interpretationem, non suam, sua sanctione roboret. Porro haec interpretandi auctoritas ex Sixti constitutione ad solam Congregationem Concilii pertinet, sublata omnibus aliis Congregationibus interpretandi facultate;[1]) quo innovatum est, quod jam Gregorius XIII. hac de re statuerat.

Post haec Congregationis auctoritas non est aucta, sed agendi forma paulatim melius explicata.

Atque in primis grave effectum est Secretarii officium, ita ut ad illud assumerentur, qui prae ceteris juris utriusque scientia et rerum usu excellerent. Habuit Congregatio praeclaros secretarios, uti Prosperum Fagnanum, qui in libros Decretalium commentarios uberrimos scripsit, et Prosperum de Lambertinis, qui postea nomine Benedicti XIV. assumpto Ecclesiam scientia et zelo sacrae disciplinae rexit, et Cardinalem de Petra, qui celebres commentarios in Pontificum constitutiones edidit, plurimosque alios.

Crescente secretarii auctoritate haud ita opus fuisse videtur perpetua illa Cardinalium quatuor particulari congregatione, ideoque videmus pro difficilioribus negotiis vel a Pontifice particulares e Patribus congregationes deputatas esse, vel theologos et canonistas adhibitos, quod jam Sixtus V. innuerat.[2]) Deinde res minoris momenti separatae sunt ab aliis, majoresque causae in folio manu scripto Patribus ante singulos congressus breviter expositae, quibus partes suas allegationes addere poterant, et nonnunquam secretarius quaedam annotabat de jure et praesertim de praxi ipsius Congregationis. Ab anno 1696 causae Patribus tradendae typis mandari coeperunt et in fine folii notabatur: „Deinde referentur nonnulli supplices libelli plerumque a Sanctissimo D. N. et a Dataria remissi“ et subnectebantur solummodo nomina dioecesium, ex quibus proveniebant. Notabantur pariter dioeceses, quarum relationes de statu erant expendendae.[3]) Prosper de Lambertinis, qui anno 1718 secretarii munus suscepit, modum scribendi folia ita reformavit ut juris momenta et Congregationis resolutiones omnibus fere causis, theologorum vero canonistarumque vota et suos discursus saepius adderet, quae omnia antea rarissime fieri solebant. Ipse quoque authenticam collectionem resolutionum, quae dicitur „Thesaurus resolutionum“ fieri curavit; qua de re postea agemus. Variis porro temporibus ordo institutus est pro tractandis causis contentiosis, postremo anno 1847. Sed gravius est, quod de particularibus Congregationibus a Congregatione Concilii deputatis dicendum restat. Ad nostram Congregationem semper pertinuit officium de observantia cap. 1. sess. 6. et cap. 1. s. 23 de ref. de residentia Episcoporum vigilandi, sed Urbanus VIII. cum illa decreta non exacte observari videret, in sua constitutione data die 12. Decembris 1634, quae incipit „Sancta Synodus“, ea innovavit ampliavitque et ad suam constitutionem exsequendam specialem Congregationem instituit super residentia Episcoporum, cujus caput esset Cardinalis Urbis Vicarius et secretarius idem qui eo munere fungeretur in Congregatione Concilii. Hujus Congregationis functiones aliquando intermissas restituit Benedictus XIV. constitutione „Ad universae“ data die 6. Septembris 1746.

Altera Congregatio particularis deputata id muneris habet, ut relationes de statu dioecesium expendat et Episcopis respondeat, quod munus ex Sixti V. constitutione ad Congregationem Concilii pertinebat. Benedictus vero XIV.,

---

[1]) Constit. cit. §. Denique. [2]) Loc. cit. §. Denique. [3]) Haec nomina non indicabant causas „per summaria precum“, nam cum ipsis manuscriptis non concordant et nonnisi formulae erant adeo, ut per integros annos eadem semper nomina folio causarum adderentur.

qui jam antea ut hujus Congregationis secretarius hoc negotium inceperat, anno 1740 die 23. Novemb. particularem Congregationem pro his relationibus examinandis constituit in Bulla: „Decet Romanum Pontificem“, decrevitque, ut ejus Praefectus et Secretarius iidem essent ac in Congregatione Concilii. Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. specialem officialem responsionibus scribendis huic particulari Congregationi addidit.[1])

Tertiae Congregationi particulari incumbit, ut synodos provinciales revideat, et si quid fortasse vel nimis rigidum, vel minus rationi congruum deprehendatur, corrigat.[2]) Praefectus et Secretarius Congregationis Concilii id peragunt adhibitis consultoribus.

Haec igitur de modo, quo facultates Congregationi Concilii traditae se explicaverint, dicta sufficiant. Addimus paucis, ob perturbationes rerum publicarum ab anno 1798 fere usque ad restitutionem Pii VII. sa. mem. nullas paene resolutiones a Congregatione datas esse aut negotia expedita, imo libros Congregationis Parisios asportatos esse. Item anno 1849 nulla decreta aliave publicata sunt, sed omnia brevi manu ex audientia Sanctissimi expedita.[3])

II. De officio Sacrae Congregationis Concilii.

Jam singulae partes officii hujus Congregationis magis explicandae sunt. Sciunt omnes decreta Concilii Tridentini de reformatione circa omnes fere juris canonici partes versari, confirmando, immutando, ampliando etiam juris decretalium normas. Hinc ad forum Congregationis omnes ferme causae juris canonici pervenire possunt, saltem ope appellationis vel consultationis. Recte igitur cl. Bangen Congregationem Concilii dixit eum esse Cardinalium magistratum, qui ex potestate delegata nomine et auctoritate Papae pro universali Ecclesia cum executionem decretorum Concilii Tridentini tuetur, tum dubia resolvit, quae de sensu vel de usu decretorum Concilii oriuntur, tum causas contentiosas decidit, sive explicite, sive implicite hoc jus Concilio Tridentino contineatur.[4])

Atque his verbis jam singulae officii Congregationis partes innuuntur. Primo enim, ut satis dictum est, Congregatio decreta Concilii interpretatur, imo ad ea facilius exsequenda instructiones et decreta generalia edere potest. Nam et Sixtus V. ita statuit, et exempla demonstrant.

Saepius tamen judicis officio fungitur Congregatio, dum singulas ad eam delatas causas dirimit, sive in prima judicii sede tractentur, sive in gradu appellationis ad eam pervenerint.

Tertius modus inter illud legislatoris seu interpretis, et hoc judicis officium medium quodammodo locum obtinet, atque administrationis modus appellari potest. Sunt enim multa negotia, in quibus nec de jure nec de debita ejus executione in casu proposito dubium adest, et tamen inferiores magistratus juxta canonicas sanctiones ea expedire vel nequeunt vel nolunt, sed vel ex necessitate, vel ut cautius tutiusque procedant, rem ad S. Sedem deferunt, ut ea suam auctoritatem interponat. Cujus rei exempla sunt indigentis patroni subsidium, pensiones perpetuae, approbationes alienationum et transactionum aliaque. Alii sunt casus, in quibus nullum dubium

[1]) Confer opus eximium cl. Lucidi de Visitatione ss. Liminum tom. 1. p. 38 seqq.
[2]) Benedict. XIV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. 3. n. 3.
[3]) Confer prooemia voluminum Thesauri annorum 1814 et 1850.
[4]) Römische Curie pag. 151.

adest, imo lex precibus adversatur, illos casus dico, in quibus a legis dispositione petitur dispensatio. Huc pertinent exempli gratia commutationes ultimarum voluntatum, dispensationes et innumerae aliae causae gratiosae, quarum hic liber magnam partem continet. In his vero causis ita versatur Congregatio, ut eas praeparet quidem, sed earum definitionem Pontifici relinquat, nisi ab eo speciales facultates habeat, quae pro frequentioribus casibus datae sunt.

Limites nunc indicandae sunt, quibus Congregatio Concilii tenetur, ne aliorum tribunalium Urbis officia assumat. Singulis quidem Congregationibus a Sixto V. aliisque Pontificibus data est provincia, et statutum, ne aliarum negotia assumant, sed ad propriam Congregationem remittant; evenit tamen saepe, quod maxime dolet Zambonius[1]), vel negotiorum natura, vel consuetudine vel tandem quia omnes illae congregationes non sunt nisi organa et voces Papae, ut cumulativam jurisdictionem inter se exerceant. Breviter igitur statui potest, Congregationem Concilii cum aliis concurrere in iis negotiis, quorum expeditio nonnisi indirecte et generice applicationem decretorum Concilii Tridentini requirit; nisi specialis pro certis rebus instituta sit Congregatio, ut fit in rebus sacrorum rituum vel immunitatis ecclesiasticae. Plurimis hinc in casibus cumulativam jurisdictionem exercet cum Congregatione Episcoporum et Regularium.[2]) Latas enim ea habet agendi habenas, ut canonistae ajunt, ita ut ab Urbano VIII. universalis Congregatio dicta sit. Exceptis igitur causis, quae expresse interpretationem Concilii requirunt, et causis matrimonialibus, quae ad Congregationem Concilii privative pertinent,[3]) exceptis quoque causis criminalibus, quas Pius VII. Congregationi Episcoporum et Regularium commisit;[4]) in aliis negotiis praeventioni locus est inter has Congregationes, et a partibus dependet, quaenam Congregatio causam pertractet, nisi secretarius rem ad alteram Congregationem transmittendam esse censeat.

Cum Secretaria Brevium et Dataria nonnumquam in causis gratiosis Congregatio concurrit. Habet quoque Dataria tribunal quo summarie de negotiis propositis cognoscit; sed si partes non acquiescant ejus sententiae vel res difficilior sit, ad Congregationem Concilii eas amandat.[5])

De S. Rota Romana illud hic notandum, prout nunc res sunt, numquam evenire posse, ut ejus jurisdictio cum Congregatione concurrat. Illud tamen notissimum est, quod jam Fagnanus tradit,[6]) Rotam declarationes Congregationis ut leges venerari. Pariter decisiones Rotae non parum auctoritatis habent in Congregatione saepeque allegantur praesertim in causis beneficialibus et matrimonialibus.

De reliquis tribunalibus non est cur multum immoremur. Ea enim, velut Congregatio de propaganda fide, et Congregatio negotiorum extraordinariorum ad Congregationem Concilii remittere solent saltem pro voto, quae de jure ad ea perveniunt tractanda, et non raro, si res majorem causae cognitionem requirat, partibus ut nostram Congregationem adeant, mandant.

---

[1]) Prolegom. in tom. 1. §. 9. [2]) Confer de ea Card. de Luca, Rel. cur. Rom. for. disc. 16., Miscellan. eccl. lib. 14. disc. 1., Bangen l. c. pag. 181 seq., Eminentissimum Bizzarri Collectanea in usum secretariae Cong. Ep. et Reg. prolegom. pag. XXIII. et seqq., Phillips l. c. p. 639. [3]) Bened. XIV. Const. Dei miseratione 3. Novemb. 1741 §. 13 seqq. [4]) Const. Post diuturnas, ann. 1800, Bullar. Rom. cont. Tom. 11. pag. 48.

[5]) Confer „Archiv für Kirchenrecht“ ann. 1865 mense Septemb. p. 251 seq.

[6]) In cap. Quoniam de constit. n. 38 seqq.

Denique animadvertimus, postquam una ex Congregationibus electa est, eam rem sub poena nullitatis alteri proponi non posse.[1])

III. De membris et officialibus Congregationis Concilii.

Hujus Congregationis membra sunt Cardinales a summo Pontifice nominati. Pius IV. ex octo Cardinalibus eam constituit, quibus paulo post quatuor additi sunt, postea varius eorum numerus fuit, hodie sunt numero 37[2]), etiam ex iis Cardinalibus electi, qui extra Romanam Curiam resident. Unus ex Cardinalibus a Pontifice ad praefecti munus designatur, eique summa rerum gerendarum defertur. Singula ejus jura et officia describuntur in Brevi, quod in ejus nominatione expediri solet.[3]) Omnes vero Cardinales votum decisivum habent, si tamen saltem tres convenerint.[4]) Assistit praefecto secretarius, qui cum saepe nomine Congregationis ad Episcopos scribere debeat, informationes et vota exquirere, ipse quoque dignitate Episcopi vel Archiepiscopi insignitur. Hujus est negotia pro Cardinalium congressu proponere, et Papae referre, denique decreta Congregationis conscribere, quia sine ipsius et praefecti subscriptione nullam auctoritatem habent.[5]) Adjuvat secretarium alter subsecretarius, qui omnia negotia prius inspicit, et quomodo tractanda vel definienda sint, consulit. Adest etiam secretarii auditor, qui ejus vices gerit in praeparandis iis tantum rebus, quarum relatio typis impressa Cardinalium congressui traditur. Is simul est caput studii, uti vocant, seu scholae juvenum clericorum, qui exactis plerumque studiis juris civilis et canonici sponte ibi conveniunt, ut in rerum forensium praxi exerceantur. Ii quoque ex actis sibi traditis facti et juris summarium eruunt, ut auditori inservire possit. Addicti praeterea sunt Congregationi alii quidam officiales et scribae.

IV. De modo agendi Congregationis Concilii.

Si preces vel aliud quodcunque scriptum ad Congregationem deferatur, illud prius in tabulario accurate notatum expendit subsecretarius, ut videat quomodo res tractanda sit. Nam si ejusmodi res sit, ut quae petuntur, jam sint de stylo Congregationis, ea tantummodo Praefecto et Secretario proponitur, aut in plena Congregatione brevis fit expositio et statim quid respondendum sit, rescribitur. Pro his rebus multae dantur secretario facultates;[6]) multae etiam preces statim Papae referuntur et rescribitur ex audientia Sanctissimi.

Si negotium gravius sit, quod ob suam naturam, sive quia partes sibi contradicunt, examinandum maturius et a plena Congregatione decidendum sit, sed sine formali examine testium aliisque judicii solemnis formis definiri non possit, Congregatio omnia Episcopo committit, ut acta inde confecta cum voto suo ad Cardinales transmittat. Evitat enim Congregatio strepitum judicii[7]), Episcoporum vero vota fere semper exquiruntur, atque plurimum eis defertur. Si ex actis appareat, rem alicujus esse momenti, intimatur partibus, ut „quatenus velint, deducant ulteriora jura sua coram S. Congregatione.“ Denique si omnia parata esse videntur, fit decretum, ut causa prodonatur vel in folio, vel per summaria precum. Cum in hac divisione tota operis nostri ratio consistat, plura de ea dicenda sunt.

---

[1]) Decr. Innocent. XII. 4. Junii 1692 rel a Guerra Epitom. Bullar. Tom. 1. p. 398, Clem. XIII. 15. April. 1758.

[2]) Annuario pontificio 1870. [3]) cf. Zamboni l. c. tom. I. [4]) Sixti V. Const. Immensa §. Denique. [5]) Decret. Urbani VIII. ann. 1624 apud Zamboni l. c. p. 78.

[6]) cf. Bangen. l. c. p. 495. [7]) Bangen. l. c. p. 167.

Jam ab initio Congregationis observatum esse videtur, ut discerneretur inter causas, quae pleniores informationes maturamque discussionem ob rei gravitatem requirebant, et illas, quae faciliori modo expediri poterant et plerumque a Congregatione parva absolvebantur. In prioribus tantum a partibus juris allegationes datae plerumque sunt et a Secretario plenior expositio fiebat. Major tamen evasit illa differentia, postquam coeptum est, majorum causarum, quae in proximo congressu definiendae erant, in folio manu scripto vel impresso Patribus pleniorem expositionem transmittere, sive servato juris ordine eae causae tractarentur, sive summarie et de plano procederetur. Eae causae, quae non in folio describebantur, sed a Secretario in ipso congressu statim definiendae proponebantur, cum non solum hoc maxime summario modo expedirentur, sed etiam preces plerumque ac res gratiosas continerent, omnes vocatae sunt per summaria precum propositae. Verum inter eas quaedam nonnunquam erant, quae aliquam saltem majorem causae et juris cognitionem exposcebant, etsi non tanti momenti erant, ut typis mandarentur.

Hinc eorum scripta expositio a secretario in congressu recitabatur, una cum juris et prudentiae rationibus. Hujusmodi causae etsi minores, tanti tamen momenti visae sunt Secratario Congregationis Antonio Gamberini, ut eas, quae suo tempore ann. 1823—1825 tractatae erant, ederet, quae editio postea repetita hodie rarissima est. Post Gamberinum ab earum editione cessatum est. Sed qui secretarii munere anno 1847 fungebatur, Hieronymus d'Andrea (qui postea Cardinalis creatus est) animadvertit, etiam inter illas, quae in folio proponebantur, multas esse causas, quae jam ex stylo Congregationis ita fere definitae essent, ut inter causas gravissimas recenseri non deberent. Quare ut res majores facilius expedirentur, et tamen de illis quoque, quae adhuc in scriptis solummodo proponebantur, maturius decerneretur, eam rationem iniit ille secretarius, ut eas causas in separato folio Patribus distribueret easque generis nomine retento causas per summaria precum propositas nominaret. Haec mutatio invecta est anno 1847 atque ab eo tempore semper servatus est usus. In libros Congregationis haec folia referuntur, in thesauro tamen resolutionum, ne augeantur expensae et ne volumina nimis crescant, non imprimuntur.

Patet ex his, quae causae in folio poni, quae vero per summaria precum referri soleant. Regula quidem certa et in omnibus fixa non adest, sed ex arbitrio secretarii res pendet. Plerumque tamen in folio ponuntur causae, in quibus hucusque nulla similis resolutio habetur; porro causae, in quibus directe agitur de interpretatione Concilii Tridentini vel constitutionis pontificiae, causae denique ubi in primo vel ulteriori judicii gradu contendunt inter se partes. Per summaria vero referuntur, quae haud ita gravis momenti sunt, vel ubi pluribus resolutionibus Congregationis sensus et stylus jam est expressus, vel ubi in mora est periculum, vel quae secrete tractantur, ne in thesauro resolutionum eas publici juris facere necesse sit.

Tandem animadvertimus, non idem esse, causam per summaria precum proponi, ac eam oeconomice tractari. Invectum est enim ab anno 1836 circiter, ut causae de vinculo matrimonii, si partes expensas judicii solemnis ferre non possint, definiantur votis a theologo, canonista et defensore vinculi ex officio emissis et „restrictu“ facti ab auditore conscripto, si Papa haec omnia permiserit. Hic modus oeconomicus vocatur, attamen hujusmodi causae in thesaurum resolutionum inseruntur.

Haec de ista differentia causarum dicta sufficiant. Confectis omnibus actis causa ad auditorem mittitur, qui, si in folio ponenda sit, citat partes vel earum procuratorem ad concordandum dubium et ad statuendam

diem propositionis. Ut haec verba „Ad concordandum dubium“ melius intelligantur, repetimus ex stylo Congregationis secretarii vel auditoris esse munus, ut causae expositionem (sine voto suo), decimo saltem die ante congressum Cardinalium typis mandatum distribuat. Haec relatio appellatur „restrictus,“ quia ibi expositio facti et juris breviter restringitur eo modo, ut in fine appareat dubium, seu ipsa quaestio, ad quam Patribus respondendum est. Concordato dubio auditor plerumque remittit acta causae cuidam ex juvenibus studii, prout diversa eorum fuerit indoles et usus rerum forensium, ut ipsi praeparatorium quendam restrictum conficiant. Post haec ipse auditor quae necessaria sibi videntur, conscribit, et in fine addit dubium, quod vel a partibus et auditore constitutum est, vel ex officio proponitur, si partes non convenerint. His tamen licet, si formula proposita eis non placeat, „dubii reformationem“ petere ab ipsa Congregatione. Apponitur plerumque dubio clausula: in casu etc. (scilicet restringitur decisionis effectus ad casum de quo agitur) et saepe plura dubia proponuntur, quorum alterum ex altero pendet. Exempli gratia, si prius dubium sit: I. An sit locus appellationi in casu etc., subnectitur: Et si affirmative (respondeatur) alterum dubium sit: II. An sententia curiae episcopalis sit, confirmanda vel infirmanda in casu etc.

Haec de dubiis. Usus est ut septem causae simul proponantur, et folia communem hanc habeant inscriptionem: „Die (exempli gratia) 14. Septembris 1867. In palatio apostolico (Vaticano) erit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia proponuntur infrascripta dubia, juxta morem ejusdem Sacrae Congregationis de jure resolvenda.“ Subduntur nomina dioecesium, ex quibus causa ad Congregationem pervenit, et breviter annotatur materia, de qua agitur, ex. gr.: Alatrina, Jurispatronatus.

Eodem modo causae per summaria precum proponuntur, sed iis non additur in fine dubii formula, et non apponitur in capite Tridentinae Synodi decretum, cui innititur causa.

Distributis foliis solent causarum patroni allegationes jurium addere atque ipsi Cardinales „ad informandum“ adire. Fixo die ante Cardinalium congregationem conveniunt clerici studii, ut coram secretario et auditore de causis propositis disputent inter se, quo fit ut et ipsi exerceantur et secretarius de causis melius referre possit.

In ipsa Congregatione Cardinalium refert ex actis secretarius singulas causas, et per majora vota statuitur responsio seu resolutio dubiorum. De modis respondendi quaedam hic addimus. Saepe respondet Congregatio ad dubium aut simpliciter: „Affirmative“ vel „Negative“ aut distinguendo: „Ad primam dubii partem affirmative, ad secundam negative“ nempe si in dubio duae quaestiones connexae erant, prout est in hac formula: „An et cui danda sit institutio in casu etc.“

Aliquando limitant Cardinales sententiam apponendo haec vel similia verba: „Affirmative, ita tamen ut“ etc. vel „Affirmative juxta modum, nempe“ etc.

Praeterea si negativa datur responsio ad petitum, nonnunquam rescribitur: „Non expedire“ (scilicet gratiam concedi), quo mitiori modo non omnis excluditur spes. Fortior negatio est in verbis „Relatum, Lectum, Nihil“ in supplicibus libellis. Interdum apponitur responso: „Et amplius“ scilicet: Congregatio rem amplius non proponi mandavit; quo fit ut sine speciali venia a Praefecto concedenda res iterum proponi non possit, cum in ceteris negotiis facile concedatur beneficium novae audientiae.

Saepe etiam responsioni additur: Ad mentem. Quae verba hoc significant: Congregatio explicat mentem i. e. sententiam suam, quomodo responsio, quae ex stricto jure debebat dari, in casu, de quo agitur, ex rationibus aequitatis modificetur. Potest etiam evenire, ut hac forma tegatur resolutio, quae personis contraria est, quarum auctoritatem respici oportet; hinc talis mens secretario semper nota, aliis non semper innotescit. Si res ad Pontificem referenda sit, additur responso: „Facto verbo cum Sanctissimo."

Praeter has formulas quibus causae definiuntur, sunt aliae quibus decisio differtur. Ejusmodi sunt: Dilata (scilicet: Responsio est dilata) vel ob temporis angustiam in ipso congressu Cardinalium, vel ut res iterum proponatur, et majores informationes dentur de facto, aut res in jure magis discutiatur. Item si nolit Congregatio respondere, aliquando respondit: Non proposita.[1])

Dilationi saepe apponitur dies: Dilata ad primam congregationem vel: Ad primam post proximam omnino et infallanter. Si causa differtur post Congregationis ferias legales, additur: Post aquas (scilicet post pluvias quae tempore autumnali cadere solent) vel: Post agnos (post festa paschalia), post Reges (post Epiphaniam Domini), post Cineres (diem Cinerum in capite Quadragesimae.)

In causis per summaria precum saepe additur: „Juxta votum Episcopi," quod in folio habetur.

Finita Cardinalium congregatione resolutiones statim a secretario in aula studii publicantur. Attamen his causa finita non est. Resolutiones enim Sacrae Congregationis, prout nobis exposuit Reverendissimus Dominus Petrus Giannelli, Archiepiscopus Sardianus, Congregationis Secretarius, non sunt sententiae stricto sensu, sed idem fere valeunt, quod decisiones Rotae ante earum expeditionem. In isto enim tribunali, si auditores causam decideriut, decisionis extensio fit ab auditore ponente, et ab eo petitur expeditio decisionis, quae fit decreto „Expediatur", atque hoc decreto reapse fit sententia judicialis, cujus promulgatio fit a parte victrice. Quod antecedit, est quaedam propalatio animi judicis, ideoque beneficium novae audientiae peti potest, quia a tribunali supremo appellari nequit.[2]) Eodem igitur modo res se habet in Congregatione Concilii, et resolutio Patrum vim obtinet, si manu Praefecti et Secretarii subscripta resolutio expediatur.

V. De collectionibus decretorum Congregationis, eorum auctoritate et usu.

Optima plenaque collectio decretorum et resolutionum Congregationis Concilii in archivio ipsius Congregationis exstare debet,[3]) quod est in palatio Vaticano. Quod quia adire non potuimus, repetimus hic quae de eo inter cetera habet Zambonius[4]). Repetit iste archivii institutionem ab initio ipsius Congregationis et refert, illud continere omnes postulationes causarum quae agitatae fuerunt in Congregatione, omnes supplicationes ac dubia, quae ad s. Congregationem deferebantur, informationes Episcoporum desuper petitas, et quidquid ad dubii explanationem ac gratiarum concessionem quaestionemque

[1]) Benedict. XIV. De sacrificio missae lib. 3. cap. 4. n. 10.
[2]) Confer Bangen. l. c. pag. 340. [3]) Si tamen omnia in illo exstant. Meminimus causam celebrem Trajecten., quam refert Fagnan. in c. Significavit, de parochis n. 39. frustra in eo quaesitam esse. [4]) l. c. p. 82.

explanandam afferri opus erat. Antiquitus haec omnia, ait, divisionem repetebant per sessiones et capita Concilii Tridentini, ad quae materia eorumdem pertinebat; postmodum vero, per dioeceses et ex hac divisione facillime reperiri potest, quod quaeri oportet. Semper autem postremum decennium positionum causarum ac postulationum in secretaria asservari solet, cetera in archivio custodiuntur.

In secretaria Congregationis praeterea asservantur tum libri decretorum, tam antiqui quam recentes, tum registrum literarum, quae nomine Congregationis mittuntur, tum parva regesta decretorum, libri quoque visitationis ss. liminum

Antiquissimus liber est, cujus jam mentionem fecimus, epistolarum, quas Julianus Poggianus Congregationis nomine scripsit a mense Septembri 1564 usque ad annum 1568 et quem P. Lagomarsinius anno 1762 summa fide descripsit et primo volumini epistolarum Poggiani inseruit.[1]) Libri decretorum incipiunt, ut antiqua nota in volumini primo habet, anno 1573 circiter; et multas gravissimas Congregationis sententias continent, ideoque a scriptoribus juris canonici maximi haberi solent.[2]) Decreta referuntur ibi sine anno et die et saepe etiam sine nomine dioecesis, et plerumque ad dubia generalia respondetur. Invenimus aliquando dubitatum esse de auctoritate horum librorum, imo ob hoc dubium aliquando Rotam recessisse a decisione jam data.[3]) Dicebatur enim non intelligi, utrum in illis libris notentur Congregationis sententiae, an notae privatae manu Cardinalis Carafae factae, quibus addi potuisset, in primo volumine inserta etiam esse responsa Congregationis Episcoporum. Sed cum videamus hos libros cum sequentibus, de quorum auctoritate dubium non est, unam collectionem constituere, cum praeterea causae libri primi in secundo omnes repetantur, assignatis etiam epistolis, quae in libris literarum de causis illis scriptae sunt, et cum Benedictus XIV. spreto illo dubio saepissime Congregationis responsa ex iis libris sumpta laudet, nos quoque illud dubium parvi pendendum esse ducimus vel saltem ad illos libros non referendum, qui nunc in secretaria Congregationis asservantur et inscribuntur: Liber I., II., III. etc. Decretorum. Illud tamen probabile est, haec volumina non ipsa originalia esse, cum in vol. 2 fol. 179 post relatas causas libri primi ita habeatur: „Hic incipiunt decreta facta tempore Cardinalis Carafae.“ In sequentibus voluminibus habetur semper subscriptio hujus Cardinalis usque ad annum 1591, quo anno mense Januario obiit.[4]) Post ejus mortem incipit liber septimus decretorum, atque usque ad librum XIX. anno 1649 saepissime nec facti species, nec ipsa dubia referuntur sed nuda decreta, velut: In causa Comen. Congregatio censuit Posse. Post hunc annum plenior est causae expositio et dubia cum resolutionibus referuntur. Ita res prosequitur usque ad annum 1679, quo folia impressa incipiunt. Refert porro Benedictus XIV.[5]) cum anno 1718 Secretarii munus susciperet, se eam consuetudinem instituisse, quae deinde a successoribus secretariis servata est, ut in foliis causarum, quae ante singulas ipsius Congregationis sessiones typis impressa distribuuntur, antiquiores ejusdem tribunalis resolutiones adnotaret, si quae ad alicujus controversiae tunc vertentis decisionem facere viderentur; adjectis etiam nonnullis praestantiorum canonistarum auctoritatibus, quae ad propositam quaestionem illustrandam conferrent. Hinc factum esse addit, ut hujusmodi folia in unum veluti corpus collecta simul ederentur. Haec quidem omnia verissima sunt, sed nonnunquam falso intel-

[1]) P. 335 seqq. [2]) Card. de Luca. Annotat. ad Conc. Trid. discurs. 1. n. 4 et 5. [3]) Zamboni l. c. p. 82. [4]) Acta consistorialia Gregorii XIV. die 14. Jan. 1591 Cod. Corsin. 50. [5]) In praefatione ad opus de synodo dioecesana.

lecta. Benedictus XIV. nihil aliud invexit, quam consuetudinem, quodcumque folium motis secretarii illustrandi; neque ipse primus fuit, qui folia imprimi faceret vel impressa colligeret; sed ipse coepit sine descrimine omnes causas colligere atque edere. Ex hoc tempore semper continuata est collectio, ita ut Thesaurus resolutionum Congregationis Concilii in 120 volumina excreverit. Ea collectio cum ex officio a secretario procuretur, aeque authentica est, ac libri decretorum qui postea confecti sunt, quorum numerus nunc ad 210 ascendit. His collectionibus addenda sunt folia impressa, quae dispersa quandoque inveniuntur et ipsa quoque decreta Congregationis sive generalia sive in particularibus causis edita continent; eorum Romae multa vidimus, quae jam a Fagnani temporibus incipiunt. Porro in nonnullis bibliothecis Urbis folia authentica Congregationis inveniuntur, quae habuerant Cardinales illustrium illarum familiarum, quarum nomine bibliothecae inscribuntur.

Ita inter codices manu scriptos bibliothecae Corsinianiae [1]) sunt folia Congregationis a mense Aprili an. 1635 usque ad annum 1638, et a mense Majo 1703 ad annum 1711; in bibliotheca Barberiniana sunt folia ab anno 1653 usque ad annum 1707 et in Casanatensi folia ab anno 1677 usque ad annum 1690. Neque dubitamus in aliarum familiarum privatis bibliothecis multa similia asservari.

Inter libros authenticos Congregationis a Benedicto XIV.[2]) aliisque secretariis recensentur quoque libri memorialium seu memorabilium, de quibus illud tantum asserere possumus, eos esse multo copiosiores quam ipsi libri decretorum, atque etiam singulorum Cardinalium vota referre. Denique laudantur etiam libri supplicum libellorum, ex quibus idem Benedictus nonnulla excerpsit.[3])

Haec quae recensuimus, sunt acta authentica Congregationis, quae cur accurate ab aliis distinxerimus, postea rationem dabimus. Multae praeterea collectiones factae sunt privato nomine. Atque ut de iis quae deperditae esse videntur, incipiamus, laudat Fagnanus duas glossas super decretis Concilii Tridentini, ab Antonio Carafa Cardinali et a Marincola Episcopo Theani confectas quorum alter praefecti, alter secretarii munere primis Congregationis temporibus functus est.[4]) Benedictus XIV.[5]) laudat etiam manuscripta ipsius Fagnani Congregationis secretarii ad singulas Concili sessiones et capita.

Inter eas collectiones quas ipsi vidimus, eminent codices bibliothecarum Corsinianae et Angelicae de Urbe.[6])

---

[1]) Cod. 38. [2]) De synod. dioec. lib. 13., cap. 24. n. 6. [3]) l. c. lib. 2. cap. 9. n. 1. [4]) Fagnan. in c. Cum venissent de judiciis n. 77. [5]) l. c. lib. 5. c. 2. n. 7. et alias. [6]) Brevem catalogum codicum hic subjungimus.

1. Collectiones factae ante annum 1600: Cod. Cors. 770 bis. (sess. 5 usque ad finem sess. 25.) Eadem collectio est in Cod. Ang. D. I., 2. (s. 5 — s. 24. c. 12. d. r.) Cod. Cors. 30. (s. 5. — s. 23. c. 18. d. r.) Cod. Cors. 33. (s. 24. d. r. m. — s. 25.) Cod. Vallicell. K. 27—29.

Asservatur eadem collectio in secretaria Congregationis Concilii sub nomine libri decretorum I. et II.; differt tamen a veris libris decretorum primo et secundo et nunquam a Benedicto XIV. laudatur; fuit Cardinalis Ludovisii.

Similes collectiones sunt in Cod. Cors. 31 (= Cod. Ang. D. I. 4 a p. 393); Cod. Cors. 32 (= Cod. Ang. D. I. 4.) a pag. 532. = Cod. Ang. A. VI. 4. Cod. Ang. B. VII. 14.

2. Cod. Cors. 793 est registrum decretorum a die 22. Febr. 1590 usque ad diem 10. Jan. 1604.

3. Usque ad annum 1629 pertingunt: Cod. Cors. 35 (s. 5. — s. 23. c. 18) = Cod. Ang. A. VIII. 7.; Cod. Cors. 34 (s. 24. c. 1. d. r. m. — s. 25.) = Cod. Ang. D. I. 5. et 6. a familiari quodam Prosperi Fagnani diligentissime e libris Congregationis excerpti.

Novimus etiam Florentiae inter manuscripta bibliothecae Magliabecchianae et Bononiae in bibliotheca universitatis studiorum, et in monasterio Montis Casini quasdam decretorum collectiones asservari.

Impressa decretorum volumina longe superant has manu scriptas collectiones. Primum Congregationis decreta typis mandasse videtur editor quarti tomi decisionum recentiorum Rotae Romanae ex bibliotheca manu scripta Prosperi Farinaccii,[1]) quae postea iterum edidit P. M. Vincentius de Marciila Hispanus, anno 1609. Postea Joannes Gallemart in academia Duacena professor easdem declarationes edidit aliasque addiderunt varii typographi, qui eam editionem iteraverunt. Asseruerunt enim ex variis exemplaribus impressis et uno praesertim manu scripto a viro probo in Urbe descripto multas ab anno 1591 usque ad annum 1601 datas declarationes se habere. Quamvis plures certe genuinae essent, tamen opus Gallemartii ob has declarationes sive ob alias glossas et notas additas anno 1620 a Congregatione proscriptum est, sed postea saepe repetitum. Anno 1633 Laurentius Durandus Lugduni edidit „novas declarationes Congregationis etc. ex bibliotheca Cardinalis Roberti Bellarmini.“ Asserit eundem Cardinalem id opus penes se habuisse et inde a se fuisse illud depromptum beneficio abbatis s. Praxedis. Decisiones attingunt ad annum 1653, sed negligenter impressae sunt. Nonnullae declarationes Congregationis insertae sunt libro: „Notes sur le Concile de Trente,“ edito anno 1706,[2]) multo plures anno 1731 publici juris fecit Carolus Ludovicus Abbas de Stivagio sub titulo: „Elucidationes nonnullorum locorum sacri Concilii Tridentini, a Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, dicti Concilii Interpretibus, nonnullis praelatis, et aliis concessae“ quas refert collegisse Psalmeum, Episcopum Verodunensem qui Concilio interfuerat. Quidquid de auctore sit, haec collectio, quam etiam manu scriptam invenimus,[3]) ante annum 1600 facta esse videtur.

Post has privatas editiones Prosper de Lambertinis Congregationis secretarius publicae occasionem dedit, qua collecta sunt folia et adnotationes ab eo scriptae in causis ab anno 1718 propositis. Prodiit hoc opus sub nomine Thesauri resolutionum sacrae Congregationis Concilii primum Urbini anno 1739 sumptibus Hieronymi Mainardi, deinde repetitum est typis Camerae Apostolicae 1843.

Quatuor prima volumina Benedicti XIV. lucubrationibus constant; separata quoque prodierunt sub nomine Quaestionum canonicarum et moralium, Bassani 1789. In Thesauro resolutionum post causas anni 1740 additae sunt resolutiones selectae Congregationis ab anno 1700 ad annum 1718, ita ut tota collectio causas referat ab initio saeculi XVIII. Annis 1812 usque

4. Cod. Ang. D. l., 3. ab anno 1629 ad 1658 (s. 4 ad s. 24.) Cod. Ang. D. l. 1. ab anno 1618 ad 1659 (sess. 24. c. 12. d. r. ad s. 25.) Cod. Cors. 36. ab anno 1629 ad 1666 (s. 5. ad s. 25.)

5. Cod. Cors. 37 continet glossam in Conc. Trid. additis resolutionibus.

Alphabetico ordine dispositae decretorum collectiones sunt in Cod. Cors. 27 (1596—1695.) Cod. Cors. 28. (— 1702) Cod. Cors. 29 (1703 - 1711.) Habentur item duo ejusmodi volumina in secretaria Congregationis, quae conscripsit ante annum 1731 P. Fr. Thomas a Villanova a S. Nicolao, qui per plures annos fuit a secretis secretarii Congregationis, Ranutii Pallavicini. Ea postea dono dedit secretariae Cardinalis Palotta.

[1]) In editione decisionum Rotae tamen non invenimus.

[2]) Cologne, chez Balthasar Egmont.

[3]) „Sacrae Antiquitatis Monumenta historica, dogmatica, diplomatica, tom. 1. p. 412—426.“ Prodiit postea, mutato titulo: „Accessiones ad historiam ecclesiasticam et civilem, seu Collectio nova scriptorum ecclesiasticam et civilem, ut et Concilii Tridentini historiam illustrantes. 3. Romae in Cod. Ang. Q. VI. 4. et Cod. Corsin. 32. p. 532.

ad 1816 Joannes Fortunatus de Comitibus Zamboni edidit collectionem declarationum Congregationis quae saeculo XVIII. prodierunt, cum selectis antiquioribus declarationibus. Eximium hoc opus praeter causarum plurimarum compendium habet etiam „conclusiones“, scilicet ea quae motiva fuerunt resolutionum Congregationis. Omnia in octo voluminibus juxta ordinem alphabeti disposita sunt, atque in initio et fine habentur amplae dissertationes de ipsa Congregatione.

Cardinalis Gamberini, qui secretarius Congregationis fuerat annis 1823, 1824, 1825 selectas resolutiones causarum per summaria precum quae iisdem annis prodierunt, publici juris fecit Urbini anno 1830, quae editio postea pluries repetita est. Post eum aliam Concilii Tridentini canonum editionem curaverunt A. L. Richter in literarum universitate Berolinensi professor, et Fr. Schulte, qui addiderunt resolutiones ex ipso thesauro et Benedicti XIV. operibus sumptas. Haec editio quae prodiit anno 1853, etsi in antiquis resolutionibus referendis non tam ampla sit, quam Zambonii opus, inter eas collectiones, quae minoris voluminis sunt, optima hucusque est. His ultimis annis alia Romae incepta est collectio a Salvatore Pallottini in Romana Curia advocato, quae ordinem alphabeticum sequitur et ad quindecim volumina excrescere debet. Omnes Congregationis resolutiones ab ejus institutione anni 1564 ad nostra usque tempora, pollicetur auctor se esse relaturum; sed quae jam prodierunt duo volumina, satis demonstrarunt, et materias graves in eis desiderari, et quae afferuntur, saepe nonnisi ex Zambonio et thesauro resolutionum non ita diligenter descripta esse. Praeter hos scriptores qui ex professo declarationes Congregationis collegerunt, plerique auctores praesertim antiquiores, sparsas in operibus suis referunt resolutiones; in quarum usu caute procedendum est; multi enim qui libros authenticos Congregationis non inspexerunt, apocryphis decepti sunt.

Parcat benevolus lector, si longius in collectionibus enumerandis commorati sumus. Videmus viros doctos longa itinera suscipere, omnemque operam et studium in id conferre cum laude, ut antiquas canonum collectiones inspiciant et describant exactissime, quarum etsi ad juris historiam illustrandam magna est utilitas, in foro tamen et praxi juris usus paene nullus est. Hinc non inutilem rem nos facere putavimus si eas collectiones describeremus, quibus post Concilium Tridentinum totius juris ecclesiastici explicatio et progressus maxima ex parte innititur.

Sed indigitatis his Congregationis decretis et collectionibus, quaerendum superest, quinam earum sit usus et auctoritas. Duo hic quaeruntur, alterum, quam auctoritatem habeant in judiciis decreta et resolutiones Congregationis; alterum quomodo genuinae dignoscantur. Respondeamus primum ad hanc secundam quaestionem: Certum est, tabularium Congregationis auctoritatem publici archivii habere, et decretis ex illo extractis plenam fidem ubique habendam esse. Sed hoc raro evenit ut ipsa originalia in archivio vel secretaria requirantur et exhiberi possint; plerumque sive manu scripta sive impressa apud varios auctores producuntur decreta. Potestne iis fidem adhibere iisque inniti judex in sententiis ferendis? Multas enim Congregationis resolutiones mutilatas aut inventas omnes fere antiquiores scriptores lamentantur. Quo factum est, ut Congregatio Concilii die 2. Augusti 1631 ex speciali mandato Urbani VIII. praeciperet: „Hujusmodi declarationibus tam impressis et imprimendis, quam manu scriptis nullam fidem esse in judicio, vel extra a quoquam adhibendam, sed tantum illis, quae in authentica forma solito sigillo et subscriptione Cardinalis Praefecti ac secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitae fuerint.“ Severa lex et nunquam seu potius

non in omnibus observata. Quod ea praecipit indirecte, declarationibus in forma authentica editis fidem adhibendam esse, id quidem semper viguit; quod prohibet ne ulla fides adhibeatur propositis absque forma, id ab omnibus neglectum est. Audiamus Fagnanum, qui ipsius Congregationis secretarius fuerat, et paulo post illud decretum editum ita scripsit: „Ergo decisionibus quae Congregationis nomine inscribuntur, fides adhibenda non erit, nisi appareant manu Cardinalis Praefecti et secretarii subscriptae et consueto sigillo obsignatae. Tantum praebere possunt causam viris prudentibus ac timoratae conscientiae inquirendi de illarum veritate, de qua si probabiliter constaret ex alicujus fide digni testimonio, licet non authentice, non esset laudandus, qui illius veritate aliter non investigata auderet contrarium docere, ut faciunt nonnulli ex theologis, qui relatis verbis multarum declarationum Summorum Pontificum aut Congregationis ut illas evitent, consueverunt indistincte respondere: De illis nobis non constat authentice; atque ita libere contrariam sententiam tuentur. Quod certe vix abest ab irreverentia ac temeritate. Quinimo, ut inquit Salas de leg. tract. 14. disput. 21 quaest. 97 sect. 12 in fin., recte facit judex, qui declarationes sac. Congregationis quas invenerit apud aliquem probatum auctorem, ut veras habuerit et sequatur, etiamsi nec a parte allegentur, nec producantur, adjiciens in foro conscientiae teneri unumquemque eas sequi, si de illis sufficientem notitiam habuerit, juxta ea quae tradit Navarrus cons. 1. num. 12 et per totum de Constit.“[1]) Atque hanc Fagnani sententiam omnium usus plene confirmavit. Quamvis enim initio commentariorum suorum protestatus esset, ea responsa Congregationis quae ipse attulisset, non esse habendas pro authenticis, nemo tamen eis fidem recusavit, sed omnes cum Benedicto XIV.[2]) ejus testimonio absque ulteriori indagine aut perquisitione acquieverunt. Idem porro factum est de iis omnibus quae Benedictus ipse ex actis Congregationis protulit, et in ipsa Congregatione is usus hodie adeo invaluit, ut in omnibus causis plenam fidem mereantur omnes resolutiones, quae vel ex Fagnano et Benedicto XIV. vel ex alio probato auctore allegantur, qui tradat se ipsa authentica Congregationis exemplaria vidisse. Prudentis tamen arbitrii semper erit hac in libertate nec ad dexteram nec ad sinistram nimium deflectere, qua in re peccaverunt quandoque etiam egregii diligentesque scriptores. Meminimus, quendam auctorem et Fagnano et Benedicto referentibus Congregationis responsa fidem adhibere noluisse, illi quia diem et locum decreti non apposuerat, huic vero, quia quem laudaverat locum libri decretorum, ille scriptor non invenerat; lapsu calami enim verae resolutioni non verum locum apposuerat Benedictus saltem in impressis exemplaribus. Meminimus pariter alios qui libros Congregationis inspexerunt vel saltem inspicere potuerunt, nimio studio eruendi generales resolutiones abreptos mutilasse in libris suis Congregationis decreta, ita ut generalia esse viderentur, quae nonnisi pro speciali casu condita erant. Maneat igitur regula, ut ea resolutio, quam probus vir e Congregationis libris se descripsisse fideliter testatur, pro genuina habeatur; maneat etiam illud ut si res majoris momenti esse videatur, et de Congregationis responso non satis judici constet, ipsam Congregationem adeat, ut exemplar authenticum responsi obtineat.[3]) Quod tunc religiosius observandum erit, si agatur de antiqua quadam declaratione et sine anno et die relata, si auctor qui eam habet, non affirmet se ipsum eam ex Con-

[1]) Fagnan in cap. Quoniam de constit. n. 59.
[2]) In praefatione ad opus de synodo dioecesana.
[3]) Benedict. XIV. de synodo dioec. praefat. Instit. eccl. 107. n. 5.

gregationis tabulario deprompsisse. Has regulas velimus ut quisque consideret in singulis libris collectionibusve decretorum, de quibus locuti sumus.

Altera nunc manet quaestio, quaenam auctoritas sit genuinarum resolutionum Congregationis. Haec quaestio saepe prioribus temporibus disputata est, atque communis in eo opinio firmata, ut assereret resolutiones Congregationis vim legis habere, ita ut quicunque judex eas sequi teneretur in jure dicendo. Zambonius quinquaginta circiter scriptores notavit, qui eam sententiam defendunt.[1]) Nos ne res actas repetamus, ad eos remittimus[2]) praesertim cum nobis haec sententia distinctione plus opus habere videatur, quam probatione.

Tria esse diximus Congregationis officia; ut decreta dubia declaret, ut de controversiis exortis judicet, ut administret et exsequatur illa decreta. Quodsi igitur Congregatio dubium sensum decreti declaret, haec auctoritas non est doctrinalis solum, sed legalis. Hoc omnes illi auctores docent et ex Sixti V. verbis facile conjicitur. Cur enim, nisi eae esset auctoritatis declaratio Congregationis, ut quemcumque judicem obliget ad eam sequendam, se consuli voluisset Pontifex? Non solent quippe declarationes doctrinales Papae sanctione muniri. Alia quoque praestant argumenta, quae late persequitur Fagnanus.[3]) Solent tamen tres conditiones huic sententiae ab ejus patronis apponi,[4]) quarum prima est, ut ante declarationis editionem consulatur Papa, cum id Sixtus V. praeceperit; altera ut sint declarationes verae sive decreta comprehensiva non extensiva decretorum Concilii; tertia, ut sint sigillo et subscriptione Praefecti et secretarii munitae. Hae conditiones recte quidem appositae sunt, sed nonnulla de eis animadvertenda videntur. Quoad primam testatur Fagnianus[5]) quoties dubia emergentia nondum decisa resolvantur, fieri quidem relationem Papae, sed in declarationibus id exprimi nec opus esse, nec semper solere. De altera dicendum est, hanc notam non esse, qua declarationes quae vim legis habent ab aliis quae non habent, dignosci possint, cum unicuique relictum sit definire quae extensiva, quae vero comprehensiva sit declaratio. De tertia conditione jam locuti sumus. Addunt denique patroni hujus sententiae, non interesse utrum declaratio generalis, an in particulari casu et paucis personis fiat,[6]) cum semper in consultatione Pontificis jus edicatur, Congregatio autem nomine Pontificis agat.[7])

Haec igitur firma maneant, si interpretatur decreta Concilii Congregatio. Sed quid si judicis officio fungitur, quod hodie saepe fit, illud paene nunquam? Hac in re extra dubium est, Congregationis sententia non solum eum qui agitur casum definiri, sed etiam si plures in similibus casibus latae sint sententiae, stilum oriri, ut dicunt, ita ut aliae omnes quae ad Congregationem perveniunt causae juxta eum definiantur. Hinc etiam sententiae quae ab aliis judicibus, qui opinionem sequebantur a Congregationis opinione diversam, jam latae sunt, si ad Congregationem vi appellationis pervenerint, corrigentur, ut cum stilo ipsius conveniant. Auctoritatis igitur et exempli maximi sunt hae Congregationis resolutiones in singulis casibus etiam pro aliis judicibus. Sed si casus eveniat, ut judex inferior de sensu decreti Concilii opinionem quandam habeat, quam etsi sciat a Congregationis mente diversam, veriorem tamen reputet, illa auctoritas sequendi non suam sed Congregationis mentem estne

---

[1]) Tom. 8. dissert. in fin.

[2]) Confer prae ceteris Fagnanum in c. Quoniam cit. [3]) In com. ad cap. Quoniam de constit. [4]) Zamboni tom. 8. in fin. pag. LXXXI. [5]) l. c. n. 35., Schmalzgrueber tom. 1. dissert. prooem. n. 376. [6]) Cap. Ex multa 9 de voto X. (III., 34.) [7]) Fagn. l. c.

res consilii an potius necessitatis? Teneturne scilicet vel potest suam sententiam in judicio sequi spreto illo simili casu, quem scit Congregationem aliter definivisse semel vel iterum, an tenetur spreta sua sententia juxta illam in Congregatione propositam causam sententiam ferre? (Loquimur scilicet non de casu quo eadem quaestio inter easdem personas iterum agitur, sed de casu quo similis quaestio in alio tribunali inter alias personas agitur.)

Certo rarus erit hic casus, sed si eveniat quid faciendum? Nos quaestionem, quam alios evitasse videmus, definire nolumus, et expositis rationibus utriusque sententiae doctis viris eam relinquimus.

Certa res non est, pugnare enim inter se videntur jura. Pro ea sententia, qua praevalere debeat mens Congregationis, aperta est juris dispositio in cap. 19. In causis X. de sent. et re jud. (II., 27.): „In causis, quae summi Pontificis judicio decidantur et ordo juris et vigor aequitatis est subtiliter observandus, cum in similibus causis caeteri teneantur similiter judicare, nisi forte cum aliquid (causa necessitatis et utilitatis inspecta) dispensative duxerit statuendum.“ Non agit Pontifex de iis judiciis, quibus ipse praesidet, sed de iis quae ab aliis fiunt ipsius nomine. Cur enim Papa sibi ipsi legem indiceret in codice canonum? Praeterea decretalis cuidam S. Sedis Legato inscribitur. Atqui Congregationem Concilii nomine Papae suo officio fungi probat Fagnanus multis argumentis. Hanc sententiam tueri videntur illi scriptores qui Congregationis sententias legem indicere dicunt, etiamsi pro eventu aliquo peculiari pronuntiatae fuerint.[1])

Sed non levia sunt argumenta contraria, quae judicem ab obligatione dimittendi suam sententiam suscepta illa Congregationis, eximere videntur. Nam cum generaliter definitum sit, res inter alios actas alios non afficere,[2]) et legibus non exemplis regi debeat judex in officio suo, quaestio reducitur eo, an in omni causa quam Congregatio definit, ipsa interpretetur Concilium interpretatione legali. Sed hoc negandum esse videtur. Nam inprimis Congregationis declarationes legales non sunt, nisi consulto Pontifice edantur. Atqui constat quotidie causas decidi a Congregatione inconsulto Pontifice, in quibus nempe officio suo exsequendi non declarandi Concilium fungitur. Ergo declarationes istae in istarum causarum judiciis implicite factae non necessario sunt attendendae. Porro saepe ita procedit Congregatio, ut potestate sua interpretandi uti se nolle ipsa declaret. Saepe enim de generali dubio consulta respondet, recurrendum esse in singulis casibus; quodsi eveniat peculiarem aliquem casum hujusmodi proponi, eum definire non potest, quin implicite de generali quaestione decernat et tamen non vult illud responsum ad similes casus extendi, quod evitare non posset, si ipsa censeret applicanda esse capita illa decretalium antea allata. Tertium argumentum est, quod illae declarationes si adessent saepe tam involutae essent, ut vix statui posset, an et quae declarata essent in resolutionibus Congregationis; quod ex mox dicendis apparebit.

Haec fere sunt duarum sententiarum argumenta, quae adduximus, ne quae incerta sunt, pro certis venditaremus. Ceterum, quaecunque vera sit, opportunum erit, regulas quasdam tradere, quomodo mens ipsa Congregationis, quam sequi certe illicitum vix erit, ex singulis causis eruatur.

Congregatio paucis plerumque verbis ad proposita dubia respondet, ita ut ipsius verba cum dubiis (quae vel in fine folii exscripta sunt vel ex tota

---

[1]) Fagnan in c. Cum venissent de judiciis n. 17., Schmalzgrueber dissert. prooem. n. 377. aliique. [2]) C. 25 de sent. et re jud. X., (II. 27.)

causae narratione deducenda) conjungenda sint, ut completa sententia habeatur, quam sanxit Congregatio. Sed cum in fine dubii apponi soleant verba „in casu et ad effectum, de quo agitur," ad totam sententiam Congregationis habendam substantialia saltem facti ex restrictu assumenda sunt. Haec plerumque omnia in impressis foliis satis late habentur, accidit tamen interdum, ut postquam folium typis mandatum est, alia facta innotescant, quae in thesauro resolutionum non apponuntur. Itaque si quid dubii remanet, recurrendum est ad acta originalia causae. Sine hac perfecta cognitione facti impossibile est dispicere, an quid de lege Tridentina declaraverit Congregatio, quia eam in suum responsum ipsa assumit his verbis; „in casu et ad effectum de quo agitur." Praeter hanc facti speciem in foliis describuntur jura a partibus allegata et secretarii annotationes; quasnam vero ex eis Congregatio suas fecerit, quas rejecerit, ex responso saepe nonnisi conjectura cognoscere possumus, praesertim cum fere semper pluribus, non una ratione se defendant partes. Hinc eodem modo procedendum est ad cognoscendum, quas juris rationes Congregatio probaverit, quo utimur in explicandis capitibus decretalium, quae plerumque peculiares casus definiunt. Duo tantum sunt casus quibus clare dignosci possit, quamnam rationem Congregationem secuta sit, aut quam improbaverit, nempe si clare appareat ex omnibus rationibus quae adductae sunt pro ea sententia, quam Congregatio amplexa est, nonnisi unam fuisse quae valere aliquid potuerit, vel si omnes exceptiones a parte victa prolatas spernendas esse sententia sua implicite decreverit. Haec sola via est ad adipiscendam mentem Congregationis; patet proinde quanti habendae sint illae conclusiones, partium scilicet vel secretarii annotationes, quas ex foliis Congregationis veluti ipsius oracula nonnunquam producunt [1]) causarum patroni et juris canonici scriptores. Saepe enim falsae sunt, saepe bonae et doctrina refertae, nonnunquam etiam approbatae ab ipsa Congregatione; sed non facile eis fides adhibenda est.

Satis de responsis judicialibus Congregationis. Tertium genus negotiorum est, in quibus nec interpretis nec judicis officium gerit, sed administrantis; causae scilicet sunt gratiosae et minoris momenti. In his certe decreta Congregationis eam auctoritatem non habent, ut liberum jam non sit aliis alio modo eas res definire. Excipiuntur enim ea ab ipso Innocentio III. his verbis: „Nisi forte cum aliquid (causa necessitatis et utilitatis inspecta) dispensative duxerit statuendum."

Sed tamen si res saepe eodem modo a Congregatione definiantur, eo inserviunt, ut et stilum ipsius forment demonstrentque, et aliis exemplo esse possint, si ad eorum arbitrium talis res definienda rejiciatur. Sic ex Urbani VIII. decretis de celebratione missarum earum reductio ad solam Sedem Apostolicam spectat, multaeque causae demonstrant an et quando Congregatio censuerit eam concedendam vel denegandam esse. Nostris autem temporibus saepe fit potestas Episcopis, ut ipsi pro suo arbitrio eas causas definiant; quo in negotio illae causae a Congregatione tractatae Episcopis exemplo esse possunt, ut in arbitrio suo tutius procedant. Idem dicendum est de aliis plerisque casibus, ita ut etiam causarum gratiosarum cognitio maximae sit utilitatis.

Atque his satis speramus explicatum esse resolutionum Congregationis Concilii usum atque auctoritatem.

---

[1]) Exempli gratia: „S. Congregatio in Auximana, Capellaniae die 2. Martii 1843 §. At vero."

Index.

pag.

Praefatio 3
Prolegomena 5

Pars prima.

De ordinationibus, irregularitatibus et disciplina cleri.

I. De ordinationibus.

A. De Episcopo ordinationis.

1. Calaguritana 1
2. Cervien. et Fabrianen. Callien. et Pergulana 2
3. Florentina 3
4.a Neapolitana. Excardinationis . 4
4.b Januen. 7
4.c Neapolitana et Sarnen. . . 7
5. Teatina 8

B. De patrimonio sacro.

6. Venetiarum. Patrimonii sacri . 8
7. Neapolitana. Titulorum s. ordinationis 10
8. Compsana. Sacri patrimonii . 13
9. Mazzarien. 14
10. Venetiarum. Reductionis onerum 15

II. De irregularitatibus.

A. Defectus corporis.

1. Defectus visus et auditus

11. Florentina 17
12. Hydruntina 17
13 Vercellen. Dispensationis . . 18
14. Colonien. Dispensationis . . 19
15. Camerinen. Irregularitatis . 21
16. Carcassonen. Dispensationis . 22
17. Venetiarum. Assistentiae . . 23
18. Treviren. Irregularitatis . . 25

2. Defectus in brachiis.

19. Panormitana. Dispensationis . 26
20. Bergomen. « « . 28
21. Pampilonen. « « . 29
22. De Linares. « « . 30
23. Samogitien. seu Cadurcen. Dispensationis 31
24. Barbastren. Dispensationis . 34
25. Pampilonen. « « . 35
26. Ortonen. « « . 36
27. Brixinen. « « . 37

3. Defectus in manibus.

a) Deficit tota manus.

28. Mediolanen. Dispensationis . 39
29. Litomericen. « « . 41
30. Brixinen. « « . 43

pag.

31. Tortonen. Dispensationis . . 44
32. Utinen. « « . 46
33. Lauretana « « . 49

b) Manus rigida est.

34. Aesina. Dispensationis ab irregularitate 51
35 Massen. Dispensationis ab irregularitate 52
36. Salernitana. Dispensationis ab irregularitate 53

c) Deficiunt digiti index vell pollex

37. Fabrianen. 55
38. Burgen. Dispensationis . . 55
39. Sabarien. « « . . 57
40. Tridentina. « « . . 59
41. Maceraten. « « . . 60
42. Matheranen. « « . . 60
43. Burdigalen. « « . . 61
44 Mediolanen. « « . . 62
45. Pistorien. « « . . 63
46. Cephaluden. « « . . 64

d) Alii defectus in manibus et digitis.

47. Meliten. Dispensationis . . 67
48. Pampilonen. « . . 68
49. Parisien. « . . 70
50. Apuana « . . 71
51. Patavina « . . 73
52. Policastren. « . . 73
53. Pinhelen. « . . 75

4. Defectus in pedibus et cruribus.

54. Cathacen. Dispensationis . . 77
55. Januen. « « . . 77
56. Comaclen. « « . . 79
57. Soanen. Petilianen. Dispensat. 81
58. Bergomen. Dispensationis . . 83
59. Pennen. « « . . 85
60. Mathelicen. « « . . 86

5. Pusillitas staturae.

61. Taurinen Dispensationis . . . 87
62. Pisana. « « . . 89
63. S. Agathae Gothorum. . . 89

6. Morbus epilepticus.

64. Reatina et Nursina. . . . 90
65. Treviren. Dispensationis . . 91
66. Aturen. . . 93
67. Nanneten. Irregularitatis . . 94
68. Rossanen. 95

B. Defectus aetatis.

69. Caputaquen. 96

C. Defectus natalium. pag.

70. Neocastren. et Cathacen. Dispensationis et aggregationis . 97
71. Syracusana. Irregularitatis . 99

D. Defectus animi et scientiae.

72. Pampilonen. 100
73. Comaclen. 101
74. Comaclen. 101

E. Defectus famae.

75. Sarniensis. 103
76. Tarnovien. Dispensationis et rehabilitationis 104
77. Faventina. id. . . . 106
78. Nepesina. 108
79. Nicoteren. et Tropien. . . 109
80. Anglonen. et Tursien. Irregularitatis et dispensationis . . 110
81. Baren. 113

F. Defectus lenitatis.

82. Taurinen. 113
83. Callien. 114
84. Montis Alti 115
85. Guatimalen. 116

G. Irregularitas ex homicidio.

86. Suessana 116
87. Cephaluden. 117
88. Lucen. 118
89. Cadicen. 119
90. Adjacen. Irregularitatis . . 120
91. Portugallen. et Lamecen. . 121
92. Ampurien. 123
93. Regni Hispaniarum. . . . 124

H. Irregularitas ex bigamia.

94. Hispalen. 124
95. Triventina 125

I. Irregularitas ex violatione censurae.

96. Aprutina et Pinnen. . . 126
97. Platien. 127
98. Conversana et Granen. . . 127
90. Syracusana. 128
100. Andrien. et Tranen. . . 129
101. Sorana. 130
102. Conversanen. 131
103. Theanen. 132
104. Aquipendien. et Suanen. . 132
105. Tudertina. 133
106. Oppiden. 134
107. Civitatis Castelli. . . . 135

III. Casus concurrentium impedimentorum.

108. Cajetana. Irregularitatis . 135
109. Hortana. 137
110. Adjacen. et Interamnen. . 139
111. Seguntina seu Mimaten. . . 141
112. Anglonen. et Tursien. . . 141
113. Remen. Dispensationis et absolutionis 143
114. Albaregalen. Dispensationis et rehabilitationis 145

IV. De disciplina cleri. pag.

1. De residentia in dioecesi.

115. Marsorum. 147
116. Nolana. 148

2. De vestibus clericalibus gestandis.

117. Mathelicen. 149
118. Ariminen. Indulti. . . . 149

3. De saecularibus negotiis vitandis.

119. Surrentina 151
120. Faventina. 152
121. Panormitana. 154
122. Amalphitana 155

4. De correctione clericorum.

123. Bobbien. Commutationis horarum canonicarum et suspensionis a divinis 155
124. Albien. Suspensionis et rehabilitationis 157

Pars secunda.

De rebus ecclesiasticis et causis piis.

Sectio prima.

De rebus ecclesiasticis et causis piis in genere.

I. De constitutione et conservatione causarum piarum.

1. Causae de objecto et interpretatione fundationis tractantes.

a) De existentia fundationis.

125. Tiburtina. 161
126. Signina 162
127. Ariminen. Testamenti. . . 163
128. Montis Falisci Commutationis voluntatis 164

b) Quid contineatur in causa pia.

129. Theanen. Donationis . . 166
130. Sorana Legatorum . . . 169
131. Imolen. Reductionis legatorum piorum 169

c) De conditionibus fundationi appositis.

132. Pisauren. Legati. . . . 171
133. Placentina. Testamentariae conditionis 173

d) De ademptione et revocatione fundationis.

134. Aesina. Legati pii . . . 175
135 Bobbien. id. . . . 178

2. De conservatione et administratione fundationum.

136. Romana 179
137. Quiten. Pensionis. . . . 180
138. Pontis Curvi. Administrationis capellaniarum 181

II. De alienationibus rerum ecclesiasticarum et causarum piarum.

A. Casus, in quibus mutatum est objectum, in quod Ecclesia jus habuit.

1. Casus emptionis venditionis.

pag.
139. Faventina Alienationis . . 183
140. Romana. « . . 187
141. Comaclen. « . . 189
142. Nepesina. Solutionis . . 191
143. Asculana. Emphyteusis . . 192
144. Asculana (in Apulia) . . 193

2. Casus permutationis.

145. Tiburtina Cessionis . . . 194
146. Ariminen. Legati pii . . 196
147. Nepesina Commutationis voluntatis 197

3. Casus transactionis.

148. Derthonen. Transactionis . 199
149. Viterbien. « . 201

B. Casus diminutionis onerum.

1. Dispensationes a conditionibus causae piae.

150. Assisien. Commutationis voluntatis 203
151. Alatrina. Derogationis voluntatis 205
152. Verulana. Conditionis testamentariae 208

2. Imminutio securitatis sortis ipsius.

153. Bononien. Deletionis seu reductionis hypothecae . . 209
154. Firmana. Restrictionis hypothecae 211
155. Ilcien. Reductionis fructuum census 212
156. Nursina. Absolutionis et reductionis onerum . . . 214
157. Mazzarien. 216
158. Romana. Dubium circa onera censuum 217

C. Casus usus extraordinarii rerum ecclesiasticarum.

I. Conversiones ad usus cultus divini et alias ecclesiarum necessitates.

1. Commutationes in beneficiis.

a) Commutationes beneficiorum et simplicium legatorum.

159. Nepesina. Commutationis voluntatis 221
160. Cremen. id. 225

b) Commutatio qualitatum beneficiorum.

161. Fossanen. Commutationis voluntatis 227
162. Asculana id. 230

2. Commutationes ad alios usus ecclesiae.

pag.
163. Fanen. Commutationis voluntatis 231
164. Spoletana id. 233
165. Nullius Sublacen. id. . . 234

II. Conversiones ad fines charitatis christianae.

1. Ad finem statutum melius obtinendum.

166. Lucana. 235
167. Civitatis Castelli Commutationis voluntatis 236

2. Ad subsidia pauperibus danda.

168. Faventina. Subsidii . . 240
169. Romana. « . . 242
170. Aquipendien. seu Perusina. Commutationis voluntatis . . 243
171. Melevitana. Subsidii . . 245
172. Reatina 247
173. S. Miniatis. Perceptionis fructuum 248

3. De subsidiis patronorum ex beneficiis ecclesiasticis.

174. Firmana. Alimentorum . . 250
175. Faventina. Dispensationis . 251
176. Montis Falisci Suspensionis beneficii 253
177. Firmana. Indulti. . . . 254
178. Romana seu Cingulana. Capellaniae. 256
179. Melevitana. Beneficii super alimentis vel institutione. . . 259
180. Brictinorien. Indulti. . . 261

4. De subreptione et obreptione in commutationibus obtinendis.

181. Recanaten. Fructuum beneficii 262
182. Viterbien. Rescripti. . . 264

D. Exempla perfectae exonerationis ab obligatione.

183. Forosempronien. Condonationis 267
184. Firmana. Commutationis voluntatis 268
185. Callien. Condonationis . . 269
186. Hieracen. Exonerationis ab obligatione 271

Sectio secunda.

De singulis causis piis.

I. De missarum fundationibus.

A. De fundationibus missarum quaestiones juris.

1. An existat obligatio missarum.

187. Aesina. Legati pii . . . 273
188. Anconitana. 275
189. Camerinen. 276

2. De subjecto obligationis missarum.

a) Quis possit satisfacere obligationi. pag.

190. Mediolanen. Legati pii . . 277
191. Senogallien Oneris missarum 279
192. Firmana. Capellaniae , . 281
193. Firmana. « . . 283

b) Quis debeat satisfacere obligationi.

194. Signina Onerum missarum . 285
195. Pisauren. Legati missarum 288
196. Faventina. Erectionis capellaniae 289

3. Quid in missarum fundatione contineatur.

a) De onere applicandi.

197. Januen. Applicationis missarum 291
198. Taurinen. « « 292
199. Brixinen. Legati pii . . 294

b) De onere celebrationis personalis.

200. Brixien. Capellaniae . . 296
201. Ipporegien. Applicationis missarum 297

c) De onere celebrandi certo loco vel die.

202. Romana. Oneris missarum . 299
203. Sorana. Absolutionis et interpretationis fundationis . . 300
204. Spoletana. Interpretationis voluntatis 302
205. Mediolanen. Celebrationis missarum 303

d) De numero missarum celebrandarum.

206. Bobbien. Legati missarum . 305
207. Tiburtina. « . 306
208. Civitatis Castellanae. Onerum 309
209. Comaclen. Celebrationis missarum et absolutionis . . 310

4. Quaestiones accessoriae.

210. Tuscanen. Utensilium. . . 312
211. Colonien. Eleemosynae missarum 314

B. Causae immutationis obligationum missarum.

1. De translatione oneris missarum.

212. Aretina. 317
213. Patavina. Commutationis voluntatis 318
214. Camerinen. Translationis missarum 319
215. Reatina. Translationis . . 321
216. Asculana. « . . 323

2. De absolutionibus et reductionibus missarum.

a) Ob onus nimis grave.

217. Tricaricen. Legati missarum . 329
218. Imolen. Reductionis missarum 331
219. Limburgen. Absolutionis et reductionis . . . . . pag. 333
220. Sorana. Reductionis missarum 335
221. Ferrarien. « « 337
222. Sorana. Absolutionis et reductionis 339
223. Compostellana. Reductionis missarum 341
224 Pisauren. Reduct. missarum 343
225. Anglonen. et Tursien. id. . 346
226. Sabinen. Absolutionis et reductionis missarum . . 347

b) Ad alia onera commodius ferenda.

aa) Pro congrua sustentatione canonicorum et parochi.

227. Januen. Reductionis missarum 349
228. Praenestina. « « 351
229. Squillacen. Absolutionis et reductionis missarum . . 352
230. Asculana. Absolutionis et reductionis missarum . . . 354

bb) Pro bono ecclesiae et parochiae.

231. Venusina. Reduction. missarum 356
232. Sorana. Reaedificationis ecclesiae 357
233. Ferrarien. Reductionis . . 359
234. Brixien. Onerum missarum . 362

c) De validitate reductionis factae.

235. Asculana. 364
236. Spoletana. Reductionis . . 365
237. Sorana. Oneris missarum . 367
238. Civitatis Castellanae. Visitationis sacrorum liminum . . 368

d) Casus mixti commutationum onerum missarum

239. Spoletana. Reductionis et translationis missarum . . . 369
240. Fanen. Praestationis legati . 370
241. Caesenaten. 374

3. De cessatione oneris missarum.

242. Monacen. — Frisingen. Cessationis oneris missarum . . 376
243. Immolen. Legati pii . . 377

II. De seminariis.

1. Quomodo facultates seminariorum comparentur et administrentur.

244. Massanen. et Populoniae. Taxae seminarii 380
245. Auximana. Taxae seminarii 381
246. Urbinaten. « « 384
247. Aretina. Juris nominandi deputates pro seminario . . 388

2. Quomodo facultates seminarii erogentur.

248. Tarentina. Alumnatus seminarii 390
249. Assisien. Legati alimentorum 390
350. Firmana. Nominationis . . 392
251. Firmana. Indulti. . . . 396
252. Mandelen. Alumnatus semin. 398

III. De fundationibus subsidiorum dotalium.

1. Quibus competant subsidia. pag.
253. Lycien. Subsidiorum dotalium 401
254. Senogallien. « « 402
255. Quastallen. « « 403

2. Causae gratiosae subsidiorum dotalium.
256. Romana. Subsidiorum dotalium 404
257. Tuscanen. « « 407
258. Montis Alti. Solutionis legati 409
259. Firmana. Subsidii dotalis . . 410

3. Causae caducitatis.
260. Urbevetana. Caducitatis . . 412
261. Forolivien. Subsidii dotalis . 414

IV. De piis oblationibus.
262 Agrigentina. Erogationis piarum oblationum . . . 416
263. Bosanen. « . . . 418

V. De montibus pietatis.
264. Alexandrina. 421
265. Alatrina. Visitationis ss. liminum 422

Pars tertia.

De beneficiis in genere.

I. De erectione et statu beneficiorum.

1. De erectione beneficiorum.
266. Pergulana. Erectionis capellaniarum et dispensationis aetatis 425
267. Venusina. Reductionis missarum et erectionis capellaniarum 426
268. Signina. Institutionis capellaniarum 429

2. An beneficium sit ecclesiasticum.
269. Firmana. Capellaniae . . 432
270. Assisien. « . . . 435

3. Commutationes status beneficiorum.

a) Casus translationis.
271. Bovinen. Commutationis voluntatis. 436

b) Casus dismembrationis.
272. Nolana. Dismembrationis capellaniae 438

c) Casus unionis et reductionis.
273. Spoletana 439
274. Assisien. Unionis . . . 441
275. Viterbien. « . . . 442
276. Patavina. « 443
277. Verulana. Reductionis capellaniarum 447

II. De concessionibus beneficiorum.

A. De qualitatibus requisitis ad obtinenda beneficia.
278. Aprutina 448
279. Romana. Capellaniae . . 449
280. Urbinaten. Dispensationis . . 450
281. Imolen. « . . 451
282. S. Miniatis « . . 454
283. Bononien. « . . 455
284. Placentina « . . 458
285. Aquen. seu Novarien. Dispens. 459
286. Viterbien. et Amerina. Irregularitatis 461

B. In specie de jure patronatus.

1. De jure activo patronatus.
287. Veronen. Juris nominandi . 463
288. Montis Falisci. Capellaniae . 464
289. Aquipendien. 466
290. Derthonen. Jurispatronatus . 466

2. De exercitio juris activi et de jure passivo patronatus.
291. Parmen. 468
292. Praenestina 469
293. Burgi S. Donnini . . . 470
294. Spoletana. Capellaniae . . 472
295. Carpen. Jurispatronatus . . 473
296. Montis Alti. Dispensationis . 474
297. Montis Alti. Beneficii . . 477
298. Urbevetana. « . . 479
299. Mileten. Capellaniae . . 483
300. Viterbien. Electionis et dispensationis 484
301. Tiburtina. Capellaniae . . 488
302. Montis Falisci. Dispensationis 491

III. De juribus et obligationibus beneficiatorum.

1. De reditibus beneficii.
303. Auximana. 493
304. Aquinaten. 494
305. Burgi S. Sepulchri . . . 497

2. De obligationibus beneficii.
306. Spoletana. Dispensationis . 498
307. Piscien. Onerum beneficii . 499

3. De oneribus extraordinariis beneficii.
308. Oritana. Procurationis . . 501
309. Melevitana. Pensionis . . 503
310. Carpen. Suspensionis nominationis et pensionis . . . 507
311. Montis Politani. Pensionis . 508
312. Praten. « . 510
313. Urbevetana. « . 512

IV. De vacationibus beneficiorum.
314. Tiburtina. Beneficii. . . 515
315. Comen. Dispensationis . . 317
316. Verulana. Capellaniae . . 519
317. Catanien. 521

Pars quarta.

De capitulis.

I. De erectione canonicatuum.
318. Imolen. Interpretationis voluntatis 523

pag.
319. Fanen. Erectionis canonicatus 526
320. Melevitana. Divisionis praebendae canonicalis . . . 529

II. De collatione canonicatuum.

321. Melevitana. Indulti. . . 531
322. Vintimillien. . . . 533
323. Montis Falisci. Dispensationis 534
324. Camerinen. Declarationis rescripti 536
325. Fabrianen. Canonicatus . . 537
326 Goritien. Canonicorum honorariorum 538

III. De privatione canonicatuum.

327. Reatina 539
328. Terracinen. et Privernen. . 540
329. Romana. Caducitatis . . 541

IV. De officio divino a toto capitulo debite persolvendo.

1. Mutatio loci officiaturae.

330. Venetiarum 545
331. Tuscanen. Indulti. . . . 546

2. Anticipatio vesperarum.

332. Amalphitana Servitii chori . 550
333. Neapolitana. « « . 551

3. Anticipatio matutini.

334. Nucerina. Anticipationis matutini 553
335. Balneoregien. Servitii chori . 554

4. Reductio chori.

336. Lauretana. Dispensationis . 557
337. Spiren. « . 560
338. Rossanen. Unionis paroeciarum et servitii chori . . . 562
339. Sorana. Reductionis servitii chori 563
340. Moguntina. Servitii chori . 565

5. Indulta alternativae et tertiariae.

341. Squillacen. Servitii chori . 568
342. Collen. « « . 569
343. Lycien. « « . 571
344. Isernien. « « . 573
345. Pinnen. Vacationum. . . 574
346. Melevitana. Reductionis servitii chori 576

V. De missa conventuali.

347. Clodien. Prorogationis indulti. 578
348. Hydruntina. Missa conventualis 579
349. Senogallien. « 581
350. Olomucen. « 583
351. Rothomagen. « 585
352. Clodien. Visitationis ss. liminum 586
353. Maceraten. Missae conventualis 588
354. Sorana. « 590
355. Herbipolen. « 592
356. Firmana. Servitii chori . . 593
357. Colonien. Visitationis ss. liminum 595

VI. De residentia canonicorum. pag.
358. Limburgen. Residentiae . . 597
359. Terracinen. et Setina . . 598
360. Comaclen. Capellaniarum et canonicatuum 599

VII. De praecedentia in choro.

361. Firmana. Praecedentiae . . 602
362 Civitatis Castelli « . . 605
363. Nicoteren. Stalli . . . 607
364. Fulginaten. Praeeminentiae . 609
365. Bergomen. Capellaniae . . 611

VIII. De emolumentis canonicorum.

1. Massa communis.

366. Aquinaten. Massae communis 613
367. SS. Conceptionis de Chile. Servitii chori quoad distributiones et vacationes 615

2. Distributiones quotidianae.

368. Balneoregien. Distributionum 618
369. Verulana. Divisionis bonorum capitularium et fallentiarum 620
370. Signina. Distributionum . . 622
371. Matheticen. Punctaturarum 623
372 Ragusina. Distributionum . 626
373. Faventina « . 628
374. Montis Falisci. Fallentiarum . 631
375. Aesina. « . 634
376. Imolen. 636
377. Januen. Punctaturarum . . 637
378 Florentina. Distributionum . 639
379. Barchinonen. « . 641

IX. Dispensationes singulis canonicis ex causis specialibus concessae.

1. Indulta jubilationis.

380. Matheranen. Dubium jubilationis 642
381. Sutrina. Jubilationis . . 644
382. Narnien. « 645
383. Firmana. « . . . 649
384. « « . . . 650
385. Montis Falisci « . . . 652
386. Lucana. Exemptionis onerum 655
387. Romana. Distributionum . 656
388. Montis Politiani. Participationis 658
389. Fulginaten. Distributionum 660
390. Montis Falisci. Jubilationis . 666

2 Indulta studiorum causa.

391. Fulginaten. 667
392. Burgi S. Sepulchri. Vacationis a choro et residentiae . . 668
393. Firmana. Distributionum . 670
394. Forolivien. 671
395. Ferentina. Dispensationis . 672
396. Albanen. Indulti. . . . 673

3. Indulta ob infirmitatem.

397. Regien. Indulti. . . . 676
398. Massen. Residentiae . . 678

pag.
399. Veliternen. Fallentiarum . 680
400. Tuscanen. Punctaturarum . 681
401. Santandrien. Visitationis ss. liminum 683
402. Reatina. Punctaturarum . . 685
403. Lauretana. Onerum capitularium 686
404. Amerina. Distributionum . 688
405. Cathacen. « . 690
406. Romana. « . 691
407. Pistorien. Exemptionis a choro 693

4. Indulta ex causis variis.

408. Alben. 695
409. Mazzarien. 697
410. Romana. Indulti . . . 698
411. Nullius S. Martini. Punctaturarum 699
412. Aesina. 700
413. Auximana. Distributionum . 701
414. Signina. 704
415. Montis Falisci. Servitii chori 705

X. De dignitatibus et officiis capituli.

1. De vicario capitulari.

416. Goana. 707
417. « 708

2. De archidiacono.

418. Triventina. Juris examinandi 709

3. De archipresbytero.

419. Montis Falisci. Archipresbyteratus quoad onus magisterii 711
420. Carpensis 714

4. De canonico theologo.

421. Firmana. Praebendae theologalis 715
422. Apuana 717
423. Amerina. Erectionis praebendae theologalis . . . 718
424. Sebenicen. Praebendae theologalis 720
425. Caurien. Lectionis scripturalis 722
426. Andrien. Distributionum . 725
427. Nucerina. 729
428. Barchinonen. Praeb. theolog. 729
429. Centumcellarum. « . 732
430. Calaritana. 735
431. Sabinen. 735

5. De canonico poenitentiario.

432. Volaterrana. 736
433. Lucana. Praebendae poenitentialis 736
434. Ripana. Canonici poenitentiarii 737
435. Romana. Servitii choralis . 739

6. De canonico sacrario.

436. Civitatis Castellanae . . 741

7. De canonico caeremoniarum magistro.

437. Spoletana. Indulti. . . . 742

XI. De quibusdam rebus internis capituli.

438. Maceraten. 744
pag
439. Terracinen. Juris suffragii . . 745
440. Terracinen. 747

Pars quinta.

De rebus parochialibus.

I. De erectione, dismembratione et unione parochiarum.

441. Aversana 749
442. Urbanien. 750
443. Castri Maris 752
444. Montis Alti 754
445. Imolen. 755
446. Mutilana. Dismembrationis paroeciae 756
447. Oppiden. « . 757
448. Asculana. Dismembrationis et erectionis paroeciae . . 759
449. Neten. Unionis beneficiorum parochialium 761
450. Remen. Parochialis . . 762
451. Nucerina. Translationis paroeciae 764
452. Placentina. Bonorum parochialium 767
453. Nucerina. Onerum . . . 769

II. De concursu parochiali.

454. Sancti Miniatis . . . 771
455. Beneventana. Concursus parochialis 772
456. Pacten. Dubium concursus . 774
457. Beneventana. Concursus parochialis 775
458. Spoletana. Examinatorum synodalium 776
459. Astoricen. « « 777
460. Compostellana 779

III. De residentia parochorum.

461. Anglonen et Tursien. Residentiae 779

IV. De missa pro populo.

462. Mechlinien. Missae pro populo 783
463. Lemovicen. 786
464. Mindonien. Applicationis missae pro populo. . . . 786
465. Brixien. Missae pro populo 789
466 Policastren. « « « . 790
467. Volaterrana. « « « et praedicationis . . . 792
468. Dublinen. Missae pro populo 794
469. Liparen. « « « . 795
470. Alben. Applicationis missae pro populo 796
471. Astoricen. Missae pro populo 798
472. Rupellen. 799
473. Bobbien. « « « 800
474. Spiren. Missae pro populo quoad dispensationem vel reductionem 801

V. De sepulturis.

475. Parisien. Emolumentorum . 803

pag.
476. Patavina. Emolumentorum funeralium 806
477. Ferentina. « 809
478. Civitatis Castelli. Juris funerandi 810
479. Reatina. Juris associandi cadaver 812

VI. De juribus inter parochos et confraternitates.

480. Isclana. Processionis . . 814
481. Nepesina. Juris canendi missas 815

VII. De reditibus parochialibus.

482. Tuscanen. Dismembrationis bonorum praebendalium et augmenti congruae pastoralis 818
483. Aquipendien. 820
484. Aquilana 821
485. Cunen. Legati pii 821
486. Civitatis Plebis. Reintegrationis expensarum . . . 822
487. Viterbien. Decimarum . . 825

VIII. De amovibilitate, resignatione et remotione parochorum.

488. Portuen. et S. Rufinae . . 826
489. Meten. Remotionis a paroecia 827
490. Verulana 831
491. Bononien. Privationis paroeciae 833
492. Limburgen. 837

IX. De vicariis curatis.

493. Savonen. Curae animarum . 840
494. Aretina. Amovibilitatis . . 841
495. Eugubina 843
496. Fanen. 845
497. Praenestina. Capellani curati . 846
498. Reatina « « . 848
499. Verulana. Vicarii curati quoad remotionem 851

Pars sexta.

De locis Sacris et sacramentis.

I. De locis sacris.

1. De concessione oratorii.

500 Monasterien. Oratoriorum . 855
501. Monasterien. « . 858
502 Pampilonen. Oratorii . . 860
503. Laquedonien. 862
504. Apuana. Oratorii . . . 863

pag.
505. Recanaten. Odei 864
506. Camerinen. Indulti . . 866

2. De consecratione ecclesiarum.

507. Savonen. 867
508. Fanen. Reaedificationis capellae 868

3. De destructione et profanatione ecclesiarum et oratoriorum.

509. Bituntina. Aediculae . . 872
510. Cingulana. 874

II. De sacramentis.

1. De sacramento confirmationis.

511. Clusina et Pientina . . 875

2. De ss missae sacrificio.

512 Argentinen. Indulti . . 876
513. Treviren. Eleemosynae missarum 877
514. Senen. 879

3. De sacra unctione.

515. Bobbien. Visitationis ss. liminum 879

4. De sacramento matrimonii.

516 Bisinianen. Dissolutionis sponsalium 881
517. Nullius Ferentilli. Sponsalium 881
518. Pistorien. « 882
519. Dubium dispensationis seu sanationis in radice . . . 884
520. Wratislavien. Benedictionis mulieris post partum . . . 885
521. Neapolitana seu Lycien. . 887
522. Neapolitana. Veniae ad matrimonium 888
523. Treviren. Dubium matrimonii 890

Pars septima.

Varia.

524. Civitatis Castellanae. Remotionis ab officio oeconomi . . 893
525. Civitatis Castellanae. Remotionis ab officio oeconomi . 896
526 Aquen. Juris votandi et praecedentiae. 898
527. Spoletana. Indulti. . . . 901
528. « Remotionis . . 903

PARS I.

DE ORDINATIONIBUS, IRREGULARITATIBUS ET DISCIPLINA CLERI.

I. DE ORDINATIONIBUS.

A. De Episcopo Ordinationis.

1. Calaguritana.

Die 24. Maji 1823.

Joseph Franciscus de Eguia Hispanus Calaguritanae dioecesis, nonnullis abhinc annis clericali militiae nomen dare quam maxime cupiens, in aetate 27 annorum constitutus, cum propter gravissimas illius olim florentissimi regni calamitates impediatur, quominus ab Episcopo suo dimissoriales literas obtineat, supplices EE. VV. preces porrigit, ut facultatem suscipiendi primam tonsuram et quatuor minores ordines ei concedere Vobis placeat.

Juxta consuetudinem Eminentissimum Urbis Vicarium rogavi, ut votum suum aperire et S. hanc Congregationem instruere dignaretur. Qui illico morem gessit, uti sequitur.

„Cum Vos EE. PP. Oratoris Josephi Francisci de Eguia aetatem, vitam, mores aliaque indicia cognoscenda a me requiratis, certiores facio, quantum licuit colligere tum ex documentis, quae secum ille contulit, tum ex iis, quae rector aliique Hispani sacerdotes, convictores Urbanae domus S. Jacobi, et B. Mariae ad Montem Secatum nuncupat, non mediocri fide digni tradiderunt. Is domo de Munguia Calagurit. dioecesis Hispan. honestis parentibus Dominico et Maria Antonia de Aranguren. die 26. Novembris anni 1795 natus est, ubi literis ac disciplinis imbutus, ecclesiasticae vocationis signa dedisse et usque ad diem primam mensis Julii anni 1821, qua e patria egressus est, in statu libero et soluto remansisse fertur. Die autem 16. mensis Augusti ejusdem anni 1821 Romam adiit ac a sacerdotibus superius laudatis exceptus est, in quorum convictu etiamnum commoratur. Hic quidem pietate, frequenti sacramentorum usu, morumque honestate se probat, ab omni vinculo etiam matrimonii vacat, eumque se praebet, ut in sortem Domini pergere videatur. Hoc autem desiderium confirmatur ex causa, qua hanc almam Urbem petere adductus est. Etenim cum videret nova Hispani regiminis decreta impedire, quominus Episcopi vel promoveant, vel literas dimissoriales concedant, quibus extra dioecesim promoveantur, qui adhuc in sacris ordinibus constituti non sunt, cumque ob id satis vocationi suae facere non posse male pateretur, huc eum convolasse comperui. Haec per documenta ex pluribus testimoniis conflata ac inter se collata enuntio.“

Exploratum est in jure, omnes, qui ad ordines promoveri desiderant, a proprio Episcopo illos suscipere debere juxta Concil. Trid. sess. 23. cap. 8. de reform. vel si ab alio promoveri petant, literis Ordinarii sui testimonialibus eorum probitatem ac mores commendantibus communitos esse oportere.

Si continget, literas testimoniales obtineri haud facile posse propter inopinatos eventus, non alia via superest, quam adeundi Summum Pontificem, qui ex plenitudine suae potestatis facultatem impertiatur ordines suscipiendi a quocumque catholico Antistite.

Cum in casu Joseph Franciscus de Eguia literas testimoniales Ordinarii sui non possit obtinere ob tumultus per universum Hispaniarum regnum excitatos, attestationes vero protulerit a quam plurimis presbyteris Hispanis fide dignis exaratas, quibus suam morum probitatem, certam ad clericalem militiam vocationem, necnon status liberi conditionem comprobaverit, consequens esse videtur, ut ipse indultum, quod humillime petit, ab EE. VV. obtinere mereatur, praesertim cum de tonsura et minoribus ordinibus tantum suscipiendis agatur.

Pro gratia, et interim Orator curet obtinere ab Episcopo literas vel testimoniales vel commendatitias pro promotione ad ordines sacros.

2. Cervien. et Fabrianen. Callien. et Pergulana.

Die 13. Septembris 1834.

R. F. ortus Pergulae die 18. Aprilis 1770, cum medicinam facere instituisset, pluribus in locis moratus est, quin tamen ullibi fixum et cum animo ibi permanendi domicilium collocasset. Eidem in oppido Arceviae Senogallien. dioecesis natus est filius Sigismundus die 17. Dec. 1807, qui nunc theologicae facultati operam navat in civitate Fabriani; ejus enim pater medicam artem exercet in oppido Collomato, quod ab ea civitate non multum distat. Hic Sigismundus die 30. Martii 1833 auctus est beneficio in ecclesia montis Milonis dioecesis Tolentinatis dicata B. Mariae Virgini ab origine immaculatae, cui praeter cetera onus incumbit, ut infra sex menses sacerdos fiat. Porro ut ad ordines promoveretur, dimissoriales literas petiit ab Episcopo Cerviensi, quem originis Episcopum per errorem esse autumavit; non enim ibi, sed in oppido Arceviae natus est, ut diximus. Hic Antistes illius temporis literas dedit Episcopo Fabrianensi in haec verba: „R. D. Episcopo Fabrianensi omnia ea jura confero, quae mihi in praedictum juvenem possent competere.“ At Episcopus Fabrianensis facultate sibi concessa uti noluit, tum quia Sigismundum ejusque veram vocationem plane non noverat, tum quia duos integros annos moratus non erat in suo seminario. Sigismundus supplex tunc a S. Congregatione imploravit, ut Episcopo Fabrianensi daretur facultas conferendi ordines minores et sacros Oratori, ne nominatio obtenta irrita evaderet ordinibus tempore praescripto non receptis. Rogatus Episcopus Cerviensis, nuper fato functus, retulit, Sigismundum ad suam dioecesim nullo modo pertinere neque ratione originis neque domicilii neque beneficii. Episcopus Fabriani difficultates explicavit, quas supra memoravimus. Insuper urgebat dies, qua ex lege fundationis capellaniae a Sigismundo obtentae sacerdos fieri debebat. Tunc animo revolvens ejus patrem natum fuisse ac domicilium habuisse in civitate Pergulae, hunc Episcopum adiit atque ab eo petiit, ut dimissoriales literas traderet vel Episcopo Fabrianensi vel Archiepiscopo Camerti, qui eidem ordines conferrent, siluit autem preces huic S. Congregationi exhibitas. Antistes Pergulanus postquam vidit, Sigismundi patrem in ea

civitate natum esse filiumque sequi originem patris, ubi hic nullo in loco stabile domicilium posuerit, ex constitutione Innocentii XII. quae incipit: „Speculatores domus Israel“ literas dimissoriales dedit laudatis Episcopis, quas tamen neuter exsequi potuit, alter enim adversa valetudine, alter s. visitatione dioecesis implicitus erat atque idcirco ipsemet clericalem tonsuram et quatuor minores ordines illi contulit. Post ea certior factus de recursu ad S. H. Congregationem, nihil amplius agit totiusque negotii seriem Eminentissimis Patribus nitide explicavit.

Esse ordinandum ab Episcopo Pergulano ratione originis et ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione ad cautelam; quoad sanationem vero super beneficio, attenta pendentia recursus, tempus et tempora non currere. —

Factaque de praemissis per infrascriptum Secretarium die 15. ejusdem mensis relatione Sanctissimo Domino Nostro ipsa Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis benigne approbavit et confirmavit nec non facultatem absolvendi Oratorem a censuris et poenis ex praemissa causa forsan incursis Episcopo Pergulano benigne impertitus est.)*

3. Florentina.

Die 8. Augusti 1829.

Exstat Florentiae clericorum collegium, quod ab ejus fundatore Eugenio IV. vocari solet Eugenianum. In illud cooptantur quindecim nondum annos egressi adolescentes, ex quibus tres supra triginta, postquam singulis diebus ad vigesimum quintum usque aetatis annum metropolitanae ecclesiae in sacris obeundis functionibus inservierint, tum minoribus, tum majoribus a Florentino Archiepiscopo servitii titulo initiantur ordinibus ac jure gaudent optandi duodecim capellanias chorales in eadem ecclesia fundatas ac etiam coadjutorias capellaniarum ibidem exsistentium. Cumque huic Eugenianae constitutioni derogasset Tridentina Synodus, dum sess. 21. c. 2. de ref. sanxit, ne quis deinceps clericus saecularis ad s. ordines promoveretur, nisi is ecclesiasticum beneficium, quod sibi ad victum honeste sufficeret, legitime possideret, S. Pius V. editis literis die 24. Octobris 1567 memoratum privilegium clericis Eugeniani collegii impertitum sua auctoritate confirmavit. Jamvero ceteras inter dotes, quibus pollere debent clerici, ut recensito fruantur privilegio, ea potissimum indigent, ut ratione originis subsint Florentinae aut Fesulanae ecclesiae Antistitibus; sed aliquando accidit, ut ob defectum hujusmodi clericorum aliarum dioecesium juvenes impetrata Apostolicae Sedis venia in Eugenianum collegium recenseantur, ac propterea iisdem quibus Florentini et Fesulani fruantur privilegiis. Hinc illud jam diu in dubitationem adduci coepit, utrum Florentinus Archiepiscopus clericos istos sine dimissorialibus aut testimonialibus suorum Episcoporum literis ad ordines posset promovere, quin tamen ulla hactenus ea super re Apostolicae Sedis exquisitum fuerit judicium. Hodiernus Archiepiscopus Ferdinandus non dubitat sibi jus esse ejusmodi clericis conferendi ordines, tum quia ipsi divino servitio in Florentina ecclesia sunt mancipati, tum quia ibidem exstant beneficia, quorum titulo sacris ordinibus insigniuntur; attamen ut certa, cui adhaereri oporteat, sibi innotescat agendi ratio, hujus S. Ordinis oraculum sibi sciscitandum censuit.

*) Hanc aut similem formulam, quae semper resolutiones subsequitur in libris decretorum, in reliquis causis omittimus, praeter eos casus, in quibus Summus Pontifex in resolutione S. Congregationis aliquid immutavit.

Clericos extraneos in Eugenianum collegium ex Apostolica dispensatione admissos posse ad ordines promoveri ab Archiepiscopo Florentino cum testimonialibus literis Episcopi tam originis quam domicilii ad formam constitutionis s. m. Innocentii XII. „Speculatores"; in posterum vero antequam clerici alienae dioecesis in vim Apostolici indulti admittantur, exquiratur assensus Episcopi originis et iidem clerici literas testimoniales ad formam memoratae constitutionis exhibere teneantur.

4ⁿ. Neapolitana. — Excardinationis.

Die 15. Julii 1848.

Clericus Raphael C. in aetate annorum 25 constitutus, cum non posset iteratis licet precibus Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani consensum obtinere, ut sibi ad ss. ordines pateret ascensus, quin causas hujusce constantis denegationis perspectas haberet, praeviis literis discessora ilibus ejusdem Ordinarii Romam petiit sub finem anni 1846, ut ab hac S. Congr. gratiam jam diu expetitam suae ordinationis vel saltem excardinationis a dioecesi Neapolitana consequeretur, enixe rogans, ut ab eodem Ordinario, si quas haberet legitimas ac certas ordines sibi denegandi causas, exquirerentur.

Remissae fuerunt hujusmodi preces Archiepiscopo sub die 12. Maji 1847; ac, dum hujus responsum exspectabatur, aliae datae sunt literae die 20. Julii ejusdem anni, rogante Raphaele C. Ordinario Nullius SS. Trinitatis Caven., ut referret de Oratoris vita, moribus et legitima causa aggregationis, quam Orator in ejusdem dioecesis clerum implorabat. Hisce literis perhumaniter respondendo sub finem mensis Septembris insequentis referebat Abbas Ordinarius: „Acolythus Raphael C. integra vita bonisque moribus est praeditus, uti certiores facti sumus ex literis Eminentissimi Ordinarii nosque non habemus ullam difficultatem praedictum acolythum aggregandi clero nostrae dioecesis, dummodo excardinationem obtinere eidem contingat a praedicto suo Ordinario."

Elapsis septem circiter mensibus nulloque accepto responso ab Archiepiscopo, novae datae sunt, instante clerico Oratore, urgentiores literae die 7. Decembr. eidem Archiepiscopo, qui respondens die 23. mensis ejusdem declaravit, primum sese jam literas dedisse tum Em. Card. Riario S. R. E. Camerario, tum Em. Polidori, qui pro clerico illum rogaverant, profitentem non posse se clerici precibus assentiri; deinde quoad promotionem ad ordines expetitam haec subdit: „Confidens mox finem poni incitationibus irrationabilibus istius clerici, cujus tristem conditionem plango, displicere mihi debet, eum immemorem factorum antecedentium, quibus etiam sub antecessore meo ad ordines ascendere prohibebatur, omni modo id obtinere tentare, quod a me, uti ipsi dixi, certe non poterit consequi, nisi post multos annos, quorum decursus necessarius est ad delendam ejus vitae maculam, cujus causa pro parte morali ab ordinibus remotus est ab Archiepiscopis iisque sacerdotibus, qui secundum disciplinam sanctam cleri Neapolitani positi sunt ad inspicienda merita ordines petentium. Scripsi Cardinali Polidori agi de conferendo subdiaconatu in civitate Neapol., ubi tot adsunt media ad celandos mores corruptos, qui isti clerico imputantur." Et paucis interjectis de gravi Episcopi obligatione et prudentia in ministrorum delectu nec non de optima disciplina circa clericorum promotiones ad ordines Neapoli instituta et a se nunquam

immutanda, se assentiri non posse addit ne petitae quidem excardinationi duplici de causa, primum scilicet ex abusu Neapoli jam gliscente, quo „omnes mali clerici ab Archiepiscopo rejecti obtenta excardinatione in alias dioeceses pergebant, ubi brevi tempore sacerdotes facti Neapolim revertebantur et in familiis suis viventes ludibrium et angustias Archiepiscopo parabant;“ deinde ex cooperatione, quam indigni ordinationi adhiberet, quia nimirum „Episcopo non licet qualicunque modo cooperari ad ordinandum indignos“. Hisce perlectis literis in eo eram, ut clerici instantiam rejicerem juxta Archiepiscopi votum; ast Orator tot tamque praeclara de recta constanti ac laudabili vitae suae ratione tam Neapoli, quam Romae instituta mihi exhibuit testimonia, ut merito a rejectione abstinuerim, cum ex illis plenissime justificatus appareret. Siquidem sacerdos Marianus Petti utriusque sexus confessarius haec de clerico Oratore testabatur: „Coram omnipotenti Deo, qui me judicaturus est, acolythum Raphaelem C. a teneris unguiculis fratris mei condiscipulum eundemque mihi in clericali militia sodalem plene agnoscere fateor multis abhinc annis, ejus vivendi rationem (quidquid in contrarium malorum opera fuerit decisum) irreprehensibilem prorsus exstitisse, quin imo pietatis semper, christianae clericalisque modestiae, nec non vocationis ad statum ecclesiasticum signa indubia prae se tulisse, tum quod reverentiam majoribus ordinibus exhibuerit, tum quod Ecclesiae Dei decorem dilexerit; tum quod sacris studiis impense fuerit addictus et sacris ritibus et addiscendis et summa diligentia exercendis operam navaverit, tum praesertim quod nunc temporis in potentissima tribulatione positus in ea vocatione, qua vocatus est, manet a Deo exspectans constanter suae innocentiae testimonium.“ — Hinc concinunt quindecim alii sacerdotes et Prior ordinis B. M. Virginis de Mercede, cui „constat tacto pectore sacerdotali, Raphaelem C. sibi ab adolescentia cognitum semper fuisse bonis moribus imbutum, sacramenta poenitentiae eucharistiaeque frequentasse.“ Illius probitatem, sacramentorum frequentiam, piarum exercitationum assiduitatem praefectus clericorum commendat. Eum sacris functionibus addictum, in doctrina christiana pueris tradenda assiduum vitaeque integritate spectabilem proprius parochus praedicat. De ejus zelo et assiduitate in exercitio clericatus apud ecclesiam monasterii Immaculatae Conceptionis amplissime testatur illius administrator. Praeterea deputatus congregationis doctrinae christianae hujus exercitio Raphaelem C. semper interfuisse perhibet ac bonam operam dedisse. Luculentissima denique sunt testimonia, quae reddunt eidem superiores domus congregationis missionis, affirmantes, ipsum exercitiis spiritualibus, quae in ipsorum domo jussu Em. Archiepiscopi singulis dominicis diebus ad clericos habentur, semper interfuisse ac in sacris caeremoniis addiscendis exercendisve, nec non in augustissimo eucharistiae sacramento persaepe suscipiendo pietatis, devotionis ac clericalis modestiae specimen praebuisse.“ Neque secus sese in Urbe gessisse ab illius adventu usque ad praesens comprobat testimoniis parochi, presbyterorum domus missionis, professoris in theologia morali ac praesertim Curiae ecclesiasticae Eminentissimi Vicarii.

Haec omnia cum Sanctissimo Domino Nostro retulissem in audientia diei 7. Febr. labentis anni, Sanctissimus mandavit, ut ex officio exquireretur votum et informatio Em. Card. in Urbe Vicarii, qui haec retulit: „Per id tempus, quo Romae moratus est, per 14 nempe menses non solum nunquam fuit in hoc meo tribunali processu aut querela aliqua notatus, imo probitate morum, habitu clericali, sacramentorum frequentia ita se gessit, ut sacris addictum decet. Theologiam moralem excoluit in universitate Romana, neque nunc sua studia intermisit. Frequens fuit in ecclesiasticis institutionibus, quae

habentur pro clericis in pia domo missionis, et altari inserviendo sacrorum rituum peritiam ostendit; in cantu quoque Gregoriano sese excolit. Haec autem omnia profecto argumenta et indicia sunt ejus vocationis, quae in sacris ministris necessario requiritur, ut vineae Domini perutiles sint. Haec etiam me inducunt, ut existimem Oratorem voti compotem fieri posse, praesertim cum benevolum invenerit receptorem."

Facta harum literarum relatione Sanctissimus in audientia diei 21. ejusdem Februarii scribi mandavit Ordinario Nullius Sanctissimae Trinitatis Caven. eique transmitti copiam earundem literarum, ut eam mitteret ad Eminentissimum Archiepiscopum Neapolitanum, eum rogans de petita ab Oratore excardinatione, ac de resultantibus certioraret. Uti acceperat in mandatis, ita ad amussim exsecutus est Abbas Ordinarius; referebat enim sub initium elapsi mensis Junii sese „scripsisse et iterum scripsisse ad Em. Card. Archiepiscopum Neapolitanum, prout laudata S. Congregatio rescripto diei 24. Febr. praeceperat nullumque responsum accepisse." Interea temporis clericus etiam per intermediam patris personam, ut ipse asserit, Eminentissimum Archiepiscopum obsecrare non destitit, ut votis Oratoris tandem obsecundaret ac Ordinario Nullius SS. Trinitatis Caven. ad formam literarum S. Congregationis de mandato Sanctissimi conscriptarum benigne responderet, cui tamen Virum Eminentissimum respondisse ait, „responsum ad Summum Pontificem non esse necessarium, quippe qui omnes per se agendi facultates haberet."

Antequam autem rem iterum Sanctissimo Domino Nostro referrem, EE. VV. oraculum sciscitandum putavi, utrum rebus sic stantibus expediat necne petitam concedere excardinationem.

Si attendenda esset S. Congregationis sententia, permittendus videretur etiam ascensus ad ordines, quin ad aliam dioecesim Orator transiret. Saepe enim S. hic Ordo declaravit ac praesertim in Remen. 21. Apr. 1668 (lib. 16. literar. visit. ss. liminum p. 401); cujus tenorem refert Bened. XIV. de syn. dioec. l. 12. c. 8. n. 4., quotiescunque Ordinarius recusaverit quemcunque ordinare, Sedem Apostolicam, cui recursus fuerit delatus, viciniori Episcopo aut Metropolitano committere, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, liceat illi eundem recusatum ordinare. In casu autem ego ipse causas recusationis ab Archiepiscopo exquisivi; quid autem hic responderit, supra relatum est; genericam nimirum morum corruptionem arguit in Oratore, quin vel unam certam imputationem aut crimen depromat. Testimonia e contra per clericum exhibita de laudabili vitae suae ratione, qualis virum ecclesiasticum decet, adeo sunt luculenta, ut vehementem ingerant suspicionem, tum Archiepiscopum, tum congregationem pro ordinandorum approbatione deputatam vere malorum opera fuisse deceptam. Ast cum hic agatur de Oratoris excardinatione, facilius forsan concedenda videretur, praesertim cum benevolum receptorem clericus invenerit, cui satis perspectum videtur de bonis ejusdem moribus et vitae integritate. Id ipsum sentit in sua informatione Em. in Urbe Vicarius, qui tam praecise de vere ecclesiastica Oratoris vita testatur. Ipsemet Archiepiscopus, quamvis in suis recensitis literis ab excardinatione concedenda sese alienum ostendat, ex causis tamen, quas allegat, prima facile removeri potest per inhibitionem Oratori faciendam, ne, postquam fuerit ad ordines promotus, in dioecesi Neapolitana illos possit exercere absque consensu Em. Archiepiscopi; altera autem exulat omnino, quia Ordinarius Nullius SS. Trinitatis Caven. aggregando Oratorem in suae dioecesis clerum,

novit jam constantem praefati Archiepiscopi recusationem, ac insuper Ordinarii tantummodo aggregantis oneratur conscientia super clerici aggregati ordinatione.

Emisso prius juramento de animo fideliter permanendi in abbatia Nullius SS. Trinitatis Caven. pro gratia excardinationis a clero et dioecesi Neapolitana et aggregationis clero ejusdem abbatiae, ita ut valeat ab eodem Ordinario ad omnes ss. ordines servatis servandis ad formam ss. canonum et constitutionis s. m. Innocent. XII. „Speculatores" promoveri, dummodo, postquam fuerit promotus, ordines non exerceat in dioecesi Neapolitana absque consensu Em. Archiepiscopi, etiamsi capellaniam vel beneficium in eadem possideat; facto verbo cum Sanctissimo.

4ᵇ. Januen.

Die 30. Januarii 1830.

Joannes Bartholomaeus et Joseph Ambrosius Arata ex oppido Ciccagna Januensis dioecesis aerem maritimum ita saepe suae valetudini infensum experti sunt, ut aliud sibi coelum ex physicorum testimonio adeundum fuisse probent. Hinc exponunt, se neque Clavaris neque Januae incoeptum studiorum cursum posse perficere, idque non modo ob aeris inclementiam, qua hucusque pressi sunt, sed etiam ob maximam fortunarum inopiam, qua se ad quamlibet victus pensionem in dioecesanis seminariis solvendum impotes esse demonstrant. Quare dum suam in ecclesiastica vocatione constantiam Oratores significant, ab H. S. O. suppliciter expostulant, ut sibi a Januensi dioecesi discedendi venia tribuatur, ut suum domicilium constituere valeant in Bobbiensi dioecesi, ubi Lazarus Lagomaggiore se utrique Oratori patrimonium sacrum rite constituturum spopondit.

Oratorum precibus favet Bobbiensis Antistes seque in dioecesim suam memoratos clericos libentissime excepturum refert, si id tamen huic S. Congregationi videatur.

At vero Januensis vicarius generalis, quem de more audivi, Oratorum votis apertissime refragatur. Inquit enim, Archiepiscopum Lambruschini novum jamdiu seminarium in civitate Clavarensi exstruxisse, ubi clericos ad ss. ordines promovendos s. theologiae studiis omnino jussit informari. Ceterum, etsi Oratores vitae integros morumque probitate ornatos esse affirmet, metuendum tamen existimat, ne iidem minus recte absoluto theologiae curriculo, postquam in aliena dioecesi ad ss. ordines ascenderint dioecesim deinde suam rursum petant, nullique ecclesiae commodo pro inscitia sua valeant inservire. Itaque sapientissimo EE. VV. judicio decernendum relinquit, utrum clerici Arata petitionis suae compotes fieri debeant.

Quoties Ordinarius Januensis nec locum, in quo Oratores absque valetudinis detrimento studia perficere possint, assignare, nec titulum pro s. ordinatione eis suppeditare valeat, et postquam constiterit de legitima constitutione tituli s. ordinationis, pro gratia, ut Oratores ipsi domicilium suum transferant ad dioecesim Bobbiensem et subsint jurisdictioni Episcopi ejusdem dioecesis, facto verbo cum Sanctissimo.

4ᶜ. Neapolitana et Sarnen.

Die 17. Junii 1826.

Salvator Sorrentinus in 23. aetatis anno constitutus ortum habuit in oppido Bosco tre Case Neapolitanae Archidioecesis, ab octo vero annis in

Sarnensi seminario commoratur. Patrimonium ad sacram ordinationem requisitum a patre accepit in bonis stabilibus in eadem Sarnensi dioecesi existentibus ac servatis solemnitatibus inter Sarnenses cives fuit adscitus. Aeris salubritatem expertus clero Sarnensi adscribi expostulat, paroeciae S. Theodori opitulaturus, quae mille circiter incolas complectitur, et cujus parochus nullum habet adjutorem. Decennalis itaque habitationis dispensationem implorat, ut ab Episcopo Sarnensi ad ordines licite valeat promoveri. — Rogatus de more Sarnensis Episcopus supplicantis precibus favet ac de sacerdotum deficientia in sua dioecesi testatur. — Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus ordinationes Apostolicae Sedis se veneraturum profitetur, exoptaret vero, ut potius suis dimissorialibus literis Sorrentinus promoveretur.

Pro gratia praestito juramento ad formam constitutionis „Speculatores" ac servatis servandis, facto verbo cum Sanctissimo.

5. Teatina.

Die 12. Septembris 1829.

Thomas Codagnone oppidi Vasti Teatinae dioecesis in ordinem Praedicatorum adscitus solemnia ibidem nuncupavit vota et sacro subdiaconatus ordine fuit initiatus. Ut vero matri annis provectae ac sorori innuptae opem praeberet, die 18. Januarii 1828 a S. Congregatione Episcoporum et Regularium facultatem obtinuit manendi extra claustra, donec perduraret necessitas. Perseverat adhuc hujusmodi necessitas, et memoratus subdiaconus ad reliquos ss. ordines interim ascendere cupiens eam ob rem enixe EE. VV. deprecatur, ut Teatino Archiepiscopo opportunae tribuantur facultates. — Oratoris preces ablegatae fuerunt pro informatione et voto tum Priori Generali ordinis Praedicatorum, tum Archiepiscopo Teatino. Prior Generalis se abstinet a pandendo voto, sed ait: „Cum Orator non vivat sub disciplina regulari, valde mirum esset, si superiores Dominicani eum Ordinario ad ordines promovendum praesentarent; quia isti non possunt scire, an vita ejusdem laude digna sit, propterea optimo jure literae dimissoriales ei denegatae sunt. Archiepiscopus, qui vigilat super eum, judicare debet, utrum dignus sit iste, ut ad sacerdotium promoveatur." Archiepiscopus autem se a parocho loci rescivisse affirmat, Oratorem, qui 24. agit annum, esse moribus incontaminatis, amantem vitae absconditae et aedificantis, multum frequentare sacramenta aliisque operibus piis deditum esse, ordinem subdiaconatus saepius exercere, assiduum praestare ecclesiae servitium, populum et infantes cum diligentia et caritate in doctrina christiana instruere, ita ut sacerdos factus valde utilis esse possit paroeciae et laudabilis operarius in vinea Jesu Christi; patrimonium sacrum sufficiens secundum normam ultimi Concordati constitui posse.

Pro gratia juxta petita, obtentis tamen literis testimonialibus a superioribus ordinis Praedicatorum et constituto sibi annuo censu titulo alimentorum, donec ad religionem redierit, facto verbo cum Sanctissimo.

B. De patrimonio sacro.

6. Venetiarum — Patrimonii sacri.

Die 27. Junii 1857.

Carolus Martinelli jurisconsultus Venetus ultimo quo decessit voluntatis elogio die 9. Octobris 1851 parochiali ecclesiae S. Salvatoris Veneti-

tiarum domum intra ejusdem paroeciae fines sitam legavit, qua desuper ecclesiasticum patrimonium ad rationem libellarum Austriacae monetae tercentum constitueretur, superexstantibus reditibus pro celebratione missarum aliisque nonnullis oneribus peculiariter assignatis. „Jubeo et volo, ita testator, ut ex domo legata promovendo ad ordines patrimonium perpetuum ecclesiasticum et fundatio missarum constituatur, ita ut sacerdos, qui percipit patrimonium, ex reditibus summam annuam 300 libellarum Austriacarum a die, quo subdiaconus ordinatur, usque ad mortem percipiat, et post ejus mortem alius patrimonium assequatur et ita in perpetuum.“

Jus nominandi ad patrimonium, parochiano ecclesiae S. Salvatoris exclusive conferendum, ejusdem ecclesiae parocho contulit. „Patrimonium assecuturus, ait, filius ecclesiae SS. Salvatoris, paroeciae meae, esse ipsique ecclesiae diligenter servire debet et nominabitur a parochis pro tempore ejusdem ecclesiae.“ Quoad administrationem domus legatae statuit: „Tempore labente a mea morte usque ad ordinationem alicujus subdiaconi in ista ecclesia SS. Salvatoris vel inde a morte ejus, qui patrimonium obtinuit, usque ad electionem alterius reditus dictae domus administrabuntur per fabricam ecclesiae SS. Salvatoris et hoc quidem usque ad ordinationem subdiaconi, post quam administratio penes ipsum subdiaconum erit. . . . Debent etiam subdiaconi curare celebrationem missarum enuntiatarum (pro quibus peculiaris addicta est eleemosyna) usque dum ordinem presbyteratus suscipiant et tunc ipsi missas legatas celebrare poterunt. . . . .“

Post mortem testatoris nunc primum se offert occasio ecclesiasticum patrimonium conferendi; praesto enim est in paroecia S. Salvatoris clericus Joannes Bianchi, fortunae bonis satis ceteroquin provisus, cui patrimonium normale „di risulta“ ut vocant non deesset, qui hoc anno ad sacrum subdiaconatus ordinem promovendus erit. At vero Parochus praedictae ecclesiae S. Salvatoris supplici oblato libello postulat, ut ejusdem clerici loco sibi liceat patrimonium hujusmodi prima hac vice conferre sacerdoti Antonio Spilotti, viro de eadem paroecia bene merito, qui praeter patrimonium in ordinationis titulum eidem constitutum, cujus tamen reditus postremis hisce annis infra dioecesanam taxam decreverunt, nihil in bonis habet.

Patriarcha Venetiarum, nuper vita functus, super hisce precibus haec in suis literis informationis perpendebat: „Si ex verbis testamenti talem fuisse voluntatem testatoris eruitur, ut primus subdiaconus in ecclesia SS. Salvatoris ordinandus patrimonio gaudere debeat, sive sit pauper sive non pauper, tunc de justitia agitur et gratiam petitam non posse habere locum opinor. Sin autem verba: „usque dum aliquis ordinetur subdiaconus“ tantum demonstrative dicta sunt, ita ut indicent tantum opinionem testatoris primam nominationem a primo subdiacono obtentum iri, ita ut facultas nominandi parocho explicite data non minuatur: tunc jus aliquod non laeditur et ecclesiae utilius esse videtur, ut remuneretur sacerdos bene meritus et relinquatur patrimonium pro alio clerico indigenti.“ Nonnulla porro momenta rationum protulit, quae huic alteri interpretationi favent, ita edisserens: „Testator claris et expressis verbis nominationem parocho tribuit. Hoc jus certum parochi nonnisi testator ipse auferre potuit; hoc autem factum esse e testamento probari non potest. Jussio enim, ut reditus patrimonii usque ad ordinationem primi subdiaconi erogentur in stipendia missarum, non est nisi consequentia axiomatis, ut reditus intercalares erogari debeant in beneficium animae testatoris; quod deinde subdiaconus inde a prima institutione gaudere debeat patrimonio, indicatur tanquam casus probabilior, non autem ponitur ut

conditio absoluta. Idem est ac si dixisset: si inter institutionem patrimonii ejusque fruitionem intervallum erit, fructus intercalares in missas celebrandas erogentur. Indicatio igitur subdiaconi, cum jus parochi evidens tali modo destrueretur, non posita est tanquam conditio vera.“

Nihilominus sedulo perpendendum, an toties repetita subdiaconi in testamenti tabulis appellatio, et quidem pro variis dispositionis effectibus, contrariam potius interpretationem suadeat, non demonstrationis scilicet gratia testatorem hoc usum fuisse vocabulo, sed taxative ad qualitatem et statum personae nominandae indigitandum, quatenus non jam promotis, sed promovendis tantum patrimonium de quo agitur conferri deberet. Hinc enim tempus praestitutit, quo patrimonium consequi liceret, statuens illius reditus patrimoniato deferri „a die quo nominatus erit subdiaconus;“ imo nec antea patrimonium conferri voluisse videtur post mortem suam, quam adesset qui sacro subdiaconatus ordini initiaretur, demandata interim administratione ecclesiae fabricae, uti conjicere licet ex particula testamenti superius relata; nec secus in facto accidit usque in praesens, quamvis alii fortasse non decssent sacerdotes, qui ab obitu testatoris hujusmodi patrimonio uti frui interea potuissent. Demum cum patrimonii possessori incumbat missarum adimplementum, cavit etiam, ut subdiaconi ad illius fruitionem vocati id oneris per alium impleri curarent, quousque ad sacerdotium promoti non fuissent.

Vim etiam facere videtur ipsa dispositionis ratio ac indoles, cum sacri patrimonii constitutio ad ordinandorum provisionem directo pertineat ac tendat: qui enim ordinati sunt, jam provisi censentur ac sane esse debent. Jus autem nominandi parocho attributum non ultra protendi fas est, quam testatori placuerit, illudque inter personas juxta testamentum qualificatas exercendum integrum plane manebit.

Quae quidem ubi probanda forent, jus tertio quaesitum imploratae veniae obstaret; nisi potius benigniori interpretationi in peculiari hoc casu succurrere videatur praesumpta etiam testatoris voluntas favore sacerdotis pro sua virtute ac laboribus in ecclesiae bonum toleratis meliora sane promeriti.

Quare etc.*)

Lectum ad instantiam parochi ecclesiae SS. Salvatoris.

7. Neapolitana. — Titulorum s. ordinationis.

Die 7. Julii 1860.

Inter plura legata pia, relicta congregationi apostolicarum missionum sub invocatione S. Mariae Reginae angelorum erectae in metropolitana ecclesia Neapoli, nonnulla recensentur, quorum bona ex testatorum voluntate applicanda sunt in titulum s. ordinationis illorum favore clericorum, qui aliis destituti subsidiis ad ss. ordines promoveri cupiunt. Cum tamen ex respectivis fundationibus non constet, an praedicti clerici horum bonorum, quae in praefatum titulum constituuntur, reditibus frui debeant a die nactae nominationis, vel potius suscepti s. subdiaconatus ordinis, neque item praescribatur, in quos usus hi reditus erogandi sint, qui decurrunt ab obitu testatorum usque ad clericorum nominationem, et qui percipiuntur vacationis tempore, scilicet post renuntiationem vel decessum titularium usque ad novam nominationem; hinc coacto consilio deliberatum a dicta congregatione fuit, ut ad

*) Haec formula, quae ab anno 1848 causis per summaria precum propositis semper subnectitur, hoc vel simili modo expleri potest: „Quare decernant EE. VV. quid in Domino expedire judicaverint.“ In sequentibus causis eam omisimus.

fruitionem redituum sacri patrimonii non admitterentur clerici, nisi a die, quo ad s. ordinem subdiaconatus promoti fuerint, et reditus interea temporis obventuri in missarum celebrationem, eleemosynas, aliosque pios usus ad congregationem pertinentes erogarentur.

Cum ita se res haberent, clericus Achilles de Nicola per concursum ad alterum ex titulis patrimonii sacri electus, institit penes praefatam congregationem, ut non exspectata s. ordinatione reditus sibi traderentur sacri patrimonii eidem attributi, qui a die factae nominationis decurrerent, idque egestatis causa, qua premebatur. Haud tamen petitioni annuendum censuit congregatio, sed tantum facultatem ejusdem pro tempore rectori dedit, ut aliquod tum isti tum aliis clericis nominatis, qui eadem in conditione versarentur, subsidium quotannis elargiretur, ceu in praesens factitari solet.

Itaque actualis congregationis missionum rector canonicus Aloysius Scuotto conscientiae suae tranquillitati consulere cupiens supplici oblato libello S. Congregationem rogat, ut benigne sibi impertiatur facultas retinendi usum, qui hucusque viguit circa reditus patrimoniorum legatorum, et ut item sibi facultas detur, ut in casu necessitatis aliis clericis, qui per concursum haec patrimonia obtinuerint, elargiri aliquam summam possit, quae a pecunia commissa anticipetur.

Reverendissimus Archiepiscopus, super hisce expositis rogatus informationem et votum, cuncta a congregatione missionum bona fide gesta fuisse affirmat, haec praeterea ad rem perpendens: „Non omittam hic exponere, quod pene omnes pii testatores disposuerunt, ut deductis oneribus, legatis, patrimoniis sacris reliqui reditus ipsi congregationi cedant, ut impendantur in missarum celebrationem vel sacrarum missionum sustentationem, in eleemosynas aliosve usus pios. Ex quo sequitur congregationem optimo jure posse continuare applicando his piis operibus reditus a die mortis testatoris usque ad provisionem de patrimoniis sacris perceptos illosque reditus, qui percipiuntur tempore vacationum. Quoad tempus perceptionis fructuum patrimoniorum sacrorum, utrum hic dies cedat a tempore nominationis peracto vel etiam neglecto concursu, an a die, quo ad subdiaconatum promoti fuerint, omnia arbitrio hujus sacrae Congregationis remitto; illud tantum imploro, ut si S. Congregatio judicaverit fructus cedere a die nominationis, hoc valeat pro futuris provisionibus, et pro praeterito benigne omnia sanentur.“

Quamvis patrimonium, ad cujus titulum clericus est promotus, subrogetur in locum beneficii, et idcirco sapiat illius naturam, ceu observat Fagnanus in cap. Episcopus de praeb. et dignit. num. 32., attamen, ut ipsemet Fagnanus monet in cap. Ad audientiam 2. de rescript. num. 59., verum dici non potest beneficium, indeque consequitur non eodem jure haec duo censeri, nempe beneficium et patrimonium sacrum, praesertim quoad fructuum perceptionem, cum in beneficio a die provisionis incipiant decurrere fructus beneficiario, secus vero in sacro patrimonio, quod a testatoribus favore pauperum clericorum relictum est. Nam legata hujusmodi conditionalia videntur, quatenus nempe juvenes ad illa optantes ordinentur in sacris, ex ea ratione, quod titulus s. ordinationis sine sacra ordinatione non concipitur. Ex quo per consequens descendit, quod fructus interim ab iisdem sacris patrimoniis percipiendi non ad nominatos, sed ad congregationem heredem et administratricem pertineant, quia supposita conditione sacrae ordinationis contenta in hujusmodi legatis nullum acquiritur dominium, nisi sequatur praefata ordinationis conditio, sine quo dominio fructus acquiri non valent; ceu quoad legata dotium, quae conditionem nuptiarum continent, ratiocinatur in terminis S. Rota in decis. 1168. n. 6. 8. coram Molines.

Ceterum cum testatores vacantium patrimoniorum reditus arbitrio congregationis erogandos permiserint in missarum celebrationem, in eleemosynas, aliosque pios usus, videretur congregatio suo jure uti, quando subsidia clericis pauperibus ad patrimonia sacra nominatis, non titulo justitiae, sed commiserationis causa confert; in quo quidem nihil est, quod a testatorum voluntate alienum videatur.

Juxta petita.

8. Compsana — Sacri patrimonii.

Die 2. Martii 1861.

Sacerdos Dominicus Cerrata ex oppido Calitre Compsanae archidioeceseos, ad sacros ordines promotus titulo participationis ecclesiae receptitiae loci Palo, supplicavit apud metropolitanam curiam, ut dictae participationi, cui ipse nuntium mittere exoptabat, patrimonium sacrum subrogare sibi liceret. Patrimonium hujusmodi constitueretur ex reditu ducat. 30 inscripto in debito publico Neapolitano, vulgo „Gran libro“, et duc. 14 ad capellaniam patronatus laicalis familiae Oratoris pertinentium; quorum ducati sex in debiti publici codice sunt inscripti, et ducati octo ex nonnullis censibus proveniunt, qui caput efformant ducat. 145, ceu asseritur. Porro reditus hi nedum exaequant, sed superant illos, quos ex participatione Orator percipit, qui vix attingunt ducatos 43 cum onere missarum 150 pro quolibet anno; sufficiunt autem pro taxa patrimonii sacri, quae praestituta est in regno Neapolitano in ducatis 50. Hujusmodi vero patrimonium ratum habere renuit curia pro ea parte tantum, quae provenit ex ducatis octo censuum ad dictam capellaniam pertinentium, reputans sacrum patrimonium constitui non posse super censibus in regno Neapolitano. Hinc ad S. Congregationem confugit Orator, ut voti compos fiat.

Archiepiscopus post relatas auctoritates, quibus fatetur id pro certo tradi quod a se in discrimen revocari videtur, haec ad rem habet: „Equidem non auderem oppositam tenere sententiam, nisi hujus temporis conditionibus mutata essent omnia utriusque juris principia et fundamenta. Census antea inter bona immobilia enumerabantur, verum ab anno 1809, quando in hoc regno receptus est codex civilis Gallicus, ut bona mobilia habebantur, et hoc modo eos considerant leges vigentes, quae anno 1819 illi codici successerunt, quippe quae immobilia judicant sola bona emphyteutica, quae ille codex eliminaverat. His temporibus supervenit concordatum cum S. Sede anno 1818 initum, quo in artic. 21. praescribitur, ut in posterum patrimonia pro promovendis ad ordines constituantur „sopra beni fondi “ (super bonis stabilibus). Solemni igitur conventione inter supremas auctoritates exclusi sunt census sive annui reditus perpetui, qui naturam induerunt bonorum mobilium, vel sortium quamvis applicatarum ad reditus constitutos ferendos. Neque haec interpretatio mea solummodo est; tenuerunt eam in suis resolutionibus ab anno 1830 summi Regis ministri, atque id ipsum in terminis die 27. Martii h. a. mihi responderunt in praesenti materia. . . . Negandum quidem non est ex regio decreto anni 1857 in restituendis sortibus, super quibus census constituitur in capellaniis aut beneficiis, debitorem obligatum esse sub poena dupli, ut apponatur conditio novae collocationis pecuniae. Saepe autem accidit, ut sortes per longos annos in cassa sacra repositae sint sine fructibus, neque desunt casus, praecipue in capellaniis laicalibus, quae Episcopi vigilantiam plerumque effugiunt, ut sortes ipsae per abusum consumantur. Porro hujusmodi census ab antiquis constituti sunt,

cum ex bulla Nicolai V., quae in hoc regno pro lege habita est, ob paucitatem pecuniae octo vel decem ducata perciperentur fructuum nomine ex centum ducatis, dum nostris temporibus ob contrariam rationem vix quinque haberi possunt. Itaque in casu restitutionis, etiamsi prompte et sollicite iterum collocetur sors, semper pene certa erit diminutio reditus.

Has ob rationes censeo petitionem sacerdotis Cerrata esse respuendam, cum absurdum mihi esse videatur Ordinarium contra mentem concordati id posse, quod tribunalia regni juxta literam et mentem illius non possunt, scilicet ut pro titulis sacri patrimonii admittant sortes in reditu constituto collocatas, quamvis Ordinarius jus habeat ad inquirendum sine alterius interventu in illa patrimonia, quae super capellaniis aut beneficiis constituta sunt."

Orator e contra praemittit, rem hanc non ex civilis juris sanctionibus, sed ex praescripto ss. canonum esse dijudicandam. Ordinarii enim proprium est de sacri patrimonii constitutione cognoscere ac judicium ferre juxta ea, quae in concordato etiam anni 1818 cauta habentur. Jam vero indubitati hodie juris est et in praxi communiter receptum, nihil impedimento esse, quominus sacrum patrimonium constituatur super censibus, dummodo cautelae serventur quas S. haec Congregatio praescribendas censuit in Nullius 21. Junii 1629. lib. decr. 14. pag. 109. a tergo. Eo magis id obtinere debere in themate, quia agitur de censibus ad capellaniam perpetuam pertinentibus, ut adeo periculum non sit, quod depereant. Ait enim, in ditione Neapolitana ope regii decreti diei 18. Maji 1857 sancitum esse, ut debitores censuum favore alicujus beneficii aut capellaniae teneantur in casu restitutionis conditionem reinvestimenti apponere sub poena iteratae solutionis.

Nec difficultatem facessere ea, qnae animadvertit Archiepiscopus; cum notum sit, census sive sub antiquis, sive sub vigentibus regni legibus haberi uti bona neque propria ac stricta significatione mobilia, neque immobilia, sed uti reditus rei immobilis, vel uti res immobilibus similes, quod a variis regiis decretis erui monet.

Item frustra proferri sanctionem conventionis anni 1818, qua cautum, sacra patrimonia constitui debere „sopra beni fondi": tum quia census supra fundos etiam constituuntur, tum quia sub appellatione „fondi" lató sensu venit etiam reditus cujuscumque generis, dummodo perpetuus sit saltem de sua natura. Quod adamussim statuisse ipsum regium ministerium commemorat Orator, asserens illud in loco ab Archiepiscopo citato declarasse non censum sed mutuum constitui non posse in s. patrimonium.

Denique advertit, quod etiamsi ratio haberi nolit de portione patrimonii, quae ex censibus conflatur, tantum nihilominus superesset redituum, ut ex iis honestae suae sustentationi Orator posset prospicere. Ac deteriori in casu integrum erit Ordinario conditiones quascumque sibi bene visas adjicere, ne caput censuum deperire in casu restitutionis contingat, sed iterum congrua ratione collocetur.

In cit. Nullius haec habentur: „Quaeritur: An super annuis perpetuis censibus constitui possint patrimonia pro clericis ad ss. ordines promovendis? S. C. respondit: posse super censibus perpetuis cohaerentibus rei immobili et cum legitimis cautionibus, et dummodo proprietas census sit talis summae, ut in casu restitutionis et conversionis in bonis stabilibus vel locis montium non vacabilibus annui reditus pro decenti sustentatione promotorum sufficiant, quodque in casu hujusmodi restitutionis censuum debitores teneantur pretium deponere penes aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam ad effectum investiendi quanto citius in aliis censibus ejusdem qualitatis vel in bonis stabilibus aut locis montium non vacabilibus, durante hoc patrimonii

titulo nullatenus, nisi ad praescriptum ss. canonum et sac. Concilii Tridentini alienandis, ad quod investimentum faciendum teneantur ipsi ordinati sub poena suspensionis ipso facto. Quod si contigerit patrimonium ab aliis quam ordinandis in hujusmodi censibus constitui, curent Ordinarii, ut constituentes in forma juris valida promittant, quod in casu redemptionis, modo superius expresso, pro sufficienti ordinatorum victu providebunt."

Ad hujusce decreti tramites omnes conveniunt doctores posse patrimonium sacrum super censibus constitui. Sufficiat vero exemplum proferre Benedicti XIV. qui, dum archiepiscopalem Bononiensem ecclesiam regebat, permisit, ut in censibus patrimonii sacri constitutio fieret, ceu habetur in instit. eccl. 26. num. 12.: „Si fundus desit, in aliquo censu vel perpetuis censibus patrimonium constitui facile indulgebimus, modo fiant intra limites, qui a S. Pio V. in suo decreto praescribuntur; tunc enim census inter bona stabilia numerantur. Cavendum tamen est, si debitores iis censibus dissolvi cupiant, apud probum aliquem et locupletem virum integram pecuniam esse deponendam, ut in alios census convertatur, vel fructiferis certisque fundis collocetur, qui ejusdem rationis, ac primus census, habebuntur. Curet autem ordinatus sub poena suspensionis, ut ejusmodi pecuniae collocatio minime negligatur, quum haec omnia decretis Sacrarum Congregationum omnino congruant, uti Monacellius (tom. 2. tit. 13. pag. 74. n. 17. et 21. edit. Rom. anno 1706) apertissime declarat."

Ceterum perpensis in specie, quae hinc inde deducuntur, erit EE. VV. videre, quid decernendum putent.

Juxta petita, dummodo census constituti fuerint ad normam constitutionis Pii V. nec non assumatur ac conserretur inscriptio hypothecaria super bonis stabilibus idoneis, onerata Oratoris conscientia.

9. Mazzarien.

Die 17. Maji 1828.

Josepha Milana oppidi Marsaliae Mazzariensis dioecesis supremo quo decessit elogio anni 1751 laicalem, non vero ad nutum amovibilem instituit capellaniam cum onere unius missae qualibet die in designata ecclesia celebrandae. In dotem hujus capellaniae duas tradidit domos, quarum annui fructus pertingunt ad unceas 17 et ad illius possessionem vocavit suae familiae consanguineos. Eam in praesens possidet sacerdos Joannes Milana, qui tamen juri suo libenter nuntium mitteret, ut ejus pronepos clericus Joannes Milana annos 20 jam natus memoratam capellaniam sibi constituere posset in titulum patrimonii sacri. Cum vero taxa dioecesana patrimonii sacri ad tramites concordati inter Apostolicam Sedem et utriusque Siciliae Regem anno 1818 initi in unceis 16 ac tarenis 20 sit constituta atque hujus patrimonii tertia pars immunis esse debeat a missarum oneribus; idcirco praefatus clericus Joannes, qui rei familiaris angustia premitur, humiliter postulat, ut titulo laicalis capellaniae sacris ordinibus initiari valeat ejusdemque capellaniae missarum onera pro tertia parte imminuantur. Requisivi Mazzariensem Episcopum, ut auditis quorum interest, Sacram Congregationem instructam redderet votumque suum aperiret. Hic retulit se accersisse hodiernum capellaniae possessorem, qui suo juri libenter cedit et supradictam missarum capellaniam ab Oratore nepote ad titulum sacri patrimonii adoptari non renuit. Ipsa capellania non est ad nutum amovibilis. Orator in reali aliter supplendi impotentia versatur et nemo alius strictiorem in consanguinitate

gradum habet cum testatrice. Quibus omnibus attentis mea esset sententia si EE. VV. arrideat auctoritati, ut Oratoris precibus juxta petita indulgeatur."

*Pro gratia juxta petita, donec aliter de legitimo titulo s. ordinationis provideatur, facto verbo cum Sanctissimo.**)

10. Venetiarum — Reductionis onerum.

Die 27. Augusti 1859.

Pia vidua Margarita Dalmit sacri patrimonii titulum et stipendia pro missae quotidianae celebratione sacerdoti Venetiarum dioeces. Felici Moro constituit in censu vitalitio, quem, uti jure requirebatur pro dotis securitate, in certis frugiferisque bonis, domibus nempe quibusdam Antonii Federigo collocavit. Temporis vero decursu Felix Moro harum domorum proprietatem soluto pretio obtinuit; at detracta redituum parte, quae pro patrimonio fuerat assignata, reliqui fructus haud amplius sufficientes sunt exsolvendis statutis missarum sacrificiis et interesse congruo pecuniae summae, quam in emptione domorum expendit, ideoque supplex ab hac. S. Congreg. missarum reductionem postulat.

Reductionis causae, quae ab Oratore afferuntur, sunt redituum minutio, quam evincit ex augmento vectigalium, et expensae, quae ipsi pro conservatione solitaque domorum restauratione incumbunt

Patriarcha Venetiarum sententiam rogatus haec refert: „Certum est, Oratorem in hac rerum conditione propter vectigalia solvenda et propter deductionem necessariam restaurationis expensarum suique patrimonii missas praescriptas adimplere non posse. Quamobrem S. Congregationi sententiam meam aperiens haec propono: 1. Vita durante sacerdos Moro ex reditibus domorum suum patrimonium deducet et interesse, quod ei competit ex lucro cessante et damno emergente sortis collocatae; residuum in tot missarum eleemosynas erogabit. 2. Post mortem sacerdotis Moro ejus heredes sortem ab illo collocatam ex domorum valore deducere poterunt; omnia quae supersunt, in eleemosynas missarum erogabuntur. 3. Justum esse videtur, ut haeredes sacerdotis Moro se compensare possint pro omnibus istis eleemosynis missarum, quas sacerdos Moro usque adhuc celebravit super reditus remanentes patrimonio suo deducto.

Exploratissimum est S. Congregationem saepius definisse imminutis reditibus, qui pro missarum celebratione constituti sunt, imminuendum etiam esse missarum celebrandarum numerum, ut in Nepesina Reductionis 3. Julii 1734; in Firmana Onerum missarum 2. et 23. Junii 1764; Callien. et Pergulana Absolutionis et reductionis 20. Decembris 1823.

Verumtamen cum in casu unus idemque fundus diversis distinctisque oneribus patrimonii et missarum sit obnoxius, usu venire posset doctrina,

*) In simili causa Bononien. 18. Septemb. 1824 (apud Gamberin. n. 22.) cum pro explenda summa sacri patrimonii juxta taxam dioecesanam peteretur reductio missarum beneficio simplici impositarum, allata est resolutio S. Congregationis diei 17. Julii 1723 ex Benedicti XIV. instit. eccl. 26 num. 6., in qua proposito dubio: „An a beneficio seu capellania, ad cujus titulum quis intendit ad ss. ordines promoveri, detrahenda sint onera missarum eidem injuncta, quando beneficiatus eas non tenetur per seipsum celebrare vel potius oneribus missarum non detractis, sive illae celebrandae sint per seipsum, sive possint celebrari per alium, faciendus sit calculus omnium fructuum pro constituenda summa a synodali constitutione vel regionis more requisita pro sacris ordinibus suscipiendis?" responsum est: „Esse relinquendum arbitrio et conscientiae Ordinariorum." Propterea in dicta Bononien. rescriptum est: Quoad ordinationem ad titulum beneficii, de quo agitur, Eminentissimus Episcopus utatur jure suo; quoad reductionem non esse locum.

quam Bened. XIV. de syn. lib. 13. cap. ult. tradit et pluries sancivit S. Congreg., nempe quod onus missarum tanquam privilegiatissimum caeteris antecellit, et exsequendum est tum quoad stipendium a testatore praescriptum, tum quoad numerum missarum, sive reditus haereditarii pares sint, sive impares ad omnia onera ferenda, et legata tam profana quam pia potius sunt suspendenda, reducenda vel imminuenda, quam missarum numerum earumque praescriptum emolumentum; S. Cong. in Novarien. Reductionis et commutationis onerum 19. Februarii 1791 §. Quatenus. Mazzarien. Reductionis et absolutionis 14. Dec. 1822 §. Quod. Itaque prius alia onera quam missae sunt reducenda, justa concurrente causa; ast cum ab Ordinandis recursus habetur ad S. Congreg. pro reductione missarum beneficiis aut capellaniis inhaerentium, ut ita s. ordinationis titulus statuatur vel augeatur, praxis est, ut ea tradat famigeratam resolutionem in Ariminen. 24. Apr. et 17. Julii 1723, qua declaratur, esse relinquendum arbitrio et conscientiae Ordinariorum, an onera missarum a respectivis titulis detrahenda sint, nec ne.

Dum autem de ordinatis agitur, licet mihi non fuerit datum exemplum reperire plane conforme praesenti themati, ex quibusdam causis nihilominus patet quod Sac. Congregatio specialibus attentis circumstantiis modo suspendit vel reduxit onera missarum, modo reductionem negavit. Sic in una Interamnen. 30. Aug., 13. Sept. et 29. Novembris 1777 aliqua bona stabilia in sacrum patrimonium constituta fuere cum onere celebrandi duas missas in hebdomada; cum patrimonium tamen adhuc esset insufficiens, duo alia petia arativa addita fuerunt, cum obligatione celebrandi duas alias missas in hebdomada; et post ordinationem beneficiarii proposito dubio: An et quomodo sit locus suspensioni missarum? S. Congr. respondit: „Firmis remanentibus primis missis a testatore demandatis, in reliquis pro suspensione aliarum missarum ad quinquennium juxta mentem. Mens est, quod celebrata quolibet mense una missa sit locus suspensioni aliarum missarum, donec ex reditibus praediorum fratres fundatores fuerint reintegrati pro expensis faciendis pro cultura dicti praedii. Ita quoque in Messanen. 11. Januarii 1777 pia testatrix duas vineas in sacri patrimonii titulum assignaverat onusque adjecerat trium missarum in singulis hebdomadis. Cum bona haec plurimo aere alieno gravata exsisterent, alienata fuit altera vinea, itaque fructibus clerici jam ad s. ordines promoti imminutis, preces oblatae fuere S. Congreg. pro reductione missarum, et dubio: An et quomodo sit locus reductioni missarum? S. Congr. resp.: „Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium cum conditionibus ab eodem Episcopo designatis.“

In Recanaten. autem die 20. Augusti postulanti rectori capellaniae, cujus titulo ad s. ordines promotus fuerat, reductionem missarum, eoquia ejusdem reditus imminuerentur ob impositionem census ad domum colonicam aedificandam, negativum dedit responsum, cum, referente Episcopo, reditus pares nihilominus essent integro missarum oneri ferendo.

Oratori tamen plurimum favet votum Patriarchae, cui S. Congregatio deferre solet, habito praesertim respectu ad dispositionem Tridentini sess. 24. cap. 2. de ref., quae quoad titulum s. ordinationis multum detulit auctoritati Episcoporum, prohibuitque, ne absque eorum licentia alienari aut exstingui vel remitti ullatenus possent, donec ordinati beneficium ecclesiasticum sint adepti vel aliunde habeant, unde vivere possint.

Dilata et scribatur Patriarchae, qui transmittat titulum piae dispositionis, instrumentum acquisitionis domorum et rotulam redituum domorum earundem.

II. DE IRREGULARITATIBUS.

A. Defectus corporis.

1. Defectus visus et auditus.

11. Florentina.

Die 19. Aprilis 1823.

Clericus Joseph de Mela, dioecesis Florentinae, cum ad statum ecclesiasticum a Deo vocatus sit, suppliciter postulavit pro dispensatione ab irregularitate, contracta ab anno octavo aetatis suae in privatione sinistri oculi. Requisitus Archiepiscopus pro informatione et voto respondit: . . . „Peracto experimento coram hujus ecclesiae metropolitanae caeremoniarum ministro . . . certior evasi, praedictum clericum tali in dextero oculo facultate videndi pollere, ut libere, expedite et absque indecora faciei conversione in missa canonem legere possit. Dum vero Oratoris vitae honestatem et illius dispositionem ad statum ecclesiasticum considerem, eum Ecclesiae ministrum perutilem evasurum sperare audeo."

Irregularis dubio procul est, cui membrum aliquod deest, sine quo decenter sacrum perficere nequit, cap. Presbyterum 2, de clericis aegrot. vel debilit. Propterea quandoque in praesenti casu haec Congregatio dispensationem denegavit. Non desunt tamen hujusce dispensationis exempla, eorum maxime favore, qui sine deformitate et scandalo missam celebrare possunt, uti certum est ex peracto experimento, Oratorem posse absque irreverenti faciei conversione canonem legere eaque decore peragere, quae duorum indigent oculorum lumine.

Hisce igitur perpensis, cum ex optimis Oratoris moribus constet de illius vocatione ad statum ecclesiasticum et accedat votum Archiepiscopi, censerem benigne precibus Oratoris annuendum esse.

Consulendum Sanctissimo, ut per Brere facultas concedatur Archiepiscopo pro sua conscientia et arbitrio dispensandi et habilitandi Oratorem ad omnes ordines usque ad presbyteratum inclusive.

12. Hydruntina.

Die 21. Februarii 1824.

Franciscus Catanzano, Hydruntinae dioecesis, cum sinistri oculi, qui canonis oculus dicitur, luce careat velitque ad sacerdotium ascendere, supplex ab EE. VV. implorat dispensationem ab irregularitate. Archiepiscopus, quem requisivi, ita respondit: „Franciscum Catanzano, 16 annos natum coram magistro caeremoniarum examini subjeci, quo mihi persuasi, eum, quamquam caret visiva facultate oculi sinistri, cujus tamen pupilla restat, non esse deformem, ita ut sine scandalo et sine impedimento omnes functiones ministerii sacri et s. sacrificii missae exercere possit. Optimis moribus ille praeditus est, devotus, valde inclinatus ad amplectendum statum ecclesiasticum, in quo optime eum processurum esse sperari potest. Quia tandem ecclesia cathedralis indiget eorum, qui ei serviant deficiente numero statuto canonicorum et mansionariorum, Francisco gratiam petitam esse concedendam censerem."

Corpore vitiati sunt irregulares, si absque aliorum scandalo vel admiratione sacra ministeria peragere nequeant: hinc qui sinistri oculi visiva vir-

tute carent, cum sine deformi faciei conversione canonem legere non valeant, ad sacros ordines non sunt promovendi. At ubi hujusmodi deformitas non adest, nec irregularitatem adesse non inferioris notae doctores tenent, quos refert Ferrar. verb. Irregularitas, art. 1. num. 1. §. 2. Franciscus autem Catanzano, teste Archiepiscopo, „sine scandalo et sine impedimento omnes missae functiones exercere potest;“ idcirco videretur non indigere dispensatione, ut sacerdotium assequatur. Communis tamen canonistarum sententia etiam in simili casu irregularitatem adesse statuit, Reiffenst. in jus canon. lib. 5. tit. 37. §. 4. num. 83., ideoque locus est Apostolicae dispensationi; quam concedendam censerem, quoniam optimis moribus praeditus est Orator, ad statum ecclesiasticum recte dispositus, et fundatam praebet spem fore, ut alter sit ex optimis sacerdotibus, quorum indiget dioecesis Hydruntina:

Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

13. Vercellen. — Dispensationis.

Die 28. Julii 1860.

Clericus Egidius Ferraris archidioeceseos Vercellen. sacrae theologiae curriculo eo in seminario jam absoluto cuperet ad sacros conscendere ordines, a quibus aegre repellitur ob visivae facultatis defectum. Hinc, ut quod ordinario ei interdicitur jure, gratia saltem consequatur, supplicem Sanctissimo obtulit libellum, exposcens veniam super praefata irregularitate facultatemque, ut omnibus ordinibus initiari possit, atque ut ob dictum defectum sibi liceat diebus festis et duplicibus missam votivam B. M V., semiduplicibus vero et ferialibus missam defunctorum celebrare. Re ad H. S. O. remissa literae datae sunt Archiepiscopo Vercellen. ut peracto experimento referret, an agatur de simplici debilitate visivae facultatis vel de alio graviori defectu, quod sacris praebeat impedimentum vel periculum admirationis in populo, necnon de necessitate seu utilitate Ecclesiae ex Oratoris promotione ad ss. ordines obventura.

Archiepiscopus porro suo demandavit caeremoniario examen praefati clerici Ferraris. Ex illius autem attestatione colligitur „clericum ex defectu visivae facultatis, qui simplici sed gravi debilitate producitur, in missali legere non posse, at actus sacrosancti sacrificii bene perficere valere, quia videt calicem, patenam, hostiam et pallam.“ Suam dein Archiepiscopus pandens sententiam: „Ratione habita, inquit, penuriae sacerdotum hodierno tempore necessarium et utile erit, ut Orator non obstante defectu visivae facultatis ordines suscipiat. Praeterea cum Orator jam cursum studiorum theologicorum consummaverit, ob aetatem et defectum enuntiatum, si non ad ordines admitteretur, prorsus nesciret, quam vitae rationem institueret. Quam ob rem eum pro gratia dispensationis commendo.“

Quod necessitate Ecclesiaeve utilitate suadente soleat haec Sac. Congregatio supra irregularitates dispensare, comperta res est. Verum enimvero neminem praeterit, eam dispensationes facilius indulsisse, ubi res erat de sacerdote jam promoto, quam ubi ageretur de clerico promovendo; quo in casu pluries hujusmodi veniam haud est elargita, uti videre est in Neapolitana Irregularitatis die 17. Septemb. 1814; qua praecise exposcebatur facultas ad ss. ordines promovendi acolythum Dominicum De Paolis, qui ob nervorum opticorum imbecillitatem vix lucem a tenebris secernere pollebat, quamvis

aliunde omnia ad sacrum missae sacrificium spectantia absque scandalo populique admiratione persolveret, ipsumque admodum commendarent et boni mores et scientia sacra et utilitas Ecclesiae, prout ex Episcopi informatione eruitur.

Ceterum et plura prostant exempla, quibus quoque cum clerico promovendo dispensatum fuit: potissimum cum scientia morumque probitate polleret, nec non de utilitate vel Ecclesiae necessitate constaret, ceu liquet ex Asculana die 26. Febr. 1808; ac postremo ex Pampilonen. Dispensationis die 31. Martii 1860 (n. 25).

Quatenus EE. VV. censeant cum Oratore dispensandum, videant, utrum saltem cum alterius sacerdotis assistentia debeat ipse sacrum facere, quamvis missam votivam vel defunctorum celebret, prout exposcit.

Non expedire.

14. Colonien. — Dispensationis.

Die 13. Septembris 1862.

Vincentius Krahe, natus in Opladen, pago archidioecesis Coloniensis, die 25. Julii 1836, militiae ecclesiasticae per sacros ordines adscribi suo tempore cupiens, cum philosophiae ac theologiae studiorum causa academiam Monasterien. esset ingressus, anno 1857 oculorum morbo correptus fuit, cui amovendo curae medicorum fuerunt inutiles. Ita Orator ipse morbi qualitatem explicat: „Natura mali haec est: ut primo quidem solos nervos, minime vero externam oculorum speciem afficiat; deinde quod ad ipsam facultatem videndi spectat, ut omnes res videre possim quas sani vident, sed parum distincte ac clare. Hinc etiam in legendo literas paulo grandiores ac latiores distinguere possum. Ratione officii divini et missale Romanum, quod Salisburgi majoribus literis impressum jussu et auctoritate Archiepiscopi Joannis Ernesti anno 1694 in lucem prodiit, et psalterium quoddam Romanum tuto valeo legere. Breviarium quod legere possem, quin periculum oculis meis immineret, adhuc invenire non potui, eas tamen officii partes, quae in illo psalterio non reperiuntur, cum patribus ord. S. Francisci Dusseldorfii conventum habentibus recitare me obligo.“ Supplex ergo Sanctissimum Patrem rogavit, ut super irregularitate hac de causa exorta cum ipso dispensare dignaretur.

Eminentissimus Archiepiscopus, quem rogavi, ut de Oratoris moribus, scientia ac dispositione ad statum ecclesiasticum nec non de evidenti ecclesiae utilitate referret, simulque peracto examine indicaret, an defectus visivae facultatis ejusmodi esset, ut praeberet impedimentum etiam in ss. caeremoniis peragendis et periculum admirationis in populo suamque mentem denique super oblatis precibus aperiret, ita singulis diligenter satisfecit: „Humillime, inquit, expono, dictum Oratorem, quantum ex pluribus testimoniis constat, optimis moribus esse praeditum et sufficienti scientia ad sacerdotium adipiscendum, atque etiam ad curam animarum praedicationisque munus exercendum esse instructum, eumdemque vita moribusque ad statum ecclesiasticum bonam hucusque indicasse dispositionem. Nec dubito, quin Orator ad sacerdotium promotus utiliter pro Ecclesia laboraturus sit, quantum id vires et defectus visivae facultatis permittunt. Nec omittendum censeo, Oratorem beneficium familiae suae insufficiens tamen ad vitae sustentationem jam possidere et proximum jus habere ad aliud beneficium vacans a familia erectum et compatibile cum primo, eumque obligationibus ab utroque beneficio impositis in statu quo nunc versatur, satisfacere posse. Defectum visivae facultatis autem non tantum esse, ut impedimentum praebeat in sacris caeremoniis peragendis nec

periculum admirationis in populo, experimento probatum habeo. Quae cum ita sint, preces Sacrae Congregationi Concilii pro obtinenda dispensatione ab ipso oblatas humillime commendare valeo".

De irregularitate nullo modo dubitari posse videtur in casu, cum canones generatim irregularem dicant eum, qui propter debilitatem secure celebrare non valeat, idque in specie retineri debeat admissum ab hac Sacra Congregatione duobus in casibus praesenti nostro proxime accedentibus: in Neapolitana scilicet diei 17. Sept. 1814, ceu in thesauro resolutionum; et in Vercellen. 28. Julii 1860 relata inter supplices libellos (n. 13.). Etenim in prima, acolythus Dominicus De Paolis e quodam morbo convalescens, tanta nervorum opticorum debilitate laborare incepit, ut vix lucem a tenebris secerneret, studiis tamen animum applicare pergens, cum in iis multum profecisset simulque in sacris caeremoniis ita peritus factus esset, ut cum assistentia sacerdotis missam celebrare posset, Sanctissimum Dominum adiit ad dispensationem super irregularitate impetrandam. Attamen minime propitium ab Em. Patribus responsum obtinuit, quamvis preces ob egregias clerici dotes ejusque familiae in Ecclesiam merita ab Ordinario aliisque decem Episcopis multum commendarentur.

In altera vero causa, seu in Vercellensi, clericus Egidius Ferraris simplici visivae facultatis debilitate impeditus petiit ab H. S. O., ut sibi concederetur sacris ordinibus initiari, ac diebus festis et duplicibus votivam B. M. Virginis, reliquis vero diebus missam defunctorum celebrare liceret. Commendabat enixe preces Episcopus, eo quod Orator omnes missae actiones bene perageret, dioecesis multum laboraret sacerdotum penuria, et Orator absoluto jam studiorum theologicorum curriculo nulli professioni convenienter sese applicare posset. Sacra tamen Congregatio respondit „non expedire".

Utroque in casu, uti etiam in praesenti, res erat de promovendo, et dispensatio denegata fuit: graviores tamen impedimenti circumstantiae in utraque afferebantur, cum in Neapolitana acolythus vix lucem a tenebris distingueret, et in Vercellensi clericus Ferraris nullo modo sacrum in missali legere valeret; dum e contra Orator Krahe res omnes, licet parum distincte et clare, videre potest, quas sani vident; literis indiget prae ordinariis paulo grandioribus et latioribus, sed paratum habet missale majoribus literis impressum, quo uti poterit ad missas in anno recurrentes celebrandas. His ergo peculiaribus circumstantiis serio perpensis Eminentiarum Vestrarum sapientiae judicandum relinquitur, utrum differentia, quae intercedit inter praesentem casum et alterum utrumque modo relatum, favorabilem illam indulgentiam suadere valeat in themate, quam Eminentissimi Patres adhibendam esse quandoque censuerunt etiam in notabilioribus aliis irregularitatibus, etsi de promovendo pariter, non de jam promoto res esset.

Quoad missale Salisburgense, quo uti vellet Orator in casu dispensationis, nil habet Archiepiscopus, cum vero titulum missalis Romani prae se ferat, et auctoritate Archiepiscopi anno 1694 typis mandatum fuerit, non incongrue forsan opinari posset, idem missale minime comprehendi sub generali decreto S. Rituum Congregationis 26. Aprilis 1834, quo mandatum est, ne Episcopi in sacris faciendis missalia permitterent typis impressa post annum 1788, nisi eadem examini probatae personae ecclesiasticae antea subjecerint, eaque cum iis, quae Romae adhibentur, adamussim concordare declaraverint. Quod hac super re sentiendum quidve etiam statuendum de obligatione, quam Orator assumet pro recitatione breviarii, EE. VV. judicabunt.

Porro infirmitas non culpa sed morbo contracta, spes satis firma ex testimonio medicorum et ex triennali experimento, quod malum in dies non

augeatur, Oratori favent; eumdem praeterea juvant laudabilia testimonia scientiae, honestatis vitae et acquisitae jam dexteritatis, qua sine periculo scandali vel admirationis in populo omnes exsequi valet missae caeremonias. Quibus denique accedunt utilitas Ecclesiae et Eminentissimi Archiepiscopi commendatio. Orator vero ita se Sanctitati Suae humiliter commendat:

„Cum Ecclesia, ita in supplici libello, pia nostra mater etiam merita suorum filiorum respicere soleat, humillime afferre audeo, familiam meam bene de Ecclesia meruisse eo, quod parochiam, vicariam, scholamque in pago Derendorf, decanatus Dusseldorfii, suis sumptibus instituit, et praeterea multa alia beneficia simplicia in parochia ad S. Lambertum Dusseldorfii condidit, quorum alia temporum calamitatibus perdita sunt, alia adhuc vigent."

Quoad sacros ordines non expedire.

15. Camerinen. — Irregularitatis.

Die 27. Junii 1850.

Usque ab anno 1846 sacerdos Joseph Gennari ob diminutam notabiliter visivam potentiam obtinuerat facultatem celebrandi missam votivam B. M. Virginis vel defunctorum juxta ritus diversitatem; at, postquam omnino caecus evasit, cessare debuit tum a celebratione missae, tum a sacris audiendis confessionibus accepta in id, uti oportuerat, Archiepiscopi Camerinensis prohibitione. Confugit exinde ad S. hunc Ordinem facultatem expostulans tam celebrandi divinum sacrificium cum alio assistente sacerdote, quam sacramentales audiendi confessiones. Archiepiscopus, cui experimentum commissum est ad effectum cognoscendi, utrum ex concessione immineret periculum scandali et admirationis vel irreverentiae in sacris agendis ita respondit: „Loci vicarius foraneus, qui ss. caeremoniarum magistri ibidem vices gerit . . . . testatur, in experimento habito effatum Gennari sacrificii verba nitide et integre pronuntiasse: at quoad caeremonias actionesque eas fuisse exsecutum modo, quo per omnino caecum fieri poterant, verbatim vero ipse et alii spectabiles ecclesiastici viri denuntiarunt effatum Gennari in sacro peragendo substantialiter deficere; at haec in scriptis exponere renuerunt, ne Oratoris jam senio confecti excitarent iracundiam: ex his certo eruitur, periculum subsistere tum calicis delapsus, tum in tactu indecentiae, tum characterum defectus. Cum itaque haec militent et Orator ad familiam sua in conditione divitem pertineat, ex qua honestam obtinet sustentationem, ideo ad irreverentiam et scandalum praecavenda opinarer pro porrectae petitionis rejectione. — Quod ad facultatem confessiones audiendi attinet, illam revocare justis de causis meum moventibus animum coactus fui, nam ceteris omissis etiam per viam deambulando ministerium aliquando exercebat."

Irregularitas, quae ex absoluta caecitate derivat, ea est suapte natura, quae difficilius tollitur ad effectum permittendi celebrationem s. missae sacrificii ob summum irreverentiae periculum. Haud raro tamen contingit, ut ad hunc etiam effectum dispensetur, si eae adsint circumstantiae, quae periculum omnino removeant; ubi scilicet talis est peritia sacerdotis in divina actione peragenda et caeremoniis exercendis, ut, quamvis caecus, sacrificii actiones absolvat, quasi videns ac sanus esset, et optime retineat memoria missam votivam B. M. Virginis et cetera, quae ad sacrificium pertinent. Inspici quoque solet paupertas recurrentium, quatenus privati eleemosynis missarum mendicare cogerentur. Luculentissimum hujusmodi dispensationis exemplum exhibet Florentina 2. et 23. Augusti 1727, in qua, omnibus praefatis

circumstantiis concurrentibus, concessa fuit parocho totaliter caeco facultas celebrandi cum assistentia alterius sacerdotis. Neque aliter factum est temporibus insequentibus etiam proximioribus; ubi enim enunciata concurrunt adjuncta, expetitae passim gratiae conceduntur, licet ordinario non ultra triennium.

Orator autem, quamquam memoriter recitet, quae ad sacrificium sunt necessaria, haud tamen eas exhibet cautelas, attestante Archiepiscopo, quibus periculum irreverentiae et subversionis calicis arceatur. Ex his autem, quae subdit idem Archiepiscopus de poenitentiae sacramento per viam deambulando interdum administrato arguere licet, Oratorem vel mentis sanitatem amisisse vel testimonio integrae et probatae vitae carere, cujus ratione quam maxime in similibus casibus sententiae et voto Ordinarii deferri solet. Utraque autem in hypothesi haud expedire videretur gratia ab eodem Oratore expetita eoque etiam minus, quia nec indigentia laborat. Non solum cessat canonica causa et fundamentum gratiae, sed etiam adminicula et minora factorum momenta, quae ad benignitatem impellunt, desiderantur omnino.

Pro nunc non expedire.

16. Carcassonen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 27. Februarii 1869.

Edmundus Molinier Carcassonensis dioecesis in Gallia, studiis theologicis perfunctus et in minoribus ordinibus duodecim jam abhinc annis constitutus, ad subdiaconatus, diaconatus et sacerdotii ordinem ascendere enixe peroptat.

Ob obtusam vero a nativitate studiorumque laboribus debilitatam oculorum aciem officium divinum regulariter recitare, missasque occurrentes celebrare haud potest, quin visiva ejus virtus gravissimum detrimentum capiat. Quapropter supplici libello Sacratissimum Pontificem adiit, ut ei veniam indulgeat adimplendi aliquod aliud opus satisfactorium loco divini officii recitandi, et missam B. M. Virginis loco occurrentis quotidie celebrandi.

Episcopus ejusque vicarius Oratoris mores, pietatem ac doctrinam summopere commendant, et ut ad superiores ordines ascendat dignum esse testantur. Ait enim: „Clericum Edmundum Molinier dignum esse prae moribus pietate et doctrina, qui ad superiores ordines ascendat, facile testor, et ut devotissimas Oratoris preces gratia subsequatur, libentissime suffragor.

Certum est Oratorem hoc malo afflictatum irregularitate laborare. In veteri enim lege vetabatur, ne corpore vitiati praecipue vero caeci sacrificia Deo offerrent, ut patet ex Levit. 21. 18, quae quidem lex utpote caeremonialis ineunte Ecclesia obsolevit, Thomass. de vet. et nov. eccles. discipl. p. 2. lib. 1. cap. 78 n. 2. ad 6. Verumtamen progressu temporis Romani Pontifices cum experientia comperissent, corpore vitiatos non posse, ut decet, in ordinibus ministrare, sacrificium missae offerre et caetera omnia, quae ad Dei cultum pertinent, sine admiratione et scandalo praestare, illud legis veteris caeremoniale praeceptum quoad substantiam instaurarunt, ceu constat ex cap. Illiteratos dist. 16, et ex toto decretalium lib. 1 titulo, qui inscribitur de corpore vitiatis ordinandis vel non. Accedit quod in themate non de promoto, sed promovendo agitur. Porro praxis est H. S. C., ut facilius dispensatio concedatur, cum agitur de jam promoto, quam de clerico promovendo, S. Congregatio in Comen. Dispensationis 16. Maji 1775 et 21. Junii, et 11. Julii 1776, et in Neapol. Irregularitatis 13. Septembris 1814.

Nihilominus probati Oratoris mores, ejus pietas et scientia, quae adeo ab Episcopo et ab ejus vicario commendantur, maxima in consideratione haberi debent, hisce praesertim temporibus, in quibus Sacerdotum deficientia undique lugetur. Quae circumstantiae eo vel magis gratiae viam sternere queunt, quia Orator non adeo nervorum opticorum debilitate laborat, ut vix lucem a tenebris discernere valeat. Videt enim, scribit, et ecclesiae suae paroeciae diligenter inserviens non solum assistit, sed etiam sacras caeremonias ritusque, qui in eadem ecclesia peraguntur, recte dirigit. Adest hac de re a proprio Oratoris parocho et ab Episcopi vicario revisa et subscripta medici attestatio, qui asserit vim illius visivam in eodem, quo nunc est statu, etiam in posterum permansuram, nisi forte Orator nimis longa et frequenti lectione oculos exagitet.

Praeterea, quod maxime attendendum videtur, undecim abhinc annis in puerorum institutionem peramanter incumbit, ad quam quidem institutionem sacerdotalis dignitas quantum conferat, nemo est, qui non videat. Exinde utilitas Ecclesiae haud levis derivat, praesertim si perpendatur incredibiles ab Ecclesiae hostibus conatus in praesentiarum fieri, ut puerorum et juventutis institutio et educatio depravetur.

Neque Oratori aliquid praejudicii afferre posse videtur resolutio S. H. Congregationis in Neapolitana superius citata. In ista enim sermo erat de clerico, qui luminibus captus nil aliud praeter lucem a tenebris discernere valens, aliena usus opera studiis vacavit, haustis aure, quae per oculos haurire nequibat. Nil mirum inde, si petenti facultatem missam cum sacerdotis assistentia celebrandi, Sacra Congregatio negative responderit.

Multoque minus officit, quod in casu de promovendo, non de jam promoto agatur, siquidem hujusmodi dispensationis exempla praesto sunt in Lucana 19. Nov. 1825, praecipue vero si ecclesiae utilitas adsit, ut in Cameracensi 20. Januarii 1821, etsi in his de alio irregularitatis capite agatur.

Denique pereximia quoque Oratoris ad ecclesiasticum statum dispositio gratiae aditum pandere posset. Etenim amplo patrimonio perfruens, triginta sex jam annos natus ab ineunte aetate nil aliud intendit quam ad sacerdotium ascendere. Hoc totius vitae suae desiderium, hoc omnium suarum cogitationum operumque culmen et finis.

Hisce itaque omnibus hinc inde perspectis, ab EE. VV. aequitate, humanitate atque benignitate erit decernendum, utrum dispensationis gratia sit concedenda. Quatenus vero pro gratia respondere censuerint, videant, num aliquam ex consuetis clausulis vel cautelis adjici expediat.

Juxta exposita non expedire.

17. Venetiarum — Assistentiae.

Die 22. Februarii 1851.

Florius Bellan e congregatione oratorii divi Philippi Neri in civitate Venetiarum obtinuit jam indultum celebrandi missam votivam B. M. Virginis vel defunctorum juxta ritus diversitatem ob visivam potentiam debilitatam, et factus postea caecus omnino donatus est sub die 26. Martii anni superioris nova facultate, adjecta tamen conditione celebrandi in oratorio privato et cum assistentia alterius sacerdotis aut saltem diaconi, uti in similibus casibus praescribi solet, facta tamen animadversione, quod assistentia diaconi ex specialibus facultatibus a Sanctissimo Domino Nostro tributis admitti soleat, et in solo casu deficientiae sacerdotis.

Monet nunc praepositus ejusdem congregationis, praefatum sacerdotem hactenus loco sacerdotis vel diaconi assistentem in missae sacrificio adhibuisse virum saecularem spectatissimae pietatis eximiaeque virtutis, rubricas missalis et caeremonias apprime callentem, quo familiarissime omni tempore caecus presbyter usus est. Addit praeterea hunc, licet caecum, sic recte missae caeremonias peragere, ut visiva facultate pollere videatur; sin autem alius quam praefatus vir laicus eidem adsit celebranti, mens illius statim aberrat et, quid agere debeat, prorsus ignorat. Hinc supplex petit idem praepositus gratiam sanationis pro praeterito et pro futuro speciale indultum, ut Bellan possit sicut hucusque habere assistentiam istius sibi familiarissimi hominis, sin minus ss. missae celebrationem omittere deberet, praeterea periculum non adest ullius irreverentiae; Bellan enim ita graviter et quiete agit, ut assistens testis verius dicendus sit, quam adjutor, ita ut quidam, qui sacrificio hujus viri religiosi interfuit, ne sentiret quidem ullo modo, eum esse caecum. Em. Patriarcha non solum precibus favet, sed eas etiam quam maxime commendat, addens quod cum bona fide usque nunc missam celebraverit saeculari assistente, si modo vel celebratio vel hujus assistentia prohiberetur, ipse P. Bellan meticulosae ac delicatae admodum conscientiae animi sui pacem et tranquillitatem forsitan amitteret, idque illi diem properaret extremum.

Preces tam enixas tum praepositi, tum Em. Patriarchae, licet constanti S. Congregationis stylo prorsus contrarias, minime ausi sumus rejicere, sed in audientia diei 10. labentis mensis oraculo Sanctissimi Domini Nostri rem subjiciendam putavimus, et Sanctitas Sua judicium Em. Patrum explorandum esse mandavit.

Novum profecto et hactenus inauditum proponitur concessionis exemplum; laici enim ecclesiasticis sanctionibus a ministerio altaris arcentur generatim, multo igitur magis ubi ageretur, ut in proposita specie, de assistentia sacerdoti celebranti exhibenda ob periculum maximum irreverentiae, quod praeter voluntatem etiam caeremoniarum peritissimo ratione caecitatis posset contingere. Hinc nullum datum est hujusmodi non dicam concessionis in toto S. Congregationis resolutionum thesauro, sed etiam porrectae petitionis exemplum invenire.

Sacerdos, qui efficitur omnino caecus, irregularis evadit, quo sane impedimento juxta antiquam praxim, ceu monet Bened. XIV. Inst. eccl. 34. §. 2. neminem solvere Apostolica Sedes unquam consuevit. Quod si ejusmodi rigor temporibus insequentibus e benignitate Sedis Apostolicae fuit temperatus, ne sacerdos absque sua culpa caecus effectus praeter caecitatis afflictionem perpetuae suspensionis poenam sustineret, neve afflicto adderetur afflictio, id tamen semper cautum fuit, ut miser hujusmodi sacerdos missae caeremonias et actiones vel caecus recte perageret ex habitu, et in privato tantum oratorio sacrum faceret ad vitandum periculum scandali vel admirationis in populo, nec non assidua uteretur in sacro peragendo assistentia alterius sacerdotis aut saltem diaconi. Atque harum conditionum adjectio, et postremae praesertim, necessaria videtur ob probabile periculum, quod a viro caecitatis vitio laborante sejungi prudenter non potest, subversionis calicis, remotionis hostiae a corporali post consecrationem, dispersionis fragmentorum vel alterius irreverentiae, cui occurrere cum effectu ex S. Ecclesiae disciplina nequit, nisi alter, qui sacerdotio sit insignitus vel saltem in s. diaconatus ordine constitutus, superpelliceo stolaque ex praescripto S. Rituum Congregationis indutus.

In specie autem animadverti liceat sacerdotem Bellan propriae caecitatis infortunium ignorare non posse, ac proinde ex injuncta conditione utendi opera alterius sacerdotis vel diaconi nullam animi dejectionem experiri de-

bere. Quod si ex mutatione personae assistentis, cujus opera ex diuturno abusu, licet bona fide protecto, jam pridem usus est, aliqua difficultas occurrat, et sacerdos caecus confundatur, id profecto nonnisi momentaneum fore videtur, quamdiu scilicet praesentiae alterius sacerdotis assuescat, facto repetitis vicibus experimento, cujus ope plenam confidentiam, quam hactenus habuit in laico viro, in sacerdote vel diacono subrogato collocabit. Quod eo fortius tenendum videtur, si respectus habeatur ad congregationem presbyterorum communem vitam agentium, quibus instituti ratione sociatur indultarius, ita ut et copia sacerdotis habeatur, et confidentia inter fratres reperiatur aut collocetur.

Post haec dijudicabunt Em Patres, utrum novo concessionis exemplo deferendum sit precibus praepositi illius congregationis et votis Em. Patriarchae ob peculiares rationes, circumstantias, quas ab iisdem allatas superius exponere non praetermisimus.

Quoad praeteritum pro sanatione, quoad futurum non expedire.

18. Treviren. — Irregularitatis.

Die 27. Januarii 1855.

Petrus Schneider Trevirensis, unicus piae viduae filius, ecclesiasticae militiae nomen dare ac etiam sacerdotio initiari vehementer cuperet, quod etiam matri suae magno foret solatio; sed cum ita surditate laboret, ut si sacerdos missam dicat, ministros sibi respondentes audire nequeat, idcirco dispensationem super hoc defectu enixis efflagitat precibus.

Episcopus suas adjicit commendationes, multa de Oratoris scientia et pietate edisserens; inquit enim, quod „quamvis juvenis Orator hoc vitio laboret, nihilominus tamen omnem illam sibi comparavit scientiam, quae ad inchoandum sacrae theologiae studium apud nos requiritur, quippe qui non modo linguam vernaculam et latinam bene intelligat et scribat, atque in doctrina christiana bene eruditus est, sed etiam linguam graecam et francogallicam noverit, atque historiae, mathematicae, physicae et ceteris disciplinis diligenter incubuerit. Cui scientiae conjungit teneram animi pietatem ac morum integritatem, ita ut nisi surdaster esset, optimus sine dubio sacerdos evaderet. Quum vero ipse jam intelligat, se numquam nec praedicare nec fidelium confessiones excipere neque ullam animarum curam posse exercere, ob solum solatium offerendi quotidie ss. missae sacrificium sacerdos fieri exoptat, titulo patrimonii ordinandus, quum ejus fortunae dotes ad hoc abunde sufficiant."

Quamvis antiqui Ecclesiae canones potius mentis atque animi, quam corporis vitia spectari jusserint, nihilominus disciplina jampridem invaluit, quae corpore vitiatos ab altaris ministerio repellit, can. 3. dist. 55. si talis sit defectus, ut impediat congruum ordinis exercitium, aut admirationem et scandalum afferat ex cap. Presbyterum de cleric. aegrot. et cap. Thomas de corpore vitiat. Huic disciplinae constanter adhaesit S. Congregatio, licet aliquando supplicandum Sanctissimo pro dispensatione existimaverit, prout nimirum defectus corporis aut evidens Ecclesiae utilitas exposcere videbatur. Eam tamen jugiter secuta est regulam, quae facilius promoto, quam promovendo suadet dispensationem esse concedendam.

In themate, quamvis agatur de promovendo, nec appareat evidens Ecclesiae utilitas, cum Orator praeter missae celebrationem cetera ecclesiastica munia implere nequeat, attamen gratiae viam sternere videntur probati ejus mores, pietas non ficta et scientia, quae adeo ab Episcopo commendatur.

Vitium praeterea, quo afficitur, haud ejusmodi videtur, quod gravem in populo pariat offensionem, aut periculum irreverentiae secum ferat in re divina peragenda. Quibus accedit Episcopi suffragium, qui ob expositas causas suas addit pro dispensatione preces. Episcoporum autem votum hac praesertim in re plurimi semper facere suevit S. Congregatio. Nec desunt exempla hujusmodi concessionum etiam cum promovendis, qui irregularitate laborant, dum peculiares accesserunt rerum circumstantiae.

Cum in thesauro resolutionum S. Congregationis nullum dispensationis quoad hunc defectum exemplum invenire datum fuerit, decernent EE. VV., quid in casu consilii capiendum sit. Quatenus vero Oratoris pietati satisfaciendum censuerint, ad modum concessionis spectabit statuere, utrum ipse factus sacerdos publice in ecclesia celebrare possit, vel potius debeat in privato oratorio sacrum peragere.

Pro gratia dispensationis super enuntiato defectu, habilitationis ad suscipiendam servatis servandis primam clericalem tonsuram nec non minores et sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive, facto verbo cum Sanctissimo.

2. Defectus in brachiis.

19. Panormitana. — Dispensationis.

Die 20. Aprilis 1850.

Jacobus Di Stefano sacerdos dioecesis Panormitanae in praeteritis calamitosis Siciliae vicissitudinibus, dum suae domi sedebat, lethalia accepit vulnera, explosa in eum ab inimica manu ignea ballista. Ut autem vitam servaret totumque corpus a corruptione liberaret, unum oportuit membrum abscindi, brachium scilicet sinistrum usque ad cubitum eidem amputatum est. Postquam convaluit, deformitatem studuit abscondere ope brachii fictitii affabre elaborati, ita ut in omnibus conjuncturis flexibile se praebeat et oculum calamitatis ingnarum facile decipiat; quare supplicem dedit libellum, ut dispensationem a contracta irregularitate consequeretur.

Facto experimento per caeremoniarum magistrum constitit, deformitatem reapse velari per brachium fictitium et eum in genere omnes caeremonias exacte exsequi; in elevatione vero manus nonnisi usque ad frontem erigi; fractionem hostiae in patena recte perfici, si ea antea per levem incisionem praeparata sit, neque periculum tunc dispersionis fragmentorum adesse.

Refert deinde Eminentissimus Archiepiscopus, Oratorem in aetate annorum sexaginta esse constitutum, nec non de optimis illius moribus, de assiduo ecclesiae parochialis servitio ab eodem praestito, ac de ferventi ipsius desiderio ad dispensationem consequendam testatur, subdens: „Haec privatio celebrationis missae per longum jam tempus multo gravius eum torquet quam infortunium, quod ex illius hominis malitia ipsi obvenit.“ Eundemque demum enixe commendat: „Spero S. Congregationem gratiam petitam sacerdoti Di Stefano elargiri velle, cujus precibus meas adjungo. Em. Patres prae sua sapientia illas apponant conditiones, quas opportunas crediderint, ut vel summo mane celebret vel portis clausis, et semper cum assistentia alterius sacerdotis a me approbandi.“

Non idem semper fuit stylus S. Congregationis in similibus dispensationibus concedendis. Plura enim referuntur exempla, in quibus ob amissum dexteri brachii usum vel flexibilitatem (quod absoluto defectui comparatur,

ut notat Gibalin. de irregularitate cap. 3. consect. 3. §. 4.) Sacer hic Ordo dispensationem elargitus est, ut in Cusentina 13. Julii 1725 et in Placentina 1. Febr. 1766. inter supplices libellos relata, et in Burgi S. Sepulchri 7. Julii 1787 ac in Geruntina 26. Apr. 1788: in hisce autem postremis duabus pars dexteri brachii fuerat Oratoribus amputata. Alia e contra praesto sunt exempla, in quibus ex levioribus etiam defectibus, vel digitorum scilicet vel solius manus vel demum debilitationis brachii denegata est dispensatio, ut in Abellinen. 7. et 28. Julii 1770, in Firmana 24. Maji et 14. Juni 1823 et in Liburnen. 6. Aug. et 17. Sept. 1842.

Adnotare tamen praestat, quod in Tarnovien. proposita 5. Decembris 1845 per summaria precum, ubi sacerdos Marcellus Zaremba, cui dexterum brachium usque ad humerum ex fortuita et inculpabili calamitate fuerat amputatum, et brachium fictitium eidem subrogatum ad tegendam deformitatem, dispensationem efflagitabat, S. haec Congregatio eam denegavit, concessa tantum facultate quoad cetera ecclesiastica munia exercenda. At relata in audientia diei 14. ejusdem mensis pro confirmatione concessae facultatis, Sanctissimus censuit annuere etiam pro gratia petitae dispensationis et habilitationis ad s. missae sacrificium, injuncta tamen celebratione in oratorio privato et cum assistentia alterius sacerdotis, quatenus ea judicio Ordinarii indigeret.

Hisce positis, cum Oratoris defectus in brachio sinistro reperiatur, ac in ipso eadem adjuncta concurrant, quae in citata Tarnovien., benigne cum eodem agi posse videretur; praesertim cum deformitati fuerit ope brachii fictitii jam provisum, agatur de sacerdote jam promoto, et non de promovendo, inculpata fuerit ab eodem passa calamitas, ac insuper optimae illius qualitates concurrant et votum Ordinarii. Quia vero agitur de sacerdote ruri degente, ubi forsan privatum minime reperitur oratorium, concedi etiam posset, ut in publica ecclesia hora tamen minus frequentata celebrare queat, et alterius sacerdotis assistentiam Ordinarii judicio remittendam censerem.

Attentis peculiaribus circumstantiis consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis et rehabilitationis cum conditione celebrandi in oratorio privato digitalibus aureis vel argenteis, quae expleto sacrificio reverenter reponantur, ac praeterea quolibet anno renovandi experimentum coram ss. caeremoniarum magistro ab Eminentissimo Archiepiscopo vel Ordinario pro tempore deputando, ita ut, si Orator in aliquo deficiat, reincidat in irregularitatem et ad S. Congregationem recurrere iterum teneatur, per Breve.

20. Bergomen. — Dispensationis.

Die 27. Novembris 1858.

Isaac Bagini, sacerdos dioeceseos Bergomen., securae mortis vitandae causa amputationem tulit brachii sinistri, in quo vomica indeque per clausuram arteriae gangraena exorta erat. Qua quidem amputatione, quae tertiam tantum brachii partem reliquit, irregularis factus, supp'ex implorat dispensationem, ut sacrosanctum missae sacrificium liceat sibi celebrare.

Literis precibus Oratoris adjectis Bergomen. Antistes eundem gratiae dignum EE. VV. commendat: „Infelix sacerdos semper omni laude dignus exstitit ob mores optimos et zelum sacri ministerii; propterea clerus parochiae suburbanae S. Catharinae et fabrica ecclesiae illius etiam nomine populi quam maxime me petunt, ut intercedam pro eo.“

Adjunxit etiam medici chirurgi de facta amputatione hodiernoque meliori statu Oratoris testimonium, nec non alterum sacrarum caeremoniarum magistri, qui facto experimento sic se habet: „Compertum habui, ipsum exsequi omnes ritus s. missae exactissime neque in celebratione quidquam apparere, quod deformitatis quid habeat vel stuporem efficiat. Id tantummodo indicandum esset, utrum manipulus super brachio fictitio aptari possit, an alio modo supplendum sit. Haec sub juramenti fide attestor.“

Idem Episcopus, mandatis H. S. C. obsequens, ut renovatis experimentis magis praecise referret, quomodo Orator singulas s. caeremonias expleret, ita respondit: „Uti impositum erat cum examini subjecimus ad experiendam ejus in exsequendis missae caeremoniis aptitudinem, tentaminis hujusmodi duplicem actum unimus, precantes ut indulto et dispensationi adjungere velit E. V. declarationem circa applicationem manipuli, sicuti quaesitum est a magistro caeremoniarum hujus cathedralis in attestatione ab ipso demissa“. Iisdemque literis attestatus est Antistes, dictum sacerdotem nullam omnino voluntariam et hinc culpabilem causam contractae irregularitatis dedisse.

Notissimum in jure est, mutilationem membri vel etiam abscissionem partis membri ejus, cujus usus ad hanc vel illam sacrosancti sacrificii caeremoniam rite peragendam immediate necessarius sit, vel ordinatum a celebratione incruenti sacrificii, vel ordinandum a susceptione sacerdotalis ordinis removere ex sacrorum canonum doctrina, qua cautum est, ut a sacrorum exercitio removeatur quisquis tali corporis defectu laboret, ob quem nequeat absque irreverentia divinis vel populi offensione in suscepto aut suscipiendo ordine ministrare, cap. 1. 2. 6. de corpore vitiatis; Gonzalez in comm. ad h. tit. cap. 2. num. 7; Schmalzgrueber hoc tit. juris eccl. num 1. et alibi passim. Hinc Innocentius III. repellendum a suscepta abbatia et sacerdotalis ordinis ministerio abbatem quemdam constituit, qui manu altera fuerat mutilatus, cap. Exposuisti h. t., et Eugenius Papa presbytero cuidam, cui a praedone quodam duo digiti cum medietate palmae fuerant abscissi missam celebrare non permisit, qui „nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem incruentum sacrificium potuisset offerre“, cap. 2. de cleric. aegrot. vel debilit. Quibus adhaerens S. C. dispensationem similibus in casibus denegavit. Ita in Abellinen. 7. et 28. Julii 1770. Negative respondit sacerdoti cuidam, qui eam in laevo brachio tulerat laesionem, ex qua eodem uti ad sacrum peragendum non posset, ut nimirum neque hostiam frangere neque calicem levare ob debilitatem valeret. Similiter in Firmana Irregul. 24. Maji et 15. Junii 1823 alteri sacerdoti, qui improvisae igneae ballistae diruptionis vi laevae manus jacturam fecerat, noluit dispensationem elargiri. Nec mitior cum eo sacerdote fuit, qui digitos volamque laevae manus ex morbo amiserat, Augustan. Irreg. 19. Decemb. 1772. Quae quidem omnia viderentur Oratori in casu adversari.

Ast sunt etiam, quae eidem patrocinantur: atque illud in primis, quod de promoto agatur, cum quo mitius agendum, ut tradunt passim doctores, et S. H. C. eo vel magis habuit in praxi casibus hujusmodi obversantibus, cum corporis defectus ex miserabili casu fuerit contractus. Ita in Comen. Irreg. 8. Apr. et 6. Maji 1775; Baren. Irreg. 20. Dec. 1823; Januen. 2. Aug. 1823; Geruntina 27. Maji 1788; Cadurcen. 27. Maji 1737; Apuana 8. Maji 1824 rel. int. suppl. lib., in qua postrema dispensationem ab irregularitate sacerdoti concessit, qui, dum licitae venationi operam adhibebat, duos laevae manus digitos amiserat. Quin immo, nec sacerdotum penuria nec alia publica causa occurrente, sacerdotem quendam, qui universos laevae manus digitos in licita venatione perdiderat, ab irregularitate exsolvit, Geruntina 26.

Aprilis 1788. Similiter dispensationem assecutus sacerdos, cui laeva manus ad carpum usque abscissa, Patavina 18. Aug. 1827 inter summar. prec. rel., eandemque dispensationem obtinuit sacerdos alter brachii dexteri usu ob vulnus deficiens, Placentina 1. Februarii 1766.

De manipuli usu animadvertendum puto, id pedissequum esse rescripto, quo preces EE. PP. dimittendas duxerint. Ubi enim dispensationi indulgeatur, nil abnorme videri poterit, si pars illa sacerdotalis indumenti brachio etiam fictitio applicetur, exploratum cum sit illius delationem ad nullum usum in sacrificio esse injunctam, sed potius ad indigitandum fructum bonorum operum et poenitentiam, et allegorice vincula illa repraesentare, quibus Christus Dominus constrictus est, cum esset ad columnam flagellandus, Bened. XIV. de sacrif. missae lib. 1. cap. 10. n. 6.

Dummodo celebret in oratorio privato et, si Episcopo videatur, cum assistentia alterius sacerdotis aut diaconi, pro gratia dispensationis super enuntiata irregularitate et rehabilitationis ad ss. missae sacrificium celebrandum, delato manipulo super brachio fictitio, facto verbo cum Sanctissimo.

21. Pampilonen. — Dispensationis.

Die 25. Septembris 1859.

Claudius Vera sacerdos, in ecclesia parochiali S. Laurentii civitatis Pampilonensis capellani munere fungens, licitae venationi operam dans, ex igneae ballistae disruptione adeo laesus fuit in laeva manu, ut brachium eidem fuerit amputandum.

Dispensationem ab irregularitate pro eo instanter postulat Episcopus, extremam allegans tum illius, tum duarum ejus sororum nubilium et parentibus orbatarum egestatem, quibus ipse sive ex missarum eleemosyna, sive ex lucro e venatione quaesito alimenta hucusque comparabat.

Cum eidem Episcopo remissae fuissent preces, ut peracto experimento referret accurate ac distincte quomodo expleantur a sacerdote Vera singulae rubricae absque irreverentiae periculo, utrum brachium fictitium adhibeat, et sit periculum admirationis in populo; retulit Episcopus facto experimento: „Claudius Vera satis expedite singulas rubricas explet; sed ad avertendum omnino irreverentiae periculum conveniens erit, ut aliquo tempore, usquedum exercitatior evadat, missas celebret cum assistentia alius sacerdotis, et etiam digito cordis utatur ad fractionem hostiae quae super patenam facienda est, et insuper ad communionem vel pectus tundat hostia super patenam posita, vel ea cum manu dextera accepta, tantum proferat verba „Domine non sum dignus“ sine pectoris tunsione. Quamvis ad praesens brachium fictitium non adhibeat, tamen in parte, quae remanet, potest induere manipulum, et etiam in eo est, ut manum fictitiam adhibeat; iis servatis credo populum nihil miraturum esse, si eum celebrare videat“.

Cum non agatur de promovendo, sed de jam promoto, seu de sacerdote dispensando, qui casu fortuito in irregularitatem incidit, mitius agere ac dispensationem facilius concedere solet S. Congregatio, ceu articulo discusso definitum fuit in Comen. Dispensationis 8. Apr. et 6. Maji 1775 et 22. Junii et 13. Julii 1776. Hinc plura afferri possent exempla hujusmodi dispensationum, etiam non concurrente sacerdotum penuria, indultarum. Ita in Geruntina 26. Aprilis 1788 dispensatus fuit presbyter, qui universos manus sinistrae digitos eodem, quo Orator Vera, infortunio amiserat; et in Cameracen

20. Januarii et 17. Februar. 1821 presbytero, cui in sinistra manu pollicis pars anterior deerat, concessa fuit dispensatio. Idemque exemplum occurrit in Apuana 8. Maji 1824 proposita inter supplices libellos pro sacerdote, cui duo digiti manus sinistrae, index et pollex, amputati fuerant. In themate autem accedit extrema sacerdotis Vera paupertas, de qua testatur Episcopus, et causa officii ac pietatis erga sorores suas extrema pariter egestate laborantes, qua ipsemet tenetur.

Ceterum praecipit ut plurimum S. Congregatio in concedenda dispensatione super corporis defectu, ut dispensatus celebret cum assistentia alterius sacerdotis, vel etiam in oratorio privato, aut in publica ecclesia, sed hora minus a populo frequentata. Ast cum de prima conditione loquatur Episcopus, de altera silet; ac dubitandum forte esset, quod Orator ad celebrandum in publica ecclesia et pro populi commoditate sui officii ratione teneatur. Ubi vero periculum admirationis procul absit, ceu videtur in casu, haec postrema conditio praetermitti poterit.

Dummodo Orator adhibeat brachium fictitium et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi in oratorio privato, vel etiam in publica ecclesia, sed hora minus a populo frequentata, pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

22. De Linares. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 8. Julii 1865.

Mense Julio an. 1863 cum nuntiatum esset sacerdoti Antonio Vega a secretis Episcopi dioecesis De Linares nuper erectae a Sanctissimo Domino Nostro in regione Mexicana, ipsius matrem lugubres vestes induisse ob mariti ipsiusque Antonii patris obitum, illico domum profectus est, ut pius in matrem suam eidem solamen aliquod afferret. Improspere tamen votum successit, et luctus luctum adauxit: cum enim curru iter ageret, forte accidit, ut explodens ignea ballista ita sinistrum ipsius brachium laeserit, ut ad praesens vitae periculum evitandum amputationem pati coactus fuerit. Quapropter irregularis effectus humillimis porrectis precibus Beat. Patrem rogavit dispensationem ab irregularitate, ut s. missae sacrificium celebrare possit in oratorio privato et cum assistentia alterius sacerdotis juxta ea, quae in similibus casibus praescripta sunt.

Oratorem ejusque preces quam maxime commendat ex auctoritate Episcopi De Linares Vicarius Apostolicus de Famaulipas Episcopus Caradrensis referens, eundem sacerdotem, „licet in hac tristissima conditione versaretur, semper tamen sacramenta baptismi et poenitentiae administrasse, verbum divinum praedicasse et in foro secretariae dioecesis versatum esse, et in his omnibus votis Episcopi satisfecisse; eundemque Episcopum in suo sacerdote vitam moresque semper vidisse, uti sacerdotem decent, quippe qui studiose incumberet gloriae Dei et animarum saluti.“

Nullum quidem verbum in porrectis precibus de consueto experimento, quod in similibus casibus a Sacro Ordine demandari solet: ast cum Orator Urbem cum praefato Episcopo Caradrensi petiisset gratiam dispentionis sollicitaturus, Em. Sanctitatis Suae Vicarium rogavi, ut praedictum experimentum peragi hic in urbe per suum caeremoniarum magistrum curaret, et ad Sacrum Ordinem referre dignaretur. Quod Vir Eminentissimus praestitit, testimonium transmittens, quo caeremoniarum magister haec habet: „Infrascriptus examine facto cognovit, sacerdotem Vega per exercitationes repetitas suffi-

cientem facilitatem adeptum esse in exsequendis ritibus missae solo brachio et manu dextra; sine periculo irreverentiae hostiam, quam super calice dividere non potest, super patena dividit, in communione ad accipiendam s. hostiam etiam digitum medium adhibet, pro colligendis fragmentis hostiae et immittendis in calicem necessaria est assistentia alterius sacerdotis, qui calicem regat. Hinc non videtur adesse difficultas in gratia concedenda, apposita conditione, ut celebret privatim et cum assistentia alterius sacerdotis."

De gravissimo corporis defectu, ut patet, hic agitur; at de jam promoto res est, qui prae sacro charactere quo insignitus est, et prae virili adhuc aetate, in qua versatur, maxime dignus videtur indulgentia Sacri Ordinis et Apostolicae Sedis benignitate, ne perpetuo per longum aevum spiritualis consolationis alimento privatus doleat, se fere ad saecularia ex infortunio fuisse redactum; et si afflicto addenda non est afflictio, non minori miseratione dignus reputari potest, ut ope dispensationis ab irregularitate ex altari vivere prosequatur, qui altari deservire solemniter adpromisit. Denegavit quidem quandoque S. Congregratio eandem dispensationis gratiam in similibus fere casibus, aut etiam in levioris defectus circumstantiis, ut in Abellinen. 28. Julii 1770, in Augustana 19. Dec. 1772, et in Firmana 24. Maji et 14. Juni 1823 quae S. Ordinis resolutiones Oratori adversari videntur. Concessit vero tum in similibus tum in gravioribus etiam adjunctis in Consentina inter supplices libellos 13. Julii 1725; in Geruntina 27. April. et 27. Maji 1788, in Baren. 20. Dec. 1823, in Bergomen 27. Novemb. 1852, (n. 20) in Pampilonen. 22. April. 1853 per summaria precum propositis. Quarum omnium species et circumstantias probe poterunt Eminentiae Vestrae recolere in Aesina 26. Novembr. superioris anni 1864 (n. 34), in qua, cum dispensationem rogasset sacerdos, qui e sinistro corporis latere apoplexiae morbo correptus laeva manu uti in sacrificio non valebat, propitio rescripto EE. VV. preces dimiserunt, ne injuncto quidem onere, ut sacerdos in oratorio privato celebret.

Quatenus vero Eminentiis Vestris placuerit petitam dispensationem elargiri, non abs re arbitror esse, ut animadvertam, Oratorem Vega fictitium jam habere brachium ad deformitatem corporis, qua meliori potuit ratione, removendam; et in Bergomen. 27. Nov. 1852 superius relata, cum quaesitum esset, utrum delatio manipuli permittenda foret in ficto brachio, responsum prodiisse: „Dummodo celebret in oratorio privato, et, si Episcopo videatur, cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi pro gratia dispensationis et rehabilitationis delato manipulo super brachio ficto, facto verbo cum Sanctissimo." Animadvertebatur enim in folio, delationem manipuli ad nullum usum in sacrificio esse injunctam, sed potius ad indigitandum fructum bonorum operum et poenitentiam, vincula illa significare, quibus Christus Dominus alligatus est, cum esset ad columnam flagellandus: Bened, XIV. de sacr. missae lib. 1. c. 10. n. 6.

Dummodo celebret in oratorio privato cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia dispensationis et habilitationis ad tempus pro arbitrio Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

23. Samogitien seu Cadurcen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 22. Septembris 1866.

Fervente bello inter Polonos et Russiacum Imperatorem anno 1863 Joannes Wolouski e dioecesi Samogitiensi in Lithuania eleemosynarii munere

fungens in exercitu gentis suae, cum fugitivus in silvis erraret, explosa fortuito ignea ballista, quam ad sui defensionem gerebat, adeo gravi vulnere affectus est in dextero brachio, ut amputationem pati coactus fuerit. Exsul deinde a patria cum hanc Urbem advenerit et demum Cadurcensem civitatem in Gallia petierit, in qua moram fixit, instantissimis suffultus literis vicarii capitularis illius dioecesis dispensationem ab irregularitate mense Octobri superioris anni emixis precibus efflagitavit, ut oblatione quotidiana sacrosancti sacrificii spirituale solamen, et aliquod etiam indigentiae suae subsidium invenire posset gravissimas inter aerumnas, quibus vehementer angitur in terra aliena, familia orbatus, bonisque omnibus spoliatus.

Attenta impossibilitate expetendi a curia Samogitiensi consuetas informationes et votum, opus fuit rem omnem super porrectis precibus expedire cum praefato vicario capitulari, eique propterea mandatum est, ut peracto experimento coram magistro sacrarum caeremoniarum distincte referret super singulis actionibus sacrificii ab Oratore exsequendis, iis praesertim, quae referuntur ad contrectationem, effractionem, elevationem hostiae et calicis, simulque edoceret, utrum aliquod pertimescendum foret irreverentiae et admirationis periculum. Tandem rogatus fuit, ut, audito Oratore, praecise Sacrum Ordinem certioraret, utrum sacerdos Wolouski arma in bello susceperit, aliquem occiderit vel mutilaverit, et utrum prorsus fortuito propria ignea ballista vel ab alio in brachio laesus fuerit.

Ut his omnibus mandatis vicarius plene satisfaceret, requisitum experimentum perfici curavit coram presbyteris ss. caeremoniarum peritis, praeside nempe, et duobus directoribus seminarii dioecesani, in quo Orator commoratur, et eorum relationes cum novis Oratoris precibus ad H. S. O. transmisit. — Porro pluries iterato experimento deputati presbyteri existimant, in genere posse Oratorem convenienter, et sine periculo irreverentiae cum laeva manu missae caeremonias persolvere. In specie vero quaedam animadvertunt relate ad quatuor sacrificii actiones, quae majorem difficultatem prae se ferunt. Ajunt enim: 1.° Calicem sufficienter purificat; digitos nempe ampliori purificatorio circumdatos in cuppam demittit, omnesque ejusdem partes successive detergit. 2.° Absque effusionis periculo potest efficere elevationem hostiae et calicis, quae praecedit orationem „Pater noster“: positis scilicet duobus ultimis digitis sub cuppa, indice vero et pollice cum hostia supra cuppam, nisi opportunius judicetur, ut hostiam et calicem separatim elevet, hostiam nempe dicendo „Omnis honor“, calicem autem „Et gloria.“ 3.° Effractionem hostiae facili ratione peragit super patenam. 4.° Quoad patenae purificationem, Orator colligit omnia fragmenta in eandem patenae partem ad extremam illius oram: eam sumit intra indicem et medium, inclinat super calicem, et pollice fragmenta in calicem dejicit. Adnotant praeterea haud indispensabilem esse assistentiam alicujus sacerdotis aut diaconi, opportunum tamen videri, ut manipulum alligetur ad superstitem dexteri brachii partem, utque adhibeatur calix, cujus pes amplior prae ordinariis sit, et cuppa parum profunda.

De populi admiratione nihil vicarius habet, cum Orator promiserit, se in privato sacello celebraturum, si dispensationis gratiam consequetur; ad ea vero, quae Sacra Congregatio referri jussit super usu armorum ab Oratore peracto, et super praecisa causa accepti vulneris, testatus est idem vicarius, sacerdotem Wolouski nomine Sacri Ordinis interrogatum reposuisse: a) se non alio nisi eleemosynarii munere in exercitu Polonico fuisse functum; b) contra neminem ullis unquam armis usum fuisse, inde nullum ab ipso fuisse vel occisum vel vulneratum; c) tempore belli sclopetum vulgo „Revolver“ ad defensionem propriam habitualiter secum portasse, quo tamen nunquam

usus est; d) per unum circiter mensem eundem in finem ballistam vulgo „Fusil de chasse“ gestasse, qua quidem fortuito explosa in brachio vulneratus est. Et his relatis, iterum iterumque, ceu idem vicarius prosequitur, Eminentissimos Patres instanter suppliciterque rogamus, ut praedicti sacerdotis preces benigne excipere dignentur.

Gratia dispensationis, quam Orator efflagitat, gravissimi momenti est; agitur enim de defectu brachii dexteri, quo sacerdos ab initio usque ad finem sacrificii constanter uti debet; inevitabilis propterea esset christianae plebis admiratio, si Orator publice missam celebraret, et facillime etiam aliquod periculum adesse potest contra reverentiam sacrosancto sacrificio debitam. Ad admirationem evitandam satis consultum iri videtur per clausulam, qua in casu concedendae dispensationis injungi potest Oratori onus, ut nonnisi in privato oratorio missam celebret; quam clausulam non raro apponi solere hujusmodi dispensationis rescriptis quotidiana fere docet hujus Sacri Ordinis praxis. Ad tuendam vero sacrificii reverentiam et quamcumque probabilitatem periculi in sacro peragendo repellendam, judicabunt Eminentiae Vestrae, quanti facienda sint in themate ea particularia adjuncta, quae in superioribus relationibus adnotata sunt. Sane quamplurimum sperandum est, Oratorem in aetate 27 annorum constitutum usu quotidiano laevae manus adeo pollentem fieri posse in exercitio actionum omnium sacrificii, ut brevi expeditissime et absque ullo prorsus periculo omnia perfecturus sit.

Quod si aliquid hic addendum est circa praxim hujus Sacrae Congregationis in similibus adjunctis, recolam primum, facilem occurrere Sacri Ordinis benignitatem cum jam promotis ad sacros ordines, ne ex infortunio irregulares effecti, prohibiti proinde, quominus missae sacrificium offerant, spirituali solamine et praesentissimo auxilio aut remedio careant, et se ad saecularia fere vota redactos esse arbitrentur. Gratia idcirco expetitae dispensationis etiam in gravissimae mutilationis circumstantiis non insueta videtur. Exemplo esse possunt ex recentioribus resolutiones editae favore oratorum in Aesina 26. Novemb. 1864 cum sacerdote, qui usu sinistri brachii ob paralysim destitutus erat, in Litomericen. 17. Dec. ejusdem anni cum alio, qui sinistram manum fortuito amiserat, in De Linares 8. Julii 1865 cum presbytero Antonio Vega cui sinistrum brachium fuerat amputatum, in Mathelicen. 5. Maji hujus anni cum clerico professo Ordinis Minorum de observantia, qui ad certae mortis periculum evitandum dexteri cruris abscissionem subierat. Quae omnes inter summaria precum recensentur. Ipse Orator in suis precibus meminit etiam propitii rescripti, quod consecuti sunt super defectu sinistri brachii duo sacerdotes in Parisien. 25. Junii 1855 ex aud. Sanctissimi et in Pampilonen. 25. Sept. 1858 inter supplices libellos, et quammaxime exorat benignitatem, quam Eminentissimi Patres adhibuerunt in Mantuana Dispensationis 27. Novembris ejusdem anni 1859 favore Josephi Gottardi, qui vi morbi amisso per amputationem dextero brachio, cui ligneum substituerat, dispensationis gratiam exorans voti compos effectus est sequenti rescripto: „Dummodo Orator adhibeat brachium fictitium et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel saltem diaconi, ac in oratorio privato, pro gratia dispensationis et habilitationis facto verbo cum Sanctissimo.“ Quam Sacrae Congregationis resolutionem Sanctissimus benigne approbare et confirmare dignatus est.

Lectum.

24. Barbastren. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 12. Septembris 1868.

Joseph Salas et Naval e dioecesi Barbastren. annō 1865 curae ruralis ecclesiae, quae vulgo audit Puy de Cinco, quaeque 218 animabus constat, praefectus est. Is biennio post, annos natus septem et viginti, propter morbum „tumorem album“ nuncupatum, omnibus artis remediis frustra tentatis, tertia dexteri brachii parte amputata, irregularis evasit. Quare ad paroeciam regendam vicaria alius sacerdotis opera, tenui licet censu potens, uti debuit. Tanto impar oneri, dispensationem ab irregularitate modo efflagitat, ut missam celebrare et parochialibus muneribus fungi valeat.

Bono eum testimonio prosequitur vicarius capitularis, inquiens: „Sacerdos est bona vita, fama et moribus commendatus, qui magno cum fervore et prudentia officium parochi exsecutus est.“

Oratoris nunc in Curia, auctorante proprio Ordinario, exsistentis preces Eminentissimo Urbis Vicario ablegatae a me sunt pro informatione et voto, facto periculo coram magistro caeremoniarum, qui referret, utrum adsit periculum irreverentiae in sacris peragendis. Eminentissimus Vicarius experimenti peragendi munus commisit pontificio caeremoniarum magistro Martinucci, qui refert: „Peracto examine de omnibus caeremoniis missae ab offertorio usque ad finem cognovi, eum per exercitium brachii et manus sinistrae habilem se reddidisse ad s. missam decenter et secure celebrandam. Tantummodo hostiam super patena dividere debet. Fragmenta ex corporali collecta super ipsam patenam pollice et indice unit et his digitis in calicem immittit. Interrogatus de modo administrationis s. eucharistiae respondit, se super tabellam parvam et mappis decenter coopertam, quae admovetur cancellis, collocare s. pyxidem et singulos ad sacram mensam accedere fideles, si alius non adsit sacerdos, qui rite rem peragere possit. Simili modo viaticum administrat; s. pyxidem collocat in bursa serica, quam e collo pendentem tenet, et ita parochi officium exsequitur. Quapropter si quaeratur, an idoneus sit dictus sacerdos, censeo gratiam concedi posse; si quaeratur, an sine timore scandali aut admirationis concedi possit indultum, pro affirmativa sententia magis mihi standum videtur. Orator enim brachium amisit non sua culpa: parochiam habet ruralem 36 domuum, nota est parochianis causa, ob quam amputationem brachii passus est; haec omnia dispensationem commendant, cum absit admiratio vel scandalum. Ad majorem cautelam Episcopo injungi posset, ut ipsi celebrationem missae solum in ejus parochia permittat, et si forte alibi versari contigerit, ubi notus non sit, ut celebret privatim et non publice.“

Eminentissimus Vicarius hanc sententiam propter hoc in casu occurrentes circumstantias, licet non sine aliqua animi trepidatione amplectitur.

Notae sunt difficultates, quae dispensationi concedendae opponi communiter solent, ab iisque proinde afferendis abstinemus. Illud etiam notum est, quoties agatur de promoto, et absit periculum irreverentiae erga tam augustum ministerium, et scandali atque admirationis in populo gignendi, gratiae vel concedendae vel denegandae rationem ab facti adjunctis omnino peti. Itaque saepe accidit, ut haec S. Congregatio in levioris, quam praesentis, defectus casibus dispensationem denegarit, concesserit vero in casibus praesenti non absimilibus.

Quoniam vero vicarius capitularis bonum testimonium de Oratore perhibet, et Eminentissimus Urbis Vicarius ac caeremoniarum magister propitio eum voto prosequuntur, nonnullos tantum casus adducam, quibus S. H. Ordo, similibus circumstantiis intervenientibus, gratiam concedi posse judicavit.

In Consentina 13. Julii 1725, relata inter summaria precum, in qua agebatur de sacerdote, qui dexteri brachii flexibilitate omnino carebat, preces illius arbitrio Archiepiscopi remisit. Idem casus cum propitio rescripto prostat in Baren. 20. Dec. 1823, in Pampilonen. 23. Aprilis 1853, et in Aesina 26. Nov. 1864. Ob sinistri vero brachii amputationem gratia dispensationis concessa est in Bergomen 27. Novembris 1852, atque in una De Linares 8. Julii 1865.

In concedenda dispensatione ob corporis defectus non raro conditiones adjici solent, quae populi admirationem removeant. Itaque quoties gratiam concedere placeat, erit EE. judicare, utrum Oratori extra propriam paroeciam juxta votum magistri caeremoniarum publica celebratio prohibenda sit.

Pro gratia juxta votum Eminentissimi Vicarii Urbis arbitrio et conscientia Ordinarii, donec novae circumstantiae non superrenerint, facto verbo cum Sanctissimo.

25. Pampilonen. — Dispensationis.

Die 31. Martii 1860.

Antonius Trazoqui, triginta et unum annos natus, dioecesis Pampilonensis, humiliter exponit: „quod multa fervens devotione Deo et Ecclesiae se dicare intendit, ideoque nunc in studio philosophiae versatur, quod vero ob ictum, quem forte accepit, tendinem brachii dexteri habet admodum obduratum, ut suam frontem manu tangere non possit ad signum crucis, neque calice os pertingere queat; quare orat, ut ab hujusmodi irregularitate dispensetur tali modo, ut signo crucis se munire sinistra manu, et consumptionem exsequi eadem manu, vel uti possit calice altiori illis, quibus communiter utuntur, et ita manu dextera sumere possit, bene et sine difficultate perficiens omnes alias actiones inhaerentes missae sacrificio."

Remissis precibus Episcopo pro informatione et voto, et ut peracto experimento referret, an ejusmodi in Oratore sit defectus, ut praebeat sacris impedimentum vel populo admirationem, et de evidenti Ecclesiae utilitate ex Oratoris promotione; haec ab eo accepi: „Antonius Trazoqui nullum aliud impedimentum habet ad sacra peragenda, praeterquam quod in precibus refertur: et facto experimento coram sacrarum caeremoniarum magistro constat, eum omnia expedite agere modo quo in precibus exhibetur, quin ullam admirationem populo praebeat. Adde quod ictus omnino fortuitus et absque ulla Oratoris culpa fuit, et Orator valde vita sua commendatur, ut mitius agatur cum eo; ex quo etiam Ecclesia non parvam accipiet utilitatem iis praesertim temporibus, dum dicere possum de mea dioecesi „messis quidem multa, operarii autem pauci" et maxime si attendatur, quod Orator lingua vasconia loquitur, quae valde necessaria est iis regionibus, et multum desideratur in sacerdotibus parochiis praepositis."

Novum non est, ut etiam cum promovendo dispensetur, praesertim cum scientia morumque probitate polleat, et de utilitate et in primis necessitate Ecclesiae constet, ceu S. Congregatio docuit in Asculana 20. Febr. 1808 et in Camerinen. 17. Febr. 1821. Accedit etiam, Oratorem sacrae liturgiae caeremonias ita peragere posse, ut nulla admiratio in populo nullaque sacrarum functionum indecentia oriatur; quae quidem omnia testatur Episcopus, qui ea propter Oratoris preces commendat.

Pro gratia dispensationis et habilitationis juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

Approbata fuit a Sanctissimo „ita tamen ut Orator calicem sumere manu sinistra queat, signum vero crucis manu dextera, quo poterit modo, perficiat.

26. Ortonen. — Dispensationis super irregularitate.

Die 27. Junii 1863.

Literis diei 2. Octobris praeteriti anni Archiepiscopus Anxanensis, perpetuus administrator ecclesiae episcopalis Ortonensis, Sanctissimo Domino Nostro commendavit pro dispensatione ab irregularitate ex defectu corporis, quatenus opus esset, Vincentium Laporta Ortonensis dioecesis, quem ajebat „affectum in brachio dextero a malo anchilosi dicto, quod licet non induceret notabilem deformitatem, quae celari non posset juxta gloss. in cap. de cler. aegrot. neque impediret ordinis sacri exercitium, cap. de corpor. vitiat., obstabat tamen, quominus extremum crucis signum expleretur, dextera scil. humeri dexteri extremitatem tangere, cumque eadem eucharistiam consumare nequit, sed tantum fere usque ad os sinistram comitari potest.“ Ideo vero eumdem commendatione dignum arbitrabatur, quia „optimis illibatisque moribus nedum singulari scientia praeditus esset, ita ut maxime utilis foret Ecclesiae“.

At propitium exitum preces non obtinuerunt; die siquidem 9. Decembr. ejusdem anni dimissae fuere rescripto „Non expedire“. Monitus sed vero Archiepiscopus de hujusmodi responso, die 13. Februarii huj. ann. suas preces iteravit, ajens: „Mihi relatum est, responsum prodiisse „Non expedire;“ sed cum talis defectus non gravis mihi esse videatur: ut tutius agerem, Oratorem a magistro caeremoniarum examinari curavi et revera certior factus sum, dictum Laporta expedite agere et omnia brachio dextero exercere et si non palma, tamen digitis frontem attingere et brachium rotare eum posse; neque fieri posse, ut hoc admirationem in populo excitet, quia conspici non valeat. Ex altera parte facere non possum, quin dictum adolescentem laudibus efferam; est enim pulchra planta in vinea Domini his temporibus calamitosis et praeditus omnibus iis dotibus, quae a bono viro ecclesiastico requiruntur neque omitto me bonis sacerdotibus valde indigere.“

Primum quod sese offert inquirendum in themate illud est, utrum nempe ex superallata rigiditate brachii ea irregularitas adsit, ob quam nequeat Orator sacris ministrare absque irreverentia in sacrosanctum missae sacrificium et absque populi offensione, cap. 1. et 6. de corpor. vitiat. De periculo in sacris exercendis, de quo in cap. 2. de cler. aegr. vel debilit. procul esse videtur quicumque metus, cum ipse Archiepiscopus referat defectum, quo laborat Laporta, nullatenus impedire sacri ordinis exercitium. Quod non modo in praesentiarum retinendum est, sed etiam in futurum ex natura defectus ipsius, qui ex permanente causa in eodem usque statu perseverabit, quin gravior evadat. An idem vero sentiendum sit de offensione populi, judicabunt Eminentiae Vestrae ex iis, quae superius allata sunt ex ejusdem Archiepiscopi literis. Porro deformitas, de qua in casu, minime gravis laudato Praesuli visa est, quia imperceptibilis; Orator enim expedite agit et omnia brachio dextero exercet . . . . . et tale brachium rotare potest, ita ut male affecti brachii digitis frontem ipsam pertingere valeat ad crucis signum perficiendum, etsi impediatur cum palma eam pertingere, quod tamen ultimum nunquam, ut patet, in sacri ordinis exercitio praescribitur. Praecipua sane difficultas, quae ab initio objiciebatur, sumptionem eucharistiae respiciebat, de hac tamen nihil

in ultimis Archiepiscopi literis animadvertitur, eaque forsan exclusa videtur ex testimonio magistri caeremoniarum, qui Archiepiscopo retulit, Oratorem Laporta exercere omnia brachio dextero.

Haec de qualitate et gravitate defectus: quatenus vero EE. VV. censuerint certam in casu adesse irregularitatem, non parum suffragaretur Oratoris precibus benignitas S. Congregationis, quae dispensationis veniam, etsi de promovendo res esset, non denegavit, quoties ex una parte levis esset defectus, et ex altera concurrerent boni mores Oratoris cum praeclara proprii Episcopi commendatione et spes certa peculiaris utilitatis, quae in Ecclesiam ex promotione Oratoris redundaret, ceu in genere super uno vel altero levioris momenti defectu exempla testantur, quae in thesauro resolutionum S. H. O. reperiuntur; in Lucana 25. Nov. 1825., Matheranen. 22. Sept. 1860 inter supplices libellos relatis; et in specie super non absimili occurrente casu in Pampilonen. 31. Martii 1860 pariter inter supplices libellos, in qua concessa est dispensatio cuidam Trazoqui, qui ob ictum, ut ibi legitur, quem forte acceperat, tendinem brachii dexteri ita obduratum habebat, ut frontem manu tangere non posset ad signum crucis efficiendum, neque calicem ad os usque afferre valeret, ideoque rogabat, ut sibi ad utrumque perficiendum uti sinistra manu permitteretur. Equidem in adducto casu praeter utilitatem Ecclesiae obventuram, ratio etiam cujusdam necessitatis afferebatur ex peritia Oratoris in Vascovia lingua, quae valde desiderabatur in sacerdotibus parochiis in ea regione praepositis; defectus tamen in praedicta Pampilonensi plures difficultates prae se ferebat, quas nullatenus exhibet species, de qua agimus.

His vero non obstantibus, minime praeteream Sacram hanc Congregationem pro variis rerum et locorum circumstantiis hujusmodi dispensationem super levi etiam defectu non raro denegandam fore censuisse, cum de promovendis ageretur, qui nonnisi ex utilitate Ecclesiae pro gratia dispensationis commendarentur.

Dilata et Archiepiscopus clarius rem exponat, audito in scriptis magistro ss. caeremoniarum, praesertim quoad elevationem s. hostiae et sumptionem calicis.

Die 26. Septembris 1863.

Quibus mandatis satis jam factum esse refert Archiepiscopus, ita scribens literis die 5. nuper elapsi Augusti ad Eminentissimum S. hujus Congregationis Praefectum transmissis:

„Rescripto S. Congregationis obediens magistrum caeremoniarum jussi, ut iterum brachium dexterum clerici Vincentii Laporta accurato examini subjiciat et omni modo ejus mobilitatem exploret praecipue ad elevandam hostiam et sumendum calicem. Magister caeremoniarum motum irregularem non vidit, ita ut in celebratione missae fideles nullam irregularitatem vel indecentiam possint observare. Etiam meis oculis de veritate allegati testimonii me certiorem reddidi.“ His vero ab laudato Praesule relatis plenissime consonat magistri caeremoniarum testimonium, quod in actis adest.

Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

27. Brixinen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 26. Januarii 1867.

Relatis in hac Sac. Congregatione precibus acolythi Ludovici Riescher e dioecesi Brixinensi, quibus gratiam dispensationis ab irregularitate ex defectu corporis postulabat; (Orator enim morbo diuturno, quem in dextero bra-

chio absque culpa contraxit, flexibilitatem ejusdem brachii ita amisit, ut cubito rigido remanente, manum dexteram quidem vigentem agilemque habeat, brachium elevare valeat, sed propter cubiti rigorem flectere non possit) eadem Sacra Congregatio rescripsit „Non expedire“.

Magno animi dolore ex nuntio denegatae dispensationis affectus Episcopus, ceu ipse retulit, superiori mense Julio novas commendatitias literas ad hunc S. Ordinem transmisit, quibus instantissime rogat, ut gratia concedatur. Ex relatione Ordinarii deprehenditur apprime qualitas defectus, quo detinetur Orator. „Facto enim experimento (sic ille) coram seminarii rectore et ss. caeremoniarum magistro sequentia mihi relata sunt: 1. Quando se signare vult signo sanctae crucis, id facere nequit, nisi unius palmi circiter spatio interjecto, cum tactus physicus impossibilis sit.

„2. Ad Confiteor, Agnus Dei et Domine non sum dignus, pectus non ita percutere potest, ut rubricis conforme foret, cum manus nonnisi sinistram partem paulo infra pectus tangere valeat.

„3 Sacram hostiam manu dextera sumere nequit, s. calicem eadem manu difficulter et non sine periculo effundendi s. sanguinem sumere potest.

„Caetera vero omnia ad s. sacrificium necessaria juxta rubricam praescriptam peragit. Ad ea, quae sub 1. 2. 3. recensentur, peragenda, sinistra manus adeo apta est, ut omnia decore fiant, et spectatores non turbentur. Si s. calicem sinistra manu sumit, patenam dextera manu paulo infra pectus non incommode supponit.

„Orator candidis moribus ornatus et adeo praeclaris dotibus animi praeditus, ut inter condiscipulos praesertim quoad scientiam emineat, ideoque dignissimus est, ut ad sacerdotium promoveatur. Penuria sacerdotum in vinea Domini laborantium, qua premimur, proh dolor, in dies ingravescit.“

In posterioribus autem literis ad Eminentissimum S. Ordinis Praefectum idem Antistes addit: „Orator denegata dispensatione vere miserabilis evaderet, cum non habeat, unde vivat. Ipsemet presbyter fieri summopere desiderat, et cum insuper sit acolythus, nonnisi aegerrime aliud genus vivendi deligeret. Utilitas, quam dioecesis mihi concredita ex ordinatione Oratoris traheret, certe magna foret, cum dotes habeat prorsus eximias. Penuria sacerdotum, quo laboramus, tanta est, ut non modo pro cura animarum non sufficiant, verum quotannis numerus ordinandorum minuatur potius, quam crescat. Parochiae, quibus pastor aetate provectus praeest, carent sacerdote subsidiario.“

Legibus ecclesiasticis fuit expresse constitutum ac confirmatum, ne quis ad sacros ordines admittatur, qui ex corporis defectu laborat, quique impediatur, quominus in sacris officiis honeste ac decore, vel sine populi admiratione ministret: ita ex text. in cap. 1. 2. et 6. de corp. vit. et in cap. Ex parte 5. de cler. aegrot. Gonzalez in comment. ad tit. de corp. vitiat. cap. 2. n. 7. et can. 2. caus. 7. quaest. 2.

Et pronum est eo majora urgere impedimenta, ne dispensatio concedatur, quibus magis pertimescendum est, ne dispensatio in contemptum degeneret sacrorum ministeriorum vel populi scandalum; versa autem vice eo faciliorem petitam veniam merere, quibus magis praefata irregularitatis elementa arceri valeant. Agitur revera in casu de promovendo, cui ex regula a Sacra Congr. recepta difficilius quam promoto dispensatio conceditur: at animadvertendum est, non adeo gravi defectu Oratorem detineri, qui principaliores sacrificii caeremonias explere rite valet, ceteras sinistra manu supplendo; quod absque ulla irreverentiae nota et populi admiratione peragit. Nec in graviori etiam

casu, in deficientia scilicet alicujus digiti, laevae vel dexterae manus, vel in contractione aut rigiditate plurium digitorum, gratia dispensationis denegata fuit, in Camerinen. 20. Januarii 1820, in Parisien. 20. Dec. 1856. et nuperrime in Utinen 10. Martii. et Cephaluden 28. Augusti, quae praeterlapso anno propositae fuerunt inter supplices libellos.

Petitae tandem gratiae viam etiam sternunt candidi mores clerici Riescher, illiusque praeclarum ingenium et scientia cum probata dispositione animi ad clericalem militiam, et prae his etiam omnibus grave judicium Episcopi super praecisa necessitate sacerdotum in sua dioecesi, in qua parochiae, quibus pastor aetate provectus praeest, carent sacerdote subsidiario. Notum autem est, apud hanc S. Congregationem necessitatem et utilitatem Ecclesiae plurimum semper valuisse, ut quoad corporis defectum dispensationem concederet clericis etiam promovendis in Cameracen. 20. Januarii 1821, in Lucana 19. Nov. 1825; et in supra relatis Utinen, et Cephaluden.

Ad mentem.

3. Defectus in manibus.

a) Deficit tota manus.

28. Mediolanen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 18. Aprilis 1863.

Franciscus Decio, sacerdos archidioecesis Mediolanensis, coadjutor in paroecia Musocci, anno 1860 morbo chirartrocis in sinistra manu correptus ejusdem amputationem pati coactus est, ex quo missae celebrandae inhabilis evasit. Cum tamen a perpessa amputatione perfecte convaluerit, et ardenti flagraret desiderio sanctum sacrificium celebrandi, ut consuleret tum suae pietati, tum spirituali bono animarum circiter 500 illius loci satis a paroecia disjuncti, supplici libello Episcopi vicarii capitularis diei 23. Novembris 1862 humillime Sanctissimum Patrem rogavit, ut cum ipso super irregularitate dispensare, eidemque sacri celebrationem cum debitis cautelis permittere dignaretur.

Quamvis hujusmodi preces a praefato vicario capitulari maxime commendarentur, ajente: „ego qui hujus sacerdotis, pietatem probe novi ejusdem supplicationem enixe commendo,“ iterum nihilominus ad eumdem vicarium ablegatae fuere, ut peracto experimento coram caeremoniarum magistro, accuratam transmitteret relationem quoad omnes actiones in sacro perficiendo, simulque doceret, an integra manus deficeret, et periculum foret admirationis in populo. Quibus mandatis obediens laudatus Episcopus vicarius testimonium exhibuit magistri caeremoniarum, quo renuntiatur: quod iste sacerdos cum decore et convenienter celebrare poterit missas privatas, si ipsi concedantur haec: 1. Ut hostiam e corporali non tollat, cum eam benedicit ante consecrationem et antequam eam frangit; 2. ut abstergat super patenam fragmenta hostiae; 3. ut abstergat solo pollice a patena fragmenta post sumptionem hostiae collecta; 4. ut teneat super corporale (subter hostiam et calicem) patenam in sumptionibus hostiae, calicis et primae purificationis, et purificatorium in sumptione ablutionis. Addendum est, sola dextra alias ceremonias facile peragi posse, quae pro sinistra manu praescriptae sunt, et brachio sinistro facile teneri posse in corporali patenam et calicem; effusionis calicis periculum abfuturum esse, si in pedem ejus plumbi pondus infundatur.

His vero sequentia addit Vicarius capitularis: „Variatio caeremoniarum talis non est, ut in praesentibus sacrificio stupor excitetur. Praeterea hic sacerdos plerumque celebrare debet in parva capella rurali sita in regione a parochia separata, coram hominibus, qui eum norunt, amant et valde desiderant, ut ipse altari reddatur pro suo et ipsorum utilitate spirituali. Itaque non dubito ferventes innovare preces, ut illius calamitas sublevetur."

Neminem profecto latet ex mutilatione membri, vel etiam abscissione partis membri, quod in celebratione sacrificii rite peragenda immediate necessarium est, sacerdotem ab ipsa celebratione removeri. Quod palam habetur ex doctrina sacrorum canonum prohibentium, ne quis altaris ministerio deserviat, qui absque irreverentia divinis, et absque populi offensione susceptum ordinem exercere non valeat. Can. 3. dist. 55.; cap. 1. 2. et 6. de corp. vitiatis; cap. 2. de cleric. aegrot. Et revera in memorato cap. 6. de corp. vit. Innocentius III. a sacerdotalis ordinis ministerio (ut ibid. explicat glossa) removendum decrevit abbatem quemdam manu altera mutilatum; et cap. 2. de cler. aegrot. Eugenius Papa missam celebrare non permisit presbytero, cui duo digiti cum medietate palmae a praedone abscissi fuerant. Cui doctrinae adhaerens Sacra haec Congregatio rogata saepius, ut solet, de dispensatione in miserrimis hujusmodi casibus, pluries eamdem dispensationem denegavit, ceu prostant exempla de presbytero, qui apopletico morbo correptus talem in sinistro brachio passus fuerat laesionem, ut ipsius ministerio in sacro peragendo uti nequiret in Abellinen. 7. et 28. Julii 1770; de alio presbytero eodemque parocho, qui ex chirurgi incuria atque imperitia sinistrae manus digitos amiserat in Augustana 19. Dec. 1772; et tandem de presbytero, qui improvisa igneae ballistae diruptione laevam manum integram perdiderat in Firmana 24. Maji et 14. Junii 1823. Quae quidem exempla adversari prorsus viderentur Oratoris precibus ad petitam dispensationis gratiam consequendam.

Attamen ne afflictio addatur afflicto, sed potius ipsius miseriae, si fieri poterit, misereatur, animadvertere non omittam, triplici ex causa motum fuisse vicarium capitularem, ut preces Francisci Decio propitio suffragio Sanctitati Suae commendaret. Prima quidem ex eo, quod nulla admiratio vel offensio oriretur in populo, qui potius cupit, ut praefatus sacerdos praevia Pontificia dispensatione offerendo sacrificio rehabilitetur. Secunda ex nullo periculo, quod in sacrificii celebratione occurreret, et ex nulla mutatione caeremoniarum, quae circa rituum substantialia foret necessaria. Tertia tandem ex bono spirituali, quod populo praedicti loci foret obventurum, si cum Oratore super memorata irregularitate dispensaretur. Quae tamen, quanti facienda sint, Eminentiae Vestrae judicabunt, praesertim ad eam utilitatem Ecclesiae arguendam, quae in hujusmodi circumstantiis petitae gratiae suffragari debeat. Interim ego duo in medium afferam exempla, in quibus benignitas H. S. O. in praefata dispensatione concedenda luculenter elucet. Primum habetur in Bergomen. Dispensationis 27. Nov. 1852 relata inter supplices libellos (n. 20.), in qua propositae ad obtinendam dispensationem preces a sacerdote quodam Jsaac Bagini, qui securae mortis vitandae causa amputationem brachii sinistri tulerat, quae tertiam tantum ejusdem brachii partem reliquerat, sequens rescriptum ab Eminentissimis Patribus obtinuerunt: „Dummodo celebret in oratorio privato, et si Episcopo videatur cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi pro gratia dispensationis et habilitationis ..... facto verbo cum Sanctissimo. Alterum vero non absimile exemplum prostat in Pampilonen. Dispensationis diei 23. Apr. 1853, proposita pariter per summaria precum, in qua dispensationem ab irregularitate rogabat sacerdos Raymundus

Arizabolo, qui licitae venationi vacans ex fortuita igneae ballistae explosione adeo graviter in sinistro brachio laesus fuerat, ut eo nullatenus uti valeret ad missae caeremonias peragendas, et propitium quod sequitur rescriptum ex benignitate H. S. O. consecutus est: Pro gratia dispensationis et rehabilitationis facto verbo cum Sanctissimo, dummodo celebret hora a populo minus frequentata, et cum assistentia presbyteri vel diaconi, si id commode fieri posse Episcopo videatur.

Non expedire.

29. Litomericen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 24 Septembris 1864.

Miserandum casum refert Episcopus Litomericen: Venceslaus Krupièka sacerdos capellanus Jencovicii dioecesis Litomericensis in regno Bohemiae curam animarum exercens, 10. die mensis Decembris 1863 fortuito per explosionem pyroboli manum sinistram penitus amisit, et ab hoc tempore solummodo usu manus dexterae gaudet, ideoque sacrosanctum missae sacrificium Deo omnipotenti offerre non potest . . . et Sanctissimo Patri humillime supplicat, ut sibi facultas concedatur missae sacrificium cum unica tantum manu dextera celebrandi.

Cum hisce temporibus, ut testatur Episcopus, dioecesis Litomericensis magna sacerdotum penuria laboret; cum insuper eidem, nisi missae sacrificium celebrare fas sit, ratio haud suppetat honestae decentisque vitae traducendae; cum denique peracto experimento testetur idem Episcopus, periculum et indecentiam sacrarum caeremoniarum non recte peragendarum abesse, praesertim ob peritiam, quam Orator ex exercitio assecutus est dexterae manus in omnibus actionibus adhibendae, videbunt EE. VV., utrum dispensationi ab irregularitate, quam Orator absque sua culpa contraxit, locus esse debeat.

Praesens casus eodem sub aspectu sese offert, quo relatus fuit Eminentissimis Patribus casus in Bergomen Dispensationis. 27. Nov. 1852 (n. 20). Ibi siquidem narratur, quemdam Isaac Bagini ad mortem vitandam brachii incurabili morbo affecti: amputationem perpeti debuisse. Cumque eo in casu rescriptum fuerit: Dummodo celebret in oratorio privato et, si Episcopo videatur, cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia dispensationis et habilitationis, delato manipulo super brachio ficto, videant EE. VV., utrum cum hodierno Oratore eadem indulgentia adhibenda esse videatur.

Dilata et Episcopus rem clarius exponat facto etiam experimento coram s. caeremoniarum magistro.

Die 17. Decembris 1864.

„Hujusmodi mandatum exsequens, ceu Episcopus in novis literis refert, curavi ut Venceslaus Krupièka . . . . coram tribus testibus, Aloysio Stille can. capitul., Ludovico Sommer rectore seminar. et caeremoniarum magistro, et Francisco Demel notar. et secretar. et caeremoniario episcopali experimentum celebrandi missam cum sola manu dextera faceret, quod sequenti modo praestitit: Nominatus presbyter, accedente alicujus ministerii auxilio sacra vestimenta induit, calicem manu dextera tenens et admota manu sinistra fictitia ad altare accedit, atque omnia ad calicem in altari rite disponendum sola manu dextera ordinat.

Quoad celebrationem missae generatim notandum est, quod nullus plane usus manus sinistrae fictitiae in oblatione, fractione et sumptione sacrae hostiae fieri possit, quoniam testante fabro technico talis mechanismus brachio sic truncato applicari nequit, qui motum quemdam et usum artificiosorum digitorum ad hostiam rite attingendam et tenendam perficiat. Digitis solius manus dexterae patenam tenens ad offertorium in ea hostiam offert, in corporale demittit, atque patenam corporali submittit. Vinum et aquam in calicem infundit, atque cuppam ejus sola manu dextera tenens labium ejus interius purificatorio abstergit: sola manu dextera calicem elevat: in signum crucis huc illuc deducit, atque in altare deponit, dum interim manu sinistra fictitia pedem calicis inferius attingit, ac si eum utraque manu teneret.

Ad orationem „In spiritu humilitatis“ extremitatem utriusque manus altari imponit: postea erectus manusque expandens et statim jungens ante pectus signat manu dextera communiter super hostiam et calicem sinistra fictitia posita super altare. Ad „Dominus vobiscum“, „Orate fratres“ etc. versus populum utramque manum extendit et complicat. Ante consecrationem super hostiam in corporali adhuc jacentem crucem facit, deinde hostiam sola manu dextera tenens verba consecrationis dicit, post genuflexionem hostiam sola manu dextera elevat, dum manum sinistram fictitiam in tantum admovet, ut hostiam utraque manu tenere videatur, quamquam eam manu sinistra nullatenus attingat, similiter facit cum calice.

Deinde missam consueto modo prosequitur usque ad verba „Per ipsum“, inter quae pedem calicis manu sinistra tangens atque hostiam inter digitos manus dexterae tenens supra calicem cruces facit, atque inter verba „Omnis honor et gloria“ cuppam sola manu dextera et hostiam superius inter digitos tenens calicem una cum hostia elevat et demittit . . . . deinde intra orationem „Libera nos“ patenam hostiae supponit, hostiam in patena jacentem sola manu dextera per medium frangit, dum mediam partem hostiae dexteram huc illuc vertit, donec fractio perficitur; deinde de altera media in patena adhuc jacente simili modo particulam frangit, quam pollice et indice manus dexterae accipiens supra calicem tenet atque tandem immittit. Verba „Domine non sum dignus“ dicit, dum hostia adhuc in patena jacet: postea, dum patena in altari manet, pollice et indice manus dexterae ambas partes hostiae de patena accipit, et facta cruce sumit. Dein colligit micas cum patena de corporali easque cum pollice et indici de patena in altari adhuc jacente caute assumit et pedetemtim in calicem immittit digitis super eum inter se abstergendo; nam patenam immediate super calicem extergere nequit, quoniam usus manus sinistrae prorsus deficit. Tandem omnibus micis in calicem immissis cum manu dextera accipit et ss. sanguinem sumit, dum patena in altari manet. Porro omnia ad calicem cooperiendum et in altari rite ponendum sola manu dextera ordinat.

Ceteroquin tanta pollet manus dexterae exercitatione, dexteritate et firmitate, ut singulas actiones infra s. missae celebrationem absque omni periculo, indecentia et scandalo coram populo perficere valeat.

His expositis ego Episcopus Orator humillime supplico, ut sacerdoti Venceslao facultas concedatur missae sacrificium cum unica tantum manu dextera in ecclesiis et oratoriis publicis celebrandi respectu ad urgentem magnam sacerdotum in dioecesi penuriam.“

In praecedenti folio, quod recolere Eminentiae Vestrae non dedignabuntur, adducto exemplo propiti rescripti, quo donatus fuit in Bergomen. Dispensationis 28. Nov. 1852 sacerdos quidam, qui ad mortem evitandam amputationi sinistri brachii se subjecerat, Eminentissimos Patres rogabam, ut diju-

dicarent, utrum eadem indulgentia in casu adhibenda foret. Hodie vero cum novissimum adsit aliud exemplum in Aesina diei 26 superioris mensis Novbr. relata inter supplices libellos, in qua ad preces Eminentissimi Episcopi Aesini favore sacerdotis usu sinistri brachii ob paralysim destituti rescriptum est: Dummodo adsit populi necessitas et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia remittenda arbitrio et prudentiae Episcopi dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum Sanctissimo, eamdem benignitatem vestram, praesertim ob penuriam sacerdotum, de qua testatur Episcopus, promereri videntur praelaudati Litomericensis Episcopi preces.

Dummodo adsit populi necessitas et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia remittenda arbitrio Episcopi dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

30. Brixinen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 12. Septembris 1868.

Franciscus Crazolara, presbyter Fani S. Cassiani in Brixinensi dioecesi per plures annos in cura animarum variis in locis laboravit, donec curatiam Landeck obtinuit. Verum hac dimissa Romam se contulit, ubi officio organoedi in ecclesia S. Mariae de Anima functus est. Jamvero Romae degens citra omnem culpam morbum in manu dextera sibi contraxit, qui per decursum temporis adeo ingravescebat, ut propter cariem ossis supervenientem, jubente medico, manus ipsi amputari debuerit. Quare irregularis effectus supplici oblato libello Summum Pontificem adivit, ut dispensationem ei largiri dignetur cum facultate sinistra manu utendi in missae caeremoniis explendis.

Oratoris precibus Brixinensis Episcopus favet. Literis enim ad H. S. Ordinem transmissis haec habet: „Orator ad vitam sustentandam nonnisi ducentos florenos austriacos ex fundo religionis percipit. Si missarum stipendia accederent, utcumque honeste vivere posset. Hinc preces miseri Oratoris, qui caeteroquin presbyter est de Ecclesia benemeritus et pietate praeditus, enixissime in Domino commendo, ut recipiat, unde vivat, et desiderium, quo flagrat, s. missae celebrandae impleatur.“

De consueto experimento, quod Episcopo demandatur haec refert: „Peracto hunc in finem coram rectore seminarii clericalis experimento haec ab ipso mihi relata sunt: Plurimas ac etiam principaliores sacrificii caeremonias non nisi ope manus sinistrae commode explere potest. Cujusmodi sunt tergere seu detergere calicem, signare crucem, dividere hostiam in tres partes super patena, communicare se ipsum, purificare patenam et alia. Verum talis agendi ratio neque offensionem populi neque periculum in peragendis sacris creat, tum propter aptitudinem quamdam manus sinistrae usu acquisitam, tum propter adjumentum, quod praestare valet manus dextera brachio superiori artificiose adjuncta. Hoc adminiculo non solum potest utramque manum juxta rubricam extendere, populum rite salutare, calicem elevare, sed et in pluribus aliis caeremonias exactius peragere, quam illi, qui usu alterutrius dumtaxat manus pollentes ex dispensatione S. Congregationis missae sacrificium celebrant. Posset etiam Orator manu dextera cruces super oblata formare, si congruum videretur S. Congregationi, imo etiam sacram hostiam una cum manu sinistra, prout requiritur, elevare, si ipsi concederetur uti operculo deaurato ex metallo confecto, quo index et pollex manus artificiosae possent cooperiri et in praescripta manuum ablutione purificari simul cum dextera manu.“

Agitur hic de gravi corporis defectu. Jam vero jure hodierno sancitum est, ut ii irregularitate detinerentur, qui propter corporis defectum sacra munera obire et caeremonias absolvere absque irreverentia vel citra populi admirationem nequirent, cap. 1. 2. 6. de corp. vitiat. ord. vel non. S. Congregatio autem eatenus dispensationem ab hujusmodi irregularitate elargiendam vel denegandam immota regula judicavit, quatenus periculum offensionis in populo atque irreverentiae erga divina magis minusve amove i posset, cujus rei plura exstant exempla relata in Pampilonen. Novembris 1856.

In themate autem duplex hujusmodi periculum procul abesse videtur, tum propter aptitudinem quandam manus sinistrae usu acquisitam, tum propter adjumentum, quod praestare valet manus dextera brachio superiori artificiose adjuncta, ceu ex relatione Episcopi constat.

Praeterea haud est praetereundum hic agi non de promovendo ad sacros ordines, sed de promoto, cui ex S. Congregationis praxi facilius dispensatio concedi assolet etiam in durioribus et difficilioribus casibus.

Pro gratia arbitrio et conscientia Episcopi, donec novae circumstantiae non supervenerint, facto verbo cum Sanctissimo.

31. Tortonen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 18. Julii 1868.

Franciscus Barco oppidi Francavilla dioecesis Tortonensis, rector parochus Dagli, anno 1845 alterius incuria igneae ballistae fortuita explosione in sinistra manu graviter laesus mansit. Quare ad periculum vitae avertendum illius amputationem pati coactus fuit. Irregularis itaque effectus paroeciae residentiam reliquit; at cum parochiale beneficium in titulum ecclesiasticum haberet, idoneum sacerdotem, Episcopo approbante, deputavit, qui vices suas in cura animarum gereret. Beneficii reditus vix satis erant ad debitum honorarium deputato sacerdoti rependendum, hinc ad vitam sustentandam adactus est dare operam juventuti erudiendae in scholis municipalibus loci, quem petiit, et diligenter pro viribus parocho auxilium praebere sive in ecclesiasticis functionibus, sive in audiendis confessionibus, sive in christiana catechesi tradenda. Nunc vero cum ratione provectioris aetatis, annorum scilicet 60, imparem sese agnoscat suscepto officio obeundo, cumque attenta sacerdotum penuria difficilius quam anteactis annis reperiatur, qui ejus vices ferat, ad congruam vitae sustentationem sibi comparandam supplici libello Beatissimum Patrem rogavit „ut ipsum rehabilitare dignetur cum facultate celebrandi s. sacrificium missae; quam gratiam assecutus in paroeciam redire et pastorale ministerium prosequi posset.“ Utque meliori quo posset modo ad gratiam obtinendam se idoneum redderet, refert Orator ligneam manum sinistro brachio se aptasse ad deformitatem amputati brachii auferendam; et modo diuturnis experimentis probe instructus omnes fere missae caeremonias rite peragere valet.

Oratoris precibus favet Episcopus Tortonensis quoad rehabilitationem seu dispensationem ab irregularitate, obstat autem quoad reditum ad parochiale ministerium. Literis enim H. S. O. die 10. Dec. 1865 transmissis haec habet: „Consideratis aetate 60 annorum et indigentia Oratoris, servitiis ab eo praestitis et parvo numero sacerdotum desidero dispensationem et rehabilitationem Oratoris pro celebratione missae cum assistentia sacerdotis vel diaconi; attamen non censeo ei permittendum esse, ut in paroeciam redeat eamque regat, quia propter defectum apud multos minus gratiosus erit neque satis accurate omnia munera parochialia in primis sacramenta infirmis

administrare poterit. Nonnisi magna ejus afflictione commotus non institi, ut paroeciae renunciaret, quod secundum canones poteram et forsitan debebam.“ Ceterum vera esse ait Episcopus, quae retulit Orator tum ad statum, in quo se reperiri enarrat, tum relate ad exiguum beneficii reditum.

De consueto experimento, quod Episcopo demandatum erat coram caeremoniarum magistro habendum, refert Episcopus, „manu lignea brachio sinistro aptata et digitabulo candoris carnosi operta defectum observari non posse, cum iste s. caeremonias ab initio missae usque ad Offertorium et a Communione usque ad finem, quin ejus mutilatio appareat, peragere possit . . . . Oratorem manu dextera sola hostiam frangere super calicem non valere neque fragmenta abstergere a patena et in calicem immittere secundum rubricas, ideoque pro his et aliis actionibus, quae ab Offertorio usque ad Communionem sine usu manus sinistrae perfici nequeunt, eum gratia Apostolica indigere, ut ei liceat hostiam frangere meliore quo possit modo super patena, ut sacerdos vel diaconus assistens patenam abstergendam super calice teneat, folia missalis vertat propter periculum subvertendi calicem etc.“

Agitur, ut patet, in themate de gravissimo corporis defectu, at de jam promoto, qui prae officio parochiali per plures annos laudabiliter exercito, prae senili in qua reperitur aetate, nec non prae carentia alterius medii ad vitam sustentandam idonei, dignus maxime videtur Apostolicae Sedis benignitate; eoque magis quod ab H S. Congregatione pluries super hac irregularitate dispensatum est, et etiam in difficilioribus casibus, quibus de brachii dexteri inertia agebatur vel etiam de sinistri brachii amissione. Sane exempla hujus dispensationis sunt in Consentina diei 13. Julii 1725, in Geruntina 27. April. 1788, in Baren. 20. Dec. 1823, Bergomen. 27. Nov. 1852 (n. 20) et Pampilonen. 23. April. 1853. Et nuperrime die 26. Nov. 1864 in Aesina (n. 34) Laurentio Ponti, qui ita sinistro corporis latere apoplexiae morbo correptus erat, ut sinistra manus omne officium amiserit, debitis servatis cautelis facultas concessa est. Denique die 8. Julii 1865 in De Linares Antonius Vega Mexicanae regionis similem obtinuit facultatem, etsi brachio sinistro omnino careret, quique proinde sola dextera manu in missae celebratione uti poterat (n. 22).

Quibus perpensis judicabunt EE. VV., an et quomodo Oratoris preces exaudiri debeant.

Dilata et scribatur Episcopo ad mentem. Mens est, quod Episcopus explicet, quare ad exercitium parochialis ministerii Oratorem nolit admittere.

Die 19. Decembris 1868.

Resolutionis S. O. ut Episcopus notitiam habuit, ita rescripsit: „Dum meis literis datis 10. Dec. 1865 pro domino Oratore sentiebam rehabilitandum eum esse, apostolica interveniente dispensatione, ad missae celebrationem non obstante laevae manus mutilatione, et quasi concludens addebam solo commiserationis sensu me illum non adegisse, ut parochiali muneri renunciaret, nullam sane intendebam culpabilitatis notam Oratori inurere, sed tantum abs re putabam, quod plebs illi commissa diutius proprio destituta parocho perpetuo regenda traderetur vicario, et quia omnes illius curae proventus ita tenues sunt, ut vix sufficientes uni sacerdoti sustentando pares forent. Verum cum ex nuperis informationibus mihi constet, Oratorem pluribus abhinc mensibus ad suam plebem regressum, ejusdem reverentiam et affectum sibi quam maxime conciliasse, et licet mancum quamdam tamen

dexteritatem in sacramentorum administratione acquisivisse; hinc nullam ulterius exceptionem opponendam censeo, quominus, si ita S. Sedi placuerit, nedum ad sacrum faciendum rehabilitetur, verum etiam parochiale munus iterum resumat.“

Supplicandum Sanctissimo pro gratia juxta votum Episcopi, remittenda arbitrio et conscientiae Episcopi, nisi novae superveniant circumstantiae.

32. Utinen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 8. Julii 1865.

Clericus Antonius Romanelli dioecesis Utinensis Sanctissimo Domino supplicem libellum die 13. Aprilis 1863 porrexit, exponens, quod, cum venaretur, improvisa sclopeti explosione ita in pollice sinistrae manus laesus est, ut amputatio fuerit subeunda. Irregularis itaque ex defectu corporis, ut vocationem ad statum ecclesiasticum sequi possit, supplicat S. V. pro benigna concessione opportunae dispensationis.

Quas preces sequentibus animadversionibus et suffragio commendavit tunc temporis vicarius capitularis: . . . . „Considerato, quod casus Oratori nullo modo culpae verti potest, (non est venationi deditus, quinimo ne ignea quidem ballista unquam est usus); considerato, quod mutilatio non praepedit plenum exercitium aliorum digitorum, quia manus de cetero ex medici attestatione in statu normali exsistit; considerato demum, quod clericus jam cursum theologicum peragere coepit, ejusdem vota favore prosequor, quatenus cum Tuo, Beatissime Pater, beneplacito pro summa Tua benignitate exaudiantur.“

Rogatus idem vicarius, ut peracto experimento referret de ecclesiae necessitate vel de evidenti utilitate ex Oratoris promotione, relationem magistri ss. caeremoniarum transmisit, et sequentia addidit: „Ceterum seclusa necessitate, quae omnino non exsistit, evidentem ecclesiae utilitatem ex Oratoris promotione sperandam omnibus consideratis asserere audeo.“

Magister vero caeremoniarum diligentissimo peracto experimento testatus est: „Orator utendo digitis indice et medio sinistrae manus hostiam tenere et sine magno dedecore elevare valet, si excipias tremulam aliquam manus motionem, quae ex praesenti debilitate provenit, et fortasse lapsu temporis evanescit.

Digito medio et annulari calicem ad nodum apprehendit et sufficienter elevat sine periculo. Si hostiae adhibita patena signum impresserit, convenienter eam frangit, excepto illo tremore. Pariter in consumptione hostiam tenet inter indicem et medium, et patenam inter medium et annularem digitum ejusdem manus.“

Hujusmodi accepto magistri caeremoniarum cum suprarelatis literis vicarii capitularis, decrevi exspectandum esse novum Archiepiscopum. Hic vero certior omnium effectus ita se habet in literis, quas die 22. Maji h. a. ad Sacram Congregationem transmisit: „Cum Orator mihi iterum enixas preces porrexerit pro dispensatione super irregularitate . . . . cumque ex optima vivendi ratione, quam idem tenet, nec non ex fructu, quem retulit in studiis theologicis, quae jam expleturus est, jure merito sperare liceat eum dignum Dei ministrum fore, dum declarare non ambigo super evidenti ecclesiae utilitate ex ejusdem promotione, petitionem pleno favore prosequor, quatenus a benignitate Apostolicae Sedis exaudiatur, ita ut quantocius ei liceat ordines suscipere.“

Nullum subesse potest dubium, quin praefatus Romanelli ob relatam digiti amissionem irregularitatis vitio teneatur. Ex cap. siquidem 6. de corp. vitiat. in numero laborantium impedimento corporis adnumerantur et illi, qui aliquo membro, puta manu, aut pede carent, et ii etiam, qui digito ad frangendam hostiam necessario, pollice nimirum aut indice distituti sunt, ut expresse in cap. 2. eod. tit. Hoc autem statutum esse docemur, ne sacra ministeria quodammodo vilescant, cum deformes scandalum aut admirationem facile in fidelibus excitent, aut minus apti ad sacras caeremonias peragendas irreverenter sacratissimum Domini corpus pertractent. Et licet ex sac. caeremoniarum magistri testimonio eruatur non magnam futuram esse in populo admirationem ob memoratum Oratoris defectum, nihilominus cum in casu de juvene vix clericali tonsura insignito agatur, gravis illico contra ejus preces difficultas exsurgit, quae ex disciplina hujus Sac. Congregationis prosequitur, quoties a promovendo ad sacros ordines dispensatio super irregularitate exposcitur.

Equidem hujusmodi praxis merito suas quandoque exceptiones admisit ex peculiaribus facti adjunctis; (praesertim si defectus non talis sit naturae, ut rogantem dispensationem plene ad sacra mysteria peragenda incapacem reddat, et evidens saltem adsit ecclesiae utilitas ex dispensandi promotione) et utraque hac causa porrectae preces sustentari videntur vel a magistro caeremoniarum in sua relatione, vel ab Archiepiscopo in suis literis, maxime cum Orator clericus jam expleturus sit sacra theologiae studia, et a suo Ordinario commendetur tum ob optimos mores, tum ob relatum in studiis progressum. At his perpensis, sapientiae Eminentiarum Vestrarum erit decernere, quid magis in Domino expedire videatur.

Non expedire.

Die 10. Martii 1866.

Maximo dolore affectus Orator ex denegata dispensatione, superiori mense Septembris Romam advenit, seque novo examini seu experimento hic in Urbe subeundo paratum exhibuit: eodemque tempore Utinensis Archiepiscopus clericum Romam proficiscentem sequentibus literis Eminentissimo Sacrae hujus Congregationis Praefecto commendavit:

„Quamvis, Deo sic misericorditer disponente, procul sit ab archid. Utinensi generatim loquendo cleri inopia, ut hac de causa pro dispensatione super irregularitate ex defectu corporis, favore clerici tonsurati Antonii Romanelli hujus civitatis consequenda, preces submittere voluissem; fateor nihilominus me non sine animi dolore audivisse, a S. Congregatione Concilii, cui Vestra Eminentia dignissime praeest, in sessione habita die 8. Julii prox. elaps. negativum super proposita quaestione responsum datum fuisse.

Porro quum de iis, quae jam exposui in devotissima mea supplicatione die 22. Maji prox. elaps. ad praelaudatam S. Congregationem Concilii, tum quoad progressum in theologicis studiis, tum quoad mores praefati clerici vere optimos et juveni ad sacra ministeria vocato apprime conformes, novis superadditis argumentis, me magis magisque confirmare debuerim ad praesens, attentis quoque parochi adnexa declaratione et ipsius clerici sancto consilio petendi sacra limina pro dispensationis gratia facilius impetranda, asserere non haesito nedum constare ex Oratoris clerici promotione de evidenti ecclesiae utilitate, verum etiam relative ad ecclesiam parochialem S. Nicolai hujus civitatis cooperatoribus indigentem, ad quam pertinet Orator, quodammodo necessitate.

Quapropter eumdem clericum ad Apostolicam Sedem, uti voti compos evadat, peregrinantem Vestrae Eminentiae hoc meo supplici libello maximopere commendo, illud fore confisus, quod sub tanto praesidio benigno ac desideratissimo Apostolico rescripto dispensationis munitus ad propria sit reversurus."

Novas itaque preces clericus Orator obtulit Sacro Ordini, quibus miseram sui conditionem exposuit, et ad benignitatem Sacrae Congregationis confugit, enixe rogans, ut janua ad sacros suscipiendos ordines sibi reseratur, qui vigesimumquintum suae aetatis annum jam ingressus est, et studia sacrarum disciplinarum diligenter explevit.

Placuit super iis etiam precibus audiri Utinensem Antistitem, qui novis literis prout sequitur respondit: „Quae Antonius Romanelli pro dispensationis gratia super irregularitate ex defectu corporis proveniente consequenda circa suae conditionis statum exposuit, veritati omnino consona declarantur. Ex accurata enim relatione parochi S. Nicolai, in cujus districtu parochiali praefati Antonii Romanelli familia exsistit, constat Oratorem esse filium pauperrimi fabri lignarii prope sexagenarii, qui nec bona nec officinam possidet, sed vivit tantummodo ex diurna tenui mercede laborum suorum; constat eum habere quidem duos fratres, qui tamen utpote militiae addicti patri nullum levamen afferre possunt; constat denique Oratorem ipsum studia persequi et absolvere non valuisse, nisi pii benefactoris charitas illum fuisset auxiliata. In hisce rerum circumstantiis, cum jam annum quintum supra vigesimum attigerit, facile est conjicere quod, nisi gratiam dispensationis, quam ardenter suspirat, a suprema Pontificis clementia consequeretur, ei, utpote mediis destituto et ad statum ecclesiasticum amplectendum solummodo parato, spes non affulgeret honestae sustentationis sibi et patri procurandae. Verum quidem est, non subsistere realem et evidentem illum promovendi ecclesiae necessitatem; sperare tamen juvat, quod haec necessitas non sit tam rigorose interpretanda, praesertim si aliae et quidem graves adsint causae, quae benignam videntur Oratori indulgentiam conciliare. Quas breviter hic colligere mihi liceat atque offerre considerationi Eminentissimorum Patrum, quo magis magisque eorum animos et studia ad favorem Oratoris valeant inclinare.

Atque in primis commemorabo Oratoris optimam vitae rationem; — signa non dubia vocationis; — et bonum in studiis theologicis, quae jam complevit, progressum; — dolorem quem magis animi quam corporis est passus, quando ei accidit infortunium, ex metu provenientem, ne propter irregularitatem ad sacerdotium ei denegaretur ascendere; — ipsum infortunium, quod nullo modo culpae ei verti potest, siquidem venationi nunquam fuit deditus; — fiduciam quam nihilominus semper coluit obtinendae veniae, qua nixus studia est prosecutus et absolvit; — paupertatem et aetatem superius descriptas ignorantiae cujusvis artis et professionis conjunctas.

Quibus omnibus consideratis, et insuper, quod defectus digiti pollicis sinistrae manus non impedit, quominus sacras caeremonias rite peragere valeat, ut ex factis experimentis constat, cum in paucis vicibus, in quibus pollex sinistrae manus est adhibendus, facile suppleri possit utendo digito medio, et hoc, quin propterea in populo admiratio aut scandalum excitetur; siquidem hujusmodi actiones a sacerdote super altari tergo verso ad populum peraguntur; considerato denique, quod certa spes adest verae utilitatis in Oratoris promotione in Ecclesiam derivaturae, vota facio et summopere confido, ut Eminentiae Vestrae, quamvis in aliis comitiis preces rejecissent, at-

tentis noviter deductis, sicut in similibus casibus, et in praesenti benigne reponant pro gratia dispensationis et habilitationis facto verbo cum Sanctissimo.

In separato folio exhibetur Eminentissimis Vestris votum praefecti caeremoniar. Pontific., qui peracto experimento et perpensis singulis facti adjunctis adductisque ad rem rationibus propitiam exoptatae dispensationi sententiam profert. Grave proinde non sit, rogo, Eminentiis Vestris alterum folium recolere, quod inter supplices libellos diei 8. Julii 1865 distributum fuit, et ad iteratas Oratoris preces rescribere, prout in Domino magis expedire videbitur.

Ex noviter deductis consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis et habilitationis.

33. Lauretana. — Dispensationis.

Die 27. Novembris 1847.

Ex apoplectico accessu ita in dextero crure et brachio correptus fuit anno 1842 sacerdos Dominicus Fabi Cassiodunensis, ut plures per menses decumbere coactus fuerit. Mense vero Decembris anni insequentis adeo vis morbi remissa fuit, ut cum et deambulare et stare, ope saltem baculi, non prohiberetur, S. hujus Ordinis auctoritatem efflagitaverit ad dispensationem a contracta irregularitate obtinendam. At cum ex peracto experimento constitisset, praefatum sacerdotem nullimode ministerio dexterae manus uti posse in sacra actione peragenda, excepta pectoris percussione ad verba „Agnus Dei“ ac „Domine non sum dignus“, necnon decenter genuflectere ob cruris impedimentum nequire, licet actiones omnes per sinistram optime expleret, referente illius temporis Episcopo Oratorem a notabili defectu non vacare in efformando praesertim laeva manu crucis signo, S. Congregatio die 24. Aug. 1844 illius preces dimisit rescripto: „Ex hactenus deductis non expedire.“

Ex eo temporis momento nunquam destitit presbyter Fabi preces ingeminare, ut gratiam primo denegatam tandem consequeretur tum ad animi sui solamen, tum ad paupertatem suam levandam, ne cum ordinis dedecore mendicare cogatur; nihil enim amplius quam scut. 24 eidem obveniunt quotannis ex ecclesiastico beneficio percipienda. Eamque ut facilius obtineat, proponit se missam quotidie celebraturum in parva ecclesia illius aedibus proxima, quae semper clausa manet praeterquam die sabbati, cum ita cesset scandali ratio ex actionis deformitate procedens. Illud insuper inpraesentiarum accedit, ut Orator absque ullo baculi adminiculo etiam per unius horae intervallum stare commode possit.

Hodiernus tamen Episcopus super novis precibus requisitus sententiam pandidit illis adversam in haec verba: „Sacerdos Fabi in digitis dexterae manus motu caret, proinde hostiam tangere ac frangere, ceteraque omnia, quae manu peragi debent, complere non valet. Unum quod potest, est percutere pectus ad „Agnus Dei“ et ad „Domine non sum dignus.“ Si igitur facultas implorata ipsi concedenda foret, vel omnino permitti deberet, ut caeremonias omnes unice per sinistram expleret, vel praescribendum esset, ut, dum missam celebrat, opituletur ipsi sacerdos alius superpelliceo ac stola indutus, qui ipsius dexteram manum moveat in caeremoniis peragendis et praesertim in fractione sacrae hostiae; quo casu deformitas adesset, quae admirationem generaret in populo. Cum itaque agatur de missae sacrificio, quod summam exigit reverentiam, puto Oratoris precibus non obsequendum.“

Duplici ex capite irregularis renuntiandus est Orator, quia scilicet ex ejus celebratione admiratio exsurgeret in populo ob deformitatem, et quia irreverentia ob debilitatem inferretur sacramento, uti advertitur in cap. Presbyterum 2. de cler. aegrot. hisce verbis: Nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus.

Hinc ex uno etiam irreverentiae titulo S. C. pluries dispensationem denegavit ob rei gravitatem, ut in Abellinen. 28. Julii 1770 negativum dedit responsum sacerdoti, qui ob laesionem in sinistro brachio passam hujus ministerio uti nequibat in sacro peragendo, ac similiter in Augustana 19. Decembris 1772 denegata fuit dispensatio cuidam parocho, qui omnes digitos integramque volam sinistrae manus amiserat ex chirurgica incisione, licet alii fuerint digiti argentei eidem ita affabre aptati, ut a veris non secernerentur.

At non eadem semper fuit Sacri Ordinis praxis. Siquidem in aliis, et quidem durioribus casibus benignitatem exercuit. In Consentina enim sub die 13. Julii 1725 dispensationem sacerdotis Lopez arbitrio Ordinarii remisit, licet flexibilitatem in dextero brachio amisisset; in Placentina inter supplices libellos relata 1. Februarii 1766 concessa fuit dispensatio sacerdoti, qui ejusdem brachii usum ex vulnere amiserat, in una Burgi S. Sepulchri 7. Julii 1787 dispensationem ad sex menses obtinuit parochus, qui accidentalem sinistri brachii jacturam fecerat, quamvis antea repulsam sustinuisset; in Geruntina 24. Maji 1788 concessa fuit celebratio hora a populo minus frequentata presbytero Cajetano Falbo, qui universos sinistrae digitos ex igneae ballistae disruptione inter venandum amiserat.

Hisce positis annuendum precibus Oratoris saltem ad tempus suadere videtur spirituale illius solatium, extrema ejus paupertas et irregularitas absque ulla culpa contracta ex vulgatissima canonici juris humanitate, qua jubetur afflictionem non esse addendam afflicto. Eoque magis erga eum benigne agendum esset, cum deformitatis impedimentum cessaret ex celebratione in proposita ecclesia clausis foribus peragenda, quae aequivalet privato oratorio, in quo solet injungi celebratio in similibus casibus, ut irreverentiae periculum tolleretur, ubi alterius sacerdotis assistentia praescribitur.

Non expedire.

b. Manus rigida est.

34. Aesina. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 26. Novembris 1864.

Laurentius Ponti, a 23 annis inter collegiatae ecclesiae oppidi Carotti Aesinae dioecesis canonicos adscriptus, mense Februario hujus anni e sinistro corporis latere apoplexiae morbo correptus est. Post longum temporis intervallum paralysis a pede ferme recessit, laeva tamen manus ita iners manet, ut ex medici sententia nonnisi remota spes effulgeat aliquem sensum aliquando eam fore recepturam. Impeditus ergo, quominus sacrum peragere rite valeat supplici prece petiit, ut ex Apostolicae Sedis benignitate per opportunam ab irregularitate dispensationem eidem facultas concederetur debitis sub cautelis iterum missae sacrificium offerendi ad animi sui afflictionem minuendam, et congruam vitae sustentationem quotidiana missarum eleemosyna comparandam.

Propitium sane hujusmodi precibus suffragium Eminentissimus Episcopus addidit, qui praeterea infirmum et pauperem Oratorem huic Sacro Ordini

commendavit ea etiam ratione innixus, quod celebratio missae, ut ipse ajebat, manu tantum dextera aliquando per S. Sedem indulta fuerit. Ad majorem vero cautelam in re tanti momenti visum est illico praelaudatum Eminentissimum rogare, ut peracto experimento coram caeremoniarum magistro distincte magis referret de statu laesi brachii, quasve caeremonias explere non valeret Orator, nisi cum assistentia alterius sacerdotis, absque irreverentiae periculo.

Haec ergo Episcopus retulit: „Peractum est experimentum coram sacr. caerem. magistro, relatumque nobis est, Oratorem omnibus facultatibus intellectualibus praeditum potestatem habere memoriter secreta recitandi, ac clara voce verba libere et distincte pronuntiandi, ut rite sacrum perficiat. Duo tamen sunt, quae idem caeremoniarum magister negat per Oratorem absolvi posse: 1°. videlicet eum non valere hostiam sacram frangere per medium super calicem dextera tantum manu; 2°. non valere eadem dextera manu dumtaxat extergere patenam super calicem eam fragmentis mundando. Quare sentit pro his duobus implorandam esse gratiam frangendi hostiam super patena manu tantum dextera, et extergendi patenam ope alterius sacerdotis, qui Oratori celebranti patenam super calicem retineat, eodemque tempore calicis pedem altera manu cohibeat, ne moveatur. Quod sacerdotis auxilium durante paralysi necessarium omnino existimatur, licet Orator contendat posse se a fragmentis patenam abstergere manu tantum dextera, quin ponatur super calicem missalis juxta rubricas.“

Post haec ita suas concludit literas Eminentissimus Praesul: „Cum Orator factus non sit deformis ob paralysim, cumque ejus incessus sit paene naturalis, et, si usus excipiatur laevae manus, omnia fere ut ceteri sacerdotes adimpleat: ad haec cum in terra Montis Carotti brevi temporis intervallo plures sacerdotes decesserint tum juvenes tum senes, cumque bonum christifidelium spirituale postulet, ne desit Oratoris celebratio, nullum verbum faciens de provecta ejus aetate, de vera ejus paupertate, de diuturno ac continuo servitio ecclesiae Montis Carotti praestito, dignum gratia, quam implorat, existimarem.“ Imo in novis aliis literis eamdem gratiam utilem et necessariam dijudicat.

Ex iis, quae huc usque in facto enarrata sunt, facile eruitur, rem esse in themate de gravissimo corporis defectu, eoque constanter in posterum, ut medicus arbitratur, perseveraturo. Non raro quidem Sacra Congregatio in ejusdem fere morbi circumstantiis vel etiam in levioris defectus casibus dispensationis gratiam denegavit, prout haud pauca exempla docent in Sacri Ordinis resolutionibus. Opus profecto non est, ut hujusmodi exempla heic afferantur, cum palam sint difficultates, quae in similibus casibus solent occurrere. Quoniam vero Eminentissimus Episcopus gratia dignum Oratorem existimat recolens aliquando concessam fuisse hujusmodi dispensationem, nonnullos adducam casus cum propitiis huj. Sacri Ordinis rescriptis.

In una Consentina inter supplices libellos diei 13. Julii 1725 etsi res esset de sacerdote, qui, amissa in dextero brachio qualibet flexibilitate, impotens evaserat ad sacr. hostiam et sanguinem cum eadem manu sumendum, ad porrectas tamen dispensationis preces rescriptum fuit: „Arbitrio Archiepiscopi“.

In comitiis habitis die 28. Junii 1785, cum relatus esset inter supplices libellos casus Philippi cujusdam Maggiorani, qui ex fortuita sinistri brachii jactura irregularis effectus fuerat, responsum quidem est ea die: „Negative“. At rursus propositis precibus die 16. Junii 1788, exiit rescriptum die 7. Julii ejusdem anni: „Ad Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem.“

Canonicus Falbo Geruntinae dioecesis, qui ex licita venatione omnes sinistrae manus digitos amiserat, in consessu habito die 27. April. 1788 sequens ad exhibitas pro dispensatione preces responsum obtinuit: „Affirmative modo celebret hora a populo minus frequentata.“

In Baren 20. Dec. 1823. propitium dispensationis rescriptum habuit sacerdos, qui brachii dexteri motum omnem ob laesionem amiserat. Et haec sunt exempla remotiorum annorum.

Ex recentioribus vero duo praecipue ad rem facere videntur, quorum primum prostat in Bergomen. Dispensationis per summaria precum diei 27. Nov. 1852, (n. 20.), in qua favore sacerdotis, qui ad removendum certae mortis periculum sinistri brachii passus fuerat amputationem, sequens rescriptum prodiit: „Dummodo celebret in oratorio privato, et si Episcopo videatur cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia dispensationis, et rehabilitationis . . . . facto verbo cum Sanctissimo.“

Alteram vero in Pampilonen. diei 23. April. 1853 pariter inter supplices libellos, in qua sacerdos Raymundus Arigabolo cum in sinistro brachio tantam passus esset laesionem, ut eumdem nullatenus movere valeret, a Sacro hoc Ordine dispensationem ab irregularitate petiit rescriptumque consecutus est: „Pro gratia dispensationis et rehabilitationis facto verbo cum Sanctissimo, modo celebret hora a populo minus frequentata et cum assistentia presbyteri vel diaconi, si id commode fieri posse Episcopo videatur.“

His ergo perpensis casibus super majori etiam nedum aequali gravitate defectus, judicent Eminentiae Vestrae, utrum peculiares circumstantiae in casu occurrentes Oratoris preces satis benignitati Sacri Ordinis commendent.

Dummodo adsit populi necessitas et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia remittenda arbitrio et prudentiae Eminentissimi Episcopi dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

35. Massen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 9. Decembris 1865.

Joannes Frizzotti, sacerdos et rector ecclesiae parochialis oppidi Bole Massensis dioeceseos, anno elapso apoplectico morbo correptus est ad sinistrum corporis latus. Favente Deo in viridi adhuc aetate, in qua versatur Orator (nondum enim trigesimum quintum annum attigit), ita e morbo convaluit, ut nulla mentis debilitas in ipso supersit; nec ullo indigeat alterius auxilio in pluribus actionibus exercendis. Attamen sinistra manus quolibet motu destituta est ita, ut iners et pendula maneat. Impeditus ergo, quominus sacrum rite peragere possit, supplici libello petiit, ut super irregularitate cum ipso dispensetur.

Rogavi de more Episcopum, ut peracto experimento distincte referret, quas actiones in sacro faciendo Orator explere non posset, et utrum periculum adesset irreverentiae et admirationis; et Massensis Antistes prout sequitur reposuit: „Cum ad hanc urbem propositum sibi facturus experimentum coram ss. caeremoniarum magistro Orator sese conferre ob infirmam valetudinem nequiverit, id praestitit penes vicarium foraneum, quem ad hunc finem deputavi, et ex hujus relatione constitit, praedictum sacerdotem nec hostiam

consecratam super calice dividere posse (quod super patena perficit manu dextera omnino libera) nec eam manu sinistra recipere, dum ait: „Domine non sum dignus,“ neque patenam supponere, dum sumit sanguinem, neque tandem collecta in patena fragmenta immittere in calicem pollice et indice dexterae manus, nisi ab alio sacerdote adjuvetur, qui patenam ipsam sustineat. Quod spectat ad oblationem hostiae et vini, nec non elevationem hostiae et calicis post consecrationem, haec omnia exsequitur apparenti etiam auxilio manus sinistrae, quam inter digitum medium et annularem acceptam sacrae actioni inservire cogit. Ceterum in actione missae nullum irreverentiae periculum prudenter timeri debet, si alius sacerdos eidem parocho celebranti semper assistat: quod ejusdem frater jam in cura animarum adjutor ei datus praestare potest: nec ejus agendi ratio in sacro missae peragendo ullam admirationem est paritura eo quod excepto lento modo, quo genuflectit et se ad populum vertit, reliqua rite et satis expedite complet: ejus autem populus, quin admirationis sensus experiri et ostendere autumetur, pastorem valde sibi acceptum super altare missae sacrificium rursus offerentem quam citius cernere peroptat. Quae cum ita sint, humiliter censeo praefatum sacerdotem dispensatum a caeremoniis superius expressis missae sacrificium facere tuto posse, modo tamen morbus fortasse ingravescens alia non afferat impedimenta, hujusmodi autem dispensationem impedituram esse, quominus infirmus ardenti quem nutrit desiderio celebrandi missam frustratus in pejorem conditionem proruat.“

Ex hucusque narratis ob oculos habent Eminentissimi Patres sacerdotem eumque curae animarum addictum, plebi suae acceptum et ab Episcopo commendatum, qui supplici prece benignitatem Apostolicae Sedis exorat, ne diu a sacro conficiendo abstinere cogatur attenta irregularitate, in quam incidit ob corporis infirmitatem. Quae refert Episcopus ex peracto experimento, periculum in sacrificio missae offerendo removent, et admirationem populi adeo excludunt, ut e contra populus ipse cupiat quammaxime, ut Orator voti compos fiat. Praeterea, ne afflicto addatur afflictio, quae gravissima ceteroquin esset parocho, ceu monet Episcopus, petitam dispensationis gratiam Orator promereri videtur. Quod si Sacra haec Congregatio raro super irregularitate dispensare in more habet cum promovendis, non eodem rigore utitur cum jam promotis, ceu plura docent exempla, etiam novissima, in Æsina diei 26. Novembris 1864 (n. 34.) cum sacerdote, qui apoplectico pariter morbo correptus laeva manu uti nullatenus valebat ad missae sacrificium peragendum, et in De Linares diei 8. Julii hoc eodem anno, (n. 22.), in qua dispensandum super gravissima irregularitate censuerunt Eminentiae Vestrae presbyterum, qui sinistri brachii amputationem passus fuerat. Perpensis itaque superius allatis adjunctis, dijudicent Eminentiae Vestrae, utrum eadem indulgentia favore parochi Oratoris adhibenda sit.

Dilata et recurrat, cum notabile melioramentum experiatur.

36. Salernitana. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 11. Januarii 1868.

Archiepiscopus Salernitanus literis diei 2. Septembris proxime elapsi anni ad Eminentissimum Sacrae hujus Congregationis Praefectum exposuit, sacerd. Felicem della Calce, unum ex participantibus ecclesiae collegiatae S. Michaelis Archangeli di Castiglione in sua archidioecesi, mense Dec. anni 1864 apoplexia percussum in sinistra corporis parte debilitatum esse,

sed adhibitis constanter remedi's artis medicae eo pervenisse, ut spedite moveat pedem et superiorem brachii partem, quin tamen inferiorem brachii partem manumque movere queat. Tum addit Archiepiscopus: „Cum Orator aliquantulum convaluisset, missam celebrare coepit, sed quia manus sinistra omnino erat arida, omnes partes sacrae liturgiae sola dextera peregit non exclusa fractione hostiae in tres partes, quam faciebat supra patena. Tali modo praefatus sacerdos continuavit usque ad mensem Junii proxime elapsum, dum ego de ejus conditione certior factus eum increpui et tanquam irregularem a celebratione missae suspendi. Nunc convictus se male egisse, pro sua devotione et pro commodo civitatis, quae non habet multos sacerdotes, celebrationem missae sola manu dextera continuare cupit. Supplicat igitur Eminentiam Vestram, ut a Beatissimo Patre gratiam praedictam impetrare dignetur. Magister caeremoniarum, qui Oratorem examini subjecit, retulit mihi, eum sola manu dextera omnes missae caeremonias exacte perficere."

Mirum sane videtur, quod Orator omnes ritus exacte perficere possit solius dexterae usu, cum ab elevatione sacrae hostiae usque ad purificationem inclusive plura occurrant, quae, ut rite perficiantur, ambas manus certo requirunt. Indulgendum igitur hac super re aliquid est vel oculis magistri caeremoniarum vel ejusdem commiserationi erga infelicem presbyterum, si, quod ex acquisita jam dexteritate facile potuit exsequi una tantum manu, id exacte expletum fuisse asseruerit. His tamen omissis animadvertendum hic est, agi in casu de jam promoto, qui, cum versetur in aetate annorum 47, nisi gratiam dispensationis ab irregularitate consequatur, per longum vitae spatium, ut probabile est, carere debebit peculiaribus auxiliis, quae ex missae sacrificio sacerdotibus obveniunt, quaeque quam maxime necessaria reputantur ad sanctum vitae propositum sollicite custodiendum. Cumque absque ulla culpa in irregularitatem inciderit, graviorem etiam experiretur afflictionem ex superaccedenti perpetuae suspensionis a sacris infortunio. Ceterum pertimescendum non videtur ex dispensatione vel scandalum in populo, cum fideles illius regionis eum usque ad mensem Junii exacti anni missam celebrantem absque ulla admiratione inspexerint, vel periculum in sacris peragendis, cum Orator tantam aptitudinem ex usu solius dexterae manus adeptus sit, ut fere omnes caeremonias integre explere valeat.

His autem in adjunctis, concurrente etiam utilitate ecclesiae, quae in themate praesto esse videtur, habita ratione ad exiguum sacerdotum numerum in oppido Castiglione, et praesertim in rurali ecclesia, cui Orator inservit, ubi deest alius sacerdos, ita ut Orator suis sumptibus ex alio pago sacerdotem venire curare debeat, Sacra Congregatio pro dispensationis gratia saepe rescripsit, ceu docent exempla rescriptorum, quae prodierunt in Aesina diei 26. Nov. 1864 (n. 34.) inter supplices libellos favore sacerdotis, qui ob paralysim usu sinistri brachii penitus destitutus fuerat, in Litomericen. 17. Dec. ejusdem anni per summ. precum (n. 29.) cum alio sacerdote, qui sinistrum brachium fortuito amiserat, et in De-Linares 8. Julii 1865 (n. 22.) pariter per summ. precum cum presbytero, cui sinistrum brachium fuerat amputatum.

In Aesina siquidem rescriptum fuit: „Dummodo adsit populi necessitas, et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia dispensationis et habilitationis facto verbo cum Sanctissimo." Iterum in Litomericen: „Dummodo adsit populi necessitas et celebret cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi pro gratia remittenda arbitrio Episcopi dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum Sanctissimo." In De-Linares tandem:

„Dummodo celebret in oratorio privato cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, pro gratia dispensationis et rehabilitationis ad tempus arbitrio Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.“ Quas Sacri Ordinis resolutiones Sanctissimus benigne approbare et respective confirmare dignatus est. Quapropter, si Eminentiae Vestrae indulgendum esse censuerint cum praefato sacerdote della Calce, cum in themate agatur de presbytero, qui ruralis ecclesiae servitio addictus est, ubi probabiliter privatum oratorium non reperitur, et fideles loci probe noscant calamitatem, in quam absque ulla culpa Orator incidit, concedi eidem etiam posset ad exemplum Aesinae et Litomericen., ut in consueta sua ecclesia missae sacrificium prout jam antea celebret. Quoad assistentiam vero alterius sacerdotis vel diaconi possent Eminentiae Vestrae negotium remittere prudenti arbitrio Archiepiscopi, etiam ad tempus, ceu factum fuisse memini in citat. De Linares; nec praetereunda videtur hac super re Tarnovien. diei 5. Decembris 1846 proposita pariter per summ. precum, in qua Sanctissimus censuit annuere votis cujusdam Zaramba, cui dexterum brachium usque ad humerum ex fortuita et inculpabili calamitate fuerat amputatum, et conditionem assistentiae alterius sacerdotis remisit judicio Ordinarii, quatenus nempe praedictus sacerdos ea indigeret

Arbitrio et conscientiae Archiepiscopi, non ingravescente actuali valetudinis statu, facto verbo cum Sanctissimo.

c. Deficiunt digiti index vel pollex.

37. Fabrianen.

Die 7. Septembris 1833.

Scribit Episcopus Fabrianensis, se pro criminalibus judiciis sua in curia habendis judicem, quem „processantem“ dicunt, adsciscere debere clericum coelibem juxta recens editas de ea re praescriptiones. In id muneris porro unice ea in civitate aptum nactus est Nicolaum Rigucci annos natum 60, religione et optimis moribus commendatum et sufficienti scientia instructum, quia per multos annos officio cancellarii functus est primo in civili, deinde in ecclesiastico tribunali. „Sed cum lege cautum sit, ait Episcopus, illum clericum esse debere coelibem, et dictus Nicolaus tonsuratus non sit, libenter ipsi tonsuram conferrem, cum in ipso desiderium inveniam in Ecclesia fidelius et proximius Domino serviendi. At impedimentum obstat insuperabile, nisi illud removeat auctoritas Apostolica, juxta ss. canonum sanctiones. Irregularis enim est ex defectu corporis; mutilatum enim habet pollicem et indicem sinistrae manus ex infausto eventu juvenili aetate in venatione perpessum. His rerum adjunctis non possum, quin EE. VV. instanter rogem dispensationem a dicta irregularitate pro sola tonsura, uti eo uti possim in praesenti et gravi necessitate.“

Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia dispensationis et habilitationis pro prima tonsura tantum absque spe progrediendi ad ceteros ordines etiam minores, facto verbo cum Sanctissimo.

38. Burgen. — Dispensationis super irregularitate.

Die 23. Januarii 1864.

Joachim de Zayas, archidioecesis Burgensis in Hispania, jam in primis aetatis suae annis dextera in manu adustionem perpessus adeo funestos ex

ipsa tulit effectus, ut ejusdem manus pollex et index haud leviter laesi fuerint. Exinde Orator decem et octo annos nunc natus et in seminario Burgensi ecclesiasticis disciplinis operam navans, supplicem libellum sacratissimo Principi obtulit, ut cum ipso super irregularitate dispensare dignaretur. Ablegatae fuere preces ad Eminentissimum Archiepiscopum, qui insimul rogatus est, ut animi sui sententiam panderet et referret tum, utrum peracto coram ss. caeremoniarum magistro examine memoratus defectus adeo gravis esset, ut impedimentum in sacris praeberet, aut admirationem et irreverentiae periculum in populo excitaret, tum vero doceret de aetate, moribus et scientia petentis, de Ecclesiae necessitate et utilitate, et tandem, utrum Orator adustionem manus ex facto culposo passus esset.

Quibus omnibus idem Eminentissimus Praesul literis datis sub die 11. Junii anni elapsi ita satis factum esse respondit: „Peracto coram s. caeremoniarum hujus dioecesis magistro scrupuloso experimento super defectum digitorum pollicis et indicis dexterae hujus Oratoris ex ustione provenientem, nihil omnino expertum est, quod sacris faciendis praebeat impedimentum, quodve periculum exhibeat sive irreverentiae sive populi admirationis, nisi fortasse in actu administrationis sacrae synaxis.

„Orator, qui nullo ex facto reprehensione digno hunc defectum passus est, aetatis suae decimum octavum jam annum attigit, integritate morum et summa ad studia applicatione pollet; quapropter censendum est, utilitatem et necessitatem Ecclesiae ipsius ministerio indigere, et super praedicto impedimento dispensari posse, dummodo illi facultatem concedat Sanctissimus administrandi sinistra manu sacram eucharistiam.“

Post has literas aliae silentio praeteriri non debent ejusdem Eminentissimi Archiepiscopi diei 7. superioris Novembris, quibus exactiorem defectus descriptionem exhibere studet: „Defectus digitorum pollicis et indicis manus dexterae, quo laborat Orator Joachim de Zayas, in eo consistit, ut non solum ipsi adusti et eorum tendones contracti sint, sed etiam quod dimidia pars ultimae seu superioris phalangis pene deficiat. Sed cum unguis in utroque succreverit, facile et moveri et uniri possunt, nihilque impedit, ut hostia inter ipsos aut teneatur aut frangatur.“

Uti in quamplurimis aliis, etiam recentioribus per me EE. VV. propositis Oratorum precibus super dispensatione ab irregularitate ob corporis defectum, ita in hoc supplici libello potissima quae occurrit difficultas in eo est, quod de promovendo, non vero de promoto agatur. Notissima profecto est praxis, quae in hujusmodi circumstantiis ab hac Sacr. Congregatione servatur, eaque rariores indulgentiae casus exhibet. Cum vero Eminentissimus Burgensis Antistes suis literis referat, nullum in themate impedimentum adesse, quod sacrum rite peragi impediat, nullumque periculum irreverentiae vel admirationis obventurum in populum, quoties Oratori permittatur usus sinistrae manus in administranda fidelibus eucharistia, EE. VV. dijudicandum relinquitur, utrum adductae ab Archiepiscopo causae dispensationis ex utilitate et necessitate Ecclesiae, praesertim in Hispania, hujusmodi sint, ut indulgentiam et benignitatem Sacri hujus Ordinis promereantur. Ex utilitate in Ecclesiam redundante dispensatum est cum clerico, qui anteriori parte pollicis sinistrae manus orbatus erat in Cameracen. 20. Januarii 1821. Idem occurrit in Comen. 21. Februarii 1824; et in duabus aliis per summaria precum porrectis, Januen. scilicet 6. Augusti 1825 et Apuana 27. Septemb. 1860 (n. 50.), quarum in prima clericus integro sinistrae manus indice carebat, in altera vero adustionem digitorum medii et minimi orator pertulerat. Supramemoratae tandem causae dispensationis efficaciores

quoque videri possunt in themate, attentis integris moribus et summo scientiarum studio, quibus Oratorem de Zayas maxime commendari Eminentissimus Archiepiscopus refert.

Prout exponitur, non expedire.

39. Sabarien. — Dispensationis.

Die 13. Septembris 1862.

Decurrentis anni die 26. Julii Beatissimo Patri preces porrexit Reverendissimus Episcopus Sabariensis, quibus dispensationem super irregularitate exorat pro suae dioecesis presbytero Joanne Barathy, quem dicit „occasione venationis, deambulationis distractionisque causa susceptae, infelici catapultae jactu duos sinistrae manus digitos, pollicem scilicet et indicem, amisisse, et taliter irregularem effectum a celebrando ss. missae sacrificio arceri.“

De rationibus, quibus laudatus Antistes indulgentiam benigne adhibendam esse suadeat, haec habet: „Cum praeattactus presbyter et aptus, imo necessarius ob peritiam linguarum in dioecesi vigentium sit, et super vita ac morum honestate, aliisque laudabilibus probitatis et virtutum meritis optimo recommendari mereatur testimonio; cumque integros tres digitos, comparata sibi jam dexteritate, ad omnia adhibere queat, amissi vero in casu necessitatis consilio medicorum arteficiose suppleri possint: Sanctitati Vestrae praesentibus demississime supplicare sustineo, quatenus sumptis in benignam considerationem allatis rationum momentis ad consulendum dioecesis meae penuria presbyterorum laborantis saluti cum praeattacto presbytero, ut ex divinae pietatis fonte solatium animae spiritualemque profectum hausurus altari licite et libere servire queat, super irregularitate clementer dispensare dignetur.“

Capite 2. tit. 6. lib. III. decr. de clerico aegrotante vel debilitato habetur: „Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmae a praedone abscissos significasti, missam non permittimus celebrare, quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus.“ Ex quo manifesta fit ratio, qua Ecclesia et Sacra haec Congregatio moderari solet super hujusmodi irregularitate suas dispensationes. Cessante siquidem in singulis casibus difficultate in sacris peragendis et periculo admirationis in populo, magna utitur indulgentia, praesertim si quaestio sit de jam promoto, cum quo, utpote sacerdotalis excellentiae juribus jam potito et eorum privatione magis affligendo, benignius agere Sacra Congregatio consuevit. Dispensationem ideo in hac ipsa, de qua in casu, irregularitatum specie promotis concessam fuisse prostat in Apuana 8. Maji 1824, inter causas per summar. precum ap. Gamberini relata, in qua sacerdos, qui ex igneae balistae disruptione duos sinistrae manus digitos, indicem nempe et pollicem, amiserat, dispensationem obtinuit, quamvis Episcopus nullum de speciali ecclesiae necessitate, sed solummodo de paupertate Oratoris testimonium dedisset. Ob idem praecise motivum, etsi in graviori etiam infortunio, gratiam obtinuit in Geruntina 26. Aprilis 1788 sacerdos Cajetanus Falbo, qui laevae manus digitos universos perdiderat. In casu vero minime deesse videntur graves etiam rationes, quibus oblatae preces commendentur. Praeter hoc enim quod agitur de ecclesiastico, ut ait Episcopus, vitae honestate multum commendando, affertur etiam, quod ob scientiam, quam habet sacerdos Barathy diversarum linguarum usu in dioecesi vigentium, peculiaris ex dispensatione

Ecclesiae obvenit utilitas; cui utilitati necessitas accedit, cum dioecesis Sabariensis sacerdotum penuria laboret, quin ullum pariter obstare videatur periculum vel irreverentiae vel admirationis; testatur enim Episcopus, sacerdotem Barathy comparata sibi jam dexteritate ad omnia adhibere posse tres digitos minime laesos, et amissis in casu necessitatis ad admirationem evitandam consilio medicorum artificiose posse suppleri.

Si indulgentia benigne utendum esse consultum fuerit, sapientiae vestrae, Eminentissimi Patres, judicandum relinquitur, utrum sacerdoti Barathy videatur imponenda obligatio adhibendi in sacro peragendo duos aureos digitos aut saltem inauratos affabre conficiendos, ceu injunctum habetur in Cameracen. 20. Januarii 1821, in qua prodiit quidem affirmativa responsio super dispensatione ab irregularitate, „cum digitali tamen aureo vel argenteo inaurato ita inhaerente, ut omne periculum arceatur, quod in sacro peragendo cadere possit, et praemisso experimento coram sacrarum caeremoniarum magistro et dummodo eo digitali in nulla alia actione utatur ac reverenter in capsula custodiatur.“ In Apuana vero diei 8. Maji 1824 dispensationi concessae super irregularitate ex eodem impedimento proveniente haec conditio adjecta non legitur, facultas tamen celebrandi cohibita fuit ad ecclesiam parochialem, cum infortunium sacerdotis ibi ab omnibus cognosceretur. Aliae nonnullae conditiones ab hac S. Congregatione adhiberi solitae minime in casu admittendae viderentur, cum alias utilitati et necessitati ecclesiae non consuleretur, cui ante omnia petita dispensatione providere cupit Sabariensis Episcopus.

Dilata et ad mentem: mens est, quod Episcopus referat, quomodo deficientibus digitis indice et pollice aptari possint digitalia aurea vel argentea, et cum iis operari, ut sacrum peragat sine periculo et irreverentia, et fiat etiam experimentum coram magistro caeremoniarum tam cum digitalibus quam sine, idest cum reliquis tribus digitis.

Die 6. Junii 1863.

Mandatis Sacrae Congregationis paruit Episcopus, et literis 27. Februarii h. a. iterum Sanctissimo Domino Nostro rescribens, haec habet: „In obsequium benigni Eminentissimorum Patrum mandati digitalia argentea inaurata in articulis ope digitorum flexibilia sunt ita artificiose constructa, manuique, palma quoque iisdem redintegrata, ita adaptata, ut, prouti experimentum institutum probavit, probe censeatur, taliter et periculum amotum, et excitandae in populo admirationi cautum, reverentiaeque ac difficultati in sacris peragendis consultum iri. Facilius quidem dictum presbyterum reliquis tribus digitis sacram operationem peragere indubium est, usum tamen digitalium artificiosorum in externa parte debite coloratorum magis reverentiae et arcendae in populo admirationi consulere ad minus in concursu populi urgere videtur argumentum. Hinc Sanctitati Vestrae praesentibus demississime supplicare sustineo, quatenus ad consulendum dioecesis meae penuria presbyterorum in primis labii croatici laborantis saluti, cum praedicto presbytero, ut ex divinae pietatis fonte solatium animae profectumque spiritualem hausurus altari libere et licite servire queat, super irregularitate clementer dispensare dignetur.“

Eminentias Vestras igitur rogo, ut grave non sit recolere folium in praefata congregatione diei 13. Septembris elapsi anni distributum, et preces rescripto, quod in Domino magis expedire visum fuerit, dimittere.

Attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia dispensationis et habilitationis, injuncto tamen onere, ut amissis digitis suppleatur duobus digitalibus argenteis inauratis juxta relata ab Episcopo, et dummodo his digitalibus in nulla alia actione utatur et ea reverenter custodiat in capsula, facto verbo cum Sanctissimo.

40. Tridentina. — Dispensationis.

Die 26. Januarii 1861.

Sacerdos Parides Leonesi, cooperator parochialis in loco Baselga Tridentinae dioeceseos, causa accidentalis morbi amputationem passus est, ex qua primam ex integro et ex aliqua parte etiam secundam phalangem digiti indicis manus dexterae amisit. Causatus itaque suam paupertatem ac exiguum sacerdotum numerum in dioecesi Tridentina, dispensari ab irregularitate postulat, ut scilicet digito indice sic mutilato vel medio ad sacrosanctum missae sacrificium celebrandum uti valeat.

Super oblatis precibus haec habet Episcopus: „Orator die 18. Aprilis anno 1816 natus atque ad presbyteratum die 11. Julii 1841 promotus pietate et religione constanter eminuit atque laudabilem in cura animarum operam pro viribus hucusque praestitit.

„Ob periculosum tumorem, quo nuper accidentaliter affectus est, necessaria a peritis judicata fuit aliqua mutilatio, ex qua Orator primam ex integro, et ex aliqua parte etiam secundam phalangem digiti indicis manus dexterae amisit.

„Sperabatur fore, ut digitus sic mutilatus quantocius sic sanaretur, ut gratia S. Sedis Apostolicae accedente ad sacrosanctum missae sacrificium adhiberi posset; sensim vero fere ex integro obriguit, et in tali statu invenitur, ut certe diutius coopertus retineri debeat, et probabilius ad praedictum usum non amplius aptus evadat.

„Peracto autem experimento coram ss. caeremoniarum magistro patuit, Oratorem cooperto digito offenso aliquo velamine carnei coloris decenter et commode sine ulla populi admiratione sanctam missam celebrare posse, dummodo benignissime usus digiti medii loco indicis permittatur.

„Orator bonis fortunae destitutus est, ut stipendiis missarum, quae hic abundant, pro honesta sustentatione indigeat. Cleri vero penuria in hac dioecesi est magna, ut grave accideret bonum cooperatorem pro cura animarum perdere.

„Omnibus hisce perpensis humillimis Oratoris precibus pro gratia obtinenda et meas reverenter adjungere audeo.“

S. Congregatio justa concurrente causa in more perpetuo habuit dispensationem impertiri ab irregularitate ob corporis vitium contracta, praesertim cum ageretur de dispensando sacerdote jam promoto, et non de clerico promovendo, ceu discusso articulo definitum fuit in Comen. Dispensationis 16. Maji 1775 et 12. Junii et 11. Julii 1776. Cujusmodi dispensationum exemplis plenus est resolutionum thesaurus, quorum plura refert supplex libellus in Januen. 2. Augusti 1823, qui est sub num. 69 penes Gamberini. In casu dispensationem suadere etiam viderentur probati Oratoris mores ejusque paupertas, nec non penuria sacerdotum in dioecesi, unde utilissimum illi censetur ecclesiae officium cooperatoris curati, quo ipse fungitur. Accedit testimonium magistri caeremoniarum, ex quo eruitur Oratoris defe-

ctum impedimentum non afferre, quominus decenter et sine populi scandalo et admiratione missae caeremonias peragere queat. Nec praetereunda denique Episcopi commendatio.

Pro gratia dispensationis et habilitationis juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

41. Maceraten. — Dispensationis.

Die 17. Decembris 1853.

Franciscus Bertoldi loci Fundi Tridentinae dioeceseos modo Maceratae domicilium habens ob morbum superventum tertiam amisit phalangem digiti indicis sinistrae manus. Ordini Capucinorum nomen daturus ibique ad minores ac ss. ordines promoveri exoptans supplex adstat dispensationem ab hujusmodi irregularitate postulans.

Episcopus, peracto experimento, prout ipsi de more fuerat per literas injunctum, refert: „Defectus Oratoris minimae adstat entitatis, qui divinis haud praebet impedimentum, neque scandalum in populo potest generare. Quae cum ita se habeant, et supplex Oratoris ejusdem libellus veritati consonus omnino sit, subordinate semper autumarem, gratiam, quam postulat, ipsimet utique concedi posse.“ Attexuit etiam chirurgi testimonium asserentis: „Phalanges, quae in isto digito supersunt, non solum manum monstruosam non reddunt, sed ne impediunt quidem apprehensionem vel minimi corporis inter pollicem et indicem aut ejusdem retentionem.“

Corpore vitiatos ab altaris ministerio arcendos, quoties absque populi scandalo, seu admiratione ac indecentia sacras functiones perficere nequeunt, mandat textus in can. Illiteratos. dist. 36 et cap. Presbyterum 2 de cler. aegrot. At vero ex Episcopi relatione patet nullatenus haec de Oratore verenda esse. Ad rem hinc potius facere videretur dispositio ex cap. 1 de corp. vitiat. ubi Pontifex Alexander III. respondit: „quod cum ipse non perdiderit tantum de digito, quod sine scandalo possit solemniter celebrare, satis potes permittere ipsum in suo ordine ministrare.“ Quamobrem non desunt exempla dispensationis ab hujusmodi et quandoque graviori defectu in persona etiam simplicis clerici. Sic in Comen. 21. Februarii 1824 dispensatus fuit clericus carens eadem tertia phalange digiti indicis sinistrae manus. In Lucana 19. Novembris 1825 agebatur de dimidia parte indicis ejusdem laevae manus, in Januen. 6. Augusti ejusdem anni, de eo qui integrum indicem amiserat, et tamen utroque in casu dispensatio denegata non fuit.

Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

42. Matheranen. — Dispensationis.

Die 22. Septembris 1860.

Clericus Nicolaus de Rosa alumnus in seminario Matheranensi, cum ex passa calamitate amiserit primam phalangem digiti indicis dexterae manus, supplex exorat ab irregularitate, qua laborat, dispensari, ut sacros ordines suscipere valeat. Exponit enim hujusmodi defectum impedimento ipsi non esse, quominus in sacrosancto missae sacrificio celebrando cuncta rite perficiat.

Idipsum confirmat Archiepiscopus, de Oratore asserens, quod „facto experimento, nullum praebet irreverentiae periculum, vel admirationem in populo ex defectu in digito indice. Cumque (addit) juvenis sit magna ingenii docilitate et animi mansuetudine ornatus, facile spes effulget fore Ecclesiae Dei perutilem, si ad ordinem sacerdotalem, quem concupienti animo exoptat, promoveatur.“

Quamvis in casu agatur de clerico promovendo, attamen dispensationis veniam denegare numquam suevit S. Congregatio, ubi ex una parte defectus adeo gravis non esset, ut divinis peragendis impedimentum praeberet, et admirationem pareret in populo; ex altera vero concurrerent boni Oratoris mores cum proprii Episcopi commendatione, et spes utilitatis Ecclesiae obventurae ex ejusdem promotione. Cujus quidem rei exempla frequentissima sunt in thesauro resolutionum S. Congregationis. Revera ceteris missis in Lucana inter summaria precum diei 19. Novembris 1825 dispensatum fuit cum clerico Josepho Perlicciotti, qui dimidia parte digiti indicis manus laevae carebat. Sed aliquando pro variis rerum circumstantiis S. Congregatio dispensationem impertiri non censuit, praesertim ubi de promovendis ageretur.

Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

43. Burdigalen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 28. Januarii 1865.

Eminentissimus Archiepiscopus Burdigalensis transmissis literis ad Beatissimum Patrem die 12. mensis Decembris anni 1863 ab eodem petiit, ut benigne dispensare vellet ab irregularitate clericum suae dioecesis Franciscum Brunaud, qui fortuito casu usum indicis dexterae manus amiserat et rogatus per hanc Sacram Congregationem, ut consueto peracto experimento magis praecise referret, an praefatus clericus valeret sine ullo irreverentiae ac admirationis periculo omnes explere actiones in sacro peragendo, et praesertim quoad sacram hostiam frangendam et calicem elevandum, novis datis literis Eminentissimus Archiepiscopus propitium testimonium s. caeremoniarum magistri transmisit, rursus rogans eamdem dispensationis gratiam.

Ex praefato testimonio et ex nuperrimis aliis literis Eminentissimi Praesulis eruitur, clerico Brunaud superiorem partem indicis esse praecisam, seu duas primas phalanges fere integras deesse, ita ut tantummodo remaneant tum inferior, tum tertia pars circiter phalangis intermediae. Eumdem commode et sine ullo irreverentiae ac admirationis periculo s. hostiam tenere ac frangere, nec non calicem apprehendere ac elevare valere: sacram communionem eodem digito distribuere non posse, at absque ullo incommodo medium digitum vices indicis agere, eoque facillime praedictum clericum uti in omnibus sacris rebus pertractandis. Commendat tandem Oratorem Archiepiscopus ajens, eumdem per multos annos tum philosophiae tum theologiae non sine laude operam dedisse, et spem effulgere, ut probe sancteque sacerdotalia munia obeat. Pro causa vero concedendae dispensationis adducit deficientiam sacerdotum in sua dioecesi.

Difficiliorem, prout omnes norunt, Sacra Congregatio se praebet in hujusmodi dispensationibus concedendis cum promovendo, quam cum promoto; vitium tamen, quo Orator laborat, non hujusmodi esse videtur, ut officiat in

sacro peragendo, aut scandalum et admirationem excitet. Cum ergo clericus digito medio absque ulla deformitate supplere valeat, cumque ad statum ecclesiasticum recte dispositus appareat, et fundatam spem praebeat, utilem ipsum evasurum suae dioecesi in sacerdotali ministerio, justam exhibere causam videtur, qua petitam Apostolicae dispensationis gratiam consequatur, ut ad minores et sacros ordines promoveri valeat. Quam gratiam in similibus fere circumstantiis concedendam esse clericis, si Sanctissimo placuisset, Sacer Ordo rescripsit, omissis antiquioribus, in Cameracen. Irregularitatis 17. Febr. 1821, in Lycien 20. Dec 1823 et in Lucana 19. Nov 1825.

Pro gratia dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

44. Mediolanen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 27. Februarii 1864.

Ambrosius Zucchi Saligeri, sacerdos archidioecesis Mediolanensis, coadjutor ad S. Firmum in paroecia Incini, ex inculpabili igneae ballistae explosione vulnere accepto, cum sinistrae manus pollicis amputationem subierit, supplicibus precibus a canonico cancellario ex delegatione Ordinarii die 20. Octobris 1863 transmissis Sanctissimum rogavit, ut super irregularitate hac de causa exorta benigne cum ipso dispensare dignaretur. Una cum precibus idem cancellarius delegatus propitio voto Oratori suffragans simul adducebat testimonium doctoris physici declarantis, Oratorem quatuor reliquos digitos ejusdem manus integros et ita agiles ut antea habere.

Requisitus praeterea Ordinarius, per novas literas ejusdem canonici cancellarii et delegati sub die 17. Decembris nuper elapsi datas S. H. C. exhibuit declarationem magistri sac. caeremoniarum, qui experimento coram se ab Oratore peracto juxta S. H. Ord. praescriptionem testatur, quod praefatus sacerdos „indice et medio ejusdem laevae potest nihilominus hic et nunc sustinere ac frangere sacr. hostiam absque periculo irreverentiae et admirationis.“

De irregularitatis existentia nullum dubium: c. ult. de corpore vitiatis, c. 2 de clerico aegrot, Sac. Congr. in Cadureen. 14. Januarii 1673 et in Novocomen. 4. Septembris 1726. Cum vero in casu ex adducto testimonio quodvis abesse dicatur periculum irreverentiae vel admirationis et aliunde de jam promoto agatur, quocum, ut notissimum est, S. H. O. multo benignius quam cum promovendis in dispensando se praebet, videant EE. VV., utrum memoratus Zucchi optata rehabilitatione ad sacra peragenda sit donandus.

Sane dispensatio ob corporis defectum maxime fortuito ac miserabili casu contractum haud raro concedi solet, et non pauca hic congeri possent rescripta, quibus in similibus et in infelicioribus longe speciebus Sacra Congregatio dispensandum esse censuit. Prae aliis simillimum afferam exemplum quod prostat in cit. Cadurcen. 14. Januarii 1673 lib. dec. 28. pag. 3. in qua, favore presbyteri Bartholomaei Murat, cui in avem explodenti sinistrae manus pollex amputatus remanserat, Sac. Congreg. censuit, „si Sanctissimo placuerit, posse committi Eminentissimo Urbis Vicario, qui, si defectum expressum nec scandalum in populo generare nec divinis impedimentum praestare judicaverit ac dummodo aliud non obstet, pro suo arbitrio et prudentia oratorem gratis rehabilitet et cum eo juxta petita dispenset.“ Insuper

recolenda hic pariter est Apuana 8. Maji 1824 (apud Gamberini), in qua S. Congregatio dispensandum esse judicavit, addita clausula: dummodo in ecclesia parochiali celebraret, cum sacerdote qui ex igneae ballistae diruptione indicem et pollicem sinistrae manus amiserat. Nec praeterennda Sabarien. diei 6. Junii 1863 (n. 39.), quae propitio rescripto dimissa est ab Eminentiis Vestris favore sac. Joannis Barathy, qui infelici casu pollice pariter et indice sinistrae manus orbatus fuerat.

Ut de causa tandem in hujusmodi dispensationibus requisita loquar, ea praesto esse videtur in Ecclesiae utilitate. Ordinarius enim refert, praedictum Ambrosium Zucchi, bonis moribus praeditum, in aetatis flore esse, cum ordinatus sit anno 1851, sani et robusti corporis, ita ut utiliter ministerium sacrum implere possit.

Pro gratia dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

45. Pistorien. -- Dispensationis ab irregularitate.

Die 28. Januarii 1865.

Mense Novembris superioris anni Torellus Vangucci plebanus S. Hippolyti in Piazzanese dioecesis Pistorien. supplici libello exponens se gravi morbo affectum in manu dextera liberum pollicis usum fere prorsus amisisse, petiit a Sanctissimo Domino Nostro, ut, praevia dispensatione ab hujusmodi irregularitate, facultas eidem concederetur uti digitis indice et medio in sacro peragendo et in eucharistia fidelibus administranda. Quod ut consequi facilius posset, literas Ordinarii sui transmisit, quibus maxime commendatur ad petitam dispensationem obtinendam, cum valde utilis ecclesiae suae renuncietur in parochiali munere exercendo.

Etsi preces propitiis his literis in omnibus sustentarentur, rogavi tamen illius dioecesis vicarium capitularem, ut peracto experimento distincte referret, quomodo Orator fractionem hostiae aliasque actiones perficere valeret, et an esset periculum irreverentiae vel admirationis in populo: isque injuncto sibi munere expleto, nihil repertum esse retulit, quod in Oratore vel missam celebrante vel eucharistiam distribuente tantum ministerium dedeceat, vel venerationi ejusdem apud fideles aliquo modo detrahat. Quare expetitam gratiam dispensationis concedi posse arbitratur, eamque ob rem enixe rursus in Domino Oratorem commendat.

De jam promoto agitur et parocho, ea proinde majori indulgentia digno, qua Sacer Ordo facilius in hujusmodi casibus utitur, ne, qui jam sacerdos est, perpetuo ob superventum infortunium a sacrosancto missae sacrificio celebrando abstinere cogatur, et hinc majorem etiam afflictionem in suo gradu sustineat, quam ille, qui pari infortunio ad sacros ordines promoveri prohibetur. Quod si exempla hujusmodi dispensationis presbyteris indultae adducenda sint, prae aliis non paucis simillima afferri possunt ex Cadurcen. 14. Jan. 1673 lib. decr. 28 pag. 3. de sacerdote pollice in sinistra manu carente, et ex Mutinen. 24. Maji 1734 (?) in qua benignitatem Sacri Ordinis expertus est sacerdos, qui tres digitos, pollicem scilicet, indicem et medium amiserat. Alia tandem recentissima, eaque multo graviora praesto sunt in Aesina 29. Novembris, (n. 34.) et in Litomericen. 17. Decembris (n. 29.) proxime elapsi anni, quarum in prima benigne suffragantibus Eminentiis Vestris propitio rescripto donatus est sacerdos usu sinistri brachii per apoplexiae morbum orbatus, et in secunda petitam dispensationis gratiam obtinuit, qui integram laevam manum fortuito casu abscissam deperdidit.

Clausulam non raro addit Sacra Congregatio in concedenda dispensatione, ut dispensatus vel in oratorio privato celebret, vel hora minus a populo frequentata, at cum Orator in casu sit parochus, si praefata clausula dispensationis rescriptum limitaretur, nequaquam utilitati ecclesiae consultum fore videretur, quae tamen in casu uti praecipua adducitur indulgendae dispensationis causa.

Pro gratia dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

46. Cephaluden. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 10. Maji 1862.

Josephus Gianni a S. Mauro dioecesis Cephaludensis aetatis suae annum 23. agens et jam clero adscriptus ad sacros ordines admitti cupit; cum vero ad eosdem ascensus ipsi praecludatur utpote laevae manus pollice carenti, Sanctissimum Patrem rogavit, ut ipsi dispensationem super hujusmodi irregularitate concedere benigne dignaretur. Supplici libello ad hanc S. Congregationem transmisso rogatus est Episcopus de informatione et voto, utque peracto experimento coram idoneo caeremoniarum magistro circa rubricas missae ope utriusque manus explendas referret, an hujusmodi sit impedimentum, ut praebeat periculum irreverentiae et admirationis in populo, et praesertim moneat, quomodo absque auxilio pollicis sinistrae manus sacra hostia frangi queat. Quibus mandatis Cephaludensis Antistes obtemperans, sequens caeremoniarum magistri testimonium transmisit: „Etsi clericus Joseph Gianni sinistrae manus careat pollice, attamen omnes missae rubricas, quae ope utriusque manus indigent, et praesertim sacrae hostiae fractionem perfecte exsequi valet absque dicti pollicis auxilio, quin aliquod scandali aut irreverentiae seu admirationis periculum adsit. Et hoc, quia secundus digitus actiones suas bene exercet cum enunciati pollicis tertia parte, quae primae partis vices gerit. Quapropter idoneum eum arbitror ad sacrum peragendum.“ Cui judicio apprime favet Episcopus ita mentem suam aperiens: „Experimento, quod Orator coram me fecit, reperi, defectum in pollice neque irreverentiae periculum neque scandalum producere.“ Additque praeterea: „Orator bene semper se gessit, et bono ingenio gaudet. Hucusque finivit cursum studiorum literarum, et iste profectus in studiis ejusque boni mores ecclesiae S. Mauri eum utilem fore spem praebent.“ Concludit tandem, inconveniens non esse, si annuatur precibus Oratoris, qui ad statum clericalem amplectendum valde se impelli sentit.“

Irregularem sane dicunt sacri canones eum, qui corpore vitiatus nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem celebrare posset, juxta text. in can. Illiteratus dist. 36. et in cap. Presbyterum 1. de cler. aegrot., et in toto titulo decretalium De corpor. vitiat. ordin. vel non. Et in praesenti casu irregularitatem adesse patet ex Cadurcen. 14. Januar. 1673, in qua S. haec Congregatio irregularem dixit sacerdotem pollice in sinistra manu carentem, quemadmodum irregularem pariter judicavit alium sacerdotem, cui digitus pollex in manu dextera abscissus fuerat in Novocomen. 4. Septembris 1726.

Etsi in praesenti casu agatur de clerico promovendo, in quo major dispensandi ratio merito requiritur, quam si res esset de jam promoto, non desunt tamen exempla hujusmodi dispensationum cum clericis promovendis, praesertim ubi ex una parte defectus non adeo gravis esset, ut sacris peragendis impedimentum praeberet et admirationem in populo suscitaret, et ex

altera concurrerent boni mores Oratoris cum proprii Episcopi commendatione et spes utilitatis Ecclesiae ex clerici Oratoris promotione obventurae.

Denegata profecto fuit ab hac S. Congregatione dispensatio his ultimis annis in Pampilonen. 22. Novembris 1856 (n. 48.) et in Patavina 27. Aprilis 1861 (n. 51.) per summaria precum propositis; duriores tamen aderant circumstantiae, quam in specie, de qua nunc agitur; in Pampilonensi siquidem sinistra manus Oratoris velut massa informis erat obtruncata digitis; et in Patavina dextera manus duos tantum digitos, pollicem scilicet et indicem, liberos habebat, et peracto experimento clericus in plurimis missae rubricis exsequendis omnino deficiebat. Multo plures praeterea afferri possunt H. S. O. faventes precibus responsiones, uti prae aliis ex Cameracen. 20. Januarii 1821, in qua dispensatio concessa fuit clerico, qui anteriori parte pollicis sinistrae manus orbatus dispensationem rogabat, ut promoveri posset ad sacros ordines, et missam cum digitali aureo vel argenteo celebrare valeret; item ex Comen. 21. Februarii 1824 inter supplices libellos relata, ubi agebatur de eo, qui prima phalange indicis lacvae manus carebat; nec non ex Januen. 6. Augusti 1825 et Apuana 27. Septembris 1860 (n. 50.) pariter per summaria precum propositis, in quarum prima clericus integro sinistrae manus indice orbatus erat, et in altera orator ob digitorum medii, annularis et minimi adustionem difficillime plures sacrificii caeremonias perficere valebat.

Has ergo et alias hujus Sacrae Congregationis responsiones inspicienti apparet, inter eos, qui infelicem suae petitionis exitum habuerunt neminem fuisse, qui non graviori qua clericus Gianni infirmitate laboraret, inter illos autem, qui exorata benignitate H. S. Ordinis gavisi sunt, non defuisse, qui majori difficultate in peragendis sacris caeremoniis detinerentur. Ceterum etsi de urgenti Ecclesiae necessitate nihil habeat Episcopus in suis literis, utilem fore tamen sperat ecclesiae S. Mauri promotionem clerici Gianni, quem hujus Sac. Congregationis benignitati commendat testimonio bonae vitae et ingenii.

Quibus expositis ab Eminentiis Vestris judicandum erit, (si forte dispensationem Oratori concedendam censuerint), utrum expediat aliquam adjicere ex clausulis ac cautelis in similibus casibus apponi solitis; ex. gr. assistentiam alterius sacerdotis, vel missae celebrationem hora minus frequentata, aut cum digitali aureo vel argenteo inaurato ita inhaerente, ut periculum omne arceatur, quod in sacro peragendo cadere possit, eodemque reverenter in capsula custodiendo, prout in superius allata Cameracen. 20. Januarii 1821 ab hac Sac. Congregatione mandatum fuit.

Lectum.

Die 16. Junii 1866.

Rursus idem clericus novis Episcopi sui literis commendatus supplex adstitit in comitiis diei 5. Decembris anni 1863, et Sac. Ordo in jam prolata resolutione perseveravit, rescribens: „In decretis.“

His haud obstantibus, spem obtinendae dispensationis non abjiciens clericus, alacri animo in sacrarum disciplinarum studio in dioecesano seminario perseveravit; rursus iterumque Ordinarium adprecatus est, ut novas commendatitias literas ad hunc Sacrum Ordinem transmitteret, quibus obtentis, ad hanc Apostolicam Sedem accessit et iteratas preces exhibuit, queis instantissime optatam gratiam expostulat. Non inveni sane tantam in aliquo clerico perseverantiam, nec majorem forsan in alio Episcopo sollicitudinem, ut expetita dispensatio tandem aliquando concedatur.

Operae pretium haud est, ut ea hic recolam, quae Episcopus retulit in suis literis, quae EE. VV. oculis subjecta fuerunt in jam memoratis foliis ann. 1862 et 1863, quibus idem Praesul transmisso testimonio magistri caeremoniarum mentem suam aperuit, affirmans: „Experimento, quod Orator coram me fecit, reperi defectum in pollice neque irreverentiae periculum neque scandalum producere.“ In posterioribus vero literis, quas subsequentibus annis idem Antistes sive ad Beatissimum Patrem sive ad Eminentissimum S. Ordinis Praefectum transmisit, haec inter alia notatu maxime digna testatur: „Non semel a Sanctitate Vestra imploravi dispensationem ab irregularitate favore clerici Josephi Gianni, qui prima et parte secundae phalangis in pollice sinistro caret. Continuas Oratoris preces et supplicationes amplius ferre non possum, et cum ad quodcunque sacrificium et onus supportandum paratus sit, consilium ei dedi, ut ipse ad pedes Sanctitatis Vestrae se prosterneret, ut evidenter monstraret, quam levis sit defectus, qui ab ordinum receptione eum retinet. Et reapse post gravissima obstacula iter longum et sumptuosum aggressus est et jam ante oculos Vestrae Sanctitatis se sistit.

Ego si omnia considero, irresistibilem adolescentis voluntatem, quam ex multis abhinc annis et post multas adhuc repulsas manifestavit, si considero bonos ejus mores et fervorem studiis per aliquot annos in meo seminario praestitum, si considero ecclesiae tristem conditionem ob legem servitii militaris, a quo nonnisi quinque adolescentes in mea dioecesi liberantur, quae habet 23 communitates, si recordor communitatem S. Mauri nunc non offerre juvenes, qui statum clericalem amplectantur, et ob severitatem in delectu militum adhibitam et praesertim ob contemptum, in quem hisce difficillimis temporibus adductum est sacerdotium, ita ut nonnisi optimi quique et certe vocati ad illud aspirent: ob omnes has causas supplico Sanctitatem Vestram, ut istius juvenis precibus benigne annuat, ne in patriam revertatur desolatus et ad deserendum clericalem statum adactus.“

Et in aliis ad Eminentissimum Praefectum: „Quamvis illud solum, quod fecit longum et sumptuosum iter, juvenem satis commendet, audeo tamen Eminentiae Vestrae rationes repetere, quas jam pluries exposui. Quoad veram vocationem mihi videtur clericus Gianni certissimas dedisse probationes, cum non obstantibus tot repulsis, quas tulit, his quinque annis petere gratiam nunquam destitit. Vitam gessit, uti in novitio status ecclesiastici desiderari potest. In studiis semper maximam assiduitatem manifestavit, praesertim in scientiis theologicis et moralibus Tot bonis juvenis qualitatibus adjungo conditionem Ecclesiae. Bene sciet Eminentia Vestra, quod in vasta mea dioecesi quinque solum juvenes a servitio militari liberare possum. Quomodo igitur in hac penuria hominum necessitatibus Ecclesiae provideam? Addam, in communitate S. Mauri nunc non adesse juvenes aptos. Clerus hujus dioecesis quotannis diminuitur; atque eo deveniet, ut omnino deficiant sacerdotes, et certe in communitate S. Mauri, ubi a multis annis juvenes clerici non sunt Has ob causas ista ecclesia mihi videtur opus habere novis sacerdotibus, ordinatio clerici Gianni necessaria pro bono spirituali populi.“

Huic Episcopi Cephaludensis judicio plenissime subscribit Episcopus Pactensis, praesens in Urbe, qui enixe Sacro huic Ordini Oratorem commendat, eoque inspecto fatetur non magni momenti esse defectum, quo clericus laborat. Nec aliter sentit caeremoniar. pontific. magister Martinucci, qui a me rogatus, ut juvenem super exercitio caeremoniarum novo experimento submitteret, edito testimonio affirmat: „Non obstante defectu clericus

Gianni per exercitationes satis habilis ad celebrationem evasit, defectus vix apparet, neque adesse potest periculum irreverentiae vel admirationis in plebe."

In praehabitis hujus libelli propositionibus Episcopus agens de causis expetitae dispensationis nonnisi de quadam utilitate obloquebatur, quae ex promotione supplicantis clerici obventura esset ecclesiae S. Mauri; hodie vero minime dubitat, quin ejusdem promotio nedum pro certo utilis sed necessaria etiam reputanda sit tum in genere, respectu scilicet habito ad universum dioecesis clerum, qui quotidie magis numero operariorum in vinea Domini minuitur, tum in specie relate ad praedictam ecclesiam S. Mauri, quae revera novis ministris indiget, quin alium habeat praeter Oratorem, qui sacris initiari petat. Insuetum profecto non est, ut Sacer hic Ordo ex noviter adductis, praesertim circa dispensationis causas, gratiam solidioribus rationibus commendatam concedat, quam prius infirmioribus argumentis innixam denegavit; ceu exemplum prostat in Apuana 27. Septembris 1860 (n. 50.) alias a me jam relata, et novissime in Utinen. 10. Martii huj. anni (n. 32.), in qua clericus quidam Romanelli, simili defectu pollicis in sinistra manu laborans, gratiam dispensationis ex noviter adductis consecutus est ab Eminentiis Vestris, quae prius eidem denegata fuerat. Collatis itaque ad invicem praecedentibus et hodiernis Episcopi literis, videant Eminentissimi Patres, num per ea, quae nuper Antistes Cephaludensis retulit, momenta evanuerint, quibus dispensationem denegandam censuerunt, et ad novas preces rescribi valeat, ceu in cit. Utinen. nempe: „Ex noviter adductis consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis et habilitationis."

Attentis noviter deductis pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

d. Alii defectus in manibus et digitis.

47. Meliten. — Dispensationis.

Die 17. Decembris 1853.

Sacerdos Joseph Fiamingo, parochus pagi vulgo dicti „Papaglionti" in Melitensi dioecesi, cum quadam die equitaret, praeceps in terram ruit: quo casu ita laesa est manus ejus dextera, ut tres ejusdem digiti medius nempe, annularis et minimus pene inutiles redderentur. Pollex vero et index integer permansit, sed ob trium digitorum dictorum contractionem necessum illi foret, ante ablutionem in ss. missae sacrificio peragendo illos, ut calicem possit accipere, sejungere. Dispensationem hinc ab irregularitate petit, cum ceteras missae caeremonias facile possit explere.

Episcopum rogavi pro informatione et voto, atque haec respondit: „Facto a me experimento coram magistro caeremoniarum et toto capitulo cathedrali apparuit, Oratorem in sumptione calicis pollicem ab indice separare debere, itemque, dum dicitur „Quod ore"; neque in hoc esse periculum effusionis calicis aut admirationis circumstantium." Deinde pergit: „Votum meum dispensationi favet sive ob defectus parvitatem sive ob id, quod in ejus parochia alii sacerdotes indigenae non sunt, ideoque major necessitas est missae, quae hoc hiberno tempore difficulter haberi potest."

Haud raro invenitur S. H. O. preces promovendorum ad ordines benigniter excepisse, eosque a corporis irregularitate dispensasse, prout factum

est in Comen. sub die 21. Februarii 1824, in qua, cum quidam clericus Joannes Magni ferri incidentis ictu primam amisisset phalangem digiti indicis atque ab ea irregularitate dispensationem postulasset, S. Congregatio respondit: Pro gratia dispensationis, et habilitationis juxta preces. Ita pariter in Florentina die 19. Aprilis 1823 (n. 11.) et Hydruntina 21. Februarii 1824 (n. 12.) clericos Josephum de Mela et Franciscum Catanzano a similibus irregularitatibus dispensavit. Atque in his nonnisi de promovendis ad ordines agebatur.

Cum promotis autem semper mitius agere Sacra haec Cong. consuevit, ut videre est in Comen. Dispensationis 16. Maji 1775: praesertim vero si nullum timendum sit scandalum, Baren. 20. Decembris 1823, et ecclesiae concurrat necessitas, Comen. 21. Februarii 1824. Quod etiam nuper a vobis EE. PP. benigniter decretum fuit in Pampilonen. die 23. Aprilis 1853 (n. 25.), in favorem sacerdotis Raymundi Arizabolo, qui ex fortuita igneae ballistae explosione adeo graviter fuerat in sinistro brachio lacessitus, ut eo nullo omnino modo uti posset ad missae caeremonias peragendas. Cum parocho autem facilius dispensari monet S. C. in Samogitien. 18. Maji 1828 et Burgi S. Sepulchri 18. Septembris 1824, ubi agebatur de eo, qui apoplectico morbo correptus laevae manus et brachii usum pene amiserat. Plerumque tamen adjecta fuit lex, ut celebratio sacri fieret vel in oratorio privato, vel in ecclesiis minus frequentatis, vel quid aliud, quod ad scandali periculum arcendum conduceret. Ast perpendant Eminentissimi Patres id in themate novum occurrere, quod per sejunctionem indicis a pollice periculum sit, ut fragmenta digitis inhaerentia excidant, et sic praebeatur occasio irreverentiae ac scandali.

Consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis, indicta tamen Oratori lege, ut ante sumptionem digitos super calicem diligenter abstergat.

48. Pampilonen. — Dispensationis.

Die 13. Septembris 1856.

Fructuosus Borace loci Isaba annum agens vegesimum tertium, et theologicis disciplinis in seminario dioecesano vacans clericali militiae nomen dare quammaxime cupit; cum tamen propter defectum in laeva manu a nativitate contractum sese irregularem agnoscat, hinc supplex exorat EE. VV., ut dispensationis ope voti compos benigniter fiat.

Ex relatione Episcopi, quem de more audivi, deprehenditur apprime qualitas defectus, quo detinetur Orator. „Facto experimento (sic ille) coram ss. caeremoniarum magistro, constat defectum, quo laborat Fructuosus Borace, magnum quidem esse: nam manus sinistra est velut massa informis et trunca digitis amputatis; dextera autem et caetera omnia corporis membra perfecta et integra sunt, adeo ut Orator juvenis decorus forma appareat. Omnia etiam ad sacrificium pertinentia rite et expedite peragit, praeterquam quod patenam cum hostia superposita ad communionem sustinere non potest juxta rubricas; nec s. pyxidem prendere, dum fidelibus praebeat communionem, nisi aliquod vas specialiter sibi fabricetur. Adde quod a primis annis grammaticae, philosophiae et theologiae tam dogmaticae quam morali deditus in primis aptus Ecclesiae evadet, cum aliunde suis moribus satis commendetur.“

Scitum est irregularitatem ex defectu corporis, cujusmodi ea est, de qua quaeritur, duplici ex fonte derivare, scilicet ab irreverentia erga divina, ubi s. munera expleri rite nequeant, et ab populi admiratione, quae ex sacris caeremoniis minus rite absolutis oriri potest: ita ex text. in cap. 1. 2. et 6. de corp. vit. et cap. Ex parte 5. de cler. aegrot., Gonzalez in comment. ad tit. de corp. vitiat cap. 2. n. 7. Quare pronum est eo majora urgere impedimenta, ne dispensationis venia impertiatur, quo magis praefatae causae sese exserant; et versa vice eo faciliorem petitam veniam evadere, quo magis praefata irregularitatis elementa arceri valeant.

Re quidem vera ex recolendis exemplis constat, hanc fuisse perpetuo rationem praxis S. Congregationis, dum indulsit quandoque, quandoque vero renuit hujusmodi dispensationes elargiri, prout scilicet majus vel minus aderat periculum irreverentiae, vel prout populi scandalum magis minusve timeri quivisset. Sic in Abellinen. Irregularitatis 7. Julii 1770 denegavit dispensationem sacerdoti, cujus manus laeva ob brachii laesionem inepta erat ad sustinendum calicem, dum in elevatione populo ostenditur, nec hostiam dividere poterat ac particulam, dum insuper Episcopus referebat periculum aliquod imminere inversionis calicis, et hostiae vel in plures particulas vel saltem indecentis fractionis.

Contra in Consentina 13. Julii 1725 dispensationem obtinuit sacerdos, qui flexibilitatis usum ex misero casu amiserat in brachio dextero. Eamdem indulgentiam expertus est sacerdos alter, qui universos sinistrae manus digitos ex igneae ballistae disruptione amiserat, in Geruntina Dispensat. diei 27. Maji 1788, quemadmodum in Patavina 18. Augusti 1827 (inter supplices libellos proposita) dispensatio elargita fuit sacerdoti, cui laeva manus ad carpum usque abscissa fuerat. Quibus in casibus habita profecto prae oculis fuit relatio magistri caeremoniarum et Episcopi commendatio, ex quibus evincebatur nullam in sacro peragendo inordinationem, vel eversionis vel scandali periculum deprehendi.

Quidquid in themate sentiendum sit de Oratoris defectu, quem tamen magnum vel ipse Episcopus fatetur, difficultatem etiam facessit non agi de promoto sed de promovendo, cui ex regula a S. Congregatione recepta valde difficilius dispensatio concedi solet, ut articulo formiter discusso definitum fuit in Comen. Dispensationis 16. Maji 1775 et 21. Junii et 11. Julii 1776, quia facilius in eo evadit irreverentiae ac admirationis periculum; quamvis nec de clerico dispensatione donato desint exempla, ut in Camerinen. 20. Januarii 1820, ubi agebatur de eo, qui anteriori parte pollicis manus laevae carebat; vel de alio, qui dimidia parte digiti indicis manus laevae fuerat orbatus, ut in Lucana 19. Novembris 1825 inter supplices libellos relata.

Hisce hinc inde expositis erit EE. VV. sapientiae expendere peculiares facti, de quo quaeritur, circumstantias, et si forte benigniter cum Oratore agendum censuerint, ad quod viam quodammodo sternere posset Episcopi commendatio circa ejus mores ac rectam dispositionem ad statum ecclesiasticum, viderint, num expediat aliquam adjicere ex clausulis ac cautelis in similibus dispensationum casibus apponi solitis, vel nimirum assistentiam alterius sacerdotis, vel celebrationem in privato oratorio, aut in ecclesia hora minus frequentata, vel quid aliud.

Die 22. Novembris 1856.

Anceps haesit S. Ordinis judicium in superiori Congregatione diei 13. Septembris circa preces Fructuosi Borace postulantis dispensationem ab ir-

regularitate ob defectum in laeva manu a nativitate contractum; quandoquidem prodiit decretum „Iterum proponatur“. Hujusmodi itaque mandato obsequens rem iterum subjicio, cujus speciem grave non sit attingere ex superiori folio inter supplices libellos resumendo.

Lectum.

49. Parisien. — Dispensationis.

Die 20. Decembris 1856.

Franciscus Ludovicus Saglier quadragesimum agens annum S. Genovefae Parisiensis in bibliotheca publico muneri vacans, clericali militiae novoque Oratorii instituto nomen dare exoptat. Cum vero gravi in manu dextera defectu laboret, quae propterea ad communem usum nec prompta est nec accomodata, supplici oblato libello ab irregularitate ex defectu corporis dispensari postulat.

Quinam sit Oratoris defectus declarat in sua relatione vicarius generalis per haec verba: „Orator inde a pueris suam dexteram casu fregit. Haec manus non proinde ac altera longa est et ampla. Ceterum ubi prae oculis habetur nihil in ea indecens, nihil deforme apparet. Aperta manet jugiter, et digiti vi ankeleseos rigiditate capti nec flecti possunt nec moveri. Gaudet solus pollex motiva virtute, qua ad indicem ita accedere imo et eidem adhaerere valet, ut par ad tenendam s. hostiam existimari debeat. Digiti alii utpote rigidi res graves facile sustinent, vel iisdem firmum praebent subsidium, et proinde hujusce manus adminiculo Orator calicem et ciborium elevare et ferre potest. Ipsa manus sinistra non est omnino sine defectu. Animadvertitur enim deviatio quaedam in phalange inferiori pollicis, unde evenit, ut non ad secundam phalangem indicis, sed ad primam tantum accedere valeat. Attamen dicendum est, hunc defectum haud nocere libertati ac motibus pollicis, neque usui regulari totius manus. Hic defectus, si solus esset, non videtur dispensationem exigere. Orator non posset communionem porrigere, baptismi sacramentum administrare, et extremam unctionem dare, nisi manu sinistra. In celebrando ss. sacrificio missae rubricas violaret in casibus infrascriptis: 1°. Benedicta aqua manu dextera, uti deberet sinistra ad infundendum vinum et aquam in calicem. 2°. Consecratio quidem et elevatio juxta rubricas fierent; verum non posset nisi sinistra manu patenam apprehendere, et signum crucis absolvere. Item ubi cum s. hostia signum crucis faciendum est supra et ante calicem, optaret ad majorem commoditatem, ut sibi fieret facultas tenendi sinistra s. hostiam, dum dextera calicem tantum elevaret. 3°. Destitutus vi flectendi manus dexterae indicem, s. hostiam disrumpendam intra pollicem et imas indicis partes constringeret, et ita index in omni sua extensione tangeret s. hostiam. 4°. Dicendo „Domine non sum dignus“, cum non multum adjuvari posset dexterae manus ope ad sumendam in patena s. hostiam, ejusdem duas partes per vertices expeditius citiusque apprehenderet, et postea collectas teneret supra patenam, quam non ab infra sursum, sed a supra deorsum moveret. 5°. Facta s. hostiae communione, laeva manu calicem apprehenderet, atque ad os porrigeret; deinde cum patenam dextera tenere vix posset, loco patenae, ad subveniendum communioni calicis purificatorio uti optaret, prout fit post ablutiones.“ Hactenus vicarius generalis.

Archiepiscopus supplici libello haec adjicit: „Optimum de Orator testimonium redditur, utpote qui pius, doctus, et moribus optimis ornatus,

ad vitam regularem in novo Oratorii instituto amplectendam suspirat. Si ipsius precibus annuere dignatur S. Pontifex, in privato Ordinis sacello missam celebrans fidelium oculos non offendet, si quomodo in rubricis ipsum offendere contigerit."

Praepositus etiam generalis Oratorii supplicantis preces commendat, monens, haud temere exspectari posse, ut religionem statumque ecclesiasticum collustret; et subdit ipsum ad novitiatum unanimi suffragio fuisse receptum.

Veteri Ecclesiae disciplina, teste Thomass. Vet. et nov. Eccl. disc. part. 2. l. 1. cap. 78. num. 2. ad 6., defectus corporis in iis, qui scientia virtuteque praestarent, impedimento non erat, quominus ad sacerdotium, imo ad episcopatum eveherentur. Verum jure hodierno sancitum est, ut ii irregularitate detinerentur, qui propter corporis defectum sacra munera obire et caeremonias absolvere absque irreverentia vel citra populi admirationem nequirent, cap. 1. 2. 6. de corp. vitiat. ord. vel non. S. Congregatio autem eatenus dispensationem ab hujusmodi irregularitate elargiendam aut denegandam immota regula judicavit, quatenus periculum offensionis in populo, ac irreverentiae erga divina magis minusve amoveri posset; cujus rei plura exstant exempla relata in Pampilonen. Dispensationis, quae in postrema congregatione resoluta fuit (n. 48.).

In themate duplex hujusmodi periculum fortasse amoveretur, cum Orator in privato communitatis sacello missam celebraret, et quamplures dexterae manus defectus adjutorio sinistrae supplerentur, ceu ex vicarii generalis relatione constat. Haud praetereundum tamen hic agi non de promoto ad sacros ordines, sed de promovendo, cui ex sacrae Congregationis praxi difficilius dispensatio concedi assolet. At exempla non desunt dispensationum ejusmodi etiam cum clericis promovendis, uti in Lucana 19. Nov. 1825, praesertim ubi militet Ecclesiae utilitas, ceu videre est in Cameracen. 20. Januarii 1821. Spectata porro pietas ac scientia, qua eminet Orator, bene de eo sperare plane jubent.

Attentis peculiaribus circumstantiis, dummodo Orator celebret in oratorio privato tantum cum assistentia saltem diaconi, pro gratia dispensationis juxta petita, facto verbo cum Sanctissimo.

50. Apuana. — Dispensationis.

Die 17. Decembris 1859.

Clericus Antonius Ramaglia dioecesis Apuanae cupiens ad sacros ordines promoveri, supplex instat, ut dispensetur ab irregularitate, qua laborat ob defectum in sinistra manu; cujus scilicet digiti medius annularis et minimus ab exustione passa adeo erga palmam ejusdem manus inflectuntur, ut plane clausi maneant, index vero cum pollice conjungi non sine aliqua difficultate potest.

Super Oratoris petitione haec refert Episcopus: „Post necessaria experimenta facta a magistro caeremoniarum et a me repetita compertum est, Oratorem non posse post consecrationem calicem manu sinistra elevare, nisi disjungendo indicem a pollice; hoc tamen in casu, etiamsi necessariae cautiones adhibitae non essent, timendum non esset, ut fragmentum hostiae pedi calicis adhaerens remaneret, quia extremis digitis non tangitur calix propter difficultatem eos uniendi. Notandum quoque est, eum calicem coqperire et

detegere et tenere nequire, nisi nodos digitorum trium manus sinistrae ad pedem calicis applicet.

Ceterae omnes caeremoniae, praesertim illae, quae usum hostiae et calicis respiciunt, ab isto clerico sine periculo irreverentiae vel admirationis perficiuntur, nisi dicatur ex eo oriri stuporem, quod Orator tres illos digitos neque extendere neque unire valet, dum in missa manus tenentur junctae aut apertae et ante pectus extensae.

Clericus, de quo agitur, 24 annos habet, et bonis moribus est ornatus; hoc anno theologiae cursum incepit, et profectus sufficientia dedit specimina. In praesenti sacerdotum inopia Ecclesiae utilis esse posset; proptereaque eum commendo in Domino, ut dispensationem consequatur ab hoc impedimento."

Quamvis S. Congregatio difficilius dispensare soleat ab irregularitate ex corporis defectu cum promovendis ad sacros ordines, attamen ubi rationabiles concurrant causae, praesertim necessitatis vel utilitatis Ecclesiae, cum iis etiam sueta benignitate utitur. Cujus quidem rei suppetunt exempla in Comen. 21. Februarii 1824, in qua dispensationem impertivit clerico prima phalange digiti indicis sinistrae manus carenti, in Florentina 19. Aprilis 1823 (n. 11.) et Hydruntina 21. Febr. 1824 (n. 12.) in quibus clericos Josephum De Mela et Franciscum Catanzano a similibus irregularitatibus dispensavit, nec non in Lucana 19. Nov. 1825 et in Januen. 6. Augusti ejusdem anni aliisque pluribus.

Cum itaque in casu de bonis Oratoris moribus ejusque idoneitate ad sacras ediscendas disciplinas, ac demum de utilitate Ecclesiae obventura ex ejusdem promotione testetur Episcopus; nec ceteroquin defectus, de quo agitur, irreverentiae in sacro faciendo periculum, vel gravem in populo admirationem parere posse videatur; judicabunt EE. VV., utrum haec omnia dispensationem concedendam suadeant, et praesertim quibus sub conditionibus et cautelis.

Non expedire.

Die 22. Septembris 1860.

Reputans Orator ideo sibi veniam fuisse denegatam, quod retulisset Episcopus, non sine aliqua difficultate hujus manus digitos, indicem et pollicem, Oratorem ipsum conjungere posse, atque adeo ad sacras missae caeremonias rite explendas eumdem quodammodo praepediri; hinc sentiens a veritate id alienum esse, Romam se contulit, et coram altero ex magistris caeremoniarum Urbis experimento se subjecit, a quo hujusmodi testimonium retulit, nimirum: „Infrascriptus peracto examine a clerico Antonio Ramaglia Apuanae dioecesis, qui manum sinistram ex adustione impeditam habet, cognovit eum officium sacerdotale cum pollice et indice optime posse explere, quamvis alii digiti contracti et immobiles remaneant; ideoque haud exacte ab Episcopo Apuano assertum esse, illum clericum difficulter pollicem et indicem conjungere posse ob aliquam formam irregularem."

Paulo post ejusdem Episcopi literae pervenerunt, in quibus enuntiatus in primis relationibus defectus excluditur. Inquit scilicet Episcopus: „Relatum mihi est, ab H. S. O. haud favorabiliter exceptas esse preces clerici Antonii Ramaglia, quibus dispensatio ab irregularitate petebatur ex defectu corporis, proveniente ex adustione digitorum medii, annularis et minini sinistrae manus, qui versus palmam incurvati sunt, eo quod in literis meis diebus 11. Maji 1859 et 20. Aprilis 1860 datis exposui pollicem et indicem difficulter uniri. Ad haec asserenda adductus fui et inspectione digitorum, qui signa praebent difficilis unionis, et fortasse aliquo Oratoris verbo, quod

illa confirmare videbatur. Revera illos digitos celeriter jungit et disjungit; et proinde quae in illis literis hac de re scripsi, pro non scriptis habeantur."

Quibus ita se habentibus iterum instat Orator pro gratia; et an voti compos fieri debeat, erit EE. VV. decernere.

Attentis noviter deductis, pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

51. Patavina. — Dispensationis.

Die 27. Aprilis 1861.

Clericus Dominicus Marini modo in seminario Patavino sacrae theologiae studio operam navans, cum ita deformem habeat manum dexteram, ut nonnisi duo digiti pollex et index liberi ei supersint, ab irregularitate dispensari postulat, ut ad sacros ordines promoveri queat.

Favet Episcopus Oratoris petitioni: „tum quia (inquit) defectus non est ejusmodi, ut scandalum vel admirationem parere possit, tum quia illum promoveri si non necessarium, certe utile in hac mea dioecesi fore existimo." Transmisit vero relationem magistri caeremoniarum, qui facto experimento refert, praefatum clericum ob enuntiatum defectum sequentes s. missae caeremonias rite explere non posse, nimirum: „1. Nequit abstergere calicem purificatorio; 2. prehendere calicem inter indicem et medium post consecrationem; 3. apprehendere patenam post „Pater noster" sine adjumento sinistrae manus; 4. colligere fragmenta in corporali junctis pollice et indice. Primo defectui mederi potest adhibendo manum sinistram et calicem in dextera tenendo, ad tres alios defectus removendos separare debet pollicem ab indice, vel in 2. et 4. casu loco sinistrae dexteram adhibere et in 3. casu dexteram sinistra juvare potest. Repeto, quod jam enuntiavi, clericum supradictum omnia peragere posse sine periculo, sine irreverentia et sine scandalo adstantium."

Vitio corporis laborantes irregulares sunt, proindeque ab altaris ministerio arcendos eos esse, qui sine periculo irreverentiae vel populi admiratione sacras functiones obire nequeunt, docet textus in can. Illiteratos dist. 16. et in cap. Presbyterum 1. de cler. aegrot. et in tot. tit. decretal. de corpor. vitiat. ordin. vel non.

In themate vero animadvertere praestat, clericum Oratorem facile supplere posse cum sinistra manu aliisque modis a magistro caeremoniarum expositis absque ullo periculo irreverentiae aut populi admiratione, sicut ipsemet testatur. Hinc in hisce rerum adjunctis non raro dispensatio indulta fuit a S. Congregatione, cujus rei plura habentur prolata exempla in Lucana 19. Nov. 1825 per summ. precum.

Accedit commendatio Episcopi, qui utilem suae dioecesi Oratoris promotionem affirmat. Nam apud Sac. Congregationem necessitas vel utilitas Ecclesiae plurimum semper valuerunt, ut quoad corporis defectus dispensationem impertiretur clericis quoque promovendis, ceu in cit. Lucana, et in Cameracen. 20. Januarii 1821 aliisque pluribus.

Non expedire.

52. Policastren. — Dispensationis super irregularitate.

Die 21. Martii 1863.

Vincentius Balbi ex dioecesi Policastrensi, vocationi suae, ut arbitratur, obsecundans, et sacris ordinibus idcirco cupiens initiari, supplici porrecto

libello Beatissimum Patrem rogavit, ut cum ipso dispensare dignaretur ab irregularitate ex vitio corporis in sinistra ipsius Oratoris manu proveniente. Quod vitium ut explicaret, exposuit, se esse natum cum manu vitiata, cui deest digitus medius, cujus loco truncus carnosus invenitur, indicem suum una phalange carere et valde graciliorem aliis digitis esse, tamen una cum pollice sufficienter operari et praeter hunc defectum manum expedite moveri.

His acceptis precibus, mandatum est vicario capitulari memoratae dioecesis, ut peracto experimento quoad singulos actus in ordine ad sacrum ministerium referret, an defectus ejusmodi sit, ut vel impedimentum praebeat in divinis vel pariat in populo admirationem; simulque doceret non modo de animi sui voto, sed etiam, quod magis interest, de vera necessitate, seu evidenti utilitate ecclesiae ex promotione Oratoris obventura. Quibus omnibus idem vicarius literis 11. Octobris praeteriti anni, prout sequitur, satisfecit: „Vincentium Balbi sinistrae manus digitis vitio a nativitate laborantem sacerdoti sacrarum caeremoniarum perito examinandum commisi, et relatum mihi fuit Oratoris manum, licet duobus digitis imperfectam, ad omnes tamen actus sufficere in altaris ministerio occurrentes, et admirationem haud posse esse in populo, vel certe non magnam. Quod dum testatum facio, illud etiam contestor, Oratorem juvenem esse bonis moribus ornatum, et defectum corporis in eo probe virtutibus animi rependi, unde de utilitate ecclesiae esse puto, si, non obstante tali defectu, sacro altaris ministerio admittatur.“

Nullum subesse potest dubium, quin praefatus Orator ob relatam laevae manus deformitatem irregularitatis vitio teneatur. Et licet ex testimonio vicarii capitularis appareat, non magnam futuram esse in populo admirationem ob memoratum Oratoris defectum, cum vero in themate agatur de juvene nequidem clericali tonsura insignito, gravis illico contra ejusdem preces difficultas exsurgit, quae ex constanti hujus Sacr. Congregationis disciplina prosequitur, quoties a promovendo non vero promoto ad sacros ordines dispensatio super irregularitate expostulatur. Qua in re ne in medium afferam saepe in similibus hujusmodi causarum speciebus a me allatam Comen. Irregularitatis 8. Aprilis 1775, quae semel et iterum Eminentissimis Patribus proposita, negativo super dispensatione rescripto prima et altera vice dimissa fuit, minime praeteream nuperrimas Eminentiarum Vestrarum resolutiones editas in Cephaluden. 10. Maji praet anni 1862 (n. 46.), nec non Colonien. 13. Septembris (n. 14.) et Patavinam 29. Novembris ejusdem anni, quibus petita dispensatio clericis promovendis denegata est. Re quidem vera oratores in adductis exemplis non leve impedimentum prae se ferebant in explendis sacrificii caeremoniis, quod in casu minime adesse videtur; nil tamen in themate vicarius capitularis affert de aliqua necessitate, et non multum adducit de evidenti ecclesiae utilitate, quae Oratoris Balbi desiderio, luctuosis hisce temporibus praesertim in Neapolitano regno, ita suffragari videatur, ut legitimas dispensationis elargiendae causas praesto esse judicetur.

Quodsi his omnibus haud obstantibus Eminentiis Vestris visum fuerit, aliquo in pretio memoratas Balbi preces habendas esse ex peculiari circumstantia, quod Orator pollice et indice ipsius imperfectae manus sufficienter explere valeat actus omnes in altaris ministerio occurrentes, recolere non omittam Eminentias Vestras pro concedenda dispensatione respondisse in persimili probe casu, de quo actum est in Apuana Dispensationis diei 22. Septembris 1860 per summaria precum proposita (n. 50.). Cum enim caeremoniarum magister in dicta Apuana testatus esset, clericum Antonium Ramaglia impeditum in manu sinistra cum duobus digitis pollice et indice

officium sacerdotale optime posse explere, quamvis alii digiti contracti et immobiles remaneant, Eminentiae Vestrae, quamvis antea in comitiis 17. Decembris 1859 exhibitas preces rejecissent (Episcopus enim ab initio retulerat Oratorem non sine aliqua difficultate pollicem et indicem posse conjungere) in memorata tamen congregatione 22. Septembris 1860 reposuerunt: „Attentis noviter deductis pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.“ Nec alia profecto desunt exempla promovendorum, qui ab hoc sacro ordine etiam in gravioribus irregularitatis adjunctis dispensationem obtinuerunt, peculiaribus tamen adamussim comprobatis causis, quae porrectis precibus apprime suffragabantur; in themate vero nil amplius habet vicarius capitularis quam „defectum corporis in Oratore probe virtutibus animi rependi“.

Non expedire.

53. Pinhelen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 16. Junii 1865.

Clericus Joannes Antunes dioecesis Pinhelensis supplicem porrexit libellum Sanctissimo Domino humiliter exponens, se a teneris annis ecclesiasticae militiae nomen dedisse, seque in ejus servitium perpetuo mancipare velle. Cum vero hodie expleto cursu humaniorum literarum in theologiae moralis jurisque canonici studia incumbat, vocationi suae, ut arbitratur, obsecundans, ss. ordinibus initiari quamprimum desiderat. At obstat defectus ex dextera ejus manu proveniens, quippe per adustionem duos digitos minimum et annularem amisit. Proinde rogavit Beatissimum Patrem, ut cum eo dispensare velit ab hac irregularitate, cum pollex et index ita incolumes sint, ut una cum medio, licet in tendinibus offenso et curvo ad partem interiorem manus, possit omnes functiones explere.

Hasce preces die 7. Martii hujus anni transmisi ad Archiepiscopum pro informatione et voto, utque peracto experimento coram caeremoniarum magistro accurate referret super omnibus et singulis actionibus relate ad hostiam et calicem, an in aliquo adesset periculum irreverentiae et admirationis, nec non de Oratoris aetate, vera vocatione ad statum ecclesiasticum, ecclesiae necessitate et utilitate, et an ante theologiae studium cursum philosophicum expleverit.

Quibus omnibus Joannes Joseph Vaz vicarius generalis dioecesis Pinhelensis pro Archiepiscopo administratore die 4. Aprilis hujus anni respondit: „Testor ordinandum Joannem Autunes a me et magistro caeremoniarum examinatum esse super defectu, quem habet in manu dextera. Habet iste pollicem et indicem sanos et agiles, ceteri autem digiti in extrema parte cum manu interiore cohaerent. Experimento facto vidimus eum cum adjumento digitorum laesorum apprehendere et tenere et elevare hostiam et calicem, consumere pretiosissimum sanguinem et absque periculo et scandalo omnes missae caeremonias perficere posse, signa tamen crucis non debita perfectione ab eo peragi. — Ordinandus semper bene se gessit et certa signa vocationis ad statum ecclesiasticum praebet. Ejus dispensatio utilis erit servitio ecclesiae, cum ejus paroecia 305 focos comprehendens praeter parochum nullum alium habeat sacerdotem. — Quoad studia, quae fecit Orator, de sequentibus disciplinis bona adsunt testimonia, de instructione primaria, de grammatica et lingua latina, de philosophia rationali et morali, de principiis juris naturalis et lingua gallica, de oratoria, poetica et literis classicis, de historia,

geographia et chronologia, de arithmetica, algebra, geometria et trigonometria, de theologiae moralis primo cursu, de historia sacra et ecclesiastica, et nunc secundum cursum theologiae moralis et institutiones canonicas frequentat.“

Notum est irregularitatem ex defectu corporis derivare, quoties aliquis nec secure propter debilitatem nec sine scandalo propter deformitatem membri sacra munia obire possit, can. 3. dist. 55 et cap. Presbyterum de cler. aegrot. Hinc nullum dubium esse videtur, quin praefatus Orator ex adustione duorum digitorum dexterae manus irregularis ex defectu corporis evaserit. Et quamvis vic. generalis sua attestatione, habito experimento, affirmet, quodvis periculum et scandalum abesse in sacro peragendo: attamen cum agatur de clerico promovendo, S. C. non ita facile impertitur dispensationem sicut solet in promoto, uti videre est in Comen. Irreg. 8. April. 1775, quae semel et iterum proposita semper negativa responsione dimissa fuit, cui consonat Patavina, quae prima vice mense Aprili 1861 proposita per summaria precum dimissa fuit rescripto: „Non expedire“: iterumque subjecta Eminentissimorum Patrum judicio die 29. Nov. ejusd. anni responsum obtinuit: In decretis (n. 51.).

His vero minime obstantibus, praetereundum non est S. H. C. pro variis rerum et locorum circumstantiis, etiam quando agitur de clericis promovendis, dispensationem super defectu corporis non denegare; dummodo vitium hujusmodi non sit, ut sacras caeremonias peragere impediat, aut scandalum et admirationem excitet in populo, boni mores Oratoris ab Episcopo commendentur, et certa spes adsit peculiaris utilitatis, quae in ecclesiam ex tali promotione derivet ceu in Lucana 25. Nov. 1825; Matheranen. 22. Sept. 1860 (n. 42.); in Apuana Dispensationis diei 22. Sept. 1860 per summaria precum proposita (n. 50.) et nostrae prorsus simillima, in qua cum caeremoniarum magister testatus esset: „clericum Antonium Ramaglia impeditum in manu sinistra cum duobus digitis pollice et indice officium sacerdotale optime posse explere, quamvis alii digiti contracti et immobiles remaneant,“ Eminentiae Vestrae, quamvis antea in comitiis diei 17. Dec. 1859 exhibitas preces rejecissent, (Ep. enim initio retulerat Oratorem non sine aliqua difficultate pollicem et indicem posse conjungere) reposuerunt: „Attentis noviter deductis pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.“

Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

4. Defectus in pedibus et cruribus.

54. Cathacen. — Dispensationis.

Die 17. Decembris 1859.

Sacerdos Dominicus Scalzo oppidi Gimiliani Cathacensis dioeceseos vel a die 30. Novembris anni 1846 ob fortuitum lapsum tanta nervorum debilitate laborare coepit, ut et post curam in tuenda valetudine adhibitam aliquantulum claudicare ac per viam scipionis auxilio fulciri necesse habuerit. Nihilominus ipse a sacro litando haud abstinuit, neque, ut perhibet, ullum patitur impedimentum ad universas missae caeremonias rite peragendas, excepta genuflexione in plano, quam tamen super altaris scabellum facile exsequi valet. Rebus sic stantibus Episcopus pastoralis visitationis munere perfunctus sub die 30. Octobris anni 1857 Oratorem ex corporis de-

fectu irregularem declaravit, imposita ei obligatione, ut ad S. Sedem pro dispensatione recursum haberet. Hinc dispensationem a praefata irregularitate supplex implorat.

Episcopus de more rogatus, ut peracto experimento referret, an ejusmodi esset deformitas, quae divinis praeberet impedimentum vel populo admirationem, reposuit: „Oratorem cruribus adeo esse praepeditum, ut nonnisi manu super humerum assistentis posita ad infimum altaris gradum genuflectere valeat aliosque claudicans ascendat ac descendat, genuflexiones suique corporis circulos haud convenienter exsequatur, ita ut deformitas ipsius, licet divinis nullum praebeat impedimentum, tamen populo magnae sit admirationi, uti experimento coram me habito et cum assistentia sacrarum caeremoniarum magistri constat.“ Verum attenta praesertim Oratoris paupertate idem Episcopus amicam ei opinionem pandit concludens, memoratam dispensationem indulgeri posse, valituram tamen dumtaxat in patria aliisque propinquioribus oppidulis, ubi ipse sit notus, ac incolarum conventus in divinis minus frequens esse soleat.

Eidem Episcopo preces iterum remisi, ut magis accurate referret de Oratoris aetate et an praeditus esset titulo ordinationis, sin minus, an aliunde consuli posset decenti ipsius sustentationi, qui in suis literis renuntiavit: „laudatum sacerdotem die 29. Novembris anni millesimi octingentesimi decimi tertii natum suo tempore sacro subdiaconatus ordine fuisse insignitum ad titulum capellaniae civicae, quae circiter annuos ducatos viginti de hujus moneta regni reddit, et in supplementum additum fuisse sacrum patrimonium in totidem ducatis annuis ex rustico praedio percipiendis: reditum quidem annuum ducatorum quadraginta minime sufficere posse decenti sustentationi dicti sacerdotis, qui non aliunde quam ex stipendio pro missae applicatione dando sibi providere potest.“

In concedenda dispensatione ab irregularitate ob corporis defectum contracta cum promoto semper mitius agere ejusque preces benignius excipere haec S. Congregatio consuevit, ut in recentissima Calaguritana 27. Aug. 1859. Quae dispensatio et facilius indulgeri solet, quando non ex dolo sive ex culpa, sed ex infortunio irregularitas fuerit contracta, et praecise ex fortuito lapsu, uti in Baren. die 20. Decembris 1823 inter summaria precum: eo vel magis si gravis adsit petentis inopia, ut in Apuana die 8. Maji 1822 inter summ. precum, quam in themate concurrere Episcopus luculenter testatur. Non raro autem praecipit S. C., cum hujusmodi dispensationem largitur, ut dispensatus celebret vel in oratorio privato vel in publica etiam ecclesia, hora tamen minus a populo frequentata, prouti videre est in Rossanen. die 24. Maji 1823 inter supplices libellos relata (n. 68.). Ceterum in casu praecipuum irregularitatis caput nimirum genuflexio ad infimum altaris gradum facili pacto cessare posse videtur, quoties Orator abstineat a sacro faciendo in sacello, ubi augustissimum eucharistiae sacramentum repositum latriae cultu adoratur.

Non expedire.

55. Januen. — Dispensationis.

Die 29. Novembris 1862.

Decurrentis anni die 31. mensis Martii sacerdos Joannes Augustinus Raggio, loci Ne in dioecesi Januensi parochus, a celebratione missae propter irregularitatem e gravi morbo contractam praepeditus, ad rehabilitationem

obtinendam S. hanc Congregationem adiit, instantissimas deferens preces, in quibus exponit se ab aliquot annis interdum infirmum esse tibiarum debilitate. „Propterea, ait, in celebratione missae neque ad populum perfecte me vertere possum, neque profundam genuflexionem peragere, sed eam tantummodo indicare, pedem scilicet retrahendo et caput humerosque inclinando; scipionibus innixus ad altare progredior ibique fulcris dimissis erectus ad altare vestes induo missamque rite celebro. Parochus sum in dioecesi Januensi, sed pauper et aliis mediis privatus; istud autem beneficium in titulum patrimonii sacri teneo. Hujus parochiae meae ruralis fideles sciunt me esse infirmum. Cum consensu R. Archiepiscopi capellanus quidam curatus illa officia obit, quae ego ipse peragere non possum. Necesse tamen est, me si non cantare, dicere saltem missam, alioquin alium sacerdotem omnino meis sumptibus sustentare deberem, quod nimis grave esset. Hinc ipse R. Archiepiscopus consilium mihi dedit, ut rem totam exacte exponerem ad facultatem celebrandi obtinendam.“

Cum acceptis hisce precibus ad Januensem Archiepiscopum scriptum fuisset pro informatione et voto, utque peracto experimento referret de natura infirmitatis et an praebeat impedimentum in explendis ss. caeremoniis, de vera habilitationis necessitate, annuo reditu et oneribus beneficii parochialis, comprehensis incertis utriusque stolae, mandatis obsequens Sac. Congregationis vicarius generalis pro Archiepiscopo a dioecesi absente omnia, quae ab Oratore in precibus exposita sunt circa modum quo missam celebrare potest, experimento coram magistro caeremoniarum peracto confirmat et inde subjungit: „De natura morbi aliquid dicere arduum est; confidit Orator; at omnes desperant, ejus valetudinem confirmari posse, quippe veteri morbo et provecta aetate laborantis. Reditus beneficii parochialis comprehensis incertis utriusque stolae computari potest, prout mihi ex diligenti informatione refertur, ad annuas libellas 905, in hac tamen summa habita non est ratio eleemosynae missarum.“ De oneribus beneficii et vera habilitationis necessitate in literis nihil habet idem vicarius, sui tamen animi votum ita manifestat: „Quoad ea, quae Orator expostulat, attentis verbis magistri caeremoniarum videtur concedi eidem posse petita rehabilitatio pro celebratione missae iis horis, quibus deest in ecclesia populi frequentia.“

Veram irregularitatem in casu adesse difficili probatione demonstrandum haud est, cum ex sola rerum expositione, quae in precibus parochi Raggio continetur, nemo non viderit applicandum hic esse cap. Presbyterum de clerico aegrotante, quo universim irregularis dicitur, qui non secure propter debilitatem vel non sine scandalo propter deformitatem ministrare potest. In specie autem Glossa in cap. Nullus Episcopus de consecrat. dist. I. et Barbosa de off. et potest. Episc. part. II. alleg. 42. num. 40. licet generatim claudos irregulares non pronuntient, id tamen affirmant de iis, qui sine baculo ad altare accedere nequeunt. Jam vero fatendum certo est, infirmitatem, qua Orator laborat, gravem omnino esse, cum non solum baculo indigeat, sed nonnisi scipionibus innixus ad altare ascendat, ubi sacras vestes induit, et missam incipit; difficiliter et non totaliter se ad populum convertat, et genuflexionum tantummodo signum praebeat, caput demittens et dexterum movens pedem; nullaque spes affulgeat, ut Orator aliquando in melius convalescat.

Attamen similibus in casibus oratores apud H. S. C. pro dispensatione ab irregularitate instantes nonnunquam voti compotes facti sunt. Ita iis ultimis temporibus in Cathacen. 17. Decembris 1859 inter supplices libellos relata favorabile retulit responsum sacerdos Scalzo Dominicus, quem

adeo cruribus esse praepeditum referebat Episcopus, ut nonnisi manu super humerum assistentis posita ad infimum altaris gradum genuflectere valeret, aliosque gradus claudicans ascenderet ac descenderet; genuflexiones suique corporis circulos haud convenienter exsequeretur, ita ut deformitas illius, licet divinis nullum praeberet impedimentum, tamen populo magnae esset admirationi. Et antea jam Sac. Congregatio pari benignitate usa fuerat in Asculana 20. Februarii 1808 erga clericum Emilium Sallusti propter renium debilitatem claudicantem et de quo testabatur Episcopus, quod impar esset perfectae genuflexioni faciendae, quam vix genu sinistro signabat, et ad aliud genu prius submittendum vel duo genua simul flectenda alterius auxilio indigeret. Fatendum equidem est ex una parte, quod hi oratores ambo non ita gravi prae parocho Raggio infirmitate detinebantur; sed ex altera ad hujus preces benigne excipiendas majora viderentur occurrere motiva; cum in casu neque agatur de promovendo, ut in citata Asculana, sed de jam promoto, quem Sacra Congregatio benigniori semper indulgentia audire consuevit, quemadmodum statutum legimus in una Burgi S. Sepulchri 18. Septem. 1824. ap. Gamberini; et praesertim formiter discusso articulo in Comen. Dispensationis 8. April. 1775. et 22. Junii 1776: nec de simplici quidem sacerdote, veluti in supra allegata Cathacen., sed de animarum curam exercente, in quod H. S. O. nonnunquam attendit, ceu patet ex eadem Burgi S. Sepulchri. Cum utroque dein commune habet Orator, quod summa prematur egestate; reditus enim beneficii parochialis, quod obtinet titulo etiam patrimonii ecclesiastici, comprehensis incertis utriusque stolae, exclusis vero missarum eleemosynis in annuis libellis 905 consistunt. Ab hac autem summa vix deduci potest necessaria retributio elargienda capellano, qui Archiepiscopo consentiente in quibusdam officiis parochialibus vices agit infirmi parochi; minime vero desumi valeret, quod opus esset ad sustentandum praeter ipsum parochum alium sacerdotem, qui eidem, si dispensatio denegatur, non in quibusdam tantum officiis, sed et in celebratione missarum supplere deberet, quod sane in grave praejudicium Oratoris redundaret.

Propitio suffragio, ut jam retuli, vicarius generalis parochi precibus favet, dummodo tamen missae celebratio iis horis peragatur, quibus populi frequentia in ecclesia desit. Si ergo ex hucusque allatis Eminentiis Vestris visum fuerit, indulgendum esse Oratori, illud etiam sapientia vestra prospiciendum erit, utrum una vel altera ex consuetis limitationibus dispensationi adjicienda sit, qua irreverentiae periculum in sacris peragendis prorsus absit, et quaevis admiratio populi removeatur. Non raro Sacra Congregatio praecipit, ut dispensatus vel in oratorio privato celebret, vel etiam in publica ecclesia, hora tamen minus a populo frequentata; in casu vero praecipua irregularitatis nota recederet, quoties Orator a sacro faciendo abstineret in altari, in quo augustissimum eucharistiae sacramentum asservatur.

Pro gratia dispensationis, dummodo celebret in oratorio privato, vel etiam in ecclesia hora tamen a populo minus frequentata, et cum assistentia alterius sacerdotis vel saltem diaconi, facto verbo cum Sanctissimo.

56. Comaclen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 5. Decembris 1863.

Episcopus Comaclensis supplicibus precibus Sanctissimum Dominum adiit humiliter exponens, clericum Josephum Fogli evidentia ecclesiasticae vocationis signa prae se ferentem ex passa infirmitate tali in tibia defectu labo-

rare, ut genu dextrum inflectere nequeat. „Hinc sinistrum genu ipsum flectere oportet, neque simul utrumque flectere potest sine aliquo fulcro. Ob hanc ipsam causam claudicat aliquantulum, baculo tamen non indiget, neque id admirationis causa est, cum major deformitas omnino absit. Episcopus Orator ad tonsuram et duos priores ex ordinibus minoribus eum admittere non dubitavit, quia casus irregularitatis ex defectu corporis ipsi adesse non visum est, nunc vero, ut omnia quam maxime regulariter procedant, supplicat pro sanatione cujuscumque defectus ad cautelam, et pro facultate procedendi ad reliquorum ordinum collationem.“

Qui hujusmodi corporis defectu laborat, ut rite debiteque sacri cultus caeremonias peragere non valeat, irregularitatis vitio tenetur, cap. Presbyterum de cleric. aegrot. et licet claudus possit ad ordines promoveri: cap. Si quis in infirmitate 55. dist., excipitur tamen casus, quo quis baculo indigeat, ut accedat ad altare: cap. Nullus Episcopus de consecr. dist. I., Barbosa de off. Episc. part. II. all. 42 n. 40.

De clerico Fogli aperte testatur Episcopus, eum nullatenus indigere baculo, ut ad altare accedat; sed cum expresse praescribatur in rubricis missalis utroque genu flectendum esse, dum leguntur in Passione D. N. verba expiravit vel emisit spiritum, idemque jubeatur decreto SS. RR. C. 12. Nov. 1831, in primo accessu ad altare et ante discessum ab eodem, si ibidem patenter expositum sit ss. eucharistiae sacramentum; has caeremonias decenter implere non posse videtur, qui absque fulcimento utroque genu flectere nequit. Ita saltem sensisse videtur S. H. O., quando in similibus casibus mox afferendis dispensationem ab irregularitate concessit, quamvis ex iisdem eruatur, defectum hujusmodi non adeo gravem semper reputavisse Sac. Congregationem, ut legitima concurrente causa petitam veniam denegandam judicaverit. Exempla sunt in Cathacen. 17. Dec. 1859 et in Januen. 29. Nov. praet. ann. 1862 inter supplices libellos relatis. Re quidem vera in his agebatur de jam promotis, et prout adnotari solet, quoties de dispensatione super irregularitate quaestio occurrit, facilis solet esse cum promotis Sacri Ordinis benignitas, prorsus difficilior cum promovendis. Attamen nec etiam in hac ultima specie exempla desunt, et luculentissimum esse videtur, quod prostat in Asculana 20. Febr. 1808, ubi dispensatum fuit cum clerico Emilio Sallusti, qui propter debilitatem renium claudicans impar erat perfectae genuflexioni faciendae, quam vix genu sinistro signabat, et ad aliud genu prius submittendum vel duo genua simul flectenda alterius auxilio indigebat.

Quatenus ergo irregularitatem adesse judicaverint, videant EE. VV., an petita venia concedi possit ratione habita optimae indolis hujus clerici et precum Episcopi Comaclensis, qui testatur: „Dioecesis sacerdotibus plurimum indiget et juvenis iste utiliter et studiose Ecclesiae inservire posset propter optimas animi dotes.“ Equidem magistri caeremoniarum experimentum desideratur; attamen cum in themate res sit de defectu, qui non intimas sacrificii caeremonias et ritus attingit, satis forsan allatum esse ab Episcopo EE. VV. judicabunt, ut definitivo responso preces dimittantur. Adnotare tandem non omittam in adductis circumstantiis, quatenus exhibitae preces excipi mereantur, minime alienum videri a praxi hujus S. Ordinis clausulam addere dispensationi, ut Orator a sacro faciendo abstineat in altari, in quo publice fidelium adorationi expositum sit augustissimum eucharistiae sacramentum.

Dilata et scribatur Episcopo, qui exquirat votum doctoris physici ab eodem Episcopo deputandi super qualitate, gravitate et possibili progressu morbi, facto experimento coram ss. caeremoniarum magistro.

Die 27. Februarii 1864.

Nulla interposita mora hujusmodi mandato laudatus Antistes satisfecit; quod ut ostenderet, testimonium a se deputati medici, et magistri caeremoniarum transmisit, quo primus affirmat: „Dictus Fogli in commissura artuum in genu dextro perfecta anchilosi laborat, qui morbus perpetuus est neque ulterius progredi potest, proptereaque periculum abest, ne postea magis claudicet.“ Alter autem pluries peracto experimento refert: „Clerici Fogli defectus eum non sinit usque ad terram genuflectere, sed quasi mediam genuflexionem peragit et manibus altari innixus utrumque genu flectit.“

Ita vero novissimis literis se habet Orator Episcopus: „Ex autographis documentis (medici nempe et magistri caeremoniarum) patet, nec grave aliquod periculum esse timendum, nec gravem irreverentiam vel in populo admirationem, quemadmodum una voce mihi clarius declararunt. Ego vero primo casum, quem exposui, ab involuntario errore purgare debeo. Exposui tali defectu in tibia dextra clericum laborare, ut genu sinistrum flectere debeat. Hoc et ipse et alii dicebant, sed (sicuti nunc oculis perspexi) ob actus ambiguum sensum veritas haec est: Anchilosi perfecta in genu dextero laborans, non potest clericus illud usque ad terram flectere, sed mediam tantum, ut ita dicam, genuflectionem commode exsequitur. Quod si fulcrum quodcumque prae manibus habet, veluti quando altari sistit, ambobus genibus provolvi potest, licet sinistrum tantum terram tangat, dextero aliquantum elevato; sed ita ut talari veste tecta persona nil de hac imperfectione adstantes videant. Ceterum conveniunt omnes, qui clericum agnoscunt et vident, nullam eum praeseferre deformitatem. Quamvis aliquantulum claudicet, securus tamen et expeditus incedit.“

Jam in praecedenti distributo folio nonnulla adnotabantur, quae claudum ad sacros ordines promovendum respiciunt, nec silentio praeteribam potiorem difficultatem, quam in facti specie de promovendo non de promoto occurrere perspexeram; licet ex Asculana diei 20. Februarii 1808 exemplum afferrem elargitae dispensationis clerico Sallusti, qui ob renium debilitatem claudicabat, genuflectionem vix genu sinistro signabat, dexterumque genu vel utrumque simul flectere nullatenus absque alterius auxilio valebat.

Causas vero, quas ad obtinendam dispensationem, si ea opus foret, in primis literis Episcopus attulit, ita in nuperrimis asserit et confirmat: „Quae exposui de clerici vocatione, virtutibus, et dioecesis gravissimis necessitatibus, ea plene confirmo, ideoque pro petita ad cautelam dispensatione novas humiliter addo fervidas preces.“

Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

57. Soanen. Pitilianen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 22. Septembris 1866.

Vicarius capitularis Soanensis et Pitilianensis dioecesis Sanctissimo Domino nostro commendavit preces adolescentis Nazareni Traversi, qui sexto supra decimum aetatis anno jam expleto ecclesiasticae militiae adscribi cupiens, irregularitate ex defectu corporis impeditur, quominus voti compos fiat. Is enim a nativitate pedem dexterum habet varum, ceu medici dicunt, inclinatum versus pedem sinistrum, et crus dexterum sinistro debilius est. Hoc tamen defectu minime obstante, libere absque ullo artificiali adjumento Orator incedit, et nullum adest periculum, quod nativum incommodum gravius in po-

sterum evadat, testante medico, qui adolescentem Traversi corporis viribus pollere et magnum monstrare ingenium dicit.

Ad haec addit Vicarius, Oratorem ex honestis et haud exiguo fortunarum censu instructis parentibus ortum valde commendari vita et moribus laude dignis et progressu haud communi, quem fecit in studiis aetati suae propriis; dioecesim vero quam plurimum indigere sacrorum ministris, his praesertim difficillimis temporibus, et impedimentum, quo juvenis ab ipso commendatus laborat nonnisi minimam parere in populo admirationem.

Ablegatis his precibus ad hunc Sacr. Ordinem, mandatum est eidem Vicario, ut peracto consueto experimento magis praecise referret tum de periculo in sacra peragendo, tum de vera necessitate seu evidenti utilitate ex Oratoris promotione ecclesiae obventura. Novis quapropter literis Vicarius testatus est: 1. Adolescens Traversi me et canonico magistro caeremoniarum praesentibus aliqua difficiliora fecit experimenta, quibus eum libere se movere posse monstrabatur. 2. Magister ceremoniarum mecum consentit, talem deformitatem non esse indecentem neque parere admirationem. 3. Dioecesis jam nunc in magna sacerdotum penuria versatur, unde in nonnullis paroeciis religiosos oeconomos instituere coactus sum. Tempore hoc ecclesiae maxime infausto adolescentes valde ab ingressu in statum ecclesiasticum deterrentur, ita ut in dies magis numerus sacerdotum decrescat et ipsae ecclesiae cathedrales atque metropolitanae servitio clericorum priventur. Deinde curia episcopalis a parocho et magistro de adolescentis Traversi bonis moribus, vocatione ad statum clericalem et ingenio non communi certior facta est. Commiseratione etiam digna est conditio Oratoris, patre quippe orbati et cum indigentia luctantis.“

Quae ex his omnibus ad rem colligere licet, haec prae aliis sunt: 1°. Non opus esse Oratori baculo vel alio cujusvis generis adjumento, ut expedite incedat. 2°. Defectus conditionem non ex morbo procedere, qui aliquando possit ingravescere. 3°. Nullum periculum imminere, cui sacrosanctum missae sacrificium exponatur, si Orator ad sacrum presbyteratus ordinem suo tempore promoveatur. 4°. Magnam ecclesiae utilitatem obventuram ex promotione Oratoris. 5°. Demum non deesse etiam necessitatem ex imminuto numero sacerdotum, et ex raritate vocationum ad statum ecclesiasticum: quae omnia quamplurimum favere videntur dispensationis gratiae, quam Orator exoptat. Adversatur autem notissima praxis hujus Sacri Ordinis, juxta quam, si raro in praeallatis adjunctis dispensatio denegatur promoto, raro etiam eadem conceditur promovendo, nisi forte permagna ecclesiae utilitas vel etiam necessitas hoc secundo casu favore supplicantis clerici succurrat, ceu nuperrime contigit in Utinen. diei 10. Martii et in Cephaluden. diei 16. Junii currentis anni inter supplices libellos adnotatis. Ex iis itaque, quae superius retulit Vicarius de hac utilitatis et necessitatis causa, vestrum erit, Eminentissimi Patres, decernere, quid ad porrectas preces rescribendum sit

Pro gratia facto verbo cum Sanctissimo.

58. Bergomen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 22. Septembris 1866.

Die 6. Junii currentis anni Episcopus Bergomensis supplici libello Beatissimo Patri haec exposuit: „Aspirat ad statum ecclesiasticum adolescens Dominicus Colleoni, natus die 10. Oct. 1847. Hac intentione ductus studia grammaticae et rhetoricae absolvit et jam ad alia studia transiit; verum caret

pede sinistro, qui jam multis abhinc annis ipsi amputatus fuit, eo quod fortuita explosione igneae ballistae laesionem receperat. Habet tamen pedem ex ligno adeo affabre adaptatum, ut calceamenta induat sicut ceteri, et bene incedat, quamvis aliquantulum claudicans; baculo autem fulcitur, si longius iter facit, in deambulando vero et inserviendo missae baculo non indiget et commode ascendit ad altare et descendit, etsi missale manibus tenens. Porro adolescens illibatae vitae est, magni ingenii et ita studiis deditus, ut inter socios primum praemium reportaverit anno elapso. Ob tales rationes et propter necessitates dioecesis Bergomensis vastae et montuosae, cum praesenti tempore pauci inveniantur, qui Ecclesiae servitio se dedere velint, humiliter peto, ut isti dispensatio ab irregularitate ad suscipiendos omnes ordines benigne impertiatur."

Summus Pontifex dignatus est ad S. O. preces remittere. Rogatus itaque Episcopus, ut pleniores ederet in facto informationes, rursus pro certo retinendum esse ait, quod irregularitas Dominici non culpa ejus, sed casu evenit neque periculum admirationis in populo adest. Quibus expositis iterum Oratorem commendavit ad dispensationis gratiam consequendam.

In generali congregatione diei 5. Maji currentis anni, cum in Mathelicen. Dispensationis inter supplices libellos (n. 60.) ageretur de gravissimo casu Paschalis Boccoli clerici professi inter Fratres Minorum de observantia, dispensationem expostulantis ab irregularitate, in quam inciderat ob amputationem cruris dextri in distantia quatuor digitorum a genu, animadvertebatur, ex insigni mutilatione corporis irregularem esse claudum, qui, licet sine baculo et absque gravi deformitate incedat, ligneum tamen pedem habeat, Barbosa de off. et potest. Episc. alleg. 42. n. 40., Reiffenst. lib. 5. tit. 37. §. 4. de irregularitate n. 84. Addebam praeterea, perquisitis actis Sacrae Congregationis non pauca a me reperta fuisse exempla propitii Sacri Ordinis rescripti ad preces dispensationis expetitae a jam promotis super irregularitate proveniente ex una vel altera insigni mutilatione corporis; nullum tamen ejusdem speciei exemplum inventum fuisse favore mutilati clerici promovendi. Quod si in cit. Mathelicen. rescriptum prodiit, supplicandum esse Sanctissimo pro gratia dispensationis, id tribuendum videtur speciali circumstantiae religiosae professionis, qua Orator Boccoli etsi sacris ordinibus nondum auctus aequiparari jam promoto non immerito potuerit.

His tamen non obstantibus, videant Eminentiae Vestrae, utrum peculiares facti circumstantiae, quae Oratori suffragrantur, attenta praesertim dioecesis necessitate quoad sacros ministros, tam graves sint, ut Oratoris preces tam favorabili Episcopi voto Sanctitati Suae et Sacro Ordini commendatae, propitio rescripto excipi mereantur.

Non expedire.

Die 13. Junii 1868.

Verumtamen Orator haud cecidit animo, seminarium haud deseruit, imo theologicis studiis impensius operam dedit, ac tandem die 15. Februarii currentis anni supplex adiit Bergomensem Praesulem, ut iterum S. H. O. literas daret, quibus ejus vota panderet et commendaret.

Non interposita mora Episcopus Dominici preces obsecundavit, etiam atque etiam rogans Eminentissimos Patres, ut expendere iterum dignentur, quae in cit. supplici libello ab ipso exposita prostant, atque supplicantis preces favorabili rescripto dimittere.

In novis hisce literis Rev. Antistes inter caetera haec habet: „Cum videam, dictum Colleoni in vocatione ad statum clericalem persistere, neque

adduci posse ad deserenda studia theologica, quibus ab aliquot annis satis feliciter operam dedit; cum porro omnimodo intemeratae sit vitae, et considerandum sit, ipsum, si gratiam non obtineret, non ad aliud vitae institutum transire posse, quia extrema quoque egestate premitur, non potui novas preces rejicere, et gratiam ipse iterum imploro. Rationes, quae pro Colleonio militant, jam antea relatae sunt. Casus explosionis sclopeti omnino accidentalis fuit. Porro pedem ligneum tam bene aptatum habet, ut calceamenta induat, sicut ceteri omnes, et bene incedit, quamvis aliquantulum claudicans; ad altare ascendit et descendit servitque sine ullo adjumento, ita ut, qui rem nesciret, vix defectum videret. Juvenis est optimis moribus praeditus et admodum pietate et raro ingenio fulgens, qui semper inter consortes eminuit. Manifestam habet inclinationem ad statum ecclesiasticum, ita ut ne minimum quidem dubium sit de vocatione vera in sortem Domini."

Licet in dubium revocari haud posse videatur agi in casu de vero irregularitatis vitio, de quo sermo est in cap. 6. de corp. vitiat.; et licet pariter fortasse certum sit, uti animadvertebatur in cit. supplici libello anni 1866 desiderari hujusmodi concessae dispensationis exemplum; haud pauca tamen in medium proferri possunt documenta largitae a S. H. O. dispensationis favore eorum, qui etsi non eodem, non leviori tamen laborarent corporis defectu. Sane in Pampilonen. Dispensationis diei 31. Martii 1860 dispensatum fuit cum promovendo, qui nequibat dextera manu se crucis signo munire, nec calicem ori admovere. Ob defectum unius vel alterius digiti vel plurium digitorum, exempla dispensationis promovendo concessae prae caeteris prostant in Comensi 21. Febr. 1824, in Januensi 6. Aug. 1825. in Pinhelen. 16. Junii 1865 (n. 53.), in Utinensi denique Disp. ab irregul. 10. Martii 1866, in qua agebatur de gravissimo casu, defectus scilicet pollicis sinistrae manus, adeo ut dispensandus in hostiae tum elevatione tum fractione, digitis indice ac medio uti cogeretur, non sine quopiam, quamvis minus notabili, incommodo. In Hydruntina 21. Febr 1824 (n. 12.), denegata non fuit dispensationis gratia promovendo Francisco Catanzano, qui sinistri oculi luce carebat. Nuperrime autem in Comaclen. Dispensationis ab irregularitate 27. Febr. 1864 (n. 56.), secundum obtinuit rescriptum quidam Fogli, qui „anchilosi perfecta in genu dextero laborans (ita in eodem folio) non potest illud usque ad terram flectere, sed mediam tantum, ut ita dicam, genuflexionem commode exsequitur."

A Sacri igitur Ordinis praxi alienum dici non potest, dispensationem ab irregularitate ex aliquo satis gravi corporis defectu procedente concedere, quando irreverentiae periculum minime immineat, nec populi admiratio rationabiliter pertimescenda sit, modo relaxationis justae ac legitimae causae praesto sint.

Utrum vero in casu, de quo agitur, extrema haec omnia, uti par est, conveniant, sapientiae erit Eminentissimorum Patrum decernere. Si mihi tamen aliquid innuere fas est, animadvertam Oratoris Colleoni defectum, etsi quamdam revera gravitatem praeseferat, irreverentiae et admirationi nullatenus causam praebere: ceu luculentissime patet ex Episcopi verbis: „Colleonius ad altare ascendit et descendit et servit sine ullo adjumento, ita ut, qui rem nesciret, vix defectum videret." Ex quibus deduci fortasse potest agi in casu, si ita loqui datum est, de materiali potius, quam de formali irregularitatis defectu.

Justas etiam dispensationis causas minime desiderari manifestum evadit ex superius relatis Episcopi literis, praesertim si conferantur cum iis, quae habentur in saepius citato supplici libello diei 22. Septembris anni 1866. In

illis Summi Pontificis benignitatem Bergomensis Praesul potissimum implorans ex defectu sacerdotum, quo sua dioecesis laborat, ait: „Ob omnes has rationes, (quas exposuerat) et maxime ob penuriam sacerdotum et necessitatem hujus dioecesis, quae ampla est et montuosa, humiliter Paternitatem Vestram exoro, ut benigne impertiatur isti juveni dispensationem ab irregularitate.“ Praeter igitur optimam Oratoris vitae rationem, eximiam ejus in Deum caritatem, singularem in ecclesiasticis disciplinis profectum, indubiam miserentis Dei vocationem; optatam dispensationem suadet sin minus necessitas, evidens saltem Ecclesiae utilitas.

Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia in exemplum non adducenda, facto verbo cum Sanctissimo.

59. Pennen.

Die 28. Januarii 1832.

Paulus Panico Pennensis civitatis in eum a pueritia incidit morbum, ut toto corpore et praesertim cruribus contremisceret. Et quamvis adolescentiam ingressus paulatim convalescere coeperit, ejusmodi nihilominus etiam nunc afficitur nervorum infirmitate, ut neque genu usque ad terram facile flectere neque submissis genibus manere queat. In sortem Domini se vocari sentiens, habitum clericalem pluribus abhinc annis induit, in studia incubuit, et sacris functionibus ecclesiae cathedralis interesse consuevit. In eadem ecclesia nuper vacare contigit alterum ex hebdomadariatibus, quibus illud inter cetera imminet onus, ut possessores altari inserviant in officio diaconi et subdiaconi. Canonici ad vacantem hebdomadariatum libenter nominarent memoratum Paulum, si irregularitatis defectu ipse non obstringeretur. Quamobrem idem Paulus, qui insuper ad sacrum sibi constituendum patrimonium aliquo indiget subsidio, supplicem huic S. Ordini obtulit libellum, quo dispensationem ab irregularitate efflagitat, ut tonsura et sacris quoque ordinibus initiari et hebdomadariatum obtinere valeat, spondens se onus inserviendi altari in officio diaconi et subdiaconi per alterum ex collegis perpetuo impleturum.

Oratoris precibus propitiam pandit Episcopus animi sui sententiam, referens novitium Paulum Panico optime se gerere, et nunc in vigesimo nono aetatis anno versari. „Medicus sub juramenti fide mihi deposuit, istum novitium ab infantilibus annis morbo correptum „diesclampita“, debilitatum semper mansisse nervorum et musculorum habitu, quae debilitas, etsi crescentibus annis diminuta est, tamen etiam nunc repetitas genuflexiones impedit. Paulus per aliquod tempus epileptico morbo correptus non est, ex quo deducere licet, neque postea eum fore illi obnoxium et semper diminutum iri illam, qua adhuc laborat, infirmitatem. Ex experimento coram caeremoniarum magistro peracto hoc cognovi, Paulum non posse quidem usque ad terram genuflectere sacras peragendo functiones, tamen id deformitatem, quae scandalum populo generaret, minime efficere. Denique ob clericorum penuriam in meis duabus dioecesibus ejus promotio ad sacerdotium Ecclesiae utilitatem affert. His ductus rationibus, cum dictus novitius satis habilis sit, optarem, ut Sanctitas Sua gratiam petitam concedere dignaretur.“

Pro gratia dispensationis et habilitationis pro prima clericali tonsura et quatuor minoribus ordinibus tantum, nec non pro hebdomadariatu in cathedrali, dummodo per alterum ex collegis inserviat altari in officio diaconi et subdiaconi, facto verbo cum Sanctissimo per Breve.

60. Mathelicen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 5. Maji 1866.

Una cum commendatitiis literis Episcopi Mathelicensis ablegatae fuerunt ad Eminentias Vestras a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium preces rectoris conventus Mathelicensis Fratrum Minorum de observantia, quibus exposcitur dispensatio ab irregularitate favore clerici professi Paschalis Boccoli, qui ad certae mortis periculum evitandum ob tumorem frigidum in genu dextro, ex maturo artis professorum consilio, misere subire debuit amputationem cruris usque ad distantiam quatuor digitorum supra genu.

Acerbissimo hujusmodi remedio sublato morbo, summo studio, ut in iisdem precibus legitur, elaboratum et suffectum est a peritissimo artifice crus mechanicum, cujus auxilio Orator nedum incedit absque ullo alio fulcro, sed genuflectiones etiam valet peragere sive altari incumbens, sive in plano, quin aliquo sustentaculo indigeat.

Mirum sane videtur, quod in praefatis precibus pro certo asseritur de extraordinaria perfectione machinae, ejusque expedito usu, attamen idipsum confirmatur ab Episcopo, qui absque ulla haesitatione retulit: „Cum ad me introductus esset a R. P. Superiore frater Paschalis Boccoli in minoribus ordinibus constitutus, aetatis 25 annorum, cui crus amputatum fuit, inveni eum incedentem sine fulcro auxilio cruris arte facti, et genuflexiones peragit, non solum ad altare inclinatus, sed etiam in plano sine adminiculo, prout vidi in mea capella. Propterea illum commendo clementiae Beatissimi Patris, ut desideratam dispensationem obtinere possit et ad sacerdotium ascendere.“ Praedictis tandem conventus rectoris precibus, suas etiam addidere procurator generalis et secretarius generalis ordinis, quorum postremus testatus insuper est ad praedictum opus conficiendum 300 libellas Ital. expensas fuisse partim a provincia, partim ab ipso ministro generali, ea sub spe, ut Orator ope Pontificiae dispensationis ad sacros ordines promoveri valeat.

Quamvis in genere ex majori vel minori incedendi difficultate vel deformitate statuendum sit, utrum claudus reputari debeat irregularis, quod judicium ad Ordinarium Praelatum pertinere tradit Reiffenst. lib 5. Decr. tit. 37. § 4. de irregularitate n. 84; in specie tamen indubie tanquam irregularis habetur claudus, qui sine baculo vel sine ligneo pede nequit incedere: Glossa in can. Si quis in infirmitate 10. dist. 55 et in can. Nullus Episcopus 57. dist. 1. de consecr., Abb. in cap. 2. de cler. aegrot. n. 2. Barbosa de offic. et potest. Episc. alleg. 42. n. 40. Reiffenst. loc cit., Ferraris v. Irregularitas art. 1 n. 12. Quapropter si irregularitas in casu, de quo agitur, non ex deformitate incessus, juxta ea quae refert Episcopus, deducenda foret, adhuc tamen superesset altera irregularitatis causa, quae ex tam insigni mutilatione corporis proveniret.

Acta hujus Sacri Ordinis non rara exhibent exempla concessae dispensationis ab irregularitate sive cum impedito ob aliquod infortunium aut renium debilitatem, quominus statutas in sacro peragendo genuflexiones ullatenus exsequi valeret, uti in Cathacen. 17. Decembr. 1859 (n. 54.) et in Januen. 29. Novembr. 1862 inter supplices libellos (n. 55), sive cum mutilato integra laeva manu in Calaguritana 27. August. 1859, vel integro pariter sinistro brachio, aliis omissis in Pampilonen. 25. Septembr. 1858 (n. 21.), in Mantuana 27. Nov. ejusd. anni, nec non in De Linares 8. Julii praeter. ann. 1865 (n. 22.). Re quidem vera universa hujusmodi exempla casus respiciebant promoti jam ad sacros ordines, non

vero promovendi, cujus postremae speciei, etsi invenerim exemplum dispensati clerici super defectu genuflectendi ob corporis debilitatem in Asculana 20. Februarii 1808, nullum tamen datum est reperire favore mutilati.

His vero perpensis, videant Eminentiae Vestrae, utrum clericus professus aliquo modo aequiparari mereatur jam promoto ad sacros ordines, saltem sub intuitu facilius consequendi dispensationem ab irregularitate, prout in themate. Enimvero de professione religiosa docent canonistae, quod ipsa relevet irregularitatem ortam ex defectu natalium, et relate ad ceteras, eas non quidem tollat, sed soleat tamen facilius animum supremae auctoritatis movere ad dispensationem super iisdem elargiendam: Laymann. lib. 4. theol. tract. 5. cap. 10. n. 4. Schmalzgr. in decr. tom. 3. tit. 31. n. 202. et 207. Quod ex eo deducendum esse videtur, quod clericus professus perpetuo sacrae militiae mancipatus prohibeatur, quominus ad vota saecularia redire valeat, dum e converso clerici saeculares, quibus dispensatio denegatur, expeditam habent viam alio se vertendi, cum nullo vinculo detineantur.

Supplicandum Sanctissimo pro gratia dispensationis.

5. Pusillitas staturae.

61. Taurinen. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 29. Januarii 1848.

Dubium exhibuit Archiepiscopus Taurinensis quoad cujusdam clerici D. irregularitatem in haec verba:

„In clero meo est clericus Cajetanus D., qui in aetate 24 annorum adeo parvae est staturae, ut vix altitudinem unius metri et 33 centimetrorum attingat; praeterea cruribus varus est et aliquantulum gibbosus, capite grosso et debilissimae visivae facultatis. Misi eum ad domum Missionis Taurinensem, ut experimentum ad altare subiret; et judicatus fuit irregularis et ad celebrandum inhabilis, nisi privatim et in altari expresse pro eo constructo. Pater ejus, qui multum exoptat filium in sacris ordinibus constitutum videre, non alienus est a petitione privilegii oratorii privati et a constructione altaris, ut requiritur perficienda, et a petitione dispensationis super irregularitate. At concediturne ista dispensatio?“

Precibus ad eumdem Archiepiscopum remissis, ut referret de enunciati clerici qualitate, moribus, idoneitate quoad scientiam, necnon peracto experimento referret, utrum missale rite legere valeat et cruces efformare absque periculo effusionis calicis, referret tandem ex jurata peritorum physicorum fide de statu visivae potentiae et utrum probabile periculum adsit illius imminutionis, ita respondit: „Clericus Cajetanus D. die 3. Octobris h. a. 24 annos aetatis complevit; semper bonis moribus praeditus fuit et scientiae sufficientia dedit specimina.“ Huic testimonio annectit praefecti ac vicepraefecti caeremoniarum e pia congregatione PP. Oratorii votum omnino favorabile, dum prius, a patribus domus Missionis latum contrarium fuerat, ut ipse notat Archiepiscopus. En ipsa tum praefecti tum vicepraefecti caeremoniarum responsa: „Ad quaestiones a S. Cong. Concilii propositas de clerico Cajetano D.: 1°. Utrum in eo adsit deformitas, quae scandalum generet in populo, vel divinis praestet impedimentum? 2°. Utrum missale legere valeat et cruces efformare absque periculo effusionis calicis? peracto experimento respondemus: ad prim. negative, ad secund. affirmative.“ Similiter quoad visivam potentiam duo physici periti haec de illo seorsim retulerunt, alter nimirum:

„Oculos physiologice perfecte dispositos habet, et normalem visivam potentiam“; alter vero: „Acies oculorum incolumis et bona est, neque in forma aut constructione eorum quidquam reperi, quod signum praeberet, eum oculorum malis unquam affectum iri.“

Imprimis certum est, homines staturae parvae nullo texto juris irregulares declarari; sed datur pro regula generali ex jure deducta, quod ille corporis defectus irregularitatem inducit, qui congruum ordinis exercitium impedit aut qui notabilem deformitatem, horrorem prae se ferentem vel ad risum moventem affert; de quibus judicium pertinet ad Episcopum, ut uno consensu tenent canonistae et cum ipsis haec S. Congregatio in Mexicana 12. Junii 1721. Jamvero in casu Archiepiscopus Taurinen. suum clericum ex defectu praesertim staturae ita irregularem habet, ut dispensationem, si dari posse contingat, petendam unice velit ad celebrandum in oratorio privato, ad altare notabiliter minus altum. Reperiuntur sane exempla dispensationum ab irregularitate ob corporis vitium contracta presbyteris indultarum, ea lege adjecta, ut in oratorio privato vel in ecclesia minus frequentata, aut saltem hora minus a populo frequentata solummodo celebrent: sic in una Mutinen., quae refertur in Cameracen. 20. Januar. 1821, concessa est dispensatio sacerdoti tribus digitis carenti, pollice scilicet, indice et medio; sub simili conditione indulta est dispensatio vicario curato, cui unice supererat digitus pollex, ut videre est in Samogitien. relata inter summaria precum die 15. Maji 1738. Sed ea exempla aliave invocari nequeunt ab his, qui ad ordines non fuerunt promoti, cum hujus S. Congreg. praxis constans, aequitati pariter ac ss. canonibus innixa, ita comparata est, ut in tali dispensatione mitius et benignius agatur cum promotis ad ordines, quam cum promovendis, haec regula in omnibus fere hujuscemodi causis profertur, et maxime defenditur in Comen. Dispensationis 16. Maji 1775, 12. Junii et 11. Julii 1776. Praeterea nulla neque utilitas neque necessitas Ecclesiae procedit ex Cajetani promotione, praesertim si missa ab eo in privato oratorio esset celebranda, ac proinde finis promotionis deficere videtur.

Attamen pro dispensatione facit citata Mexicana 12. Junii 1721, in qua arbitrio Archiepiscopi relictum est dispensare cum clerico, qui staturam 5 palmorum ac duorum tertiorum alterius palmi mensurae Romanae non excedebat, dum clericus Cajetanus 6 palmorum altitudinem fere attingit, et solum petit facultatem celebrandi in oratorio privato; quo etiam modo praecavarentur illa incommoda, propter quae irregularitas inducta est; nam ibi nullum scandalum, nulla admiratio, nulla irrisio populi formidanda, et sacrum congrue perficere posset Orator.

Accedit ardens patris desiderium et Archiepiscopi Taurinen. bonum testimonium de clerici scientia et moribus; quinimo favorabile votum praefecti et vicepraefecti ss. caeremoniarum congregatione PP. Oratorii, cui magis deferendum est, quam privato judicio PP. Missionis, utpote quod ex officio et expressa Episcopi delegatione peractum est ab illis experimentum, suaderet dispensationem simpliciter et absolute posse concedi, uti factum est in simillimo irregularitatis casu in Acheruntina et Matheranen. relata in congreg. diei 8. Aug. 1846 per summaria precum: in ea siquidem Oratoris statura non excedebat quinque palmos cum tribus alterius palmi partibus, ita ut saltem aequalis sit clerici D. statura.

Hisce tamen non obstantibus videant EE. Patres, num expediat, quatenus dispensationem ab irregularitate concedere censuerint, eam absolute impertiri seu potius ea conditione, ut Orator celebret in oratorio privato, aut in ecclesia et hora minus frequentata, idque non tantum ob staturam, quae

non adeo parva videtur, quam ob alias sive in capite sive in humeris, sive demum in cruribus deformitates, de quibus meminit Archiepiscopus, quaeque forsan omnem populi admirationem non effugient, licet S. Congregatio in Malacitana 17. Junii 1775 dispensaverit cum simplici clerico, qui leviter claudicabat, duosque digitos sinistrae manus ad plures actiones in sacrificio peragendo habebat impeditos. Gibbosi autem tunc sunt irregulares, quando sunt deformiter tales, ex cap. Hinc etenim, vers. Gibbus dist. 49. Cum vero Archiepiscopus clericum D. appellet aliquantulum gibbosum non videtur ex hujusmodi indicatione exsurgere deformitas, quae irregularitatem inducat.

Consulendum Sanctissimo, ut concedatur facultas Archiepiscopo pro suo arbitrio et conscientia dispensandi et habilitandi clericum Cajetanum D. ad omnes ordines usque ad presbyteratum inclusive, servatis servandis, dummodo celebret in oratorio privato vel in ecclesia hora minus frequentata.

62. Pisana.

Die 21. Novembris 1840.

Clericus P. S., aetatis suae annorum 29, desiderio flagrans ss. ordines suscipiendi, cum statura valde pusillus ac gibbosus appareat, adprecatur humillime, ut a qualibet irregularitatis nota dispensetur. Tam vicarius capitularis, sede Pisana vacante, quam recens Antistes, pro cujus voto audiendo preces dilatae ab hac S. Congregatione fuere die 29. Januarii elapsi anni, referunt unanimiter, experimento facto apud ss. caeremoniarum magistrum erui, illum non tam ridiculum esse propter gibbam suam, sed magis esse dubitandum quoad staturam ejus, quae altitudinem duorum cubitorum Tuscorum non excedit. Unde ipse caeremoniarum magister censet, preces Oratoris non esse rejiciendas, si utatur vestibus sacris ejus staturae accomodatis et eligat altare ejus pusillitati conveniens.

Consulendum Sanctissimo pro dispensatione et habilitatione ad ss. ordines usque ad presbyteratum inclusive, etiam ad missae celebrationem, in oratorio tamen privato tantum et in altari prudenti arbitrio Archiepiscopi cum consilio caeremoniarum magistri approbando, quod conveniat pusillitati ejusdem Oratoris et cum indumentis eidem aptis, per Breve facultativum.

63. S. Agathae Gothorum.

Die 14. Decembris 1844.

Laurentius F. in minoribus ordinibus constitutus supplex adest postulans dispensationem ab irregularitate, ut ascendere valeat ad s. subdiaconatus ordinem, a quo nunc prohibetur eo, quod sit statura pusillus. Episcopus, cui ab H. S. O. commissum fuerat experimentum coram caeremoniarum magistro, respondit: „Acolythus Laurentius F. ex hac urbe et dioecesi supplicavit apud S. Congr. Conc. ad obtinendam dispensationem ab irregularitate pusillae staturae, quae $5^3/_4$ palmos non excedit. Ex mandato EE. VV., ut viderem, an ex hac statura pusilla scandalum in populo aut aliud quidpiam eveniret, quod in divinis peragendis esset impedimento, experimentum factum est coram me a caeremoniarum magistro vidimusque, dictum Oratorem libere posse signa crucis facere super calicem, frangere hostiam super eo absque ullo peri-

culo effusionis calicis, itemque illum expedite legere posse in missali. — Praeter hunc staturae defectum nullum adest in Oratore impedimentum, imo omnia concurrunt requisita ad s. ordinem subdiaconatus, cum eluceant boni mores et sufficienti sit instructus scientia, ut Ecclesiae Dei utilis valde esse possit.“

Prudenti judicio Episcopi per Breve, facto verbo cum Sanctissimo.

6. Morbus epilepticus.

64. Reatina et Nursina.

Die 14. Maji 1831.

Clericus Bernardinus Giuliani ex oppido Albaneti Reatinae dioecesis, cum tribus circiter abhinc annis in Reatino seminario studiis operam daret, ita convulsionibus affici coepit, ut morbum comitialem contraxisse putaretur. At postquam in seminarium Nursinae civitatis se contulit, ita convaluit, ut a mense Januario anni 1830 in eundem morbum vix incidisse videatur. Cumque vigesimum secundum jam exegerit aetatis annum, dispensationem ab irregularitate, quatenus opus sit, enixis precibus efflagitat, ut sacris valeat initiari ordinibus.

Reatis non minus quam Nursinae Episcopus pluribus prosequuntur laudibus clericum Oratorem, ejusque commendant integritatem morum atque etiam studium in sacris addiscendis disciplinis, adeo ut Nursinus Antistes regimini seminarii eum praeficere non dubitaverit. Quod vero pertinet ad morbum haec refert Episcopus Reatinus: „Cum Orator in seminario moraretur, quater vel quinquies in ultimo domicilii sui anno tali fuit affectus morbo, quem „convulsiones“ appellant, ita ut extra sensus per quadrantem circiter maneret eoque currente ululatus, salivam ex ore spumantem et subobscurum in vultu colorem emitteret. Professores physici vocati eum in se reversum inveniebant nihilque eorum, quae acciderant, recordantem. Qui Julianum noverant, praesentesque accessibus morbi aderant, convulsiones supradictas epilepticas judicant. A biennio autem, ex quo clericus Juliani in seminario Nursino moratur, de vicissitudinibus morbi hujus ignarus sum.“ Nursinus autem Episcopus eumdem clericum a convulsionibus convaluisse narrat, inquiens: „Abhinc fere duobus annis, quibus Orator in hoc meo seminario versatur, per duas tantum vices et quidem noctu, leves quasdam convulsiones passus est, quas a primis diebus mensis Januarii praeteriti anni 1830 amplius expertus non est. Et physicus professor medio juramento asserit ab aliis causis, nimirum ab indigestione potius quam ab epilepsia praedictos motus emanasse, easque contractiones non esse Oratorem in posterum vexaturas prudenter ipse sperat. Quamobrem uterque Episcopus censet Oratorem dignum esse gratia, quam instanter petit, praevia dispensatione ab irregularitate ex epileptico morbo proveniente, si motus elapsis annis quandoque experti ex dicta causa originem fortasse habuerint.

Pro gratia dispensationis ab irregularitate, dummodo ante promotionem ad subdiaconatum in morbum non inciderit, et firma eadem conditione pro susceptione reliquorum ordinum, citra dispensationem ab interstitiis arbitrio et conscientia Episcopi Reatini, facto verbo cum Sanctissimo.

65. Treviren. — Dispensationis ab irregularitate.

Die 27. Januarii 1866.

Episcopus Trevirensis Sanctissimo Domino Nostro die 27. Novembris nuper praeterlapsi anni supplicem porrexit libellum, in quo ita se habet: „Joannes Baldus, dioecesis Trevirensis clericus, ex tempore quatuor annorum infirmitate quadam alvi interdum convulsionibus laborat, quapropter hactenus ordinum majorum particeps fieri non poterat. Anno praeterlapso haec debilitas rarius apparebat et Joannes Baldus, qui est clericus admodum pius et boni ingenii, iterumque me deprecatus est, ut a Sanctitate Vestra pro eo exorem gratiam dispensationis super impedimento irregularitatis ex defectu corporis provenientis. Transmisit mihi ad hunc finem testimonium medici sui, omni fide dignum, ex quo sequentia emanant momenta:

1) Convulsiones clerici Baldi quaternis vel quinis tantum obveniunt mensibus et quidem noctu vel ad summum una hora postquam e somno surrexit.

2) Jam vero non praeter exspectationem, sed cum causa eorum non sit ignota, eas pro certo praevidere potest.

3) Non est timendum, ne interdiu morbus accedat, cum ipse medicus testetur, in manu esse supplicantis, ne hoc fiat.

4) Morbus non est vitium organicum, sed mera dispositio, quae evanesceret, quam primum animi tranquillitas, rebus parum secundis hucusque impedita, supplicanti reddita fuerit.

5) Supplicans corpore alias sano atque firmo ad munia sacerdotalia aptus est.

Cum dijudicare non audeam, an causae expositae sufficiant ad preces urgentes Joannis Baldi justificandas, Sanctitatem Vestram humillime supplico, ut examinatis causis istis benignissime me velit edocere, utrum clericus Baldus gratiam dispensationis super impedimento irregularitatis ex defectu corporis, quam devotissime obtestatur atque obsecrat, sperare possit an non.“

Medici vero testimonium, quod laudatus Praesul suis literis addidit, hujusmodi est: „Joannes Baldus per quatuor pene annos curae meae addictus infirmitate quadam alvi laborat, qua re interdum premitur convulsionibus, quibuscum plerumque animi absentia conjuncta est, non vero perfecta laborat epilepsia. Quam alvi infirmitatem causam efficientem esse convulsionum, pro certo constat, eamque annis maturioribus omnino esse decessuram, morali certitudine praesumi potest. Neque dubium esse, quin tunc etiam convulsiones plane sint decessurae, omnibus, quae usque ad hunc diem expertus sum, probatur. Caeterum hoc malum subsequens evanescere poterit, priusquam infirmitas alvi plane aberit, cum vehementiores tantum hujus infirmitatis gradus, quaternis vel quinis mensibus obvenientes, convulsiones efficiant. Hae convulsiones noctu tantum vel ad summum una hora postquam e somno surrexit, solent obvenire. Bis tantum alio tempore accesserunt causis allatis extraordinariis, quas Baldus facile evitare poterit, cum omnino in manu ejus sit, omnes ejusmodi casus facillime evitare, modo velit. Porro dicendum est, neque infirmitati alvi neque convulsionibus ullum vitium organicum subesse, ita ut utrumque malum evanescere possit. Corpus alias sanum ac firmum est; vel magni tam animi quam corporis labores valetudini nihil damni afferebant; ex contrario sapiens mentis et corporis virium exercitatio sanitati magnae erit utilitatis.“ Huic medici testimonio parochus loci subscripsit simulque testatus est, eumdem suum esse parochianum, virum pium, veracem omnino ipsumque vel timoratae conscientiae et dignum, cujus testimonio fidem adhibeant omnes.

Inter irregulares communiter recensentur caduco morbo laborantes, seu epileptici, juxta ea, quae habentur in can. 3. Communiter dist. 33. can. 10. Praecipimus dist. 34., Reiffenst. lib. 1. decr. t. 20 n. 19, Devoti lib. I de elect. sect. 2 t. 7. §. 6., Ferraris v. Irregularitas n. 12. Expendentes tamen canonistae epilepsiae naturam, docent epilepticum, qui jam promotus fuerit, quamvis nondum sanatus, ut habet Ferraris l. c., si raro tamen cadat, posse privatim celebrare cum assistentia sacerdotis, qui missam prosequi valeat, si alter deficiat. Quare non absolutam oriri ex hujusmodi infirmitate irregularitatem autumant, cum, ut ait Suarez de censur. disp. 51 sect. 2. n. 17. non propter aegritudinem absolute irregularitas incurratur, sed propter impedimentum perpetuum; infirmitas enim, quae curari potest, vitium corporis simpliciter in jure non vocatur, L. Inter 101. ff. de verb. sign.

Et revera sacra haec Congreg. in una Tudertina 19. Julii 1704 irregularem minime esse reputavit clericum, qui deliquio quodam ex improviso correptus (quod tamen medicus ex accidenti epileptico processisse dubitaverat) nullum ulterius per plures annos ejusdem morbi signum dederat. Exemplum praeterea exstat in una Volaterrana diei 9. Julii 1825, apud Gamberinium, quod a praesenti casu super natura et gravitate morbi nullatenus differre videtur. Episcopus ad subdiaconatus et diaconatus ordinem evexerat quemdam Josephum Bellini, olim comitiali morbo obnoxium, sed a quo integre convaluisse videbatur. Verum cum aut post splendidum prandium, aut post jejunium diu servatum, levem aliquando corporis commotionem passus fuisset, ab hac S. Congreg. declarari petiit Episcopus, an illum ad presbyteratus ordinem promovere valeret. Et rescriptum fuit: „Pro gratia dispensationis et habilitationis arbitr. et consc. Episcopi.“

Attamen utrum eadem indulgentia procedi valeat cum simplici clerico ac cum diacono, sapientiae Eminentiarum Vestrarum judicandum relinquitur.

Pro nunc non expedire.

Die 26. Januarii 1867.

Ad hujus rescripti textum probe intellexit Orator Episcopus, denegatam quidem fuisse petitam dispensationem, at non omnem nec absolute abruptam eodem rescripto exstitisse spem propitiae resolutionis, quatenus forsan fieri in posterum contingeret, ut firmiorem valetudinem clericum assecutum esse doceatur. Praeterlapso itaque integri prope anni spatio, cum laudatus Antistes novum testimonium a clerici medico acceperit, quo affirmatum est, debilitatem, qua Baldus laborabat, ab uno fere anno evanuisse, nec ullum existere impedimentum, quo in muniis sacerdotalibus exercendis impediatur hujusmodi rerum statu motus, ut nuper Episcopus ait, et in benignitatem Sanctissimi Patris confidens petiit, ut sibi liceat clericum Baldum, qui modo in sanitatem est restitutus, ss. ordinum participem reddere, pro qua indulgentia maximas se acturum esse gratias professus est.

Dilata, et recurrat post sex menses, exhibito documento etiam alterius medici ab Episcopo deputandi.

Die 11. Januarii 1868.

Praeterlapso temporis spatio ab S. hoc Ordine praescripto, ad exitum scilicet properante mense prox. praet. Augusti, vicarius capitularis (vidua enim interim suo pastore effecta est ecclesia Trevirensis) duplex medicorum testimonium de firmiori statu valetudinis praefati clerici ad hunc Sacrum

Ordinem transmisit, primum nempe medici, qui jam antea suum judicium de natura morbi protulerat, alterum medici a defuncto Episcopo deputati, suasque preces addidit pro indulgentia apostolicae dispensationis.

In memoratis foliis dierum 27. Januarii 1866, et 26. Januarii 1867, ex consueta benignitate ab Eminentiis Vestris reassumendis, praeter facti adjuncta satis enucleata fuisse reor, quae in jure hac super re animadvertenda erant. Superaddidi praeterea exempla, quibus disciplina Sacri Ordinis explicatur quoad epilepticos, sive jam promoti iidem fuerint ad sacros ordines sive promovendi. Praestat modo EE. VV. sapientiae subjicere, quae in nuperrimis medicorum testimoniis deducta sunt.

Primus ea singula confirmat, quae de peculiaribus morbi causis ejusque natura testatus jam fuerat, et non solum asseverat rem postea in deterius mutatam non esse, sed censet insuper „sanitati d. clerici nihil tantum periculum afferre, quantum vitae status, ut nunc est, incertus, atque sacros ordines optimum praebere remedium ad conservandam ejus valetudinem integram.“

Alter autem haec refert: „A mense Februario c. a. (1867) Joannem Baldus clericum diligentissime observavi, ejusque naturam accuratissime cognovi atque perspexi. Ex illo tempore impetus epilepticus ei non obvenit, atque etiam dispositio prioris morbi ad minimum reducta est, ita ut prorsus in ejus potestate sit omnem malum eventum non modo praevidere, sed etiam praevisum, caput aqua frigida lavando, impedire. Et si quid mali ei rursus accidat, id causa occasionali omnino extraordinaria ac vehementissima fieri poterit, et quidem noctu tantum, cum ex toto prioris morbi decursu supra omne dubium appareat, illum cum somno admodum nervoso intimam habere connexionem. Dicendum itaque et affirmandum est, Joannem Baldus ab omni vitio organico liberum esse. Quae cum ita sint, praedictus clericus ad quodvis munus sacerdotale rite subeundum, imprimis ad s. missae sacrificium decenter celebrandum, aptissimus est, imo magnopere est optandum, ut quamprimum ad s. ordines admittatur, quia reddita animi tranquillitate cito plane sanus erit. At si longior etiam mora ei imponeretur, valetudo ejus procul dubio in maxima adduceretur pericula.“

Hujusmodi medicorum judicio vicarius capitularis subscribit, et iterum ipse favore Oratoris testatur, quod defunctus Episcopus jam exposuit „Joannem nempe Baldus esse clericum pietate, bonis moribus, et competenti scientia praeditum, quippe qui sacrae theologiae studiis incumbit, et bona servitia Ecclesiae Dei praestare poterit.“ Quapropter eumdem pro dispensationis gratia summopere commendat. Hic tandem favore ejusdem clerici merito addendum occurrit, quod vicarius admonet, eumdem videlicet per sex annos, in rerum suarum conditione non admodum propitia, firmum semper retinuisse propositum ad sacros ordines adscendendi. Non parvo autem in pretio haberi solent ab hoc Sacro Ordine haec eadem perseverantia Oratorum in vocatione ad ecclesiasticam militiam, et propitium Ordinarii votum.

Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

66. Aturen.

Die 24. Septembris 1832.

Refert Episcopus Aturensis, Joannem F. pluribus abhinc annis parochum ad S. Liborium in sua dioecesi, sontico seu comitiali morbo corripi non stato tempore, sed sex, octo, vel decem circiter vicibus per annum. „Cum vero

parochus iste, subdit Episcopus, dilectus sit Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est apud suos parochianos, cum ordinarie de invasione morbi praemoneatur et tempus supersit sufficiens, ut sacrarium repetere possit, si in altari sit constitutus, cum post quadrantem communiter animos suos reassumat, cum inde nullum oriatur fidelibus scandalum, utpote qui eum maximo prosequuntur affectu et singulari veneratione; cum vicarius missae possit interesse et illi occurrere, si opus sit, et multo tempore laborare possit ut bonus Christi miles; cum denique multo pauciores sint sacerdotes, quam necessarii forent saluti animarum, postulat Episcopus, ut dispensetur cum dicto parocho ab ista irregularitate et absolvatur a censuris, si quas incurrerit. —

Consulendum Sanctissimo pro dispensatione, dummodo celebret cum assistentia alterius sacerdotis.

67. Nanneten. — Irregularitatis.

Die 21. Julii 1832.

Episcopus Nannetensis in Gallia supplicem Sanctissimo Domino Nostro porrexit libellum, quo retulit, se ab altaris ministerio quemdam presbyterum G. suae dioecesis, vicarium curatum, jamdudum prohibuisse, quod duobus fere abhinc annis non modo nervorum contractione et capitis vertigine, sed comitiali propemodum morbo laborare videtur. Cum vero idem presbyter ex adhibitis remediis tantum valetudinis fructum perceperit, ut jam plures essent menses, ex quo numquam amplius in morbum recideret, ipse Episcopus humillime petiit favore memorati presbyteri, quatenus liberet Sanctitati Suae, apostolicam ab ejusmodi irregularitate concedere dispensationem.

Precibus ad H. S. O. ablegatis, idem Episcopus pro informatione et voto rogatus plura pandidit, quae ad rem maxime faciunt.

1°. Presbyter G., ille ait, duabus vicibus aggressiones passus est ante missam, et una insuper vice post sacrum in sacristia, cum vestes sacerdotales deponeret, sed minus violenter;

2°. Numquam in ipso actu celebrationis missae cecidit;

3°. Presbyter G. asserit, istas aggressiones semper praevisas fuisse, saepius unius horae intervallum existere inter casum et signum praecedens et se quandoque malo occurrisse.

4°. Medicus arbitratur, morbum, quo laborat sacerdos G. non esse malum caducum saltem grave, sed potius defectionem cordis et nervorum, agitationes, variaque enumerat mali caduci signa, quae in praedicto aegrotante non agnoscit.

5°. Observandum est, annum jam elapsum esse a tempore, quo ultimas aggressiones aegrotus passus est.

Hisce delatis Episcopus enixe iterum postulavit, ut praevia dispensatione ab irregularitate, sibi facultas tribuatur, qua possit pro sua prudentia sacerdoti G. missae celebrationem permittere, assistente tamen alio presbytero, et dummodo, ipse inquit, de valetudine etiam meliori constet.

Pro gratia dispensationis et rehabilitationis arbitrio, conscientia, et juxta votum Episcopi facto verbo cum Sanctissimo.

Die 3. Augusti 1833.

Nunc vero idem Episcopus scribit, ipsum morbi illius impetu iterum vehementer vexari, se proinde auctore a re sacra cessasse. At pergit Episcopus: „Sacerdos ipse multo commendabilis, zelo animarum flagrans aegritu-

dine angitur, eo quod sit ad inertiam damnatus, reveraque fidelibus utilis esse posset, si licentiam haberet praedicandi et catechizandi et fidelium confessiones excipiendi, quod quidem absque gravi incommodo fieri posse videtur."

Observat ipse aegrotus, se numquam a morbo improviso opprimi; duobus enim aut tribus diebus antequam casus adveniat, sopore et capitis gravedine monetur; nervorum commotiones incipiunt semihora ante crisim, quae illum in terram evertit et sensum tollit. Observat insuper, se casus inhibere posse vel vestes aperiendo et pectus dilatando, aut etiam se in lectum conjiciendo; tunc enim mentis suae compos remanet. Tandem observat se, quando, uti dictum est, capitis gravedine movetur, sacra mysteria non celebravisse et abstinuisse a praedicatione et sacro tribunali; una tantummodo vice his cautelis neglectis in ecclesia cecidit. Itaque Episcopus Nannetensis humiliter petit a Sanctissimo D. N., ut perseverante prohibitione, ne ad altare ascendat missam celebraturus, attamen possit alias ordinis functiones ecclesiasticas exercere.

Juxta exposita non indigere.

Die 19. Aprilis 1845.

Post haec quotidie morbo ingravescente per annos decem bis aut ter fere in hebdomada vehementer agitatus ab omnibus ecclesiasticis functionibus sese interdixit. Nunc vero quindecim abhinc mensibus adhibitis remediis a medico in his curandis morbis perito acceptis fere pristinam recuperavit sanitatem; hoc enim temporis intervallo tres tantummodo easque leves passus est nervorum agitationes nocturno tempore. Supplices perinde huic S. Ordini preces porrexit, ut dignetur Eminentiarum VV. clementia ipsum ab irregularitate dispensare, et ad sacrificium offerendum habilitare. Precibus juncta est medici et Episcopi amplissima testatio de moribus sacerdotis Oratoris, qua dicitur eum esse multo commendandum, zelo animarum flagrantem, ipsumque aegritudine angi, eo quod ad inertiam sit damnatus.

Pro gratia dispensationis et rehabilitationis ad ss. missae sacrificium cum assistentia alterius sacerdotis, et cum reincidentia, si in morbum relabatur, arbitrio Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

68. Rossanen.

Die 24. Maji 1823.

Per summaria precum in comitiis diei 22. Augusti elapsi anni 1822 actum fuit de presbytero Josue Severini Rossanensis dioeceseos, qui ob motum, seu flexibilitatem omnem fortuito in dextero brachio amissam, dispensationem imploravit ab irregularitate, atque ut sibi liceret sacrum peragere, utendo sinistro brachio. Responderunt EE. PP: „Pro gratia juxta petita, dummodo celebret in oratorio privato, facto verbo cum Sanctissimo"; resolutionem autem die 28. ejusdem mensis Sanctissimus benigne approbavit et confirmavit. Mense vix elapso sacerdos Severini petiit, ut sibi potestas fieret sacrum publice peragendi.

Novas memorati sacerdotis preces Archiepiscopus Rossanensis enixe commendat; testatur enim de parvo numero presbyterorum in sua dioecesi exstantium, ideoque utilem arbitratur sacerdotis Severini habilitationem ad publice celebrandum: fidem facit de gravi incommodo, quod idem sacerdos patitur tam in quaerendis privatis sacellis, ubi sacrum faciat, quam ex de-

fectu eleemosynae, quam habere non potest privatim celebrando. Denique concludit: „Precor ut dicto sacerdoti petita gratia concedatur, cum non habeat deformitatem, quae scandalum parat in populo neque indigeat sacerdote assistente in celebratione missae, quia brachio sinistro caeremonias adimplere valet.“

Profecto cum indultum Oratori fuerit, ut sacrum offerre in privato sacello possit, ad incommodum vitandum facile obtinebit facultatem erigendi oratorium intra suae habitationis limites. Non raro autem S. Congregatio indulsit, ut ad sacerdotium jam promoti, si irregulares evadant, sacrum nihilominus celebrare possint; voluit tamen, ut in privatis oratoriis, vel in ecclesia horis minus frequentatis celebrarent, ut videre est in Mutinen. 29. Maji 1734 (?), et in Samoagitien. 15. Maji 1738 (?), atque id provide jussit ad vitandum scandalum, vel etiam risum, quem hujusmodi irregulares in adstantibus movere facile possent, inhaereus can. Illitteratos. dist. 16., et cap. Presbyterum. 2. de clerico aegrotante.

Lectum ad instantiam, et ad mentem. Mens est, ut Archiepiscopus utatur facultate habilitandi Oratorem ad satisfacienda onera missarum inadimpleta in oratorio privato, vel in ecclesia januis clausis; facto verbo cum Sanctissimo.

B. Defectus aetatis.

69. Caputaquen.

Die 18. Martii 1826.

Nefariorum hominum opera magnum passa est incendium anno 1809 terra Rufrani dioec. Caputaqu. consumtisque archipresbyteralibus aedibus baptizatorum liber misere periit. Ad tantam jacturam reparandam archipresbyter addito sibi syndico illius oppidi in novum codicem meliori modo quo potuit omnium parochianorum nomina et aetatem retulit. Huic S. Congregationi exposuit clericus N. Sofia in eundem codicem errorem irrepsisse quoad ejus natalem diem; nam ex eo elicitur Oratorem ortum habuisse die 20. Januarii 1805, quamvis nonnulli testes atque etiam quidam liber manu Josephi patris Oratoris exaratus fidem perhibeant, in lucem prodiisse eum die 14. Januarii 1804. Memoratus hinc clericus cupiens subdiaconatum aliosque sacros ordines quamprimum suscipere, postulat, ut ejus nativitatem die 14. Januarii 1804 evenisse declaretur. Rogatus Episcopus, ut auditis praesertim Oratoris parocho et proprio formali examine testium fide dignorum referret de aetate Oratoris votumque suum aperiret, haec retulit: „Ex informatione capta liquet, eundem Oratorem esse natum in mense Januarii anni 1804, duo tamen testes cum scientiae causa designant dictos menses et annum absque die, reliqui nullam scientiae causam dantes cum dictis mense et anno indicant quoque diem decimam quartam pro dicti Nicolai nativitate. Ex libro, cujus titulus: Liber notitiarum Josephi Sofia Rofranensis emptus die 2. Julii 1811, legitur primo adnotatum matrimonium dicti Josephi cum Catharina Passarella sub die 24. Aprilis 1797; et successive eorum filiorum descriptae nativitates, inter quas et illa Oratoris hisce verbis: „Die 14. Januarii 1804 post meridiem natus est filius, baptizatus in ecclesia S. Nicolai ab archipresbytero Ronzino die 15. et nomen accepit Nicolai Angeli“ et publicus notarius attestatur, ea

descripta fuisse manu dicti Josephi jam defuncti patris Oratoris. Super hoc interrogatus dictus parochus Deodatus Ronzino, qui Oratorem baptizavit, responsum dedit, notum esse et ubique in direptione hostili dictae terrae anno 1809 libros parochiales disperditos fuisse et ordine praefecti civilis provinciae principalis citerioris novum fuisse regestum natorum confectum a se cum syndico loci et auditis interesse habentibus et ad hoc notitias se accepisse a parentibus adnotatorum in novo albo, ibique inscriptum fuisse Oratorem eundem ortum putatum sub die 20. mensis Januarii anni 1805.

Orator praedictus requisitis canonicis videtur praeditus et ejus ecclesiae utilis et necessarius et in casu necessaria quoque gratia apostolica, ut sublata omni dubitatione circa Oratoris aetatem recte ipse et canonice ad sacros ordines et presbyteratum quoque promoveri possit.

Pro gratia dispensationis ad cautelam, ut Orator ad sacros ordines promoveri possit, tamquam ortus die 14. Januarii 1804, facto verbo cum Sanctissimo.

C. Defectus natalium.

70. Neocastren. et Cathacen. — Dispensationis et aggregationis.

Die 7. Augusti 1847.

Antonius C. R., ex incestuoso progenitus concubitu Michaelis Angeli R. et Angelae C. in Neocastrensi Dioecesi, dum ambo erant soluti ac in tertio et quarto consanguinitatis gradu inter se copulati, ad ordines promoveri peroptans duo ab hoc. S. Ordine expostulat: dispensationem nimirum super hujusmodi natalium defectu ad cautelam, quia propter subsecutum ex Apostolica dispensatione inter ejus progenitores matrimonium se legitimationem fuisse consecutum arbitratur: et aggregationem inter clerum Cathacensem, ubi teneris abhinc annis assidue est commoratus et adscitus nuper ab Episcopo Cathacensi in clericorum seminario magna cum ingenii et virtutum laude versatur.

Audito utroque Episcopo Neocastrensi et Cathacensi, retulit primus res processisse, prout sunt enarratae, ast Oratoris parentes eum nunquam coram competenti auctoritate uti legitimum agnovisse, ita ut in statu civili adhuc sit illegitimus: illius vero promotionem ad ordines maximo futuram scandalo in sua dioecesi, in qua memoratus natalium defectus neminem lateat, quod fortasse apud Cathacenses ob ejusdem defectus ignorantiam non habere locum concludit. Episcopus Cathacensis e contra postquam de certa et constanti Oratoris vocatione ad statum ecclesiasticum ac deliberato ejus animo in illa dioecesi perpetuo manendi nec non de praestantibus ipsius dotibus tum quoad scientiam tum quoad mores fuerit testatus, preces cum ipso Oratore ingeminat pro ejus tum dispensatione tum aggregatione inter clerum suae dioecesis, in qua reipsa ipsius natales penitus ignorantur.

Nullum dubium, quin Orator dici debeat filius incestuosus et proinde irregularis, certum est enim ipsius parentes eo inter se consanguinitatis vinculo fuisse conjunctos, ut nec licite nec valide absque Pontificia dispensatione matrimonium inter ipsos posset consistere. Tota igitur quaestio in eo profecto est, num per subsequens matrimonium Pontificis dispensatione contractum legitimus Antonius evaserit, ita ut nulla indigeat dispensatione ad ordines suscipiendos.

Negativam sententiam tuetur Gonzalez lib. 4. decret. tit. 17. Qui filii sint legitimi cap. 1. num. 11. et 12. Duo siquidem statuit requiri necessario ad legitimationem per subsequens matrimonium obtinendam: primum, quod revera matrimonium sequatur, alterum vero, quod filius sit susceptus ex soluto et soluta, inter quos tempore conceptionis vel nativitatis posset licite et sine dispensatione matrimonium celebrari, ex ea ratione, quia haec legitimatio ex fictione procedit et retroactione ipsius matrimonii; cujus vi sequitur non posse dari incestuosi legitimationem per subsequens, cum ex natura retroactionis desideretur habilitas contrahendi in parentibus tempore conceptionis vel nativitatis, uti auctor concludit eod. tit. cap. 6. num. 5.

Neque aliquid prodesse potest Pontificis dispensatio; tunc enim haec juvat, quando filius sit progenitus in figura matrimonii incestuosi, super quo Pontifex dispenset in radice, minime vero quando filius procreatus fuerit ex libero coitu, quia tunc nulla est radix, in qua dispensetur et nulla proinde admittitur retroactio, ut tradit idem Gonzalez l. cit. cap. 13. num. 32 et Bened. XIV. in sua constit. Redditae vobis altero abhinc mense diei 5. Decemb. 1744 §. 40.

Contra autem sentire videtur Thesaurus de poenis eccl. cum Giraldi part. 2. de poenis incestus §. 7. pag. 226 edit. Rom. anni 1760. Ibi enim ait filios incestuosos non esse infames ex infamia proprie dicta, quae est fundamentum irregularitatis, quia id nullo jure cautum est et nulla datur irregularitas, nisi ipsa in jure sit expressa, idem auctor in v. Missa. cap. 5. §. 2. pag. 281 et Ameno de delictis et poenis tit. 8. §. 3. n. 32.

Quodsi incestuosi sint vere irregulares, eos uti ceteros spurios et illegitimos esse reputandos, qui per subsequens matrimonium procul dubio legitimantur, opinari videtur Giraldi in jur. Pontif. part. 1. tit. 17. lib. 4. decretal. ed. Rom. 1769 pag. 537. Ipse enim advertit ex auctoritate Ben. XIV. in cit. constit. §. 39 et ipsius Alexandri III. in decretali Tanta sub. tit. Qui filii sint legitimi, eos solos a legitimatione excludi, qui ex adulterio sunt procreati; ceteros proinde omnes, incestuosis non exceptis, legitimationis capaces reputari.

In hoc vero doctorum et canonistarum conflictu prior sententia verior ac tutior in praxi videtur: hinc cum ex una parte de optimis Oratoris moribus et ceteris requisitis ad formam ss. canonum in eo concurrentibus ac de vitio absque illius culpa contracto non sit ambigendum, ex altera autem parte de remotiori consanguinitatis gradu, quo ipsius parentes jungebantur et in quo solet Pontifex dispensare, videant EE. VV., num legitima adsit petitae dispensationis causa.

Aggregatio vero Oratoris inter clerum Cathacensem, cum Neocastrensis Episcopus minime dissentiat, necessaria videtur, si dispensatio concedatur. In ea siquidem nulla habetur damnatorum natalium cognitio, dum e contra in dioecesi Neocastrensi eam publicam esse testatur Antistes, ac proinde praeter eam, quae juris est, facti etiam exsurgeret infamia.

Esse consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad cautelam et habilitatione Oratoris ad sacros ordines suscipiendos usque ad presbyteratum inclusive. Quoad aggregationem vero dioecesi Cathacensi pro gratia.

71. Syracusana. — Irregularitatis.

Die 27. Junii 1857.

Salvator T., oppidanus Ragusae, quatuor supra viginti annos natus, ecclesiasticae militiae nomen dare cupit. Quominus vero ejus votis fiat satis, illud obstare Archiepiscopo videtur, quod licet ipse tum ex libris paroecialibus, tum ex civili ut vocant statu, legitimo ortus conjugio appareat, attamen parentes ejus fatentur, ac publica fama fert, eumdem esse adulterinum, natum scilicet ex patre libero et matre conjugata. Itaque ut tuta conscientia et sine scandali periculo statui clericali adscribi et sacerdotio initiari possit, Archiepiscopus ipse supplici oblato libello dispensationem pro eo postulat ab irregularitate ob enuntiatum defectum natalium, motus egregia juvenis indole, probatissimis moribus, ac scientia, unde illius promotionem ob parvum etiam ac imparem sacerdotum numerum, qui Ragusae exstant, valde utilem Ecclesiae bono existimat.

Antequam de dispensatione quaestio instituatur, operae pretium erit primo inquirere, an de irregularitate reapse constet in themate. Porro adulterina Salvatoris origo non satis probata videtur; immo legitimos ejus natales publica monumenta vindicant; legitimus enim in paroecialibus ac status civilis libris enunciatur; vindicat etiam legis favor. Nam si ex doctrina Pauli in leg. 5. ff. de in jus voc. „Pater is est, quem nuptiae demonstrant“ et si Ulpianus in leg. 6. ff. de iis qui sui filium definit „qui ex viro et uxore ejus nascitur“ patet, legitimum praesumi Salvatorem T., qui constante legitimo suae matris conjugio natus est; quae quidem praesumptio in paternitate legitima eo usque obtinet, ut contraria quaelibet excludatur probatio, citra casus physicae impossibilitatis, nimirum nisi evidenter constet, praegnantem ex viro suo fieri uxorem nequivisse ob physicum obstaculum absentiae, impotentiae, infirmitatis et similium, uti argumento cit. legis 6. ff. de his qui sui communis est doctorum et tribunalium sententia; ceu ceteris missis videre est in celeberrima S. Rotae decisione Romana Filiationis super I. Dubio 20. Januarii, et in Confirmatoria 5. Maji 1834 coram D'Avellà. Hinc in themate nec matris ac praetensi patris confessionem in praejudicium legitimae filiationis attendi posse ibidem pluribus allegatis juribus traditur; eoque minus publicam vocem ac famam, quae plane ab ipsa confessione parentum ortum habuit, ceu monet Archiepiscopus. De quo quidem ubi etiam aliqua superesset dubitandi ratio, compertum est juxta sententiam magis receptam, quam prae ceteris tuetur S. Alphonsus de Ligorio theol. moral. lib. 7. num. 347., in dubio, nisi agatur de irregularitate ex homicidio injusto, neminem censeri irregularem. Hinc abesse ex Salvatoris promotione continget scandali periculum, quo maxime movetur Archiepiscopus, siquidem S. Congregationis judicio ejus legitimam filiationem comprobatam fuisse, ac eumdem dispensatione non indigere constiterit.

Quatenus vero aliter censuerint EE. PP., perpendendum, an dispensationem concedere expediat nec ne. Favent quidem dispensationi causae, quas affert Archiepiscopus, evidens scilicet Ecclesiae utilitas, ac probati Salvatoris mores, ex qua quidem postrema causa praesertim ratio cessat, ob quam irregularitas haec praecipue constituta est, Pirrh. Corr. lib. 3. cap. 1. num. 1., Fagnan. in cap. 1. de filiis presbyt. At e contra non leve dispensationi praebet impedimentum sive publici scandali periculum, sive ipsa sacrorum ordinum dignitas, maxime vero ubi, ceu in casu, cum eo dispensandum sit, qui a personis progenitus est, inter quas matrimonium consistere jure

non poterat. Optime sane suo more D. Thomas, in 4. sent. dist. 25. quaest. 2. art. 2. quaest. 3. rem explicat: „Ordinati in quadam dignitate prae aliis constituuntur. Ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quaedam, non de necessitate sacramenti, sed de necessitate praecepti, ut scilicet sint bonae famae, bonis moribus ornati, non publice poenitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam de illegitimo thoro nati a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur: et tanto est difficilior dispensatio, quanto eorum origo est turpior.“ Ceterum hujusmodi dispensationum exempla praesertim quoad illegitimos, quorum turpior origo est, nulla quod sciam, pro Italia saltem, occurrunt.

Non indigere.

D. Defectus animi et scientiae.

72. Pampilonen.

Die 15. Martii 1845.

Jacobus P. Pampilonensis dioecesis Caroli V. castra sectando pluriesque dimicando irregularis evaserat. Deinde Romam translatus cum prima clericali tonsura cuperet insigniri, ad minores postea majoresque ordines progressurus, sub die 13. Febr. 1846 ab EE. VV. accedente Sanctissimi approbatione dispensationem super irregularitate et habilitationem ad presbyteratum usque inclusive arbitrio Eminentissimi Urbis Vicarii consecutus est.

Praeviis igitur literis dimissorialibus Ordinarii sui ad primam tonsuram, minores et sacrum etiam subdiaconatus ordinem, tum patrimonii titulo expletis experimentis caeterisque servandis servatis Romae promotus fuit. Cum vero in eo esset, ut ad diaconatum promoveretur, accidit, ut ter examen inierit terque approbationem haud retulerit. Post haec Roma discessit et in Asculum Picenum se recepit, inde Sanctissimum rogavit, ut ss. ordines diaconatus et presbyteratus sibi conferendi potestatem faceret Asculano aut alii catholico Antistiti. Asculanus praesul, cui pro informatione et voto ablegatae fuerunt Oratoris preces, mense Augusti prioris anni retulit hunc subdiaconum per quatuor menses, ex quibus in ea civitate degebat et apud PP. Ordinis Praedicatorum commorabatur, irreprehensibilem quoad mores et ecclesiasticam disciplinam sese exhibuisse, ideoque petita gratia donari posse censuit. Eminentissimus quoque in hac alma Urbe Vicarius Sanctitatis Suae, cui praefata omnia submissa fuerunt, postquam supradicta sua firmaverit informatione et animadverterit, Oratoris ordinationi in Asculana dioecesi obstare decreta edita a Clemente VIII., Alexandro VII. et Benedicto XIV. circa ordinationes clericorum alienigenarum, qui in Urbe commorati fuerint, concludit tamen: „Non adversor, ut eidem Oratori bono testimonio praestanti concedatur, quod postulat, derogando praefatis constitutionibus.“

Post haec sub die 24. Septembris elapsi anni datae sunt literae Episcopo Asculano, ut Jacobum P. examini subjiceret ac de ejusdem sufficienti scientia pro s. diaconatus ordine referret. Paruit Episcopus et de examine coram se et duobus examinatoribus habito, ita enarrat: . . . . Interrogatus circa ordinem diaconatus satis instructus visus est; de re morali, tractatus de sacramentis in genere et de baptismo in particulari sufficienter exposuit; attamen in experimento circa linguam latinam quasi penitus defecit. Metuens autem Episcopus, ne ob imperitiam et difficultatem italici sermonis id eveniret, post frustra iteratum experimentum eidem indulsit, ut ex latino idiomate in hispa-

nicum verteret Tridentini textum, caput videlicet 1. sess. 22 de reform., de vita et honestate clericorum, hujusque capitis versionem ab Oratore scriptis consignatam originaliter transmisit, ut EE. VV., quid de sufficienti Oratoris scientia judicandum sit, decernere dignemini.

Hujusmodi versionem Eminentissimi viri, doctrina, pietate, linguarumque peritia praestantissimi oculis subjeci, illius postulans sententiam. Hic interpretationem cum textu conferre non renuit, atque ex tradito specimine arbitratus est, ita Oratorem praedicti capitis, licet aliquantulum involuti, sensum ac substantiam attigisse, ut latini sermonis sufficientem peritiam habere dici valeat; quodsi hispanicae linguae proprietatem nec cultum illum in sua translatione referat, id mirum esse non debere contendit, cum Pampilonenses in ea Hispaniae parte versentur, in qua cantabrica lingua ab hispanica et latina penitus diversa in usu est, et in quam difficillima cuilibet fuisset praedicti textus conversio.

Pro gratia, ut Episcopus Asculanus Oratorem ad s. diaconatus ordinem servatis servandis promovere possit, et deinceps servatis interstitiis, ut magis studiis vacet, etiam ad s. presbyteratus ordinem promoveri valeat quibuscumque in contrarium non obstantibus, facto verbo cum Sanctissimo.

73. Comaclen.

Die 19. Julii 1828.

Pacificus Occhi in minoribus ordinibus constitutus tribus abhinc annis melancholico morbo correptus quandam mentis aberrationem per duos menses passus est, a qua tamen postea convaluit nec unquam in illum recidit morbum. Cumque in praesens 23. agat annum, dispensationem ab irregularitate efflagitat, ut ss. ordinibus initiari valeat.

Rogatus de more Episcopus Comaclensis haec retulit: „Ex parochi fide compertum habeo eundem Oratorem vita et moribus bonis praeditum esse nec non ex adjuncta medici attestatione tribus circiter abhinc annis, ex quo mentis aberrationem passus est propter melancholiam, quae maniae initium est, mentis vigore ac tranquillitate perfecta pollere atque integra animi et corporis sanitate frui, ita ut ex lapsu temporis, quo constanter praefato morbo caruit et quantum arte medica conjici et cognosci potest, difficile sit, ipsum rursus ea infirmitate vexatum iri. Quae omnia si EE PP. judicaverint non obstare, quominus ad ss. ordines recensitus Occhi promoveatur, ego, ut precibus ejusdem fiat satis, vota et desideria mea admoveo, quatenus ex deficientia et magna penuria sacerdotum gravi eorum necessitate in tota hac mea dioecesi laborem, ita ut mihi saepissime desint, quos fidelium curae et spiritualibus commodis praeficiam, et idcirco ex Oratoris promotione evidens utilitas obventura sit.“

Pro gratia dispensationis ab irregularitate, dummodo ante promotionem ad subdiaconatum in morbum iterum non inciderit et firma eadem conditione pro susceptione reliquorum ordinum citra dispensationem ab interstitiis, facto verbo cum Sanctissimo.

74. Comaclen.

Die 15. Septembris 1827.

Sacerdos S. S. Pomposae Comaclensis dioecesis jamdiu vexatur, ut ait medicus, „delirio melancholico, quod redire videbatur longissi-

mis temporis intervallis, adeo ut jam per annum integrum cessaret." Pluries Episcopus opportunis facultatibus a S. Poenitentiaria auctus dispensationem ab irregularitate eidem sacerdoti, ubi convaluit, impertitus est. Cumque sacerdos nuper denuo in morbum inciderit atque Episcopus a S. Poenitentiaria alias indultam facultatem in perpetuum postulaverit, hujus preces ad hanc S. Congregationem remissae fuerunt.

Ex more idem requisitus Episcopus haec edisserit: „Mea esset opinio, praedictum sacerdotem habilitari posse ad missae celebrationem omnibus temporis spatiis, quibus liber a morbo remanebit et remanet, quandoquidem extra hunc postremum casum, in quo distantia fuit tantummodo nonnullorum mensium, aliis temporibus distantia intercessit modo unius modo duorum annorum. Declaro nullum adesse periculum incommodi, eo quia malum tempestive cognosci potest ideoque praeveniri, ne ad sacrum faciendum accedat ille. Nunquam, quod ego sciam, ad altare accessit pro celebratione missae eo morbo detentus. Addo magnam esse sacerdotum inopiam hisce in locis et praedictum S. necessitatem vivendi habere cum missae stipendiis, statim ac plane convaluerit.

Consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis et rehabilitationis arbitrio Episcopi necnon pro facultate impertienda eidem Episcopo nedum revocandi licentiam celebrationis Oratori, quoties hic in morbum reincidere appareat, sed etiam eundem dispensandi et rehabilitandi, quoties convaluerit, dummodo celebret cum assistentia alterius sacerdotis, quatenus Episcopo eo indigere Orator videatur.

Confer causam Bobbien n. 122.

E. Defectus famae.

75. Sarnensis.

Die 26. Februarii 1825.

Joannes sacerdos . . . ob scandalum ex cohabitatione cum duabus mulieribus, titulo famulatus successive cum eo degentibus, obortum, a proprio Ordinario fuit a divinis suspensus, et die 14. Junii 1823 Sacram Congregationem adiit, ut ab irregularitate ob contractam infamiae labem absolutionem obtineret.

Ablegatis ad Episcopum precibus, ut referret de Oratoris aetate, vita, moribus, circumstantiis criminis, peracta poenitentia, constanti emendatione, utrum ex Oratoris rehabilitatione sit periculum scandali in populo, de vera necessitate, et evidenti utilitate; ipse respondit, sacerdotem Joannem modo in aetate 55 annorum constitutum, grave praebuisse scandalum ob suspectam cum duabus mulieribus famulatum ipsi praebentibus cohabitationem; pluries vero fuisse monitum, correctum, poenisque mulctatum, et denique a divinis suspensum. Tempore autem ss. missionum confessionem eum peregisse, et operam suam missionariis sedulo praestitisse, dimissa e propria domo secunda muliere, quae tunc famulatum ipsi praestabat. Tandem de necessitate, et evidenti utilitate concedendae absolutionis, et rehabilitationis, et de periculo scandali subdit: „Cum pro cura spirituali 2200 animarum quatuor tantum adsint sacerdotes, de necessitate servitii Joannis constare videtur neque scandalum inde oriri existimo, quod iste per multum jam temporis a me suspensus et castigatus nunc missam celebret. Ideo expedire censeo, ut S.

Congregatio omnes facultates necessarias concedat, ita tamen, ut earum executio differatur usque ad festivitatem omnium sanctorum hujus anni (1823) dummodo in emendatione incepta perseveret.“

Dimissus autem die 3. Julii 1823 Orator fuit rescripto Lectum; cumque preces iterasset die 14. Augusti 1824, denuo Episcopum rogavi, ut auditis, praesertim parocho, referret de constanti emendatione.

Retulit autem Episcopus, sacerdotem Joannem duobus ab hinc annis et prius etiam aliquibus vicibus fuisse suspensum, deinde occasione ss. missionum resipuisse; „quia vero (ita Episcopus) habet inimicos, pluries eum jussi se recipere in domum meam ad auferendam omnem occasionem. Iste semper recusavit et mense Novembr. anni 1822 Neapolim profectus munus ludimagistri suscepit. Relationibus inde acceptis commotus, ut domum episcopalem peteret eum coegi, ubi jam per duos menses commoratur et bene se gerere videtur. – Confessario, quem Orator me approbante eliget, opportunae facultates poterunt dari pro absolutione a censuris incursis et ab irregularitate ita tamen, ut ad ss. sacramenta admittatur, ad missae vero celebrationem non habilitetur sine meo consensu, qui post signa verae poenitentiae praestabitur.“

Dispensationem petit sacerdos Joannes ab irregularitate propter infamiam contractam ac fatetur eam fuisse anteactae vitae suae rationem, propter quam mala fama in populo orta et suspensio ab Episcopo inflicta est; simulque asserit, se postea curasse, ut mores irreprehensibiles essent ideoque innuit, non ita sese antea gessisse, ut reprehensionem non meruerit. Sed utrum suspensio quoad clericos notorie concubinarios sit suspensio proprie dicta, et talis, quae sit censura ecclesiastica ipso facto incurrenda, variant inter se doctores. Qui affirmativam tuentur, uti Abbas in cap. Vester. num. 7., Rebuffus in concordatis Franciae, Bellettus disquis't. clerical., Farinaccius de delictis carnis, Sylvester V. Concubinarius num. 4., et alii, quos citat Garzias de benef. part. 7. cap. 14. num. 18., docent, quod clerici notorie concubinarii ipso jure sint suspensi ab officio et beneficio, ita ut collatio beneficii sit nulla, et si celebrent, fiant irregulares; et confirmant ex cap. Erubescant., et cap. Praeter hoc. distinct. 32., ubi clerico publice concubinario „ex parte omnipotentis Dei et auctoritate BB. Apostolorum Petri et Pauli praecipitur, et omnino interdicitur, ut missas non cantet, nec evangelium aut epistolam ad missam legat“ nullum facientes discrimen inter „Suspendo te ab officio“, et „Interdico tibi officium“. Accedit text. in capite ultim. distinct. 32. et declaratio Sac. Congregationis Concilii super cap. 14. sess. 25., quam refert Bellettus supra citat. „Clerici concubinarii notorii sunt etiam hodie ipso jure a divinis suspensi, prout in veteri jure sunt,“ et apud Garz. loco citat. num. 11.

Contrariam sententiam defendunt Innocentius in cap. Si celebret. num. 3., et Jo. Andreas ibid. num. 4. de clerico excommunicato ministrante, Covaruvias Clem. Si furiosus. part. 1. §. 1. num. 5. de homicid., Garzias citat. part. 7. cap. 14. num. 19., et seqq., Pirhing., Barbosa, Fagnanus in cap. Quaesitum. 10. de cohabit. cleric. et mulier. num. 13. et seq., et num. 18. affirmat, se existimare opinionem hanc hodie esse indubitatam. Ratio hujus sententiae est, quod suspensio indicta ex capite Praeter hoc non est proprie suspensio, sed mera prohibitio, non inducens irregularitatem, nec censuram. Idem cum communi canonistarum sentiunt Thesaur. de poenis eccles. cap. 1. verb. Concubinarius, Girald. jus pontific. sect. 335. cap. Quaesitum 1. de cleric. conjug., cumque scissa sit circa sensum indicati canonis sententia doctorum, juxta Reg. 49. juris in 6. benignior est amplectenda, et poenae

interpretatione legum sunt potius molliendae, quam exasperandae l. Interpretatione ff. de poenis. De veritate declarationis Sac. Congregationis dubitat Reiffenstuel lib. 3. cap. 2. num. 42., eo praesertim, quod nimis probaret: probaret enim, clericos concubinarios esse suspensos non quoad se tantum, sed etiam quoad alios, nempe positiva censura, prout erant in veteri jure, contra constitutionem Martini V. Ad evitanda in concilio Constantiensi editam, de qua viden. Reiffenst. lib. 3. tit. 2. de cohabit. cleric. et mulier. §. 2. num. 42., et Fagnan. in cap. Quaesitum. num. 6. eod. titul.

His praehabitis, cum suspectus quidem et diffamatus, non tamen pro notorie concubinario haberi possit sacerdos Joannes; respondendum videretur quoad irregularitatem non indigere; quoad suspensionem recurrat ad Episcopum, a quo cum fuerit inflicta, tolli etiam poterit suspensio. Verum ipsemet sacerdos dispensationem ab irregularitate poscit, postquam mandato Episcopi sese recipiendi in domum episcopalem sero paruit, ac paucis abhinc mensibus verae poenitentiae signa dedit: hinc ad cautelam dispensatio quoque ab irregularitate poterit indulgeri.

Attenta petitione Oratoris, pro gratia absolutionis a censuris, et ad cautelam etiam ab irregularitate, arb. et consc. Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

76. Tarnovien. — Dispensationis et rehabilitationis.

Die 10. Junii 1848.

Supplex adest Episcopus Tarnoviensis haec exponens: „Duo presbyteri dioecesani et quidem Josephus B.... anteactus parochus et Leopoldus K... cooperator ob crimen laesae majestatis ad poenam mortis damnati exstitere. Poena haec a clementissimo Imperatore condonata exstitit quidem, ast dicti presbyteri ad durissimum carcerem et quidem prior tractu 15, alter 20 annorum damnati sunt. Ambo hi presbyteri a sacris suspensi et per sententiam degradati sunt. Presbyteris his decreto altissimo poena haec ultro luenda condonata est, quare reduces ad dioecesim in cura animarum applicabuntur. Cum ad mentem praecepti Concilii Tridentini s. 24, c. 6. de ref. absolutio Sacrae Sedi sit reservata, hinc supplex accedo, quatenus Reverendissima Excellentia Vestra necessarias facultates mihi concedere non dedignaretur. Preces adhuc repetens emorior etc.“

Crimen laesae majestatis tantam habet gravitatem, ut ejus cognitio soli principi sit reservata et durissimis plectatur poenis, quarum praecipua ex jure civili est mors corporalis atrociorem in modum inflicta, veluti statuit Ameno de delictis et poenis tit. 2. §. 6. num. 32 et 39; deinde delinquentes ipso jure redduntur infames et consequenter irregulares ex traditis ab eodem auctore l. cit. num. 40 et a Thesauro de poen. eccl. part. 2. cap. 1. de crim. laes. maj. n. 1. Praeterea hoc est hujus criminis proprium, ut in eo tum de jure, tum de consuetudine puniatur affectus pro effectu, ex eodem Ameno l. cit. n. 45. Quodsi hujusmodi criminis reus efficitur clericus in principem temporalem, non dicitur proprie reus laesae majestatis, sed proditionis, quia ad illud crimen patrandum poenasque incurrendas requiritur necessario in delinquente qualitas subditi; clericus autem non est subditus principis temporalis, uti communiter docent Ameno l. cit. n. 47. et Thesaur. l. ibid. n. 3. atque ideo quamvis ex multorum sententia doctorum ipso facto omne privilegium clericale amitteret, certum tamen est fori privi-

legium eum non amittere ex communiori et receptissima omnium fere canonistarum doctrina. Hinc sequitur clericos hujusmodi criminis reos non jam ab judice laico, ceu factum esse videtur in casu, sed ab ecclesiastico foro omnino judicandos atque puniendos, ut late defendit Pignatelli consult. 124 n. 2. sqq. tom. 1. Hisce positis superest nunc inquirendum, utrum clericus de crimine hoc legitime convictus debeat vel possit a proprio Episcopo degradari, ut curiae saeculari tradatur poena mortis afficiendus. Duplex in jure datur degradationis species, altera verbalis, seu per sententiam, actualis altera. Haec autem infertur adhibitis solemnitatibus, quas Roman. Pontificale praescribit, quando clericus sit curiae saeculari tradendus ad poenam mortis sustinendam: illius duplex iterum species; prima est, quando Episcopus nulla adhibita solemnitate nec capituli consensu per solam sententiam deponit clericum et proprie depositio nuncupatur, atque hujus effectus est privandi clericum officio et beneficio ecclesiastico, non tamen privilegio clericali; altera vero est absoluta et totalis et privat omni quoque privilegio clericali, ita ut involvat depositionem actualem et proprie dicitur degradatio verbalis, ut late de omnibus Thesaur. de poen. p. 1. c. 27. de p. depos. Quibus praemissis non una est doctorum sententia circa delicta, ex quibus degradatio proprie dicta possit inferri. Alii enim innixi cap. 1. de homicid. et cap. Novimus de verb. signif. existimant, posse clericum degradari, ubi reus fuerit homicidii qualificati vel criminum atrocissimorum, quorum non reperitur condigna poena canonica, ut delicta puniantur debita poena. Alii autem putant, remittendum esse in arbitrio et prudentia Episcoporum sententiam degradationis decernere, ubi ita crimen esset enorme et graviter scandalosum, ut ad scandalum populi amovendum videatur necessaria degradatio. Alii denique hanc regulam ponunt, qua ubicunque de jure civili est poena mortis naturalis imposita, de jure canonico succedat degradatio et traditio brachio saeculari. Quas omnes opiniones eruditissime exponit Pignatell. tom. 7. consult. 33. easque concludentissime refutat invictissimis argumentis ibique juxta communiorem et veriorem sententiam statuit, ad degradationem proprie dictam ac proinde ad traditionem curiae saeculari nunquam esse deveniendum, nisi in casibus a jure expressis vel nisi post poenas inflictas juxta gradus in cap. „Cum non ab homine“ de jud. praescriptos clericus in profundum malorum veniens sit prorsus incorrigibilis, adducta gravissima ratione, „quia nempe ecclesiastica libertas et clericorum exemptio a saeculari potestate non tantum canonicis sanctionibus, sed etiam divina ordinatione fuit constituta.“ Atque hanc doctrinam firmant unanimiter Del Bene de immunit. et jurisd. eccl. cap. 6. dubit. 5. sect. 1.; Thesaurus cum Giraldi de poen. eccl. loco proxime cit. et Bened. XIV. de synod. dioec. l. 9. c. 6. n. 10. et 11. Crimen vero laesae majestatis non reperitur profecto inter casus expressos in jure, quos enumerant Giraldi, Pignatelli et Bened. XIV. in locis nuper cit. Imo addit Pignatelli sub num. 36, Episcopos et clericos rebellantes Sedi Apostolicae non tradi curiae saeculari, nisi secuta incorrigibilitate, „et tamen committunt crimen laesae majestatis in primo capite“: sed horum poena ea esse videtur, ut praevia simplici depositione seu degradatione verbali primae speciei in arcta detrudantur monasteria. Ac insuper ostendit, ubicunque reperitur injuncta degradatio exceptis casibus in jure expressis verbalem seu simplicem depositionem, non autem actualem sive traditionem brachio saeculari esse intelligendam (ibid. n. 40.). Ceterum in casibus non expressis, priusquam Episcopus ad degradationem deveniat, insinuare eidem videtur tam Pignatelli loc. cit. num. 49., quam Bened. XIV. ibid. n. 11., ut Summi

Pontificis oraculum sciscitetur. Cum igitur presbyteri, de quibus sermo, traditi fuerint curiae saeculari ac in illius carceribus detenti, non est ambigendum, quin degradatio per Episcopi sententiam illata fuerit degradatio proprie dicta, ex qua sequitur ablatio privilegii clericalis atque proinde degradatorum rehabilitatio difficillima, ut notat Thesaurus l. cit.: „Et quidem verbaliter depositum facilius restituet et ideo multa hujus restitutionis referuntur exempla; . . . . depositum autem actualiter, id est degradatum, Papa non facile restituit ex gratia, sed valde raro et nonnisi ex gravissima causa, ... ideoque illius vix reperiuntur exempla. Videtur autem causa sufficiens hujus restitutionis degradati publica necessitas vel magna Ecclesiae utilitas v. g. causa publicae pacis faciendae vel schismatis tollendi. Item causa videtur sufficiens magna poenitentia degradati et magna ejus emendatio et aedificatio Ecclesiae inde proveniens. Facilius autem posset Papa ex dictis causis restituere degradatum, si accedat consensus et supplicatio seu instantia Episcopi, qui degradavit, pro eodem degradato.“ Utrum vero aliqua ex hisce causis in hodierna specie concurrat, datum non est ex Episcopi literis colligere et a qualibet requisitione abstinendum censui, attenta regionis longinquitate et temporum difficultatibus. Unum tamen moneam; difficultas nimirum restitutionis, de qua agit Thesaurus, tunc vere debet intelligi, ubi de degradatione constet facta ex legitimis causis in jure expressis; in casu autem ex hactenus enucleatis poena degradationis excedens absolute videtur et contra apertam juris dispositionem inflicta, seu potius ex errore et ignorantia ecclesiasticae disciplinae et praxis illata; et exinde a proposito superius rigore deflectendum censerem. Accedit quidem infamia juris ex crimine proveniens et infamia facti ex capitis damnatione et irrogata degradatione dimanans, quae profecto irregularitatem parit; ast facilis est dispensatio, quia passim solet concedi, maxime cum ex rehabilitatione et dispensatione hujusce irregularis non sit scandalum pertimescendum et Ecclesiae utilitas exinde sequatur; quae duo concurrere videntur in themate ex Episcopi dispositione illos ad animarum curam restituendi; si enim Episcopus scandalum pertimesceret ac aliter posset necessitati animarum consulere, illorum restitutionem fore profecto devitaturum praesumendum est. Praeterea in illa regione forsan hodie ex hujusmodi delicto scandalum non derivat aut saltem non perseverat. Viam denique sternere videntur illorum presbyterorum dispensationi et rehabilitationi tum natura delicti, quod, cum non sit contra fidem, facilius remittitur, tum poena partim expleta, partim a supremo principe condonata, tum denique ipsius Episcopi supplicatio et commendatio ad veniam ipsis obtinendam.

Constito de evidenti Ecclesiae utilitate vel necessitate pro facultate absolvendi, dispensandi et rehabilitandi utrumque presbyterum arbitrio Episcopi, dummodo solemnis ac realis degradatio locum non habuerit. Quodsi degradatio processerit, prout in Pontificali Romano legitur, suspensa rehabilitationis gratia Episcopus S. Congregationem instructam reddat de patratorum criminum circumstantiis, facto verbo cum Sanctissimo.

77. Faventina. — Dispensationis et rehabilitationis.

Die 25. Januarii 1851.

Sacerdos Faventinae dioecesis, Gregorius C., qui jam tum ab anno 1848, quo fervere coeperunt nefanda impiorum hominum consilia, characteris et dignitatis sacerdotalis oblitus prava suae perversitatis exempla

praebuerat, ac in detestanda malorum temporum vitia apertamque morum licentiam proruperat, nequissimis hominibus consociatus, quibuscum vagus huc illuc tam intra quam extra memoratam dioecesim erat diversatus, factum est tandem, ut die 22. Novembris 1849, (quo etiam tempore a prava agendi ratione nondum destiterat) legitimae auctoritatis imperio captus fuerit ac Bononiae in vincula conjectus. Septem circiter mensibus elapsis, per sententiam illius tribunalis fuit e carceribus dimissus, utpote qui non repertus culpabilis ob probationum defectum illius criminis, quo fuerat incusatus, invasionum scilicet in pluribus locis Budriensi jurisdictioni subjectis patratarum tempore noctis, quae diem 23. Octobris 1849 subsecuta est: comprobatum est enim non solum ea nocte, sed etiam die, quae illam praecessit, et proxime successit, alio, quam in locis criminis designatis, fuisse Gregorium diversatum; ac ita ope coarctatae probationis, quam vocant forenses, illius imputatio penitus evanuit.

Non ideo tamen mirum videri debet, si cum praefatorum criminum auctoribus vel ipse Gregorius fuerit accensitus; eo enim nequitiae devenerat, ut pravam instituerit societatem cum hominibus impietatis et perturbationum fautoribus, cum quibus et suffragium pro eligendis ad nefarium conventum, vulgo Costituente, luce meridiana et coram populo conferre non dubitavit, atque omnia cujuslibet generis facinora impudentissime perpetravit cum maximo bonorum scandalo et admiratione, qui ab ejus etiam audiendo sacro refugere videbantur. Quare censuris ecclesiasticis, aliisque criminibus irretitus non semel et suspensione a divinis et spiritualibus exercitiis in domo religiosa fuit ab Episcopo, qui illius emendationem concupiebat, paterna castigatione multatus.

Postquam vero a vinculis absolutus ad patrios lares sese Gregorius recepit, de illius dispensatione ab irregularitate ac de rehabilitatione ad divina mysteria agere coepit Episcopus, a quo tamen ut audivi, praefatum sacerdotem, licet carceris fractus angustiis, vitae anterioris methodo admodum immutata, ad meliorem frugem reversus fuisse videretur, non tamen pravis, quae dedit, perversitatis exemplis eum in modum satisfecisse, ut populi amorem et reverentiam adhuc mereretur, et ad sacrum faciendum remoto scandali vel admirationis periculo posset admitti, eidem Episcopo literas dedi, ut Gregorium moneret ad majora signa poenitentiae et constantis emendationis edenda, quibus fieret dignus ab ipso Episcopo commendari.

Quintus nunc labitur mensis, ex quo signata est praefata monitio; et Episcopus usus parochi testimonio, ex quo patet memoratum presbyterum non modo ea dedisse poenitentiae signa, ut liceat praesumere de constanti illius emendatione, habita praesertim ratione ad carceris poenam ex impicto crimine injuste latam, nec non ad annalem sacri ministerii privationem, unde in maximam incidit egestatem; sed etiam ita se probasse populo, ut potius quam admiratio et scandalum, prudens restitutionis consilium ex ejus prostratione et populi commiseratione impraesentiarum excitetur, ita de petitae rehabilitationis opportunitate concludit: „Nunc juxta ea quae archipresbyter et vicarius foraneus loci F. . . . exponit, puto sacerdotem C . . . . ad celebrationem s. missae rehabilitari posse, sive quia ipsius vita nunc talis est, ut gratiam mereri videatur, sive quia in populo nullum ex ea timendum sit scandalum.“

Quibus parochi et Episcopi animadversionibus Gregorio propitiis altera nuperrime accessit spontanea ipsius Episcopi commendatio: „Credi potest, ita ille, vere poenitentem esse illum ita, ut nullum ex rehabilitatione in populo scandalum eventurum sit; idque eo magis, quod ejus suspensio a celebratione ante multos menses lata est.“

Vitae a memorato presbytero vitiis et scandalis diffamatae per annum et ultra peractae diuturna et condigna poenitentia respondeat necesse est, priusquam ad sacri ministerii exercitium restituatur, veluti constans S. hujus Ordinis praxis ostendit. Eoque segnius expetita gratia donandus videtur, quo magis prava illius voluntas et perpetrata crimina coram populo patuere, et quo longius in foeditate vitae procacis insorduit.

Difficilior exinde redditur dispensatio ob infamiae notam e carceris poena promanantem. Licet enim ab impicto crimine justificatus discessit, eo tamen devenerat indigna ipsius agendi ratio, ut majori etiam poena dignus profecto videretur, habita praesertim ratione ad sacerdotalem dignitatem, qua erat insignitus, unde longe majoris scandali species exsurgebat.

Videant nihilominus Eminentissimi Patres, utrum speciali gratia dignus videatur, quia primum quindecim jam menses effluxerunt, quibus sacri ministerii privatur exercitio; deinde quia diuturnae poenitentiae subjectus indubia resipiscentiae ac emendationis edidit specimina, ita ut remoto scandali periculo jam populi ac bonorum commiserationem excitaverit; ac demum optimo tam proprii parochi, quam ipsius Episcopi testimonio commendatur. Hisce enim concurrentibus adjunctis S. Congregatio dispensationem et habilitationem ad sacra concessit cuidam sacerdoti, qui sectae Carbonariae nomen dederat, militiam fuerat secutus, et homicidium perpetraverat in Cajetana inter supplices relata libellos die 20. Novembris 1824.

Accedit, quod C . . . in maxima egestate versetur, ex qua non raro permota fuit S. Congregatio ad gratiam elargiendam, ut in Auximana Irregularit. 27. Aug. 1789 (?): et agatur non de promovendo, sed de promoto, cui facilius per dispensationem occurrere solet Sacer hic Ordo ex traditis in S. Conc. Trid. sess. 14. capit. 7. de reform., ut in Calaritana Irregularit. 19. Januarii 1793. aliisque passim quamplurimis. In hypothesi autem gratiae, ad missae tantum sacrificium eam cohibendam esse judicarem.

Pro nunc non expedire.

78. Nepesina.

Die 30. Martii 1833.

Accidit in loco Ronciglione die 7. Martii 1831, scribit Episcopus, ut, dum quidam Franciscus Chiossi circa mediam noctem depraedabatur foenum civi Petro Faccini, occurrerint duo juvenes ejusdem filii Aloysius clericus et Franciscus laicus ad locum, quo furtum patrabatur. Interea vulnus lethale fuit inflictum furi, ex quo vita functus est. Varius fuit rumor, qui in loco Ronciglione obortus est ea occasione, neque defuit, qui opinatus est, furem occisum fuisse a fratribus Faccini, non excluso clerico Aloysio saltem quoad aliquam cooperationem.

Hujus homicidii causa juridica assumpta fuit a gubernio delegationis Apostolicae Viterbii, cui, licet Aloysius alter ex fratribus Facciniis esset clericus (uti ex secretariae status epistola legitur) „Sanctissimus facultates omnes necessarias et opportunas concedere dignatus est, ut in causa usque ad conclusionem processus procedatur, sanando actus jam confectos, ut ab illo tribunali criminali causa decidatur.“

Hinc rei universae ratione diligenter perpensa iisque omnibus in quaestionem traditis, qui de illa testimonium dicere poterant, decretum a judicibus pro Facciniis fratribus fuit, „ut dimittantur tamqnam in culpa non re-

perti.“ Postulantem idcirco Aloysium Faccinium se ad ss. ordines provehi repulit Episcopus, eo quod subdubitet ex irregularitate ob homicidii patrati opinionem ipsum ab ordinibus prohiberi. Ea quippe sententiae verba, quibus dimitti eos „tamquam in culpa non repertos“ pronuntiarunt judices, contendit aequiparari formulae „ex hactenus deductis“, ita ut, si casus emergat supervenientis juridicae probationis, locus esse posse videatur reassumptionis causae, ex quo consequeretur periculum gravissimi scandali in eo, quem ad ss. ordines irregularem ascendisse innotesceret. Cum idcirco sententia illa minime apta visa sit ad expurgandam maculam, quae clerico Faccinio suborta est, ob rumorem de aliqua illius in mortem Francisci Chiossi cooperatione, ad S. H. C. judicium confugit, exposcens, qua ratione sibi sit providendum.

Est quidem sacrorum canonum jure cautum, ut, qui de homicidio in jus vocatur, irregularitatis nota innodatus denuntietur, licet, ubi de ceteris criminibus res sit, nonnisi ex certissimis de ipsis monumentis id decernatur, arg. cap. Significasti de homicidiis; quippe adeo abhorret Ecclesia a sanguine, imo vel ab effusi sanguinis suspicione. At propositae a Nepesino Episcopo quaestioni responsum a S. H. O. jampridem datum videtur; quando nimirum de Petro Marinio diacono Trevicanae dioecesis „qui imputatus ex homicidio in personam cujusdam mulieris, et ex eo tamquam non repertus culpabilis absolutus a curia episcopali, metuens, ne ex capite diffamationis hujusmodi in forum contentiosum deductae aliquam irregularitatem incurrisset, supplicavit, ut absolveretur ab ipsa ad cautelam“ decrevit ad diem 8. Juli 1684: Oratorem non indigere petita dispensatione.

Quod quidem ex communi juris regula servari, ut nimirum dispensatione non egeret, qui de homicidio inculpatus, tamquam non repertus culpabilis esset absolutus, testis esset Monacellus tit. 3. form. 3. n. 37. Idem proinde ad Episcopum Nepesinum de clerico Faccinio rescribi posset; verumtamen ne in communi suscepta irregularitatis opinione atque in tanta ineundi ministerii sanctitate ulla subeat dubitationis metusve causa, arbitrarer potius decerni posse dispensationem ad cautelam.

Consulendum esse Sanctissimo pro gratia dispensationis et rehabilitationis ad cautelam in casu, de quo agitur, etiam ad beneficia.

79. Nicoteren. et Tropien.

Die 4. Aprilis 1840.

Onuphrius N . . . . acolythus urbis Tropiae die 12. Augusti anni 1837 ad tutamen suae sororis, quae in rixam inciderat cum quadam Elisabeth B., istam praegnantem aliquibus percussionibus lacessivit. Querela contra ipsum ad curiam delata ejus propinqui noctu domum Elisabeth se contulerunt vindictam minitantes, nisi ab accusatione desisteret idque non absque gravi metu istius feminae, uti ipsa fassa est. Factum hinc est, ut die 24. Augusti 1837 Elisabeth abortum passa fuerit statimque criminale judicium apud tribunal laicum contra clericum Onuphrium ejusque propinquos institutum fuit prodiitque sententia die 24. Februarii 1838, qua declaratur non constare de Onuphrii delicto ejusque liberatio ad interim mandatur. Hujusce in rei ambiguitate Episcopus Nicoterae et Tropiae supplici oblato libello exposcit, ut sibi promoturo acolythum Onuphrium ad ordines sacros dentur necessariae facultates pro ejus dispensatione, quatenus opus sit, tam in foro interno, quam in foro externo, a quacunque irregularitate, quam potuerit contrahere. Cum tamen idem Episcopus, qui de bonis moribus clerici et de

compositione cum parte laesa testabatur, fateri debuerit, possibilem esse futuram judicialis inquisitionis reassumptionem a tribunali laico, EE. VV. sub die 27. Julii proxime praeteriti instantiae propositae rescribendum censuerunt: „Dilata et acolythus Onuphrius post peremptam judicialem instantiam recurrat“. Nunc elapso tempore fatalium haec habet Episcopus: „Tempus dilationis decreto S. Congregationis praescriptum elapsum est, cum secundum legem poenalem duorum annorum cursu judicialis instantia perimatur et sententia, de qua agitur, die 27. Januarii 1838 lata sit. Quia igitur Orator magno cum fletu insistit, ut absolvatur ab irregularitate, quam potuerit incurrere et quia idem irreprehensibiliter se gerere pergit, supplico, ut Sanctitas Sua Oratori gratiam dispensationis impertire dignetur.“

Peractis exercitiis spiritualibus loco et tempore arbitrio Episcopi praefiniendis pro gratia absolutionis, quatenus opus sit, dispensationis et habilitationis arbitrio et conscientia Episcopi ejusdem; facto verbo cum Sanctissimo.

80. Anglonen. et Tursien. — Irregularitatis et dispensationis.

Die 22. Februarii 1851.

A mense Junio anni superioris Episcopus Anglonensis et Tursiensis in ditione Neapolitana preces dedit pro dispensatione super irregularitate contracta a quodam alumno seminarii dioecesani, qui per sententiam regii magistratus diei 30. Julii 1847 accusatus de pessimo sodomiae crimine, antequam seminarium ingrederetur, patrato, ad sex mensium detentionem in vinculis fuit condemnatus, licet poena per sententiam irrogata ex principis rescripto fuerit absolutus. Patet siquidem ex enuntiata sententia, juvenem praefatum die 16. Junii 1847 suum condiscipulum octennem prius blanditiis et seductionibus allectum, majori deinde conamine correptum, dum puer ventrem exonerabat, sodomitico crimine maculare pertentasse, at pueri renitentia et clamoribus accidisse, ut iniqua molimina effectu penitus caruissent, et proinde seductorem in sola sui ipsius pollutione deliquisse.

Attamen vel ex ipso tenore sententiae non adeo graves de memorato sodomitici criminis conatu patescunt probationes, quibus auctor convictus passus est damnationem, cum testes praeter puerum laesum omnes de auditu retulissent, si unum excipias pariter impuberem, qui rei pravae se adfuisse testatus est, quique exceptione repulsus fuit peculiaris inimicitiae et livoris in accusatum, quia cum eodem ipsa criminis impieti die jurgium habuit locum de re scholastica, cum et ipse testis esset accusati juvenis condiscipulus. Episcopus vero, dum pro juvenis dispensatione preces exhibebat, vere calumniosam accusationem praefatam ex bonorum testimonio habendam essè opinabatur. Et, ubi a me rogatus de juvenis aetate et tempore elapso ab inflicta poena respondebat, eumdem in vigesimo aetatis anno versari ac triennium et ultra a die sententiae fuisse dilapsum, haec addere non dubitavit: „Ego autem etiam atque etiam Te aliosque Eminentissimos Patres precor, ut ipse (juvenis) ab omni vinculo irregularitatis solvatur, moraliter enim de illius innocentia certus sum, et potius adversariorum malevolentiae accusationem et poenam adscribendam esse puto.“

Hisce sepositis, cum de promovendo ageretur (clericali enim tonsura nondum est insignitus) et de prava illius voluntate, quidquid de illius moralitate recitetur ex adverso, solemnis res judicata loqueretur, ab omni judicio supersedendum judicavi, edito rescripto: Dilata. At cum Episcopus bis et

tertio iteratis literis, in quibus agi protuetur de juvene „qui magnas spei rationes praebeat propter optimos mores et diligentiam in literis, addens se asserere posse, quantum hominum judicio de illis rebus affirmare quid liceret, ipsum esse innocentem et ita molestari ob inimicitias particulares, quae in parvis oppidis et pagis frequentissimae sunt, illumque accusatorem dedecore tantum voluisse afficere Oratorem ejusque familiam: illius dispensationem vehementissime urgeret, „sive quia dilata ulterius ejus ordinatione ad sequendum militiam cogeretur, sive quia ea causa posset ejus animum turbare et a studiis et bonis moribus, quibus excellit, eum avertere; in utroque autem casu tolleretur spes futuri ministri sanctuarii, qui plenus zelo et aptissimus foret“: hinc oraculum Eminentissimorum Patrum in re tanti momenti exquirendum esse putavi.

Nefandum scelus contra naturam perpetuo Ecclesia detestata est, et gravissimis poenis prosecuta est delinquentes, uti patet ex notissima constitutione S. Pii. V. incipien. Horrendum, qua clerici cujuscumque gradus et dignitatis tam dirum nefas exercentes omni privilegio clericali omnique officio, dignitate et beneficio privantur, ac mandatur, ut degradati saeculari potestati tradantur, ut eodem quo laici pro ejusmodi crimine afficiantur supplicio. Et S. Congregatio dispensationem sacerdoti, pro tali crimine ad triremes damnato, licet ipsi faveret Eminentissimus Urbis Vicarius, et gravissimis de causis contra criminis patrationem praesumendum assereret, constanter tamen denegavit in Lavellana seu Romana die 6. Julii 1726: sodomiae enim crimen annexam habet infamiam tam de jure civili, quam de jure canonico, dummodo sit notorium juris vel facti notorietate, ac proinde sodomiae reus irregularis efficitur, ceu tradit Thesaurus de poenis eccl. part. 2. de sodomia. Quare, etsi laici poenis in constitutione Piana latis minime subjiciantur, incapaces tamen evadunt et irregulares ad ordines suscipiendos ob contractam infamiam, veluti per se patet, addita etiam canonica ratione, quod difficilius promotus dejicitur, quam admittitur promovendus.

Contra tamen sentiunt Navarrus in manual. cap. 27 de irregularit. num. 249 et Suarez de censuris disput. 31. sect. 1. num. 17., a laicis nimirum ob hoc delictum irregularitatem minime contrahi, quia nullibi in jure expressa est, nec ullum reperitur exemplum dispensationis hujusmodi a S. Sede laicis concessae: neque refert, ait Suarez, quod tale crimen sit gravius et detestabilius, quam multa alia, propter quae suspensio ipso jure lata est, vel irregularitas, quia in legibus poenalibus argumentum a simili vel fortiori non est efficax.

Praeterea ad poenas contra sodomitas latas incurrendas necesse est, ut crimen sit in sua specie consummatum, non enim sufficit quaelibet pollutio vel immunditia cum aliquo, nisi intercedat coitus intra vas ordinatum illius delicti, in quo delictum consummatur, sunt ipsa verba Bonacinae tom. 3. de imped. matrim. qu. 4. punct. 11. propos 2. num. 2., quam opinionem sequitur cum communi Suarez loc. cit. num. 21., Navarra loc. cit. et Quaranta in summa bullar. verb. Sodomia, ibi: „Introductum est, ut etiam in atrocissimis et gravissimis attentatum pro consummato non puniatur, nec conatus seu affectus non secuto effectu, etiamsi ad actum proximum deventum esset., ubi plenam et lectissimam allegat gravissimorum auctorum manum. Paulo tamen inferius idem Quaranta propriam pandens sententiam, perpensa hujus criminis detestatione distinguendum putat casum,

quo delinquens propria poenitentia ductus et a nemine impeditus cessavit a crimine incoepto, et in hac hypothesi mitius puniendum opinatur, a casu, quo ad actus perfectionem pervenire non potuit exteriori impedimento impeditus, veluti ob aliorum supervenientiam aut patientis reluctantiam, et in hoc casu puniendum censet conatum pro delicto consummato.

Illud denique ad poenas citatae constitutionis incurrendas necessarium plerique canonistarum existimant contra opinionem Giraldi ad Thesaurum de poen. eccl. loc. cit. et ipsius Thesauri cum Leone in Thesaur. for. eccles. part. 3. cap. 4. num. 30, quod non sufficiat, ut unica vice aut bis crimen perpetretur, sed actuum requiratur frequentia, ita ut dici possint delinquentes vitium exercere, ceu doctissime notat Bonacina loc. cit. contrariorum sententiae respondendo; quem unanimiter sequuntur Suarez loc. cit. n. 21. Navarra loc. cit. et Quaranta loc. pariter cit., quia verbum exercere de industria in cit. constitutione positum fuisse narrat Navarrus ex relatione Gregorii PP. XIII accepta ab ipso Card. Contrarello Datario, qui constitutionem ipsam exaraverat.

Quibus praehabitis, juvenis, de quo verba facit Episcopus, ratione criminis contra naturam irregularitatem minime contraxisse videtur, tum quia laicus erat, tum quia actum detestabilem non perfecit et consummavit, quod omnes necessarium putant ad poenas ordinarias incurrendas contra opinionem Quaranta ex superius expositis.

Eoque minus ex damnationis sententia potest irregularitas oriri, quia primum praefatus juvenis non ex capite sodomiae, sed ex titulo attentati contra pudorem damnatus legitur, deinde quia levissimis probationibus sententia damnationis innititur, praesertim cum Episcopus de illius innocentia et adversariorum calumnia gravissimum reddat testimonium, postremo quia poena ipsa, principis rescripto sublata, simplicem detentionem non excedebat. Quae omnia profecto neque infamiam secum ferunt, neque proinde gignunt irregularitatem, S. Congregatio in cit. Lavellana seu Romana §. At.

In quacumque demum hypothesi, etsi infamia quadam juris vel facti inquinatum praefatum juvenem dubitari posset, praeterquam in dubio proclivius dispensatio concedi soleat, uti perpenditur in Tranen 26. Martii 1768. § Denique, illud etiam accedit, quod ab imputatione criminis et a publicata sententia jam dilapsum sit ultra triennium, quo etiam verus reus, si a pristina vivendi norma resipuerit et probitatis specimen praebuerit, infamia detergitur ex can. Si duo caus. 35. qu. 6. et can. Numquam 4. dist. 56. et tradunt Abbas in cap. 21. num. 2. de accusat. et Antonelli de reg. eccl. episcop. lib. 1. cap. 6. n. 17; ait enim S. Chrysostomus: „Ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculat.“ Jam vero ex Episcopi literis, praeterquam excluditur juvenis imputatio exindeque crimen, illius mores et vita eximiis virtutibus studioque probata quammaxime comprobantur.

Videant igitur Eminentissimi Patres, num haec omnia sufficiant ad Episcopi vota obsecundanda, cum agatur non de promoto, sed de promovendo, cum quo difficilius solet dispensari. Quatenus nempe precibus Episcopi placeat favorabile dare responsum, in ea essem sententia, ut dispensatio saltem ad cautelam praecedat, quam S. Congregatio necessariam reputavit etiam pro his, qui ex innocentiae capite fuerunt a judicio absoluti, vel ex levibus tantum indiciis patrati criminis judicati, ut constat ex Juvenacen. Censur. et irregular. 23. Febr. 1709, ex Vigilien. aliisque relatis in Beneventana Irregular. 18. Novemb. 1769 §. Quandoque.

Pro nunc non expedire.

81. Baren.

Die 24. Januarii 1829.

Sacerdos Januarius de A. oppidi B. Barensis dioecesis 30 abhinc annis tamquam homicidii et furti socius accusatus ad triremes damnatus fuit. Anno 1815, dum hanc luebat poenam, sacrum facere coepit tum Aquilae, tum in ejusdem civitatis arce praevia tamen irregularitatis dispensatione, quam illi Ordinarius loci rogante militum praefecto impertitus est. Poena carceris expleta ad patriam anno 1826 remeavit et monitus a Barensi Archiepiscopo missa celebranda abstinuit supplicesque huic S. Ordini obtulit preces dispensationem postulans ab irregularitate, in quam incidit ipsemet Orator.

Archiepiscopus de informatione et voto rogatus respondit, Oratorem non complicem fuisse in actu ipso criminis, sed secreto consensu et remota cooperatione participem fuisse in furto aliquo cum homicidio in detrimentum baronis loci patrato. Addit poenam carceris eum jam penitus absolvisse, tribus circiter abhinc annis ad patriam se contulisse, sextum supra quinquagesimum aetatis agere annum, bonis moribus et extrema paupertate eum commiserationi publicae se commendasse. Et obtenta remissione partis laesae ait Archiepiscopus se in ea versari opinione, ut S. Congregatio a censuris absolvere et ab irregularitate dispensare et celebrationem missae ei permittere possit sine timore scandali vel admirationis in populo.

Praemissis spiritualibus exercitiis in aliqua religiosa domo ab Archiepiscopo designanda pro gratia dispensationis juxta petita, facto verbo cum Sanctissimo.

F. Defectus lenitatis.

82. Taurinen.

Die 14. Maji 1825.

Alexander Castellini jurisconsultus, qui complura publica munera obivit, et in criminalibus judiciis sententias etiam mortis pronunciavit, Summum Pontificem supplex adiit, ac aetatem habens annorum unius supra septuaginta dispensationem ab irregularitate imploravit, ut ecclesiasticae militiae adscribi et ad ordines etiam sacros promoveri possit. Preces huic Sac. Congregationi cum facultatibus necessariis et opportunis remissae fuerunt; et Archiepiscopum Taurinensem rogavi de more, ut praecipue referret de Oratoris aetate, vita, moribus, idoneitate quoad scientiam, et de Ecclesiae necessitate et evidenti utilitate.

Ipse vero haec retulit: „Ideo jurisconsultus Alexander Castellini in aetate septuaginta et unius annorum constitutus ab irregularitate contracta in officio judicis, in quo exercendo sententias etiam mortis in processibus criminalibus ferre debuit, dispensationem a S. Sede Apostolica implorat, ut prima tonsura initiari et successive in alterum ex canonicatibus insignis collegiatae S. Andreae civitatis Saviliani, cujus jurepatronatus tum activo, tum passivo gaudet, institui possit. Vitam christiano viro dignam Orator constanter duxit. In jure canonico lauream adeptus sufficientem ad ecclesiastica munia idoneitatem praebet. Multa certe ecclesiasticorum, quorum gravis est hic penuria, in mea dioecesi necessitas; at Oratoris senectus omnem ipsius in Ecclesia necessitatem excludit. Putarem tamen, eumdem exemplo, et forsan etiam cate-

chesibus utilem christiano populo evasurum. Quoniam autem animi mei sensum super expositis aperire debeo, censerem, Oratorem non obstante provecta ejus aetate dispensari posse, tum quia de irregularitate agitur non certe ex delicto contracta, tum potissimum propter juspatronatus, quod ipsi competit in canonicatum, de quo supra.“

Exploratum est, irregularitatem contrahi a gerentibus publica munera, si de criminum quaestionibus, multoque magis si de capite judicaverint, canon. Si quis 8. dist. 50. ibique Glossa in verb. Si quis, et canon. Aliquantos 1. juncta Glossa distinct. 51. Irregularitas tamen ex delicto non provenit; siquidem clerici tantum vetantur officiis saecularibus fungi, cap. Clericis 5. Ne clerici vel monachi, cap. Clerici 51. de vita et honest. cleric.: caeteris crimen non est munera reipublicae exercere; nihilque de his legimus a majoribus definitum; meminerunt enim a Deo potestates has fuisse concessas, et propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, et Dei ministerio esse datum in hujusmodi vindices, verba sunt canonis 41. caus. 21. quaest. 4., et monet Sac. Congr. in Constantien. 10. Maji 1766. Ideo irregulares evadunt, quia lenitate animi carent, qua altaris ministerio qui adhibendi sunt, proxime quantum fieri potest accedant oportet ad mansuetudinem Christi, qui de se ait: Discite a me, quia mitis sum, uti perpendit eadem Sac. Congr. in citat. Constantien. §. Sed quia.

Facilis tamen de hujusmodi irregularitate venia datur, si anteactae vitae mores id suadeant diuturno experimento probati, ac non dubia spes affulgeat, opera, diligentia, et exemplo utiles ecclesiae futuros, qui eamdem veniam implorant, Sac. Congr. in eadem Constantien. §. Facilis. Haec Oratoris favore concurrere ex Episcopi informatione colligitur: quin obsit aetas annorum septuaginta unius, cum sola senectus impedimento nunquam fuerit, quin ad sacros ordines quis promoveretur; ac reapse ad hunc effectum viro septuagenario dispensationem ab irregularitate in publicis muneribus obeundis contracta indulserit haec Sac. Congr. in citat. Constantien. 31. Maji 1766.

Utendo facultatibus, pro gratia dispensationis et habilitationis arb. et juxta votum Archiepiscopi.

83. Calliensis.

Die 9. Julii 1825.

Thomas Valcelli Calliensis cum per triennium vice-gubernatoris munere sit functus, et nunc ecclesiasticam militiam amplecti velit, preces dedit huic S. Congregationi, ut dispensationem obtineat a quacumque irregularitate, in quam forte inciderit.

Episcopus de more interrogatus haec refert: „Thomas Valcelli hujusce civitatis Callii, qui nunc vice-gubernatoris in Castro Frontonis, ad ipsam Calliensem dioecesim pertinente, fungitur officio, saeculum missum facere atque ecclesiasticae militiae nomen dare deliberavit. Ipse est in viginti et octo annorum aetate constitutus, bonisque moribus instructus, caeterisque gaudet dotibus et requisitis juxta ss. canonum et sacrosanctae Tridentinae Synodi praescriptiones. Verum cum in relato vice-gubernatoris munere deberet in omnibus perpetratis criminibus legales processus inchoare et delictorum corpus assumere, sicuti etiam gubernatori, sub cujus degebat jurisdictione, omnino obsecundare in quocumque urgenti casu, quo juberi posset ad ulteriorem processus compilationem debitis formis legalibus: hinc oritur dubium, an

stante hujusmodi processuum inchoatione atque ulteriore eorumdem compilatione, quae ei forte committi valebat, indigeat nunc, ut ab irregularitatis defectu dispensetur. Neque dubium ex eo provenit, quod idem Valcelli alicujus morti aut mutilationi causam dederit; nullum enim unquam criminalem processum efformavit aut incepit, quo de gravissimis delictis atque poenis quaestio foret instituenda: sed tantummodo quia ad hujusmodi processus munere, quo fungitur, elucubrandos adigi valet. Opinarer quidem, nullam in praesenti casu incursam fuisse irregularitatem; cum enim in odiosis stricte lex sit interpretanda, cumque hujusmodi irregularitas non incurratur, nisi quando data est causa morti aut mutilationi, consequitur, quod cum istis causis nunquam se miscuerit Valcelli, eapropter nullo irregularitatis impedimento esse irretitum, quominus ad ordines promoveri possit. Ut vero omni, qua par est, diligentia, omnique securitate in re adeo gravi procedatur, opinarer quoque, ad cautelam expostulatam dispensationem esse concedendam.“

Contrahitur irregularitas a gerentibus publica munera, si de criminum quaestionibus judicaverint vel partem in judicio habuerint, cap. Si quis 8. dist. 50., Glossa ibid. in verb. Si quis, et capit. Aliquantos. juncta Glossa dist. 51., et S. Congregat. in Constantien. 10. Maji 1766. Thomas Valcelli neque judicavit neque partem ullam in hujusmodi judiciis habuit: munere tantum est functus, ob quod promptus ac paratus esse debebat ad initiandos processus quorumcumque criminum, ac proinde ad causas etiam mortis reorum pertinentes. Itaque vel nullam contraxit irregularitatem, vel eam, a qua dispensationem facile obtinere valeat.

Irregularitas enim publica munera gerentium non ex delicto, sed ex defectu solummodo lenitatis procedit: cum crimen non sit praedicta munera exercere, et clerici tantum officiis saecularibus fungi prohibeantur cap. Clericis 5. Ne clerici vel monachi, cap. Clerici 15. de vita et honest. cleric. Hinc facilis de hisce irregularitatibus venia datur, si anteactae vitae mores diuturno experimento sint probati, ac non dubia spes affulgeat, quod opera, diligentia et exemplo utiles Ecclesiae sint futuri, qui eamdem veniam petunt, S. Congr. in citat. Constantien. 10. Maji 1766.

Quapropter vel respondendum erit: Non indigere, vel si in re maximi momenti cautius procedendum videatur, dispensatio et habilitatio ad cautelam indulgeri poterit.

Pro gratia dispensationis et habilitationis ad cautelam arbitrio, conscientia et juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

84. Montis Alti.

Die 26. Aprilis 1828.

Clericus Fulgentius T. dioecesis Montis Alti in aetate 60 annorum constitutus et multis abhinc annis uxore orbatus ad minores majoresque ordines nunc promoveri exoptat. Cumque munus cancellarii criminalis supremae inquisitionis in civitate Firmi pluribus annis obierit, dispensationem efflagitat ab irregularitate ex defectu lenitatis. Requisitus Episcopus de informatione et voto testatur de bonis honestisque Oratoris moribus, de deficientia presbyterorum et de utilitate ecclesiae ex promotione Oratoris provenienti.

Consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate ex defectu lenitatis ad cautelam.

85. Guatimalen.

Die 12. Augusti 1843.

Jamdiu proposita fuit in S. Congregatione sequens facti species: „Coram judice saeculari civitatis Lycien. adolescens de gravissimo crimine accusatus facti probationibus adeo premitur, ut capitalem poenam prope diem subiturus credatur; ad quam ille effugiendam excepit se in minori aetate constitutum esse, prout ejusdem suadere videtur aspectus. Fiscus ad hujusmodi exceptiones eludendas ab Episcopo Lyciensi petit sibi exhiberi librum in actis curiae ecclesiasticae de more asservatum, in quo describuntur pueri baptizati. Dubitans Episcopus, an sibi liceat petitioni indulgere, quandoquidem ex eo libro reum aetate majorem esse comperiatur, supplex S. Congregationem controversiis jurisdictionalibus praepositam consuluit, quae Oratoris libellum ad H. S. Congregationem remisit; ideo quaeritur: An secundum praenarratam facti seriem ita liceat Episcopo Lyciensi petitum librum baptizatorum judici saeculari exhibere, ut irregularis propterea minime fiat? Die 10. Decembris 1661 S. Congr. Concilii censuit: „In casu de quo agitur, per exhibitionem libri baptizatorum non contrahi irregularitatem“ ceu videre est in libro 22. Decretorum S. Congr. Concilii pag. 756. Juxta hanc S. Congregationis resolutionem a pluribus doctoribus magni nominis relatam Joannes Felix de Villega, Archiepiscopus Guatimalensis publico edicto monuit suos parochos, ut quotiescunque formiter requisiti fuissent a quovis judice ordinario vel delegato, ut sibi aut tabellioni aut notario aut iis deficientibus testibus actuariis in quibuscunque causis civilibus vel criminalibus libros parochiales exhibeant, id facerent in ipso archivii loco, ut coram iisdem parochis ex praedictis libris desumatur id, quod ad rem intersit, et ne parochi irregularitatem metuerent, superius exscriptam resolutionem commemoravit. Refert haec suis literis Ordinarius Guatimalensis, qui addit tribunal civile aegre tulisse hanc agendi rationem duorum parochorum, qui in causa homicidii fidem facere insuper recusarunt, parati tamen librum exhibere; literas hinc dedit eidem Ordinario, ut parochos adigeret ad fidei relaxationem. Ordinarius canonistarum doctrinae innixus, tutiorem scilicet in irregularitatibus sequens semitam, edictum Archiepiscopi Joannis Francisci Villegas publici juris fecit sibique reservavit jus proponendi huic S. Congregationi dubium: „Fiet necne irregularis parochus, qui judicibus vel magistratibus saecularibus fidem sibi fieri petentibus sive de aetate cujuspiam rei sive de morte ab eo vulnerati aut occisi vel demum de aetate testium productorum in causa sanguinis et id quidem per exemplum transumptum ex libris, quibus describuntur pueri baptizati ac fideles defuncti sepulti, atque ab ipso parocho subscriptum hocce documentum praebeat? Rogat praeterea, ut concordiae servandae studio cum civili potestate, quod fieri possit, S. Sedes petitioni indulgeat. Hinc EE. VV. judicium exquirit.

Posse parochum a judice requisitum audito prius Ordinario transcribere ex libro parochiali fidem, quin ullam contrahat irregularitatem.

G. Irregularitas ex homicidio.

86. Suessana.

Die 24. Julii 1824.

Sacerdos Michael Giordano Suessanae dioecesis, cum die 6. Augusti 1821 pacifice propria in domo vespertinis horis coenam disponeret, a duobus

fratris sui filiis aggressionem cum vitae discrimine passus, ad vitandos baculi ictus, quibus etiam in capite pulsabatur, veru defensionem sibi paravit, et altero ex aggressoribus vulnerato ambos in fugam vertit ac liber evasit.

Judicio criminali impetitus nullam subiit poenam sacerdos Giordano; contra nepos vulneratus, postquam convaluit, correctionali poena fuit multatus. Elapsis nonnullis mensibus ultra annum ab aggressione decessit, qui vulnera acceperat: hinc cum contenderetur, eadem vulnera morti causam dedisse, cadaver post dies octo exhumatum fuit: sed etsi periti in sententiam sacerdoti Giordano inimicam descenderint, re tamen diligentius inspecta criminalis curia ab eadem recessit et sacerdotem absolvit.

Post inflicta nepoti vulnera sacerdos Giordano sacrum facere non destitit, ne suspicionem criminis praeberet: preces deinde pro absolutione obtinenda et dispensatione ab irregularitate exhibuit, quibus die 28. Aprilis proxime praeteriti responsum fuit: Lectum. Gravissima tamen pressus inopia idem sacerdos preces nuper iteravit, ac Episcopi Suessani literas addidit, in quibus haec leguntur: „Ipsum in domo religiosa PP. Missionis per tres menses addiximus, et quia impotens ad solvendum ibi pro victu, tempore illo exacto, ad hanc domum PP. Cappuccinorum evocavimus. Ideo attenta ejusdem miseria pro gratia implorata commendamus.“

Profecto vulnera ab Oratore inflicta fuisse videntur cum moderamine inculpatae tutelae et ad necessariam vitae defensionem. A ministerio autem altaris arceri debet voluntarius homicida ex cap. 1. de homicid. volunt. vel casual.; sed veniam meretur, qui homicidium ad propriam defensionem ac deliberato non commisit animo, prout videre est in Placentina 30. Septembris 1724., et in Elboren. Irregularitatis 16. Martii 1737. ad 2. dubium. De patrato autem homicidio nequaquam constat in themate, illud imo imputari sacerdoti Giordano minime posse fuit definitum. Accedit extrema sacerdotis paupertas, de qua Episcopus testatur, ac peracta ab eodem poenitentia.

Pro gratia absolutionis, dispensationis et rehabilitationis arb. et consc. Episcopi, peractis per octo dies spiritualibus exercitiis in domo religiosa arb. ejusdem Episcopi, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

87. Cephaluden.

Die 21. Januarii 1826.

Supplicem huic S. Congregationi porrexit libellum sacerdos Fidelis Augeri Cephaluden. dioecesis in Sicilia, ut absolutionem obtineret ab irregularitate ob homicidium in sui defensionem patratum die 16. Junii 1824, precesque remisi Episcopo pro informatione et voto, ut auditis interesse habentibus referret de Oratoris vita, moribus, circumstantiis patrati criminis ac praesertim de asserto moderamine inculpatae tutelae, compositione partis et fisci et peracta poenitentia. Episcopus haec retulit: „Sacerdos Fidelis Augeri, cum anno 1824 in campo versaretur, a quodam B., qui pertinaciter agrum illius usurpare volebat, verbis maxime contumeliosis et mortis minationibus impetitus est. In vanum sacerdos eum placare studuit; imo hanc ab causam audacior factus B., sacerdotem insequi coepit ascia armatus altaque voce mortem eidem minitans. Sacerdos sclopetum in manibus tenens ei imperavit, ne propius accederet, sin minus, se ad defendendam propriam vitam glandes e sclopeto esse missurum. Revera cum B. tam vicinus esset, ut sacerdotem ferire posset, ab hoc ictu igneae ballistae occiditur. Postquam innotuit, quomodo

se gesserit hac in re sacerdos, partes interesse habentes remissionem fecerunt et judex criminalis causa cognita sacerdotem nonnisi exilio unius anni punivit expiandi in pago paternae domui vicino. . . Saepe dictus sacerdos 47 annos natus quoad vitam et bonos mores meam exspectationem explevit, et de accidenti isto doloroso profundam et sinceram monstravit poenitentiam.“

Hac informatione accepta rescribendum censuit S. Congregatio die 18. Septembris ejusdem anni 1824: „Peractis spiritualibus exercitiis in domo religiosa recurrat post sex menses commendatus ab Episcopo, et interim det majora signa poenitentiae et constantis emendationis.“

Nunc expleto semestri peractis spiritualibus exercitiis et commendatus ab Episcopo iterum supplex sacerdos A. optatam absolutionem ab irregularitate implorat.

Pro gratia dispensationis ab irregularitate ad cautelam, facto verbo cum Sanctissimo.

88. Lucen.

Die 30. Januarii 1830.

Thomas S. parochus S. Mariae di Pietra fita Lucensis dioecesis in Hispania, cum suae defensioni prospicere vellet adversus famulum vindictae cupidum, armatos homines domi retinebat, ut, si necesse foret, vim vi repelleret. Re quidem vera concubia nocte unus e sociis videns famulum ad fores multis aliis stipatum, igneae ballistae explosione illum lethaliter vulneravit ac subinde assentiente parocho etiam occidit. Dein parochus in se reversus criminis poenitentiam egit ac supplex adiit hanc S. Congregationem, ut dispensationem ab irregularitate assequeretur. Preces hujusmodi anno 1824 omnino rejiciendas censuit S. Congregatio, mandavitque Oratori, ut se reciperet in domum religiosam ac majora praeberet poenitentiae et emendationis signa. Mandatis obtemperavit Orator, cumque Episcopus retulisset, eumdem ante patratum crimen laudabilem duxisse vitae rationem, postea vero constantis emendationis dedisse signa et paupertate insuper laborare, nedum absolutionem a censuris ac dispensationem ab irregularitate impertita est haec S. Congregatio, sed insuper eidem facultatem tribuit celebrandi missam extra limites paroeciae. Cumque preces dein instaurasset ac redintegrationem ad munera parochialia postulasset, EE. VV. in comitiis diei 24. Septembris 1827 responsum dederunt: „Pro gratia, ut Orator missam dumtaxat celebrare possit etiam in loco patrati criminis, in reliquis: Lectum, et recurrat post annum commendatus ab Episcopo.“ Supplicem nuper alium obtulit libellum, quo ita se rei familiaris angustia premi enarrat, ut honorarium vicarii paroeciam administrantis solvere nequeat, suum peccatum caeco impetu potius, quam animi pravitate commissum se dolore ac lacrimis deflevisse, jam publica se exhibuisse constantis emendationis argumenta paratumque se esse ad agenda quaelibet opera poenitentiae, si opus fuerit, ut denuo sibi imponantur. Hinc se ad munus parochi redintegrari enixis precibus efflagitat ac literas affert proprii Episcopi, qui testatur veritati consentanea esse, quae Orator exponit; imo ipsemet Episcopus EE. VV. deprecatur, ut attentis praemissis atque etiam, quod nullum scandalum timendum sit ex ejus rehabilitatione, praedictum Thomam S. ad omnia parochialia officia valide et licite exercenda rehabilitare dignentur.“

Pro gratia juxta votum Episcopi imposita ejus arbitrio aliqua salutari poenitentia, facto verbo cum Sanctissimo.

89. Cadicen.

Die 30. Aprilis 1836.

Die octava Septembris anni 1826 domesticos lares noctu petebat Sebastianus Delgrado presbyter Tarifensis cum in tres homines incidit inimicos ob simultates et contentiones, quae acriter in antecessum intercesserant, verbis primum conviciisque, verberibus deinde dimicarunt, licetque vim vi repellere conatus fuerit, sacerdos e majori hostium numero superatus, contusiones pertulit innumeras, dentem amisit, atque in terram prostratus, ubi primum vires nactus est, pallio inibi pileoque oscitanter relicto, pugnae locum deseruit. Ita excandescens domum profectus germanum fratrem sibi in comitem adscivit, repetiitque eadem viarum compita, eo ductus consilio, ut deperditas vestes recuperaret.

Dum autem adventabant, homines illi armis communiti impetu denuo facto in fratres irruerunt atque jam erant in certo vitae discrimine germani, cum lethali vulnere alicui ex dimicantibus a fratribus inflicto (ob quod post biduum occubuit) rixa finivit. Imperii legibus presbyter damnatus, tres annos septemque menses jam in publico carcere transigebat, cum Rex ex mala ejus valetudine commotus, circa quindecim leucarum distantia per solidum quadriennium eum exsulare permisit. Patriam postliminio reversum et canonicis poenis mulctatum Cappuccinis fratribus tradidit Episcopus, ut poenitentiam ageret diuturnam, atque sceleris veniam adeo deprecaretur. A die 20. Septembris 1831 usque adhuc in coenobio illo conversatus, spiritualia exercitia piaque alia patravit opera, testimonium perhibentibus Episcopo, patre guardiano praedicti conventus et parocho S. Laurentii, qui nihil mali de ipso se posse dicere nihilque in moribus ejus reprehensione dignum invenisse dixerunt.

Tot vexatus aerumnis putabat Delgrado poenitentiae stadium se transegisse ac propterea Summum Pontificem jam diu adprecabatur, ut ab irregularitate ex homicidio contracta absolutionem daret Cadicensis Episcopus, cui preces missae fuerunt pro informatione et voto, audito Oratoris parocho et parte laesa, ut referret de ejusdem Oratoris aetate, vita, moribus, circumstantiis patrati criminis, peracta poenitentia, constanti emendatione, compositione cum fisco et parte laesa, an sit periculum scandali ex Oratoris habilitatione, dum literis suis datis 20. Sept. 1831 retulit Oratorem triginta septem annos et decem menses aetatis habere, vehementer Oratorem commendavit, asseruitque revera non Sebastianum, verum ejus fratrem fuisse interfectorem, quod reticitum ab eo est, ne severiori poena germanus ejus frater mulctaretur, nihilominus S. Congregatio censuit rescribere: Lectum ad instantiam, et Orator det majora signa poenitentiae et constantis emendationis.

Transacto triennio denuo preces ablegavit Delgrado, quae delatae fuerunt Episcopo die 22. Aug. 1835, ut referret de Oratoris compositione cum parte laesa, qui nihil cunctatus retulit: Constare ex actis . . . . praedictum Sebastianum antequam gratiam et indultum poenae delicti a se patrati secundum leges ipsi infligendae obtinuisset, veniam a patre occisi impetrasse solemni publico instrumento roboratam, proindeque satisfactam partem laesam, ac denique Oratoris paupertatem et poenitentiam commendat, ut peractis spiritualibus exercitiis ad altare Dei accedat, remoto irregularitatis impedimento."

Pro gratia absolutionis, dispensationis et rehabilitationis (excluso loco patrati delicti) arbitrio et conscientiae Ordinarii, peractis per decem dies spiritualibus exercitiis in religiosa domo arbitrio ejusdem Ordinarii, facto verbo cum Sanctissimo.

90. Adjacen. — Irregularitatis.

Die 22. Junii 1850.

Nuntius Franciscus Nicoli dioecesis Adjacensis sex circiter abhinc annis una cum militibus insidias struxit cuidam sicario, et ex ictibus igneae ballistae, quam una simul ipse cum militibus exploserunt, sicarius occisus est. Latet adhuc, utrum a militibus vel a praefato nuntio ille lethale vulnus acceperit. Supplex hinc adest Nicolius pro dispensatione a contracta irregularitate, ut sibi ad sacerdotium pateat ascensus.

Haec sunt, quae respondet Episcopus singulis rogationibus, quas una cum Oratoris precibus eidem dedimus, ut moris est: „Orator annum trigesimum secundum attigit aetatis suae; sex abhinc annis saeviit in sicarium, ut exstat in precibus et non aliter; numquam ob hoc factum judicialiter inquisitum fuit; dixi ob hoc factum, namque durante inimicitia tamquam portans arma prohibita comprehensus fuit et damnatus ad sex carceris dies, nec non ad expensas, quibus omnibus satisfecit: nihil debet fisco et parti laesae; inimicorum suorum pristinam recuperavit amicitiam; praescindendo a gravibus circumstantiis supra relatis, de quibus vehementer dolet, morigeram semper duxit vitam, et nunc in majori nostro seminario, ubi tribus abhinc annis degit atque scientia ac pietate informatur, verae poenitentiae et constantis emendationis indubia dat specimina, communi regionis suae incolarum voto ad ordines vocatur, ideoque ejus promotio, nedum scandalum vel admirationem generet, omnibus aedificationi esset, ac proinde utilis ecclesiae. Omnibus perpensis praevio rectoris nostri seminarii consilio, S. Congregationem Concilii enixe rogamus, ut cum Oratore dispenset super irregularitate, quam incurrere potuit, ut ad ordines promoveatur.“

Licet ea sit S. hujus Ordinis praxis, ut faciliorem se praebeat in similibus dispensationibus concedendis cum iis, qui jam ad ordines sunt promoti, valde autem difficilior cum promovendis, haud tamen horum preces semper et quandocumque rejicere solet. Ubi enim constat de bonis oratorum moribus ante criminis perpetrationem, ac de sincera peracta post delictum poenitentia, et constanti emendatione, dispensatio denegari non solet, praesertim cum ecclesiae utilitas ac necessitas adsit ex promotione dispensandi, et nullum sit pertimescendum ex ea scandalum vel admiratio: prostant exempla in Mantuana 11. Maji 1709 ad 2. dub., in Ipren. 13. Januarii 1703 et in Lemovicen 8. Augusti 1789 nec non in Apuana apud Gamberini n. 7. et 8.

Hujusmodi siquidem diversa procedendi ratio ex S. Concil. Trid. dispositione cap. 7. sess. 14. de reform. dimanant, ubi ei, qui de industria vel per insidias homicidium commisit, ad omnem ordinem et officium ecclesiasticum ac beneficium perpetuo aditus interdicitur: homicidae vero casuali, vel qui illud perpetravit, ut se a morte defenderet, dispensatio non denegatur. Mitius tamen tractu temporis etiam cum illis, qui primo loco a Concilii Patribus recensentur, egit Ecclesia, eos quoque ad ordines admittendo, ubi praesertim obliterata sit memoria delicti, ac aliae, quas supra commemoravimus, concurrant circumstantiae.

Jamvero haec omnia de Oratore comprobantur ex Episcopi testimonio. Ac insuper, quamvis nullum servatum fuerit moderamen inculpatae tutelae, homicidium ab eodem perpetratum dici quodammodo potest ad propriam tuendam vitam, cui sicarius, vulgo bandito, occisus insidiabatur, quod profecto criminis gravitatem ex legum sanctione minuere solet. Accedit, quod fiscus nulla ratione ex enuntiato facto in Oratorem animadvertit, et non

solum compositio, sed etiam amicitia cum parte laesa rursus inita est. Animadvertendum est etiam agi de regione, in qua sacrorum ministorum adest inopia, unde communi regionis suae incolarum voto ad ordines vocatur. Juvat quoque Oratoris preces Episcopi votum, quod in similibus maximi faciendum est.

Pro nunc non expedire.

Die 29. Novembris 1851.

Ex tunc non destitit Adjacensium Episcopus repetitis vicibus preces ingeminare ad optatam Nicolii dispensationem impetrandam. Quin tamen eas rejecerim, paulo longius potius tempus sustinere sum adhortatus, priusquam casum hujusmodi Eminentissimis Patribus iterum pro resolutione subjicerem, donec, elapso jam anno et ultra ab edito rescripto, novis iisque enixis Episcopi precibus obtemperandum remque totam judicio EE. VV. supponendam putavi.

Haec siquidem novissime pro Nicolio exponebat Antistes, supplexque pro eodem effusissimis precibus expetebat: „Nicolius nullam tulit persecutionem a ministris justitiae propter occisionem aggressoris. Verum diro casu graviter afflictus, quo contra sui similem quamvis hostilem saevire coactus est, et motus vivo desiderio relinquendi mundum iniquum et refugiendi in sanctuarium, in meum seminarium dioecesanum se contulit, ubi, narrato superioribus casu, admissus fuit inter aspirantes ad statum ecclesiasticum cum probabili spe admissionis ad ordines. Quatuor jam effluxerunt anni, ex quo in studiis literarum et pietatis exercetur sub directione superiorum seminarii, a quibus attestationes recepit quam maxime favorabiles. His innixi pluries expetivimus dispensationem ab irregularitate, in quam incurrisse se timet. Sacra Congregatio simpliciter mihi respondit: „Non expedire“. Profunde veneror sensum S. Congregationis, qua abhorret ab his rebus, verum facere non possum, quin EE. VV. instanter orem, ut iterum casum istius Nicolii ad examen revocet, et rescripto gratiae rem finiat. Causae satis graves mihi quidem esse videntur. Nicolium poenitet culpae suae; evidentia idem praebet signa vocationis et ob scientiam et ob pietatem. Omnes suas facultates consumpsit, ut sacerdotium assequeretur; imo ejus ordinatio ab illis ipsis desideratur, qui olim fuerunt inimici, a directoribus suis sollicite expetitur, quibus ego ipse accedo, ut votis ipsius satisfiat, non ob Nicolii solius commmodum, sed ob utilitatem dioecesis. Confido Eminentiam Vestram bene accepturam esse has meas preces et eas ad felicem exitum esse perducturam.“

Cetera vero, quae Oratoris precibus favere vel refragari possent, habent Eminentissimi Patres in syllabo causarum, quae propositae fuerunt per summaria precum die 22. Junii anni superioris. Ea proinde repetent ex folio tunc distributo.

Peractis per decem dies spiritualibus exercitiis pro gratia suscipiendi ordines tam minores quam majores usque ad presbyteratum inclusive, facto verbo cum Sanctissimo.

91. Portugallen. et Lamecen.

Die 14. Augusti 1824.

Antonius . . . dioecesis Lamecensis, cum adolescens esset probatae indolis et sedulam studiis navaret operam, facile clericali militiae adscribi et ad sacros ordines promoveri obtinuit. Presbyteratus ordine insignitus incul-

pate aliquamdiu se gessit: verum deinde mulieris cujusdam illecebris irretitus a recto tramite deflexit. Re ad mulieris patrem delata, de amasio filiae perdendo consilium iniit; ipsumque nocte diei 28. Maji 1815 intra propriam domum deprehensum aggressus falce, qua armatus erat, gravissimum vulnus in capitis vertice eidem inflixit, eumque occidisset, ni presbyter aggressorem propius accedentem ita cultro percussisset, ut non multo post obierit.

Diuturna et periculosa aegritudine conflictatus ob acceptum vulnus, convaluit tandem sacerdos Antonius: verum de improbata vita ac perpetrato homicidio postulatus, praeter pecuniariam multam aliasque poenas ipsi impositas, judicum sententia extra propriam dioecesim in exsilium est pulsus. Itaque Portugallensem petiit dioecesim, ibique hactenus poenitentem ac miseram egit vitam. Implorat nunc dispensationem ab irregularitate et rehabilitationem ad divina mysteria celebranda.

Rogatus Episcopus Portugallensis, postquam ea retulit, quae mox collegi, sic pergit: „Valetudini pristinae restitutus Antonius, e Lamecensi episcopatu abire jussus, in Portugallensem hunc se contulit, ubi munerum suorum exercitio orbatus miserrime degit, ac extrema egestate contabesceret, si quorumdam erga eum charitas deficeret. Ille namque lamentabili casu horrescens ac erratorum pertaesus, nemini jam offendiculum praebere dicitur. Quamobrem eum nequaquam indignum puto gratia, quam a Pontifice Maximo enixe obtinere curat, ut sublata, qua diu laborat, irregularitate ad sacras ordinum suorum functiones in praesentiarum revocetur.“

Requisitus quoque Episcopus Lamecensis ita respondit: „Plene instructus asserere non dubito, presbyterum Antonium hujusce dioecesis, etsi pristinae amicae parentis propria ejus in domo et in sui necessariam defensionem nocte 28. Maji 1815. occisorem, ad praesens longoque novem annorum spatio semper poenitentem et emendatum et correptum, irregularitatis dispensatione dignum, uti videtur, sane existere, fisco concordato damnatorioque judicio expleto.“

Minime ambigitur, sacerdotem Antonium in irregularitatem incidisse, quamvis aggressorem ad necessariam suae vitae defensionem occiderit; nam sua culpa in eam sese conjecit vel pereundi vel occidendi necessitatem: quo in casu irregularitatem contrahi unanimiter monent Tournelius cap. 8. de irregularitate art. 2., Guttierez canonic. quaest. lib. 2. cap. 6. num. 43., Reiffenst. lib. 5. decret. tit. 22. §. 4. num. 153. Irregularis quoque evasit propter infamiam, cum judicis sententia condemnatus de publico crimine et in exilium fuerit pulsus, Molina de just. et j. disp. 9. num. 4., Reiffenst. loco citat. tit. 37. num. 58.

Adesse tamen videntur causae, ob quas dispensatio ab irregularitate ac rehabilitatio ad sacerdotalia munera exercenda concedi valeant. Morum siquidem innocentia ac probata indoles primo adolescentiae flore plurimi sunt faciendae cum tuto polliceantur, veram esse vitae emendationem cum detestatione patrati sceleris, de qua et Lamecensis et Portugallensis Episcopus testantur. Decimus autem jam elabitur annus, ex quo Orator fisco concordato damnatorioque judicio expleto, poenitentiam inter aerumnas atque in maxima egestate agit; ipsumque dispensationem et rehabilitationem mereri ambo praefati Episcopi arbitrantur: hisce vero concurrentibus, annuere Oratorum precibus haec Sac. Congregatio alias non detrectavit; ut in Senogallien. Irregularitatis 18. Novembris 1786. (?), et in Messanen. Irregularitatis 17. Julii 1802, praesertim ubi res esset, prout in themate, non de promovendo, sed de jam promoto, cum quo facilius di-

spensari solet; eadem Sac. Congr. in Savonen. Irregularitatis 26. Martii 1780.

Pro gratia dispensationis et rehabilitationis, excluso loco patrati criminis, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo, dummodo Orator peragat exercitia spiritualia in aliquo loco religioso arbitrio Episcopi Portugallensis.

92. Ampurien.

Die 11. Julii 1846.

Sacerdos Joannes N. loci C. Ampurien. dioecesis in Sardinia de homicidio in maritum amasiae convictus et in carcerem conjectus, 20 annorum spatio poenam luit tanto sceleri dignam, qua expleta preces S. H. Ordini porrexit pro absolutione, dispensatione et rehabilitatione. Verum licet Orator esset munitus amplissimis Ordinarii commendatitiis dimissus fuit responso: „Lectum et majora det signa poenitentiae". Tandem die 6. Decembris anni elapsi iteratis precibus rescriptum favorabile obtinuit: „Peractis spiritualibus exercitiis loco ac tempore ab Episcopo praefiniendo pro gratia absolutionis, dispensationis et rehabilitationis, extra tamen dioecesim Ampurien". Sed nec Ordinarii commendatitiae literae profuerunt ad locum inveniendum, nec ulla ipsi affulget spes inveniendi, ubi caput extra dioecesim reclinet. Ceterum septuagenaria aetas et pusillum patrimonium tot annis derelictum et Oratoris extrema paupertas non sinunt eum amplius pervagari, unde noviter ab Episcopo commendatus exhibito insuper testimonio procerum loci C., quo desiderium populi et utilitatem, imo quasi necessitatem sacerdotis ostendunt, suppliciter expostulat gratiam celebrandi in patria.

Attentis peculiaribus circumstantiis, peractis iterum spiritualibus exercitiis loco ac tempore Episcopi arbitrio pro gratia rehabilitationis etiam in dioecesi, extra tamen locum patrati criminis,) arbitrio ejusdem Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.*

---

*) Dubium absolutionis.

In dispensationibus super irregularitate contracta ex homicidio apponi solet restrictiva: „Dummodo in loco commissi delicti non celebret". Restrictivae hujus praxis non satis perspicua est, ob casuum diversitatem. Siquidem si quis delinquat, in dicto oppido vel civitate celebrare non poterit; sed an extra locum in territorio tamen ejusdem loci possit celebrare? Rursus si oppidum vel civitas ampla sit, verbi gratia Roma, Parisii, Matritum, ita ut si quis delinquat in Urbis regione seu parochia, an possit in alia regione seu parochia celebrare? Ac demum quodsi delinquat in Campania?

Motiva hujus restrictivae est scandalum, quod generatur in populo, si, quem cognoverunt proximi sanguine maculatum, sacra videant, ubi deliquit, pertractantem. Proinde tanto loci spatio ab altari arcendus delinquens videtur, quanto hujusmodi scandalum excludatur. Ut vero praxis sapientissime ipsorum restrictivam apponentium menti conformis sit, non graventur Eminentissimi PP. eandem aperire.

Die 23. Septembris 1679 Sacra etc. respondit: Ad mentem et die 13. Octobris Sanctissimus decrevit, locum delicti intelligendum esse per diaetam legalem, nempe per 20 milliaria. (lib. 30 Decretorum fol. 428).

93. Regni Hispaniarum.

Die 6. Junii 1840.

Cum in praesentiarum multae e regno Hispaniarum instantiae penes hanc S. Congregationem factae sint ad obtinendam dispensationem ab irregularitate in bello contracta, ab EE. VV. sapientissimo judicio normam generalem expeto.

Neminem latet in civili Hispaniarum bello quam plurimos Dei servitio mancipatos sive regulares sive clericos saeculares arma sumpsisse et dimicasse praesertim in exercitu Caroli V., qui modo dispensationem ab irregularitate postulant. Ex una parte clementiam suadere videntur peculiares circumstantiae. Etenim regulares ejusmodi ad exercitum Caroli V. confugerunt, ut consulerent propriae vitae, ne a viduae reginae fautoribus et armis confoderentur, atque hinc cum exercitu commorantes arma sumpserunt. Alii vero ad instar Machabaeorum confugerunt ad exercitum Caroli V. et putantes obsequium se praestare Deo, dimicarunt contra religionis adversarios, a quibus divina humanaque omnia susque deque vertebantur. Ob haec ipsa rerum adjuncta similiter se gesserunt clerici saeculares. In omnibus saepissime accedit paupertas extrema Oratorum plerumque exsulum et, si regulares sunt, superaccedunt preces praelatorum, ne conventibus extra Hispaniarum regnum satis graves sint. Hae omnes circumstantiae suadere videntur, ut S. Congregatio in casibus, de quibus agitur, temperet rigorem.

Verum e contra perstat ss. canonum sanctio minusque decet, ut sancti Agni immaculati sanguine rubescat os illud, quod humani sanguinis sententiam dixit, manusque illae incruentum perficiant sacrificium, quae humano sanguine sunt pollutae. Ipsa etiam supplicationum frequentia suadere videtur, ne tam faciliter a S. Congregationis stylo recedatur. Praeter enim eas, quae directe S. Congregationi sunt porrectae, adsunt et aliae remissae ab aliis officiis et tribunalibus ac etiam a S. Poenitentiaria, quae omnes si judicio EE VV. essent subjiciendae, de aliis causis agi difficilius posset. Hinc ab EE. VV. enixe rogo, ut dignentur praecipere, num singulae sint ipsarum judicio subjiciendae, num servandus sit S. Congregationis rigor et quousque sit protelanda dispensationis dies, num sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis, quatenus tamen anteactae et subsequentis vitae genus laudabile fuerit in omnibus.

Si agatur de saecularibus, proponatur in plena congregatione in singulis casibus, si vero agatur de regularibus, quatenus concurrant testimonia tam commissariorum Apostolicorum et superioris generalis Ordinis, quam Episcopi domicilii super vitae tam anteactae quam subsequentis laudabili genere, consulendum erit Sanctissimo pro absolutione, si vero praeter militiam peculiaria crimina occurrant, proponantur in plena congregatione.

H. Irregularitas ex bigamia.

94. Hispalen.

Die 15. Martii 1828.

Joannes Joseph Copado annos novem supra octoginta natus, cum ad binas capellanias ecclesiasticas a Maria et Joanne de Lara in dioecesi Hispa-

lensi fundatas jure sanguinis vocetur et gravi prematur inopia, dispensationem ab irregularitate propter bigamiam humiliter implorat, ut easdem capellanias consequi valeat.

Rogatus Eminentissimus Archiepiscopus de informatione et voto retulit, Oratorem nunquam militiae clericali nomen dedisse et ob longaevam aetatem visus debilitate laborare, ita ut si a S. Sede divini officii persolvendi dispensationem non obtinuerit, huic quidem oneri capellaniis annexo, quas judicis ecclesiastici sententia ad eum pertinere sanguinis jure declaratum est, satisfacere nunquam valebit, esse tamen optimis moribus ornatum atque rebus ecclesiasticis maxime addictum Ut Orator canonicam institutionem capellaniarum consequi et clericali tonsura initiari queat, Apostolica dispensatione a bigamia indiget.

Quoad dispensationem ab irregularitate non expedire, sed consulendum Sanctissimo, ut deputato ecclesiastico administratore Oratori indulgeat facultatem in proprios usus convertendi, quidquid supererit impletis oneribus capellaniis forsan adnexis, docto. (scil. quotannis coram Episcopo doceatur de impletis oneribus).

95. Triventina.

Die 7. Septembris 1833.

Ph. A. dioecesis Triventinae sacro presbyteratus ordine vix suscepto Neapolim secedens ad sacras ac juris disciplinas felicius perdiscendas blanditiis illectus cujusdam feminae procuratisque per mulieris propinquos falsis testimoniis coram parocho Virginianorum anno 1822 cum eadem puella matrimonium contraxit. Tanti vero criminis horrore illico perculsus aufugit, et post multa discrimina in ditionem Pontificiam se recepit, et in sacro S. Sosii recessu Clericorum Passionis 50 circiter dies spiritualibus exercitiis vacavit, ubi ex rectoris testimonio monemur, facultate per Pontificem attributa illum absolutum fuisse.

Re interim apud judices regni Neapolitani in examen deducta, cunctisque ex criminalium judiciorum praescripto perpensis, haec mense Majo 1824 sententia data fuit, ut „attenta juvenili et inexperta sacerdotis aetate et calliditate totius puellae familiae, quae dolosis artibus sacerdotem et circumvenerat et sola falsa testimonia paraverat, attenta quoque insigni emendatione delinquentis, quippe qui exercitia spiritualia peregit et Sanctae Sedi satisfecit, communi sententia condemnaretur ad domicilium in communitate Triventina per quinque annos sub immediata et absoluta custodia proprii Ordinarii.“

Hinc Triventi subsistens, ad laicam dumtaxat communionem admissus, post trium annorum spatium remeare ex regis permissu ad patrios lares datum eidem est. Alias quidem supplex adiit S. Sedem postulans se ad sacra procuranda iterum admitti; at majoribus semper poenitentiae signis exquisitis, nunc demum Episcopus, auditis parocho et municipibus loci, qui de constanti emendatione deposuerunt et puella, quae jam alio matrimonio juncta dote se contentam declaravit, dictum sacerdotem quam maxime commendat ad redintegrationem accipiendam, praesertim cum ex eo nullum scandalum sit timendum, sed communi desiderio cum aedificatione satisfiat.

Peractis spiritualibus exercitiis loco ac tempore ab Episcopo designandis, pro gratia absolutionis, dispensationis et rehabilitationis arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

I. Irregularitas ex violatione censurae.

96. Aprutina et Pinnen.

Die 20. Decembris 1823.

Exposuit diaconus Blasius Ronci, quod ipse sola tonsura initiatus, ut sibi ad sacros ordines facilius pateret aditus, simulavit familiam suam e Canzano, Aprutinae dioecesis oppido, Atriam Pinnen. dioecesis esse migraturam, ac petiit ab Episcopo Aprutino, ut ipse quoque una cum tota familia domicilium transferre posset. Voti compos factus Atriam venit, ac primo inter alumnos seminarii cooptatus, deinde ab Episcopo Pinnen. minoribus ordinibus, tandem subdiaconatu et diaconatu fuit insignitus. Sed cum ejus familia nunquam e Canzano discesserit, detecta fraude uterque Episcopus eum ad presbyteratus ordinem renuit promovere, licet domum inde petierit. Nunc poenitentia ductus, et effluxis jam duodecim circiter annis, absolutionem postulat a suspensione et ab irregularitate, ut sacerdotio insigniri queat.

Datis literis ad utrumque Ordinarium pro informatione et voto, vicarius capitularis Aprutinae dioecesis rem ita narrat, ut Orator immunis dicendus sit a qualibet censura et irregularitate; nam censet domicilium ob peculiares tantum deinde obortas circumstantias Atriam non fuisse a familia Ronci translatum. Episcopus vero Pinnen. confirmat, Blasium ad ordines esse promotum a suo antecessore, „quin tamen, ait, appareant ex actis literae dimissoriales Episcopi Aprutini. Hinc patet, eum deceptum fuisse asserta translatione domicilii, quae non evenit. Utrum ea sincere in proposito fuerit et ob casus supervenientes non peracta, an ad decipiendum excogitata, affirmare non possum“. Sed uterque Ordinarius testatur de Oratore: „Nunc domicilium habet in dioecesi Aprutina, sacrae theologiae scholas in seminario frequentat, et operibus spiritualibus ibidem incumbit; bonas prae se fert mores neque unquam sectae a S. Sede reprobatae fuit adscriptus. Annos aetatis habet 35.“

Sane unumquemque a proprio Episcopo aut saltem de ejus mandato ordinibus insigniri debere sacri canones praecipiunt; si secus fiat, ordinatum a susceptorum ordinum exercitio, quamdiu proprio Ordinario videbitur, esse suspensum, aperte statuit Trid. Synodus sess. 23. cap. 8. de refor.; quin imo si suspensione irretitus in ordine suscepto solemniter ministret, irregularis evadit cap. Apostolicae 9. De cleric. excom. depos. Proprius autem Episcopus domicilii is dumtaxat censetur, in cujus dioecesi ordinandus adeo fixum domicilium constituit, ut per decennium in eo habitando vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum hujusmodi transferendo, satis superque perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; ac ulterius se vere ac realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet, const. Speculatores. Innoc. XII.

Porro ex his praecipue constat, Blasium ab alieno Episcopo fuisse ad ordines promotum, ac proinde incidisse in suspensionem; cum ipsemet fateatur, se simulasse Atriam domicilium transferre, ut facilius ordinibus insigniretur. Imo in irregularitatem quoque incidisse pro certo est habendum; quamvis enim in supplici libello non exposuerit, solemnite ordines receptos se exercuisse, cum tamen dispensationem ab irregularitate efflagitaverit, et nemo ad majorem ordinem promoveri soleat, nisi in minori ministraverit, dubitari non potest, irregularem eum evasisse.

Absolutio nihilominus ipsi impertienda videtur, cum poenitenti non sit deneganda, ex cap. Ponderet. dist. 50., et haec ipsa Sac. Congregatio

absolutionem a censuris et ab irregularitate, licet ex homicidio voluntario exorta, impertiri soleat, si longum effluxerit tempus, si irregularis alias sit bonis moribus imbutus, et patrati criminis poenitentiam egerit, Fagnan. in cap. Henricus. de cler. pugnan. in duell. num. 35. Haec autem omnia haberi in Oratore patet ex testimonio Vicarii Aprutini et Episcopi Pinnen.

Pro gratia absolutionis et dispensationis, facto verbo cum Sanctissimo. Sanctissimus resolutionem approbavit, peractis tamen ab Oratore exercitiis spiritualibus in loco et tempore arbitrio Episcopi designandis.

97. Platien.

Die 7. Septembris 1839.

Frater Vincentius C. . clericus professus in Sicula provincia Ordinis S. Francisci ad declinandum severius examen, cui ante ordinum collationem Platiensis Antistes regulares quoque viros subjiciebat, licet ipse ratione studiorum a biennio in ejusdem moraretur dioecesi, ex industria tamen minores ordines et majorem subdiaconatus suscepit a Nicosiensi Episcopo, oblato testimonio de patria origine in eadem Nicosiensi dioecesi ac praeterea prioris conventus loci Cerami in eadem exsistentis in haec verba concepto: „Frater Vincentius filius hujus conventus est et ab octo mensibus ibidem commoratus est.“ Provincialis his cognitis Oratorem suspendit. Petitur hinc absolutio ab Oratore, qui affirmat se, suum patrem, et priorem ignoravisse sacram ordinationem privative spectare ad Episcopum Platiensem. Patent haec ex Episcopi Platiensis et procuratoris generalis rationibus. Addit praeterea Platiensis Episcopus, priorem conventus in Nicosiensi dioecesi exstantis bona fide testimonium tradidisse Oratoris patri, qui illud necessarium pro s. ordinatione asseruit. Ceterum de bonis moribus Oratoris in aetate annorum 28 constituti testatur necnon de sufficienti scientia et ecclesiae utilitate ex Oratoris promotione. Eadem ferme habet procurator generalis. Auditus non fuit Episcopus Nicosiensis, utpote interrogatus ab Antistite Platiensi.

Imposita salutari poenitentia tam priori conventus loci Cerami, quam Oratori arbitrio Episcopi Platiensis consulendum Sanctissimo pro gratia absolutionis tam ejusdem prioris a poenis quomodolibet incursis, quam favore Oratoris a suspensione et etiam ad cautelam pro gratia dispensationis ab irregularitate contracta ab eodem Oratore et habilitationis ad reliquos ordines sacros suscipiendos, quatenus susceptos ordines exercuerit arbitrio et conscientia Episcopi ejusdem.

98. Conversana et Granen.

Die 11. Julii 1840.

Petrus . . . . sacerdos ex loco P. in dioecesi Conversana veritus, ne Episcopus proprius ipsum ab ordinum susceptione repelleret, dum 20 agebat aetatis annum, consulto Granense in seminarium divertit, ubi paululum commoratus domicilium in Granensi civitate elegit, obtinuit illius dioecesis clero accenseri et, ut ipsemet fatetur, fretus dolis cujusdam presbyteri simulavit factam acquisitionem nonnullorum praediorum in territorio Granensi, quae deinceps asserit se obtulisse curiae archiepiscopali Granensi pro sufficienti titulo s. ordinationis. Et re quidem vera per hosce modos assecutus est, ut

ab Archiepiscopo Granensi ad ordines omnes etiam majores non excluso presbyteratu promoveretur. Ast ad Conversanam dioecesim vix reversus est annuente Archiepiscopo Granensi, cum Episcopus Conversanus re cognita eundem ita ordinatum tanquam irregularem habuit et ab omni susceptorum ordinum exercitio penitus suspendit. Labente autem a lata in eum suspensione fere triennio, Petrus Apostolicam Sedem supplici libello adiit pro obtinenda absolutione ab irregularitate necnon et rehabilitatione ad ministrandum in susceptis ordinibus. Ex relatione Episcopi Conversani et ex literarum exemplis, quibus ab utriusque curiae vicariis actum fuit super adscriptione Oratoris ecclesiae Granensi patet, vicarium Granensem annuisse innixum falsis suppositis et realis acquisitionis bonorum in dioecesi Granensi (quae tamen fuit ficta) et juramenti praestiti de animo vere ibi permanendi (quod nunquam emissum fuit), in ejus verba: „Ego consentiente etiam R. D. Episcopo libenter concedo, ut dictus Petrus . . . . recipiatur in clerum istius cathedralis ecclesiae et si literae testimoniales petantur, subito eas emittam.“ Patet etiam Archiepiscopum Granensem huic innixum adhaesioni Episcopi originis promovisse clericum Petrum . . . . etiam „quia hic domicilium suum declaravit in civitate Granensi derelicto domicilio originis“, ceu habet in sua relatione idem Archiepiscopus. Tandem Episcopus Conversanus testatur, Petrum probis esse moribus et vita bonaque fama frui, quia censuram tertio jam anno sustinet cum patientia animique sui conformatione; tantum abesse, ut scandalum sit ex ejus rehabilitatione oriturum, quin potius communis, quam modo consequitur, commiseratio in gratiarum actionem pro largita indulgentia converteretur; Oratoris crimina ignaviae, circumventionis bonaeque fidei potius, quam perversitatis animi fuisse opus; additque patrimonium ad ordinationis titulum jamnunc fuisse rite ad formam juris constitutum.

Peractis ab Oratore exercitiis spiritualibus loco ac tempore arbitrio Episcopi Conversani praefiniendis pro gratia absolutionis et dispensationis arbitrio et conscientia ejusdem Episcopi; facto verbo cum Sanctissimo.

99. Syracusana.

Die 4. Februarii 1843.

In praecedentibus comitiis diei 17. Decembris 1842 relata fuit inter supplices libellos instantia diaconi Antonii B. . . ., qui in ordine Minorum Observantium S. Francisci professione regulari non emissa, falsis literis dimissorialibus sui Provincialis, consilio et opera alterius religiosi et magistri ordinis ejusdem elaboratis, ad reliquos duos minores ordines die 13. Julii 1828, ad subdiaconatum die 20. ejusdem mensis et anni et post dies 5 ad diaconatum fuit promotus. Constitit ex relationibus procuratoris generalis ordinis, vicarii capitularis Syracusani et vicarii capitularis Platiensis Oratorem e religiosorum albo expunctum et ab Episcopo Syracusano vestibus clericalibus exutum bonos mores exhibuisse, ecclesiae functionibus adinstar laicorum praesto fuisse et 14 annos a sacrilega ordinum susceptione effluxos esse. Nihilominus dubitatum fuit de Oratoris scientia, quia retulerat Episcopus Catanensis, Oratorem in examine pro presbyteratu reprobatum ausum fuisse porrigere pecuniam examinatori. Hinc EE. VV. rescribere censuerunt: „Dilata et facto prius experimento super scientia necessaria per examinatores ab Eminentissimo Praefecto deputandos iterum proponatur.“ Mandatis hisce obtemperatum fuit et bini examinatores facto

periculo eum ad clericalem tonsuram idoneum esse judicaverunt. Preces itaque instaurat pro absolutione et rehabilitatione saltem ad ea, quae clericorum inferiorum sunt propria, nec praetereundum est, ipsum nunc se recepisse in domum Congregationis missionis, ut spiritualibus exercitiis vacet.

Consulendum Sanctissimo pro absolutione a censuris et dispensatione ab irregularitate nec non habilitatione Oratoris ad exercenda munera propria simplicis clericatus, firma inhabilitate tam ad exercitium susceptorum ordinum sacrorum, quam ad suscipiendum presbyteratum, donec judicio proprii Episcopi scientiam sufficientem fuerit assecutus, ad quem effectum facultates necessariae nunc pro tunc Episcopo vel Ordinario pro tempore tribuantur, nec non interim pro facultate vicario capitulari commutandi officium divinum in recitationem quotidianam rosarii B. Mariae Virginis, donec idoneus ad ejusdem divini recitationem evaserit.

100. Andrien. et Tranen.

Die 6. Augusti 1842.

Josephus A. loci M. in Andriensi dioecesi, rejectus ob defectum scientiae a s. ordinatione atque e seminario dioecesano expulsus, post Episcopi obitum sese ad seminarium Tranense contulit ibique obtenta a vicario capitulari Andrien. excardinationis venia, simulata electi in Castro a SS. Trinitate domicilii declaratione, illi ecclesiae incardinationem obtinuit. Josephi pater filium presbyterum videre enixe studens quandam pecuniae vim binis Archiepiscopi familiaribus elargitus est, quo factum est, ut Orator istius rei inscius, antequam patrimonium sacrum constitueretur, subdiaconatus non modo, verum etiam diaconatus et presbyteratus ordines susceperit. Rem vero postridie cognovit neque aliqua se esse innodatum censura dubitavit. Illico ad oppidum M. convolavit atque ab Episcopo examini subjectus incapax repertus et mox a missae celebratione atque a susceptorum ordinum exercitio suspensus est. Hinc supplex adstitit Orator, ut absolveretur et rehabilitaretur.

Tranensis Archiepiscopus de Oratoris ignorantia dubius non haeret, omnem tamen simoniae labem in ejus ordinatione abfuisse propugnat. Andriensis vero Antistes de non servata Innocentii XII. constitutione: „Speculatores“ conquestus est, additque expositum confirmans, se subjecisse Oratorem directioni cujusdam ecclesiastici viri, sub cujus disciplina necessaria scitu edoceretur. Fuit itaque a S. Congregatione rescriptum die 27. Junii 1841: „Lectum ad instantiam, et Orator det tam majora signa poenitentiae quam ulteriora specimina sufficientis scientiae.“ Quare de Ordinarii consensu in conventum Fratrum strictioris observantiae S. Petri de Alcantara Baroli secessit ibique per mensem non vulgaria edidit poenitentiae signa. Pastoralem nuper peragens visitationem in oppido M. Antistes cognovit praedictum sacerdotem ex tunc ita suos ad justitiam composuisse mores, ut penes clerum populumque non parum meruerit eumque pro ingenii sui tenuitate sufficienter in scientia profecisse: quapropter ministrorum inopia laboranti ecclesiae consulens instanter orat obtestaturque, ut quantocius a censuris absolutus atque ab irregularitatibus dispensatus male susceptorum ordinum exercitio restituatur.

Peractis prius spiritualibus exercitiis loco ac tempore arbitrio Episcopi praefiniendis consulendum Sanctissimo pro gratia absolutionis arbitrio et conscientiae ejusdem Episcopi.

101. Sorana.

Die 6 Augusti 1825.

Diaconus Vincentius Quadrini Soranae dioecesis, jubente oeconomo curato ecclesiae parochialis et collegiatae S. Mariae civitatis Arpini, dum aderant duo sacerdotes, sacram eucharistiam fidelibus petentibus ministravit; ac neglecto monitu proprii magistri et alterius oeconomi ejusdem ecclesiae curati semel iterumque eodem modo se gessit. Verum a superiore ecclesiastico reprehensus, ac timens, ne in irregularitatem inciderit, praesertim quia proprii ordinis officia deinde exercere non omisit; supplex hanc Sac. Congregationem adiit et absolutionem ac dispensationem ab irregularitate humiliter imploravit.

Soranus Episcopus pro informatione et voto requisitus, ac praesertim ut referret de Oratoris aetate, vita, moribus, circumstantiis patrati erroris, de ejusdem mala fide, et utrum adfuerit scandalum in populo; haec breviter retulit: „Orator in aetate triginta quatuor annorum constitutus laudabili vita, bonisque moribus semper emicuit. Die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi recurrente aderat in sacristia parochialis et collegiatae ecclesiae S. Mariae Falconariae civitatis Arpini canonicus Benedictus Capella oeconomus curatus, qui aliqua adversa valetudine repente detentus commisit praefato diacono sacramentum eucharistiae fidelibus tunc petentibus administrare, licet alii duo sacerdotes tunc temporis simul adessent. In suo munere diaconus instructus, negative primo se habuit, ex eo quod nulla interveniente necessitate id efficere minime posse dignoscebat. At cum instaret iterum praedictus oeconomus curatus, juravit Orator in verba ipsius, ac per unam et alteram vicem eodem mane tuto animo sacram fidelibus praebuit synaxim, paucis dando scandali occasionem. In concepta bona fide permanendo fungi diaconatus officio postmodum non dubitavit, nec recursum ad Sedem Apostolicam habuisset, nisi ex prudentum consilio impulsus. Habita genuina hujusmodi facti descriptione, Oratorem ipsum Apostolicae indulgentiae commendare non omitto.“

Qui officium ordinis, quem non habet, exercere praesumit, in irregularitatem incidit, cap. 1. et 2. de clerico non ordinato ministrante. Inde vero inferunt nonnulli doctores, uti La Croix de euch. cap. 2. dub. 1. art. 1., Layman. tit. eod. cap. 7. num. 3., Sporer. eod. tit. cap. 5. num. 309. etiam diaconum sacramentum eucharistiae ministrantem praeter necessitatem et absque jussu superioris, irregularem esse dicendum.

Cum tamen diaconis per plura saecula fuerit quasi ordinaria potestas eucharistiam fidelibus ministrandi, uti probat inter caeteros Tournely de euchar. art. 2. conclus. 2., et patet ex Concil. Aquisgranensi cap. 7. ubi haec leguntur: „Sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio sacramenti est: ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat;“ cum potestas haec diaconis sublata fuerit a Concilio Carth. IV. can. 38. nulla addita poena, ac tantummodo ob copiam sacerdotum, quos magis decet magnum hoc ministerium; cum denique diaconi nunc etiam hanc potestatem exercere possint ex eod. concilio uti ministri extraordinarii ex commissione Episcopi vel sacerdotis et in casu necessitatis, S. Thomas 3. p. quaest. 82. art. 3., Togni Instruct. pro ordinandis part. 1. cap. 6: sequitur inde, ministerium dispensandi eucharistiam non esse omnino alienum ab ordine diaconali, imo in ipso ordine, si non actum, saltem potentiam ad idem ministerium includi, et ideo in hujusmodi casu sub generali regula ministrantium in ordine non suscepto diaconos non venire. Quare si odia restringenda

sunt, non amplianda ex Reg. 15. de juris reg. in 6., et nullus proferri potest expressus canon, qui diaconos eucharistiam ministrantes irregulares dicat; videtur concludendum, ipsos revera ex hoc uno capite irregularitatem non contrahere.

Pertinent haec generatim ad diaconos eucharistiam dispensantes; certius autem tenenda sunt de diacono Oratore, qui referente Episcopo bis tantum eodem mane, jussu expresso oeconomi curati et bona fide, sacram fideli populo praebuit synaxim: adeo ut de ipso id verificetur, quod praecipue ex parte diaconi requiritur a Concilio Carthaginensi, nempe jussio superioris; cum de necessitate non tam diaconi, quam oeconomi curati esset judicium.

Caeterum in re, de qua inter doctores quaestio viget, caute procedendum erit; praesertim cum dubitandum sit, ne Orator praeter eucharistiam benedictionem quoque (de qua tam ipse, quam Episcopus silet) fidelibus sit impertitus, atque ita reapse in irregularitatem inciderit, Thesaur. de poen. eccles. verb. Ordo cap. 32.

Peractis per octo dies spiritualibns exercitiis in aliqua religiosa domo ab Episcopo designanda, pro gratia absolutionis et dispensationis ad cautelam et ad D. Secretarium cum Sanctissimo, quo vero ad oeconomum curatum idem Episcopus praevia opportuna monitione ipsum quoque per decem dies spiritualibus exercitiis vacare compellat.

102. Conversanen.

Die 8. Maji 1824.

Aloysius . . . Conversanensis dioecesis, postquam a proprio Episcopo tonsuram et quatuor minores ordines acceperat, Romam venit anno 1819, ubi impetrato Apostolico indulto die 7. Maji 1820 subdiaconus, et die 27. ejusdem mensis diaconus est ordinatus. In patriam deinde reversus, mensibus Septembris et Octobris praedicti anni semel et iterum a proprio Episcopo ad presbyteratus ordinem promoveri enixe postulavit. Interrogatus ab eodem Episcopo, utrum sectae Carbonariorum esset addictus, id aperte negavit, et de juramento requisitus jurare non dubitavit. Itaque die 7. Aprilis 1821 presbyteratu insignitus, sequenti die 22. primam missam et postea decem alias celebravit.

At Episcopus certior factus, praedictum sacerdotem esse Carbonariorum sectae devinctum, statim ipsum a divinis suspendit, monuitque, ut dispensationem ab irregularitate contracta impetraret ab Apostolica Sede; ac demum jussit, ut in aliqua domo religiosa diuturno tempore operibus poenitentiae vacaret. Ad patres Congregationis SS. Redemptoris tunc se contulit sacerdos Aloysius, atque in eorum coenobio 19 dies mansit; verum impar sumptibus diurnis ferendis inde secessit domique suae vixit, donec mense Julii anni 1822 operam dedit spiritualibus exercitiis per dies decem apud missionarios S. Vincentii a Paulo, et mense Augusti per alios dies decem penes religiosos S. Petri de Alcantara.

Interea usque a die 30. Martii 1822 pro absolutione ab irregularitate huic Sac. Congregationi preces obtulit; sed audita Episcopi informatione, die 8. Januarii mox elapsi anni 1823 responso Lectum fuit dimissus. Cumque iterum supplicasset mense Martio ejusdem anni, rescripsi de more: Expleto anno recurrat commendatus ab Episcopo, et interea det ulteriora signa poenitentiae et constantis emendationis; ac steti in decretis, ubi mense Julio sequenti, tertiam supplicationem

porrexit. Verum die 13. Augusti praedicti anni 1823 quartum libellum obtulit una cum commendatitia epistola, qua Episcopus asserit, ipsum dare continue signa evidentia constantis emendationis et gratiam imploratam merere.

Sacerdos Aloysius longe ante constitutionem s. m. Pii VII. Carbonariorum sectae nomen dedit; poenitens deinde ac proprio Episcopo obediens, suam retractationem emisit, priusquam eadem constitutio ederetur, quae data est Idibus Septembris 1821. Tunc autem inter theologos disputabatur, utrum generalis a Pontifice Benedicto XIV. promulgata societatum secretarum damnatio etiam ad Carbonariorum sectam pertineret.

Effluxit vero integer annus et ultrà a die, qua libello sacerdotis Aloysii rescriptum fuit Lectum: et hodie absolutionem ipse postulat commendatus ab Episcopo, qui de veraci resipiscentia, deque poenitentia peracta, nec non de ejus etiam paupertate testimonium reddit.

Favendum itaque Oratori videtur: animadvertendum tamen, non apparere, quo tempore ille Carbonariis se adjunxerit, et ante cujusnam ordinis susceptionem id evenerit: ideoque minime constare, an una vel pluribus irregularitatibus sit irretitus.

Exspectet ad alium annum, et interim inserviat alicui ecclesiae, det majora signa poenitentiae et constantis emendationis, et post annum recurrat commendatus ab Episcopo.

103. Theanen.

Die 26. Junii 1841.

Anno 1820 B. N. Theanen. dioecesis sacerdos, cum sectae carbonariae magni magistri munere fuerit functus, etsi ad hujusmodi criminis veniam a principe obtinendam adversus latrones arma inde suscepisset, ad sexennium nihilominus relegationis poena damnatus fuit. Poena ad quadriennium redacta penes PP. Cappuccinos expleta, licet absolutionem pro foro interno tantum a censuris obtinuerit, tamen auctorante ipsius Antistite oeconomi curati per tres fere annos munus explevit. At re per novum Episcopum ad S. H. O. delata dispensationis gratiam ab irregularitate efflagitantem, postquam hujusmodi preces pluries rejectae fuerunt in comitiis tandem mensis Februarii 1837 pro missae sacrificio celebrando solummodo dispensationem assecutus est. Pro habilitatione ad beneficia assequenda easdem preces jam a S. Ordine etsi favente Episcopo rejectas quarto nunc effundit Orator, de quo Episcopus auditus hunc sermonem habet: „Iste sacerdos per 15 annos praeteritos semper et in omnibus optime se gessit. Non possum celare desiderium meum, ut rehabilitetur non solum ad beneficia simplicia, sed etiam ad curam animarum, cum in magna penuria sacerdotum illum in laboribus pro spirituali salute populi mihi concrediti possim occupare.“

Firma inhabilitatione ad excipiendas confessiones et ad beneficia cum cura animarum pro gratia dispensationis et rehabilitationis ad cetera beneficia, arbitrio et conscientia Episcopi; facto verbo cum Sanctissimo.

104. Aquipendien. et Suanen.

Die 21. Julii 1827.

Sacerdos A. C. de terra A. Aquipendiensis dioecesis a primis juventutis annis vitam otio deditam et a studiis plane alienam ducere, sicque a

recto tramite aberrare incepit. Ad meliorem deinde frugem quamvis reversus, ita tamen ebrietati inservire perrexit, ut poena suspensionis ipso facto incurrendae in casu reincidentiae ei ab Episcopo inflicta fuerit. Discessit postea a sua dioecesi, ac officiaturam ad nutum amovibilem in paroecia S. Joannis finitimae dioecesis Suanensis consecutus, persaepe in terram A. remeavit, ibique in assuetas ebrietates non raro, ac praesertim in nuptiali convivio cujusdam affinis ultimis hisce temporibus celebrato prolapsus est. Qua de causa etsi ab extero presbytero acriter admonitus de reincidentia fuerit, sacrum tamen litavit, et in publicam incidit irregularitatem. Post haec sponte ad Minorum reformatorum coenobium loci A. se contulit, ibique spiritualibus exercitiis navavit operam. Quatuor et ultra jam elapsi sunt menses, ex quo idem sacerdos sexagenariam agens vitam ac gravi paupertate laborans, a sacro peragendo se abstinet suorumque criminum luit poenam. Nunc itaque absolutionem a suspensione et dispensationem ab irregularitate expostulat.

Episcopum Aquipendiensem rogavi, qui narrata confirmans haec addit: „Clementiae EE. VV. toto animi fervore eumdem C. commendare enitor, ne, cum sit pauperrimus neque victum sibi aliter, quam missarum eleemosynis parare queat, in desperationem propter inopiam incidat.

Insuper preces ad Episcopum Suanensem ablegavi, qui ita suam pandidit sententiam, ut ob necessitatem alterius missae diebus festis pro populo illam ecclesiam frequentante, et penuriam sacerdotum in sua dioecesi impossibile esse affirmet pro illa missa alium substituendum invenire, ideoque quam maxime Oratorem commendat, qui praeterea egestate pressus nonnisi missarum eleemosynis habeat, unde decenter vivat. Scandalum denique minime timendum esse ait ex dispensatione, imo magnam populi laetitiam sperandam.

Pro gratia absolutionis a suspensione et dispensationis ab irregularitate cum reincidentia in eandem poenam suspensionis, et praeviis spiritualibus exercitiis, arbitrio Episcopi Aquipendien., facto verbo cum Sanctissimo.

105. Tudertina.

Die 30. Julii 1831.

Paroeciam castri Lorneani Tudertinae dioecesis adhibito concursu obtinuit ejusque titulo ad sacros ordines promotus est sacerdos Aloysius Mari. Cum vero domus parochialis ruinam minitaretur et in castro paene diruto haud aliae praesto essent aedes, intra limites vero paroeciae non reperirentur nisi domus a villicis tantum inhabitandae, factum est, ut memoratus parochus moram traheret in paterna domo Montis Castelli et ad ecclesiam parochialem decimo et amplius lapide dissitam diebus festis se conferret. Aegre id Episcopus ferebat animo ac parocho sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae praecepit, ut residentiam in aliqua ex finitimis paroeciis constitueret, usque dum domus parochialis ex colligendis eleemosynis reficeretur. Episcopi monita ac praecepta sprevit Aloysius ideoque in suspensionem incidit ac etiam ob violationem censurae irregularis evasit; imo ex animi levitate se paroecia abdicavit, abdicationemque ratam habuit Episcopus. At facti poenitens supplices huic Ordini obtulit preces, quibus dispensationem a suspensione et ab irregularitate, ut rem divinam facere posset, enixe postulabat: verum die 7. Augusti superioris anni dimissus fuit rescripto: „Lectum ad instantiam et Orator det majora signa poenitentiae et con-

stantis emendationis.“ Preces denuo instauravit Orator, quinimo ipse Episcopus iterum iterumque huic S. Congregationi dedit literas, ut Oratori petita concedatur dispensatio et ad ipsam paroeciam denuo regendam sine novo concursu idoneus reddatur. „Etenim per totum hoc temporis spatium, ait Episcopus, sacerdos Mari signa verae emendationis et constantis resipiscentiae argumenta exhibuit.“ Circa ejus honestatem et continentiam nihil dolendum. Reditus paroeciae comprehensis incertis sunt scutata 46. Restauratio domus parochialis spectaret ad populum, at cum omnes parochiani maxima egestate laborent, minime per eos praestari potuit. Cum autem in praesentiarum domus parochialis restaurata sit et habitabilis reddita illud dignum judico, ut EE. VV. cum Aloysio Mari benigne agant, dispensantes illum ab irregularitate, quam contraxit idoneumque illum reddentes ad exercitium peragendum paroeciae praenominati castri Lorneani, cui ex animi impetu et levitate renunciavit, dum affirmare possum toto hoc tempore hanc paroeciam non tantum pastore sed et oeconomo caruisse ex deficientia sacerdotum. Optarem tamen, ut in decreto dispensationis demandarent EE. VV., ut Orator hanc paroeciam, ad cujus titulum ordinatus est, vel aliam obtinendam tractu temporis in aliquo concursu omnino regere debeat. Ita enim fiet, ut gens castri Lorneani non sit suo viduata pastore et Orator, qui ad animas regendas idoneus est, in excolenda domini vinea laboret.

Pro gratia juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

106. Oppiden.

Die 13. Februarii 1841.

Sex jam praeterlapsi sunt anni, ex quibus sacerdos R. in dioecesi B. ortus et ad ss. ordines promotus in dioecesi O. suspensus ab Episcopo ob defloration em cujusdam honestae puellae censuram violavit celebratione missae. Dein absolutione ac dispensatione obtenta, iterum pristinam perditam vitam ludis ac illicitis amicitiis indulgens cum duceret, divinique officii recitationem negligeret, rursus suspensus iterum censuram violare non dubitavit; cumque multoties pro absolutione et dispensatione ad S. H. O. recursum habuisset, semper preces ejus rejectae fuerunt, quod et die 9. Maji anni proxime praeteriti factum est, etsi testaretur Episcopus de poenitentia et constantis emendationis signis, ea tamen clausula apposita, ut post sex menses iterum recurrat commendatus ab Episcopo.

Octo jam elapsi sunt menses ab edita resolutione, redeunt hinc sacerdotis R. preces. Meum vero est, Episcopi literas ad S. O. sub die 8. Augusti elapsi anni in medium proferre: „Juxta relationem archipresbyteri curati Oratoris possum nuntiare, dictum R. publice et constanter poenitentiae signa dedisse, cum fuerit assiduus in servitio ecclesiae, et saepius ad s. eucharistiae sacramentum accesserit; propterea puto illum posse absolvi ad s. missae sacrificium celebrandum.“

Peractis spiritualibus exercitiis loco ac tempore Episcopi arbitrio definiendis, pro gratia absolutionis, dispensationis et rehabilitationis arbitrio et conscientia Episcopi, qui collocet sacerdotem R. sub directione et vigilantia idonei et probi sacerdotis illumque iterum suspendat, nisi vitam in omnibus vere sacerdotalem duxerit, facto verbo cum Sanctissimo.

107. Civitatis Castelli.

Die 13. Martii 1843.

De re cum nupta muliere habita ab illius viro deprehensus, de sollicitationibus nonnullarum tum nuptarum tum innuptarum suae paroeciae mulierum convictus et publici judicii sententia mense Augusti 1837 in carcerem detrusus et Episcopi decreto irregularis declaratus fuit sacerdos C. C., cujus preces pro rehabilitatione, etsi ab Episcopo commendatas, non solum quater rejecit S. H. O., verum constitutionem Gregorii XV. „Universi“, suam, S. Poenitentiariae ac Supremae Inquisitionis prae oculis praxim habens dimissionem paroeciae illico ei imposuit, quod reapse jamdudum factum est. Modo vero facti poenitens inopia pressus, triennio cum dimidio jam praeterlapso, quinto pro eadem gratia exorat C. C. Hinc Episcopus, qui ultroneam mense Octobr. proxime praeteriti ad Eminentissimum S. Congregationis Praefectum dedit epistolam, de more auditus ita se habet:

„Possum referre, praedictum sacerdotem revera egisse poenitentiam per tres annos cum dimidio, partim penes PP. Cappuccinos, partim penes parochos . . . ., ejus emendationem fuisse constantem, cum semper hoc tempore rectam vitae rationem duxerit. . . . Attenta autem ejus emendatione et miserabili statu . . . oro, ut rehabilitetur ad sacrum faciendum, ad animae suae juvamen et etiam ad sublevandam ejus paupertatem, quae maxime nunc aucta est morte sui patris.“

Peractis spiritualibus exercitiis loco ac tempore arbitrio Episcopi praefiniendis pro gratia absolutionis, dispensationis et rehabilitationis ad s. missae sacrificium arbitrio ejusdem Episcopi, excluso tamen loco patrati criminis nec non firma inhabilitate perpetua ad assequenda beneficia curata nec non ad sacramentales confessiones excipiendas, facto verbo cum Sanctissimo.

III. CASUS CONCURRENTIUM IMPEDIMENTORUM.

108. Cajetana. — Irregularitatis.

Die 14. Junii 1823.

Supplici oblato libello sacerdos Joseph N. absolutionem poscit a censuris, dispensationem ab irregularitate et rehabilitationem, eo quod milites, qui ad perditos homines, vulgo Briganti, capiendos vel profligandos proficiscebantur, sponte se adjunxit, atque duo ex illis interfecti fuerunt.

Requisitus Cajetanus Episcopus ita rem enarrat: „Orator, qui annos 38 aetatis habet, sectae Carbonariorum adscriptus erat atque ita in suspicionem venit se esse complicem homicidii ab aliis sociis commissi. Ut a longa judiciali inquisitione se liberaret, qua appareret ipsius innocentia, consilium ei datum fuit, ut a gubernio indultum peteret, obligatione assumpta, ut aliquid meritorium ageret in persecutione perditorum hominum („Briganti“). Id ei permissum est, et manui hominum armatorum aggregatus in discrimine cum latronibus igneam ballistam simul cum aliis explosit; et quamquam ex latronibus duo interfecti sunt, alii duo vulnerati, asserit tamen Orator ex modo quo arma direxit, a se neminem laesum aut occisum fuisse.

Nunc patet ipsum nullo modo complicem esse in homicidio a sociis commisso aut in expeditione militari. Propterea equidem ipsi suggessi, ut peteret absolutionem a censuris, quas incurrit; nam associationem ad sectam Carbonariorum et malam vitam satis luit per suspensionem et exercitia spiritualia et alias mortificationes. Censeo igitur, Oratorem ad ss. missae celebrationem habilitari posse, quia conversus esse videtur et malorum exemplorum poenas dedisse."

Sectae carbonariae se adscribens Orator in excommunicationem latae sententiae et Pontifici reservatam incidisse videtur. Quamquam enim lateat, an post solemnem Carbonariorum condemnationem, Idibus Septembris anni 1821 a Pontifice pronuntiatam, ejusmodi sectae nomen dederit, vel in eadem perseveraverit; attamen excommunicationi obnoxius probabiliter habendus est propter constitutiones Clem. XII., et Bened. XIV., quibus proscriptae et anathematis gladio percussae fuerunt societates „dei liberi muratori," seu „francs maçons." Nam his constitutionibus damnatam quoque sectam Carbonariorum satis innuit Summus Pontifex, inquiens in literis enunciatae proscriptionis, se graves poenas in Carbonariorum societatem decernere, praesertim cum Carbonarii passim contendant, se duabus illis Clem. XII., et Bened. XIV. constitutionibus non comprehendi, nec sententiis et poenis in illis latis subjici.

Irregularis quoque Orator ex triplici capite existimandus est. Si Orator in excommunicationem incidit, propterea quod inter Carbonarios fuit cooptatus, irregularis profecto evasit propter violationem censurae rebus divinis operam dando, cap. penult., et ult. de cleric. excom., siquidem credibile non est, perditum hominem a sacrificio celebrando, statim ac inter sectarios fuit recensitus, abstinuisse, praesertim ne concives in patrati criminis suspicionem adducerentur.

Deinde ubi praedicari coeptum est, Oratorem esse in numero Carbonariorum, ipsique praeterea tribui commissum homicidium, in irregularitatem incidit, si non ex infamia juris, at certe ex infamia facti procedentem. Ad hanc enim irregularitatem incurrendam satis habetur vulgata opinio de tali patrato crimine, propter quod bona delinquentis existimatio apud probos et honestos viros laeditur, licet infamia nec ab ipso jure expresse, nec per sententiam judicis irrogetur, Ferraris Biblioth. verb. Infamia num. 3., Reiffenst. lib. 5. decretal. tit. 27. §. 3. num. 53. Illos autem, qui sectae Carbonariorum adscribi non erubuerunt, et homicidii rei apud judicem insimulantur, infames esse dubitari nequit.

Tandem cum Orator, ipsius rogatu, inter milites fuerit adnumeratus, et armis instructus ad bellum adversus facinorosos homines fuerit profectus, in eosque ballistam igneam iteratis vicibus exploserit, irregularis evasit ex defectu lenitatis, quamvis moraliter certus sit neminem occidisse aut mutilasse. Nam etsi per solam militiae secularis adscriptionem irregularitas non incurratur, uti declaravit S. Congregatio in Laodicen. 30. Septembris 1648. apud Monacel. tom 4. supplem. ad tom. 2. num. 71, nihilominus qui militiae nomen dedit et inter armatas copias versatus est, non modo gravis culpae reus, quoniam a sacris canonibus clerici prohibentur propria manu pugnare: verum etiam irregularis dicendus est, licet ipse neminem occiderit, sed alii tantummodo milites interfecerint, juxta receptam ab hac S. Congregatione sententiam in Ipren. Irregularitatis 13. Januarii 1703., in Brigantien. Habilitationis 30. Martii 1805., in Forolivien. Di-

spensationis 17. Februarii 1816., et in Matelicen. Irregularitatis 3. Augusti ejusdem anni.

Patet hinc, quam longe dictus sacerdos aberraverit ab ea vitae integritate atque innocentia, quam clericis convenire ipsamet edocet naturalis ratio, et quam ab iisdem servari volunt sacri canones, et praecipit Apostolus. Criminibus autem par debetur poenitentia. At mortificationis opera et spiritualia exercitia ab Oratore peracta satis esse non videntur, praesertim ad delendum scandalum ab eo illatum sese adscribendo Carbonariorum sectae, cujus impietate etiamnum orbis ingemiscit. EE. VV. in Casertana diei 19. praeteriti Aprilis, inter supplices libellos proposita, impertiendam censuerunt absolutionem, dispensationem et rehabilitationem sacerdoti e Carbonariorum secta, et reo homicidii in sui tamen defensionem patrati; sed is extra dioecesim vitam agebat, et adhuc erat acturus, piacularem poenam persolverat, et indubia resipiscentiae signa exhibuerat, ac praeterea repulsam jam antea ab EE. VV. retulerat; haec vero desunt in Oratore.

Pro gratia quoad absolutionem a censuris: quoad dispensationem et rehabilitationem exspectet, et det majora signa poenitentiae et constantis emendationis.

Die 20. Novembris 1824.

. . . Redit nunc Orator, et etiam atque etiam efflagitat, ut sibi dispensationis et rehabilitationis gratia largiatur. Requisivi de more Episcopum, qui animi sui sensum ita aperuit: „S. Congregationem certiorem reddo, Oratorem in maxima penuria versari ob improvisam mortem patris et ob cessationem redituum, quae supervenit. Ipsi praeterea incumbit onus alendae familiae, quae ex novem hominibus constat, neque alia vivendi ratio ex industria vel labore eis suppetit. Ipse constanter bene se gessit, neque causam querelarum mihi ullam dedit, sed maxime emendatum se praebuit. Nec puto ex ejus rehabilitatione scandalum evenire posse in oppido, ubi unusquisque ejus et familiae necessitates novit et bonam ejus vitam. His positis censerem, Oratori facultatem concedi posse ad celebrandam s. missam.“

Sectae carbonariae sese adscripsit Orator, inter milites rogatu suo adnumeratus et inter eosdem est versatus; de patrato homicidio fuit diffamatus; ideoque multiplici ex capite irregularis evasit. Verum resipuit ac diuturnam poenitentiam egit; deque ipsius constanti emendatione testimonium perhibet Episcopus, qui praeterea rehabilitationem dicti Oratoris ad sacrum faciendum nemini scandalum allaturam asseverat. Cum itaque non de promovendo, sed de jam promoto agatur, dispensatio seu rehabilitatio concedenda videtur, Conc. Trid. sess. 14. cap 7 de reform., S. Congreg. in Calaritana Irregularitatis 19. Januar 1793.

Concurrit quoque paupertas Oratoris, qui una cum familia sua gravibus aerumnis ab Episcopo indicatis premitur; paupertatem vero miserta haec S. Congregatio pro dispensatione Sanctissimo consulendum non raro censuit, ut in Auximana Irregularitatis 27. Aug. 1789 (?).

Peractis spiritualibus exercitiis in loco et pro tempore arbitrio Episcopi pro gratia, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

109. Hortana.

Die 19. Novembris 1825.

Petrus Paulus Pace e terra Bassanelli, dioecesis Hortanae, cum ad praestandum patri auxilium macellarii et cauponis artem aliquamdiu exercuerit,

modo ecclesiasticae militiae nomen dare cupiens, dispensationem a quacumque contracta irregularitate suppliciter implorat.

Requisitus de more Episcopus, ac praesertim, ut referat de Oratoris aetate, vita, moribus, studiis, et dispositione ad statum ecclesiasticum, de ecclesiae necessitate et evidenti utilitate, et utrum sit periculum scandali in populo; sic animi sui sensum aperuit: „Orator multis abhinc annis, ut fertur, ad ecclesiasticum statum se proclivem esse ostendit, licet patris imperio tam in lanii, quam in cauponis officiis eidem frequenter auxilium praestare coactus fuerit. Tandem consentiente patre in hoc seminarium studiorum causa ab elapso Novembris mense se contulit; quem ego recepi, eo quod etsi lanionis et cauponis filium se dixerit, non tamen lanionis et cauponis officia una cum patre se exercuisse declaraverit. Revera, ut audio, bonis moribus praeditus est, adeo ut, si ad sacros ordines, cum tempus advenisset, promoveretur, nihil ob hoc, ut arbitror, concives ejus scandali paterentur. Ast Oratoris inscitia, etiam circa grammaticae rudimenta, quibus actualiter incumbit, nec non provecta ejus aetas annorum decem et octo, in qua ipse reperitur, cum ingenii hebetudine conjunctae, de ejus in scientiis profectu spem parvam praestare videntur; et consequenter eumdem parum ecclesiae profuturum promittunt."

Duplex in Oratore occurrit irregularitatis causa: tum quia viles ac sordidas artes macellarii et cauponis exercuit, Clement. I. ibique Glossa de vit., et honest. cleric., Ferrar. biblioth. verb. Irregularitas. art. 1. num. 12. in fin.; tum quia teste Episcopo adnumerandus est inter illiteratos, qui eodem, imo potiori jure, ac vitiati corpore, ab ecclesiastica militia, multoque magis ab ecclesiasticis dignitatibus arcentur, can. Illiteratos, dist. 36., Concil. Tolet. IV. can. 5. dist. 51., Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. de reform., Ferrar. loc. cit. num. 12. in princ. §. Ex defectu animae.

Dispensatio ab irregularitate ob sordidarum artium exercitium contracta non raro conceditur, si eadem ecclesiae necessitati consulatur, vel notabilis speretur ecclesiae utilitas. At nihil ab illiterato sperandum, donec in suo ignorantiae statu permaneat; ideoque absonum foret, ut detrimento ecclesiasticorum munerum dispensatio concederetur.

Pro nunc non expedire, et ad mentem. Mens est, quod Orator incumbat studiis, et Episcopus in casu novi recursus ipsum moneat, quod petita dispensatio eidem non concedetur, nisi domicilium transferat ad locum diversum a terra Bassanelli, in qua ejus pater macellarii et cauponis viles artes exercet: et haec notificentur praedicto Episcopo, et literae consignentur agenti.

Die 21. Julii 1827.

Postea simul atque iterum preces instauravit Orator ac literas commendatitias proprii Episcopi fidemque ludimagistri quoad profectum in addiscendo latino sermone exhibuit. Hinc rursus informationem ac votum Episcopi exquisivi eumque rogavi, ut referret, an Orator domicilium alio transtulisset. Ipse autem responsum dedit: „Non potuit Orator domicilium transferre a terra Bassanelli ad formam resolutionis S. Congregationis, nam utpote filiusfamilias caret ratione vivendi alibi et pater ejus, qui labore et industria sibi et familiae suae victum comparat, vix alimenta filio Oratori, in meo Hortano seminario studiorum causa jam a triennio degenti, praestare potuit, cum ipse sit pauper et, nisi pater ipse domicilium transferat, nequit

filius transferre. Pater tamen, ut videre est ex adnexa fide Confalonerii Bassanelli reliquit prorsus lanionis artem et in negotiis se exercet. Orator filius in dicto seminario bene se gessit et in studiis pro viribus proficit et enixe cum lacrimis optat momentum ingrediendi in militiam ecclesiasticam. Hisce stantibus, cum Orator rarissime, non ex electione, sed invito animo et ut patri obtemperaret, transactis annis actum aliquem potius quam lanionis artem exercuerit, non abs re foret, ut mihi videtur, petitam gratiam posse concedi.

Pro gratia dispensationis ab irregularitate arbitrio Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

110. Adjacen. et Interamnen.

Die 16. Januarii 1841.

Fabianus Leoni, egrediens e suae nativitatis oppido S. Reparatae nuncupato dioecesis Adjacensis vergente anno 1833, Romam se contulit, ibi aliquantulum moratus Tibur petiit initio anni 1834. Die 15. Martii obtinuit ab illius civitatis Episcopo, ut prima clericali tonsura initiaretur necnon eveheretur ad ostiariatum et lectoratum, vigore literarum, quas Fabiano concessit sede vacante vicarius capitularis Adjacensis, in quibus haec habentur: „Dilecto Nobis in Christo Fabiano Leoni vulgo dicti loci S. Reparatae hujus dioecesis Adjacensis, in habitu clericali et in aetate triginta annorum completorum constituto, morum probitate ornato, aliisque a jure requisitis praedito salutem in Domino. Postulationibus precibusque tuis benigne annuentes tenore praesentium Nos Te a clero hujus Nostrae dioecesis Adjacensis separamus atque, ut ita dicam, excorporamus, nullum super Te jus retinentes, ac simul plene permittimus, ut in clerum cujuscumque dioecesis Italiae pro libitu admitti, adscribi, incorporari atque omnes ordines tam minores quam sacros recipere possis et valeas . . . .“ Datum Adjacii die 29. Julii 1833. Paulo post Romam revertitur, deinde Pisas adiit ac tandem in civitate Interamnensi conquievit ibique domicilium fixit. Interim a Tiburtino Episcopo literas dimissoriales obtinuit, quae sic se habent: „Universis et singulis praesentes inspecturis notum facimus atque testamur, licet Fabianus Leoni loci S. Reparatae Adjacensis dioecesis in Corsica dimissus a jurisdictione proprii Ordinarii per Nos ad minores ostiariatus et lectoratus ordines fuerit promotus, attamen nullam in eum jurisdictionem nos habere vel retinere declaramus, ideoque ipsi licuisse et licere Romae vel ubique ad sui libitum moram trahere et cuique alteri jurisdictioni sese subjicere, testamur insuper, eumdem dominum Fabianum Leoni tempore, quo hic permansit, sese bene gessisse, ac suae pietatis, probitatis, bonorumque morum specimen semper praebuisse.“

Hisce literis fretus Fabianus Episcopum Interamnensem enixe exoravit, ut se in clerum Interamnensis dioecesis adscriberet, et promovere dignaretur ad duos alios minores ordines ac ad caeteros majores oblato ordinationis titulo vel proprio patrimonio annui reditus 200 libellarum Galliarum nempe, scut. 36 obol. 80 legaliter jam constituto, vel titulo capellaniae a patrono Paulo Monti Duranti sibi collatae. Episcopus Interamnensis Fabiani precibus annuendum minime censuit timens, ne sibi facultas desit ob insufficientiam literarum dimissorialium vicarii capitularis Adjacensis ac Fabiano suasit, ut huic S. O. supplicem offerret libellum ad hanc facultatem sibi rite tradendam.

Illico Episcopo morem gerens Fabianus EE. VV. rogat, ut eidem Episcopo Interamnensi necessarias conferre dignentur facultates, quibus concessis ac omni animi anxietate depulsa, ab eodem Episcopo ad caeteros ordines

promoveri tandem valeat. Interrogavi de more Episcopos Tiburtinum et Interamnensem. Primus enarratis discessu Oratoris a propria dioecesi cum literis testimonialibus vicarii capitularis Adjacensis, ac accessu ad Tiburtinam dioecesim, tandem sic concludit: „Expertus bonam juvenis indolem, honestatem vitae, modestiam et dispositionis clara indicia ad statum ecclesiasticum, votis annuere judicavi, ut adjumentum spirituale meae dioecesi praeberem. Quare cum meo clero et dioecesi eum aggregassem, in generali ordinatione habita die 15. Martii 1834 prima eum clericali tonsura insignivi, et ad duos primos minores ordines promovi. Cum autem deinde discessum a me efflagitaverit, asserens, Eminentissimum ac Reverendissimum Cardinalem Odescalchi velle ipsum ad ordines incunctanter promovere, quo amplissimis formulis elargito documenta etiam, quae in mea cancellaria deposuerat, petiit et obtinuit. . . . Eo temporis intervallo, quo in hac moratus est civitate, vitam ad Ecclesiae canones accommodatam sine offendiculo duxit, maximam ostendens dispositionem ad statum ecclesiasticum.“

Episcopus vero Interamnensis inter caetera haec habet: „Demum praedicto mense Decembri 1835 ad hanc civitatem Interamnensem se contulit, ac penes Dominicum Mariani, unum ex pharmacopolis ipsiusmet civitatis, qui pariter in insula Corsica suum natalem duxit, receptus est; statimque apud me institit, ut in clerum hujus meae dioecesis ipsum adnumerarem, ut inde ad ceteros ordines tam minores quam majores ipsum promovere possem. . . . . Minime vero ejus precibus annuendum duxi; ipsique clerico suasi rem ad istam S. C. C. esse deferendam.“ Deinde enarrat, se ratione beneficii non posse Fabianum promovere, quia ejus annui fructus non adaequant taxam synodalem, „quae in mea dioecesi (sunt verba Episcopi) in scutis 36 statuta est, et quia nominatio ad illud beneficium dubii juris est, dum alter ex patronis apposuit „Nihil transeat“. Tandem sic concludit: „Haec omnia a me referenda erant ad hoc, ut EE. VV. nihil lateret. Quidquid vero decernendum sit, sapientissimo EE. PP. judicio relinquendum duxi. Mihi vero ab EE. VV. quaerendum est, utrum in vim separationis, quam Orator a vicario capitulari Adjacensi Ordinario suo sub die 29. Julii 1833 obtinuit, cujus literas testimoniales mihi exhibuit. . . . quaerendum, inquam, mihi est, an praedictus clericus possit a me promoveri ad reliquos duos ordines minores ac etiam ratione beneficii, quatenus hoc provisus fuerit in mea dioecesi, sive titulo patrimonii sacri sibi constituendi sive in toto sive in parte, seu in supplemento a quavis persona hujus meae dioecesis, quatenus admitti nequeat illud constitutum sibi in dioecesi Adjacensi ab ejus matre. . . . Statim scribendum duxi novo Adjacensi Episcopo, qui sic respondit: „Viso et lecto rescripto S. Congregationis, auditis vicario foraneo nostro et parocho Oratoris: fidem facimus atque testamur clericum Fabianum Leoni nostrae dioecesis, natum ex legitimo matrimonio die 21. Septembris 1797 usque ad ejus discessum a dioecesi bonis moribus ac vita exemplari ornatum fuisse, nec non dispositionem ad statum ecclesiasticum praebuisse, ita ut spes effulgeat, ipsum optimum ministrum Ecclesiae evasurum. Testamur pariter, vicarium capitularem potuisse eidem concedere literas excorporationis a dioecesi, itemque ejus matrem viduam constituisse dicto clerico filio suo 4000 librarum patrimonium in bonis stabilibus, cujus reditus annuus ascendit ad valorem 200 librarum, nempe ad scutata 136 et obol. 80.“

Episcopus utatur jure suo tam pro adscribendo clerico Fabiano Leoni in clerum Interamnensem, quam pro admittendo patrimonio sacro in titulum s. ordinationis ad formam ss. canonum et constitutionis

s. m. Innocentii XII. „Speculatores", emisso tamen prius per eumdem Leoni juramento de animo fideliter permanendi in eadem dioecesi Interamnensi.

111. Seguntina seu Mimaten.

Die 11. Martii 1843.

Secundus M. . . . dioecesis Seguntinae annos 29 natus, prius alumnus ac s. theologiae studens apud regiam Bibilitanam domum, postea miles et dux militum sub Carolo V., hodie vero a tribus annis a patria exsul et in seminario Mimatensi theologiae morali ac dogmaticae operam navans expostulat, ut, cum dioecesis Seguntina suo viduata legitimo pastore exstet, ab Episcopo Mimatensi vel de ejus licentia a quocunque alio catholico Antistite primam clericalem tonsuram ordinesque suscipere possit absque literis dimissorialibus; deprecatur insuper pro dispensatione super defectu lenitatis et ut promoveri possit absque s. ordinationis titulo, non servatis interstitiis et extra tempora a jure statuta. Ex Mimatensis Episcopi relatione eruitur incertum esse, an Orator aliquem occiderit vel mutilaverit, profectum in scientiis omniaque requisita ad formam ss. canonum et S. Concilii Trid. in eo concurrere una cum ecclesiae utilitate et certam esse spem assequendi quamcitius patrimonialem titulum.

Peractis prius spiritualibus exercitiis loco ac tempore arbitrio Episcopi Mimatensis praefiniendis pro gratia dispensationis super defectu lenitatis et habilitationis ad ordines sive minores sive sacros usque ad presbyteratum inclusive, donec Orator doceat coram eodem Episcopo de congruo ordinationis titulo, idoneitate quoad scientiam, nullo alio canonico impedimento se devinci ac omnia in ipso requisita concurrere, ad formam ss. canonum et S. Concilii Trid. nec non pro facultate suscipiendi tam primam tonsuram, quam ordines sive minores sive sacros absque dimissorialibus et testimonialibus literis proprii Ordinarii originis ab eodem Episcopo Mimatensi vel de ejus licentia a quocunque catholico Antistite gratiam et communionem S. Sedis habente etiam extra tempora a jure statuta et non servatis interstitiis, dominicis tamen seu aliis festis diebus de praecepto non quidem continuis, sed aliquo semper temporis spatio interpolatis juxta formam;) facto verbo cum Sanctissimo.*

112. Anglonen. et Tursien.

Die 23. Septembris 1844.

Subdiaconus L. anno 1836 falsis dimissorialibus literis vicarii capitularis per saltum et absque legitima aetate ad presbyteratus ordinem promotus suppliciter imploravit absolutionem a censuris, dispensationem ab irregularitate et rehabilitationem. Precibus a. S. Poenitentiaria ad S. Congregationem remissis, rogatus primum fuit Episcopus originis Anglonen. et Tursien., qui retulit: „Dictus L. ortum habuit sub die 22. Augusti 1815 et ab anno 1837 se recte gessit quoad vitam moresque, et vacante hac episcopali sede literis dimissorialibus, quas asserit se a quodam familiari vicarii capitularis absque fraude accepisse, usus est; ex adverso vicarius capitularis nunquam se eas de

*) *Scilicet, juxta formam clausulae solitae, cum qua conceduntur facultates habendi ordinationes extra tempora a jure statuta.*

disse aut subscripsisse affirmat. L. a Cassiodoro Margarita, Gravinae et Montis Pilosi Episcopo, in sabbato quatuor temporum die 25. Septembris 1836 omisso diaconatus ordine ad illum presbyteratus fuit promotus. Quoad vero poenitentiam peractam per mensem spiritualibus exercitiis vacavit in coenobio Minorum Observantium S. Mariae.' Denique concludit Episcopus: „Affirmamus et censemus scandalum abesse ab Oratoris absolutione et rehabilitatione."

Rogatus tunc Episcopus Gravinensis et Montis Pilosi easdem ferme facti circumstantias retulit haec adjiciens: „Sunt Oratoris excusationes futiles, imo temerariae, se non literas dimissoriales integre legisse, caeremoniarum ordinationis sacerdotii cognitorem se non esse, et errorem in bona fide commissum esse. E contrario dicendum est, illum cum mala fide, cum fictitiis literis dimissorialibus ad s. presbyteratus ordinationem se exhibuisse facinusque sacrilegum e consulto et malitiose perfecisse." Quapropter die 5. Maji 1841 rescriptum fuit: „Orator det vera signa poenitentiae et constantis emendationis."

Paucis mensibus elapsis denuo supplicat Orator, seque hujus S. Ordinis decreto obtemperasse demonstravit literis testimonialibus vicarii generalis et deinceps vicarii capitularis, ex quibus eruitur, eum per tres menses sua sponte spiritualia exercitia in quodam coenobio fecisse, et alia poenitentiae ac constantis emendationis vera indicia praestitisse.

Verum vacante sede episcopali mandatum fuit, ut novus exspectaretur Episcopus, qui, ubi ad residentiam pervenit, eumdem S. Ordinem certiorem reddidit de Oratoris poenitentia et emendatione, deque bonis ejus moribus ac fama, quoadusque tamen in patria moram duxit, (nam Neapolim accessit), et suum denique sic aperuit animum: „Habita ratione longitudinis temporis, quo fuit ordinatus, S. Congregatio, si ei expediens videbitur, ex benignitate poterit eumdem rehabilitare."

Interim Orator Neapolim se contulit; hinc etiam vicarius capitularis Neapolitanus de Oratoris vita rogatus, refert, exhibitum esse a subdiacono L. memoriale vicario generali sub die 29 Sept. 1843 cum approbatione ipsius vicarii, praeterea adesse scriptum quoddam a rectore hospitii pauperum traditum et a parocho illius regionis subscriptum. Interrogatus ab eodem vicario capitulari rector dicti hospitii inter cetera haec respondit: „Postquam L. a superiore hospitii missus est ad servitium unius camerae, scitum est eum esse subdiaconum et procuravi, ut servitio sacristiae capellae addiceretur; et ejus vitae ratio fuit semper bene ordinata et commendabilis. . . ." Exhibet etiam laudabile testimonium Prioris hospitii S. Gallae, in quo a trimestri et ultra moratur, ex quibus confirmatur, Oratorem de bono nomine semper fuisse sollicitum.

Peractis spiritualibus exercitiis loco ac tempore ab Episcopo praefiniendis consulendum Sanctissimo pro gratia absolutionis a censuris aliisque poenis incursis, dispensationis et rehabilitationis ab irregularitate quomodolibet contracta, arbitrio et conscientiae Episcopi, qui constito prius sibi de sufficienti Oratoris scientia secreto etiam extra tempora a jure statuta, dominico tamen die, suppleat praetermissum s. diaconatus ordinem.

113. Remen. — Dispensationis et absolutionis.

Die 29. Januarii 1848.

Joannes Franciscus N. dioecesis Remensis, filius illegitimus, post emensa studia militiae nomen dedit et in Africam profectus plures Mahumetanos initis praeliis occidit aut vulneravit. Praeterea rixis inter commilitones exortis semel et iterum pugnavit in duello sociosque vulneravit, quin tamen ullum eorum occiderit. Jam in patriam redux militiae clericali adscribi cupiens, dispensationem ab irregularitatibus, quibus irretitur, humiliter petit, quatenus ad primam tonsuram et postea ad ordines tam minores quam majores promoveri licite possit. Rogatus Archiepiscopus, ut referret de Oratoris aetate, qualitate illegitimitatis, de tempore elapso a patratis criminibus, de constanti emendatione, et an sit periculum scandali ex ejus promotione, ita respondit: „Praefatus Joannes Franciscus ortus est extra matrimonium, sed statim post nativitatem matre orbatus fuit et a patre susceptus et educatus, ita ut defectus nativitatis vix sit notus. . . . Ignarus autem gravitatis talis sceleris (duelli) et poenarum ab Ecclesia latarum tantum facinus patravit. Cum hoc ageret, juvenilis aetatis erat, vix agens 24. annum. Hodie ad trigesimum pervenit, gravitate morum et animi maturitate non vulgari praeditus est. Ideo speramus ipsum fieri sacerdotem pium, prudentem et fratrum saluti cum vera utilitate laborantem.“ Iterum requisitus Archiepiscopus, ut ulterius referret, praesertim an sit periculum scandali ex Oratoris promotione et an duellum in dioecesi ignoretur, praedictis nihil aliud addidit, quam quod scandalum non sit timendum. Orator igitur triplici ex capite irregularis est; imprimis irregularis est ex defectu natalium, cum sit illegitimus, ex cap. 1. de filiis presb. Praeterea irregularis est ex defectu lenitatis, cum talis fiat, quisquis saeculari militiae nomen dedit, armatus bello interfuit, stipendium accepit, expeditionibus militaribus sese sociavit, etiamsi nec occiderit nec mutilaverit. Ita Monacell. Formul. legal. tom. 2. tit. 13. form. 3. n. 37; Schmalzgrueber tit. 12., lib. 5. decret. n. 136; Matthaeucci de offic. cur. cap. 35. in §. Irregularitas n. 37 et Sacra Congreg. in Ipren. 13. Jan. 1703, in Salisburgen. 14. Mart. 1689 ad 1. dub. et in Mantuana Irregularit. 11. Maji 1709 ad 1. dub. Si autem ex hoc capite irregularis non foret Orator, quia non clericus, de quo solo praefata loca loquuntur, militiam secutus est, sed laicus, irregularitatem tamen contraxisse censendus est, quia in bello licet justo plures occidit vel mutilavit, praesertim cum non constet, utrum bellum illud fuerit defensivum et utrum coactus militiae adscriptus fuerit, quibus solis in casibus secundum plures auctores ab irregularitate excusari potuisset, Reiffenstuel in lib. 5. decret. tit. 12 de hom. §. 12.; Schmalzgrueber in lib. 5. decret. tom. 5. p. 2. tit. 12. n. 28. et sequ.; Matthaeucci loc. cit n. 31. Quod locum habet, etsi agatur de bello pro catholicae fidei defensione, ut resolvit S. C. in Zagabrien. 17. Nov. 1685 ad 1. dub.

Irregularis tandem est ex delicto. Etenim semel et iterum in duello pugnans adversarios vulneravit; ad irregularitatem tamen ex hoc capite incurrendam necesse est, ut mutilatio sequatur; auctores enim de occidentibus vel mutilantibus tantum loquuntur, ut Reiffenstuel et Schmalzgrueber in loc. proxime cit. Neque solum dispensatione indigebit propter irregularitatem, sed etiam propter infamiam perpetuam huic crimini jure adnexam et insuper absolutione ab excommunicatione, quam ipso facto duellando incurrit ex Conc. Trid. c. 19 sess. 25 de ref., quam dispositionem confirmavit Gregorius XIII. in constit. „Ad tollendum“ et ampliavit Clemens VIII. in

constit. „Illius vices“, et passim tradunt auctores, ut Barbosa in Conc. Trid. l. cit. p. 19 et in cap. 1. de cler. pugn. in duello tit. 14 l. 5 decret. n. 2 et 3; Schmalzgrueber l. cit. tit. 14 n. 33; Thesaurus de poenis eccl. p. 2 cap. 3 de duello p. 167 edit. Romana anni 1760. Haec autem excommunicatio, quae antea poterat ab Episcopis absolvi, Romano Pontifici reservata est per constit. „Detestabilem“ clar. mem. Bened. XIV., in qua omnes poenas antea comminatas confirmat, uti observat Giraldi ad Thesaurum de poenis eccl. l. cit. p. 168 et in c. 5 pag. 169 et seqq. Quoad natalium defectum saepe saepius conceditur dispensatio, dummodo ex damnato aut sacrilego coitu ortum non habuerit illegitimus, quibus in casibus difficilior redditur dispensatio ob criminis parentum gravitatem. Hoc probat frequens S. Congregationis praxis et testatur Corradi in praxi disp. Apost. l. 3. c. 1. In casu autem eo magis dispensationem mereri videtur Orator, quo probabilior fuisset secuturum matrimonium inter parentes suos, nisi mater post partum illico occubuisset; in illa vero hypothesi nulla superfuisset irregularitas, uti omnes doctores conveniunt, quia per subsequens matrimonium proles legitimatur quoad omnes effectus, ubi haec fuerit concepta inter solutos nulloque canonico impedimento ligatos, prout in themate evenisse videtur, quamvis non liquido ex Archiepiscopi relatione constet. Praeterea et alia adest circumstantia dispensationi favorabilis, quod scilicet natalium defectus vix sit notus; ex quo fit, ut admiratio et scandalum arceatur.

Ex defectu lenitatis etiam non infrequentia reperiuntur similium dispensationum exempla. Nec solum ubi agitur de jam promoto, ut in Salisburgen. 14. Mart. 1689 ad 2. dub. et in Zagabrien. 17. Nov. 1685 ad 2. dub., sed etiam de promovendo in Ipren. 13. Jan. 1703, in qua dispensatus fuit quidam diaconus ob militiam secutam, ut posset ad presbyteratum ascendere; in Mantuana 11. Maji 1709 ad 2. dub., in qua agebatur de simplici clerico et in Lemovicen. 8. Augusti 1789, ubi clericus, qui ad vim repellendam commilitonem transfosserat, licet in congregatione 9. Aug. 1788 fuerit rejectus, postea tamen Episcopo suffragante dispensationem obtinuit. Unum tamen requiri videtur ab hoc. S. Ordine ad dispensationem concedendam in similibus casibus, necessitas scilicet ac utilitas Ecclesiae, qua sola comprobata S. Congr. ab hujusmodi irregularitate dispensavit, ut videre est apud Gamberini in Apuana n. 7. et 8. Haec autem necessitas atque utilitas in casu non deesse videtur tum ex valida Episcopi commendatione, tum etiam ex natura et conditione dioecesium Galliarum, quae, dum latissime protenduntur, ministrorum inopia laborant.

Difficilior autem videtur dispensatio ab irregularitate ex delicto. Agitur enim de duello, quod quam maxime detestati sunt Romani Pontifices et Sacrosancta Synodus Tridentina ob maximam criminis gravitatem, cui praeter excommunicationem perpetuam infamiae notam adnexerunt. Quoad irregularitatem tamen distinguendum probe est: aut enim in duello praeter vulnera mutilatio secuta est, aut solum vulneravit Orator; priori enim in casu, cum agatur de injusta mutilatione, quae homicidio voluntario aequiparatur ex can. Si quis abscidit 4. dist. 55 certum est apud omnes, irregularitatem fuisse contractam, secus autem in altero, quia haec nullibi in jure praeterquam pro clericis reperitur expressa; Orator autem erat simplex laicus. Animadvertendum tamen est homicidium et mutilationem aequiparari quidem in jure quoad irregularitatem contrahendam, haud vero quoad poenae gravitatem et dispensationem, uti cum pluribus aliis docet Schmalzgrueber l. cit. tit. 22. n. 257 seqq.

Praeterea culpae gravitatem minuere videntur ea, quae refert Remensium Archiepiscopus, quod scilicet Orator adhuc juvenis et secutus valde dolendam opinionem, qua reguntur miserrime milites illius regionis pro vindicandis privatis injuriis, duellum suscepit ignorans gravitatem criminis et poenas ab Ecclesia latas. Observandum etiam est ex relatis ab Archiepiscopo non constare de vera mutilatione, sed Orator tantummodo vulnerasse adversarios dicitur: in dubio tamen concedenda videtur dispensatio saltem ad cautelam.

Quod ubi probaverint EE. VV., sequitur, ut et infamia ab Oratore per dispensationem tollatur et absolutio ab excommunicatione concedatur. Hoc autem suadere videtur et tempus sexennii a patrato crimine elapsum et morum gravitas animique non vulgaris maturitas in Oratore concurrentes ex Archiepiscopi attestatione, quibus fit, ut infamia jam sublata censeri debeat, et proinde scandalum non sit timendum in loco saltem, ubi Oratoris promotio sequeretur. Maximi insuper faciendum videtur ipsius Archiepiscopi judicium, qui pro illius dispensatione vehementer efflagitat confidens, ipsum fore sacerdotem pium, prudentem et fratrum saluti cum vera utilitate laborantem.

Non expedire.

114. Albaregalen. — Dispensationis et rehabilitationis.

Die 25. Januarii 1851.

Vicarius capitularis Albaregalensis in Hungaria supplices transmisit trium presbyterorum suae dioecesis libellos, quibus dispensationem ab irregularitate ex defectu lenitatis contracta, et habilitationem ad divina iterum peragenda mysteria singuli deprecabantur, obtenta jam per S Poenitentiariam a censuris absolutione. Ignatius siquidem Lenzser, Sigismundus Daniss, et Antonius Kokaly in defectione Hungarica anni 1848 et motibus intestinis illius regni, cum insurgentibus admixti militari cingulo praecincti ensem perstrinxerunt. Non una tamen hisce tribus mens fuit, neque unicus finis. Primus enim, Ignatius Lenzser, qui capellanus erat et cooperator loci Csakvar, ineuntibus regni motibus mense Novembris anni 1848, relicto loco et officio, se perduellibus armatis adjunxit, et per decem fere menses pluribus interfuit proeliis, ense tantummodo ad instar officialium usus, et quamvis lateat utrum aliquem reapse occiderit, sibi tamen animum occidendi non defuisse profitetur.

Reliqui autem duo, Antonius Kokaly et Sigismundus Daniss, ambo coadjutores, primus loci Parmand, alter loci De Kaloz, relicto superioribus insciis officio, arreptaque fuga, ad Comaromiense fortalitium, in perduellium potestate constitutum, sese receperunt, non quidem animo militandi ac arma tractandi, sed metu potius compulsi consilio salvandi vitam, ceu ipsimet affirmarunt. In hac arce conclusi, ut ad victum haberent necessaria (erat enim fortalitium ab imperiali exercitu obsidione circumdatum) oportuit, ut ense se praecingerent et officialium munere fungerentur, scilicet in cura victualium occupati, vel ad aliud internum custodiae officium addicti. Elapsis quadraginta circiter diebus, fortalitium, facta deditione, in legitimam caesarearum copiarum potestatem redditum est; ex quo, nulla interjecta mora, ambo praefati presbyteri, quin unquam nec cum hostibus fuerint congressi, neque animum habuerint pugnandi, relictis armis, ad Ordinarii pedes convolarunt, facti veniam implorantes.

Hisce praenotatis de diversa intentione horum presbyterorum in defectionis aestu delinquentium, majus profecto conspicitur crimen Ignatii Lenzser,

qui diuturno decem mensium intervallo militiam inter perduelles ex pravo animo pugnandi et occidendi per acies et castra secutus est, quam aliorum duorum, Sigismundi nimirum Daniss et Antonii Kokaly, qui metu potius quam prava voluntate deliquerunt, et in arcem Comaromiensem tuendae vitae amore confugerunt, ex sola ensis gestatione ac servitia quaedam perduellibus reddendo defecerunt; licet neque hi fortassis a perduellionis labe puri prorsus habendi sint, cum praeter facta superius enarrata contra legitimam auctoritatem utut materialiter perpetrata, dicta quoque et verba non defuerint, a Sigismundo Daniss praesertim, in populi commotionibus prolata, turbas et concitationem importantia. Ex quibus factum est, ut tres memorati presbyteri irregularitatem non modo ex admissis factis contraxerint, sed etiam publice et per judicis sententiam uti irregulares fuerint solemniter declarati.

Post haec autem, cum per novem circiter menses severiori disciplinae et poenitentiae subjecti, erroris et criminis admissi eos quam maxime poeniteret, et ex testimonio virorum probatorum egregia sincerae conversionis et emendationis specimina praebuissent, mense Junii superioris anni vicarius capitularis, sede episcopali vacante, tum inspecta illorum dispositione, tum etiam habita ratione ad magnam presbyterorum penuriam, qua dioecesis illa laborat, eorumdem preces enixe commendavit. Priusquam tamen aliquid in re tanti momenti decerneretur, eumdem vicarium capitularem sum per literas percontatus, num Oratores sese cum fisco composuerint, ita ut non esset amplius pertimescendum, ne contra eosdem ex parte gubernii procederetur, et an periculum subesset scandali in populo ex eorum rehabilitatione.

Acceptis hisce literis, quoad primam partem fisci opinionem ab auditore judicii militaris sciscitatus est vicarius capitularis, quoad alteram vero partem consilio usus est assessorum consistorialium. Ex auditoris praefati responso patet, ob querelarum defectum nullam fieri contra Oratores inquisitionem, sed valde suspectos haberi ex eorum desertione ab officio capellanorum et receptione in fortalitium Comaromiense, quo foedissima conjuratorum turba convenerat; ideoque ad curae animarum exercitium haud esse illos iterum assumendos opinatur. Consistoriale vero consilium, quamvis cum fisci opinione consentiat, cum tamen Oratores delicta sua sponte agnoscentes jam per integrum annum ab omni functione sacerdotali suspensi, sub toto isthoc tempore poenitentiae disciplinari subjecti, emendationis ac vocationis sacerdotalis manifesta praebuerint indicia, ex eo ita ratiocinatur per futuram eorum, post benignam absolutionem ab irregularitate, reapplicationem nullum in populo enascendum scandalum metuendum esse. Et vicarius ipse capitularis „sumptis in condignam reflexionem poenitentiae, quam diuturniori tempore filiali in providentiam divinam resignatione agunt, signis sensisque populi Albaregalensis, qui castigationes ab Oratoribus patienter toleratas videndo fragilitati humanae ex animo condolet, sortemque eorumdem teniorem anhele exoptat“ tam cum fisci auditore, quam cum assessoribus consistorialibus plenissime consentit, literasque suas in ea verba concludit: „Coram S. Congregatione hisce denuo ipse quoque demississime supplico, quatenus Oratores mentionatos gratiose voti damnare non dedignetur.“

Duplici ex capite irregulares evaserunt presbyteri, de quibus occurrit mentio, ex facto nimirum hostilis tractationis armorum, et ex crimine perduellionis, unde juris factique infamiam contraxerunt, praesertim cum judicialis ac solemnis declaratio irregularitatis accesserit. Et quamvis gravissimi auctores doceant clericos non fieri reos perduellionis proprie dictae, si arma sumpserint contra principem temporalem, quia clerici non sunt subditi principis temporalis, sed solummodo proditionis, teste Ameno de delict. et

poen. tit. 2 §. 6 num. 47. Thesauro de poen. eccles. part. 2. cap. 1 de crim. laes. majest. n. 3. et Pignatell. consult. eccl. 124 numer. 2. et seqq. tom. 1. certum est tamen apud omnes ex hoc etiam capite vel clericos infamiam et irregularitatem contrahere.

Hujusmodi vero crimen si ita semper fuit per leges abominatum, ut etiam affectus pro effectu puniatur tam de jure quam de consuetudine, ceu monet Ameno loc. cit. num. 45. hisce praesertim temporibus majori videtur dignum animadversione, quando prava et vesana malorum hominum voluntas illius gravitatem attenuare, imo criminis quoque qualitatem, ut ita dicam, excludere conantur, omnemque subjectionem et auctoritatem respective funditus, si fieri posset, convellere iniqua machinatione commoliuntur.

S. autem Congregatio hujusce generis facinora perpetuo est detestata, et nonnisi post diuturnam poenitentiam, sinceram et constantem emendationem cum ecclesiae utilitate ac necessitate conjunctam, ac remoto scandali periculo delinquentes ac irregulares hujusmodi ad sacrosancta altaris mysteria atque ad muneris sacerdotalis exercitium restituere suevit. Semper vero Episcopi sententiam ac votum plurimi fecit, ac in Tarnovien. Dispensat. et habilit. proposita per summaria precum die 10. Junii 1848. alios duos presbyteros pari laesae majestatis crimine notatos ac insuper per sententiam degradatos, etiam quoad curam animarum restituere decrevit, quia Episcopus preces pro illis exhibebat ac presbyterorum defectum adducebat.

Non secus hodie vicarius capitularis Albaregalensis supplex adest pro tribus enunciatis presbyteris, quorum duo postremi praesertim, scilicet Sigismundus Daniss et Antonius Kokaly, attentis peculiaribus facti adjunctis superius expositis, benigniorem merentur S. Ordinis indulgentiam prae altero, Ignatio videlicet Lenzser: eoque magis quia diuturnam egerunt poenitentiam, et de constanti illorum emendatione ac remoto penitus scandalo, de populi commiseratione erga illos testatur Ordinarius; cui proinde facultas concedi posse videretur eosdem dispensandi et habilitandi, non tamen ad curam animarum, constito de illorum sincera emendatione et evidenti ecclesiae utilitate. Nisi tamen placeat gratiam expetitam diutius protrahere quoad Ignatium Lenzser ea de causa, ut qui magis deliquit majori poena plectatur; quo casu prudenti judicio Ordinarii, attenta locorum distantia, gratia rehabilitationis posset committi, postquam diuturniora dederit emendationis signa in determinatum vel indefinitum tempus protrahenda.

Quoad Ignatium Lenzser dilata et det diuturniora signa poenitentiae; quoad ceteros consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis et rehabilitationis ad sacrificium missae tantum, peractis spiritualibus exercitiis loco ac tempore arbitrio vicarii capitularis Albaregalen. praefiniendis arbitrio et conscientia ejusdem vicarii capitularis.

IV. DE DISCIPLINA CLERI.

1. De residentia in dioecesi.

115. Marsorum.

Die 7. Septembris 1833.

Nicolaus Sanctarellius sacerdos pagi Cappadociae in dioecesi Marsorum ex Episcopi permissu primum ad sex menses collato, prorogato deinceps ad aliud tempus secessit jam inde ab anno 1828 in domum presbyterorum saecularium, qui sacris missionibus addicti a pretioso Christi sanguine nuncupantur.

Sacris hisce muneribus studiose incumbens Sanctarellius, evocatus licet ab Episcopo, semper tamen divinam causatus ad ministerium verbi vocationem, viris pietate, doctrina, ac prudentia commendatis in consilium accitis, renuit in dioecesim regredi, ubi nullo ecclesiastico beneficio arctabatur, ut in vocatione, in quam se certe a Deo vocatum contendit, posset permanere. Preces adversus illum Pio VIII. Pontifici detulit Episcopus, necessitatem portendens illius loci, ubi duo vel tres tantum exstant sacerdotes, immo ex duobus parochis alter tunc temporis desiderabatur. Eminentissimus Sala jussu Pontificis amice ad Episcopum scripsit, auditis directore coetus, Sanctarellio, et altero Cappadociae presbytero, qui pariter cum voto in aegrotatione emisso sacris se expeditionibus devovisset, in eumdem coetum convolaverat. Plura quidem scitissime de re disseruit Eminentissimus Sala, qui tunc temporis secretarium H. S. O. agebat, neque difficultatem praeterivit, quae ex admissione in hominum ecclesiasticorum familiam objici poterat.

Frustra tamen in eam rem scripsit Episcopo instanter pro reditu Sanctarellii postulante. Siluit interim controversia, donec anno superiori Episcopus querelas ingeminavit, quas hesterna etiam die novis ad Eminentissimum Praefectum literis repetit: „. . . . etiam ne longius audiam justas illius populi querelas, qui in magna necessitate positus privatus est officio duorum sacerdotum indigenorum, nam praeter Sanctarellium etiam sacerdos Romani missionarius est. Moderator quidem pii coetus se Sanctarellio discedendi pro lubitu facultatem fecisse testatur, ipse vero haud sibi fas esse arbitratus est compellendi etiam praecipiendique media adhibere, ne sibi culpae irrogetur, si quid detrimenti vel discriminis aeterna Sanctarellii salus patiatur. Id et Sanctarellius inclamat; non enim ad beneficia ditiora captanda, non ut quiete torpeat ac otio, non ut deliciis indulgeat, a patria se abesse, sed ut divinae vocationi obtemperet.

Non esse molestandum sacerdotem Nicolaum Sanctarellium, donec in coetu, de quo in precibus, perseveraverit.

116. Nolana.

Die 13. Januarii 1844.

Exponit Sacerdos M. C. vulgo Magliano et Pignano Nolanae dioecesis ad herpesticum, quo laborabat, morbum effugiendum, cum medicae artis frustra implorasset operam, se Neapolim contulisse ibique ob aeris temperiem nullo adhibito pharmaco pristinam valetudinem nactum esse. Ea propter Nolano Episcopo, qui ut patriam repeteret, saepe saepius urgebat, firmiter obstitit, medicorum fide et auspicio innixus, qui tenent ipsum receptam valetudinem in novum discrimen adducturum, si adverso suae patriae coelo sese iterum tradat. Verum minis sui Episcopi actus ad H. S. O. confugit expostulans, ut EE. VV. dignentur sibi permittere, ut Neapolim domicilium transferat; Eminentissimum enim Archiepiscopum paratum esse ad illum suo clero aggregandum.“

Requisiti fuerunt tam Episcopus Nolanus quam Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus, qui in adversa abeunt. Etenim Nolanus Antistes multa contra Oratorem habet ejusque falsam infirmitatem, ac tuetur salubritatem aeris patrii. E contrario Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus Oratori favet multaque pro eo dicit, et infirmitatem tuetur. Utriusque relationes EE. VV. subjiciuntur, a quibus quaeritur, utrum et ad quod tempus Oratori sit concedenda venia absentiae a dioecesi.

Pro gratia ad triennium, nisi prius convalescat, juxta votum Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani.

2. De vestibus clericalibus gestandis.

117. Mathelicen.

Die 29. Novembris 1826.

Ad dubium propositum a Philippo de Sanctis Vicegubernatore civitatis, scilicet an clerici non incedentes in habitu et tonsura et conjugati allegare possint privilegium fori?

Sacra etc. inhaerendo declarationibus pluries emanatis respondendum censuit: *Clericos non habentes requisita Sacri Concilii Tridentini sess. 23. c. 6. de ref. non posse allegare privilegium fori, posse tamen Episcopum, etiamsi non praevenerit in causa, eos repetere e manibus judicis laici, quando clerici adhuc clerici permaneant, videlicet si clericalibus privilegiis nondum privati sint per declarationem servatis servandis factam ideoque non posse laicalem curiam contra eos procedere, nisi consulto et consentiente Episcopo.*

118. Ariminen. Indulti.

Die 5. Aprilis 1851.

Fidelis Venturi in s. ordine subdiaconatus constitutus titulo paupertatis religiosae, nullaque ecclesiastica vel laicali provisione donatus, cum nequeat ad sacerdotium promoveri, neque ullo fortasse sustentationis titulo provideri, gravi paupertate pressus, ut sibi ac pauperibus parentibus senio confectis prospicere possit, saecularibus negotiis vacando, clericalem habitum cum laicalibus vestibus, decentibus tamen, commutare postulavit.

Ex Episcopi informantis verbis praestat colligere, quae illius promotionem ad subdiaconatum, conversionem ad statum saecularem, vitam moresque respiciunt, necnon paupertatem et causas modumque concessionis attingunt:

„Fidelis Venturi hujusce civitatis ab adolescentia in ordine Minorum observantiae S. Francisci per solemnia vota adscriptus et in sacro subdiaconatus ordine constitutus, religiosum institutum post paucos annos reliquit ex Apostolico indulto, et ad suos reversus est, administrante hanc ecclesiam Reverendissimo Episcopo Francisco Gentilini. Cum autem Oratoris mores non essent satis laudabiles, praefatus Episcopus existimavit, illum ad diaconatum et sacerdotium non esse promovendum. Anno 1845, quo haec dioecesis meae concredita est sollicitudini, Fidelis Venturi adhuc subdiaconus in hac civitate degebat, et progressu temporis, cum nec studiis ecclesiasticis vacaret, nec vitam ageret ecclesiastico viro prorsus dignam, ad reliquos majores ordines non est promotus. Consilium itaque iniit petendi Urbem, et revera illuc se contulit, ibique mansit per duos ferme annos, postea vero patriam petiit clericalibus vestibus jam dimissis nec usque modo reassumptis ob paupertatem. Nunc autem Urbem denuo petere sibi proponit et laicalibus uti vestibus postulat, ad hoc ut victum sibi et parentibus comparare queat negotiis saecularibus operam dando.“

„Orator aetatis annos 42 enumerat; vitam degit laicali more et habitu; satis morigeratum ab aliquot mensibus se praebet; ast in eo signa vocationis ecclesiasticae desiderantur: qua de causa putarem ipsi indulgendum, ut mo-

desto quidem, sed laicali habitu incedere queat, ne ipsi ecclesiasticas vestes dehonorare in posterum contingat vel pravis moribus vel negotiis saecularibus vacando. Nullum autem in populo scandalum ex eo oriturum puto, si Orator extra patriam moretur; concivibus tamen admirationi hac de causa eum esse futurum.

„Causa autem concessionis gratiae haec videtur esse, quod Fidelis Venturi, cum ex una parte miserabilis sit, cogitur victum sibi comparare dando operam laicalibus operibus; ex altera vero, cum non expediat ipsum ad sacerdotium promovere ob anteactam vitam et defectum studiorum et pietatis, ecclesiasticos proventus vix sibi promittere valet, quibus vitam sustineat. Parochus Oratoris quoad praesentem ejus vivendi methodum more laicali querelas se non habuisse testatus est; sed in ipso non agnoscit virtutes ecclesiastico viro dignas. — Demum ipse in ea sum sententia, ut Fidelis Venturi quocumque in loco minorem sit praebiturus admirationem populo in habitu laicali, quam in ecclesiastico."

Obligatio incedendi in habitu et vestibus clericalibus ultra rationem praecepti a conciliis generalibus et particularibus proficiscentis, ac praesertim ab oecumenica Tridentina Synodo sess. 14. cap. 6 et sess. 22. cap. 1 de reform. induit etiam rationem congruentiae, unde fit, ut clericus ab actibus et tractationibus quibusdam minus honestis tum sua natura, tum communi hominum aestimatione facilius abstineat, atque ita dignitas clericalis honoretur et vitae servetur integritas. Quod si omnibus conveniat clericalem statum profitentibus, magis magisque exigi videtur in eo, qui ss. ordinibus insignitur, cum gravioribus et voti solemnitate devinciatur obligationibus. Frenum autem hujusmodi salutaris disciplinae relaxatur admodum, si clericus dimissis vestibus coetus peculiaribus, cum communi laicorum permixtus nullo amplius exteriori signo secernatur. Unde facilius ipsi clerico delinquendi periculum, ceterisque major ordinis dignitatem inhonorandi praebetur occasio. Ex quibus facile quisque videt, quam prudens fuerit Conciliorum et Summorum Pontificum severitas in poenis statuendis contra eos, qui clericali habitu dimisso laicalibus vestibus uterentur, et quam caute sit procedendum, ubi de relaxatione ab hujusmodi lege pertractetur, praesertim cum haud leve subesse possit admirationis scandalique periculum.

At vero, ubi justa intercedit causa, non videtur omnino deneganda dispensatio. Ab ea enim obligatione excusari possunt clerici ob paupertatem, ex impotentia nimirum sibi vestes proprio ordini congruentes comparandi, ceu tradunt unanimiter auctores et praesertim Schmalzgrueber lib. 3 decret. part. 1. tit. 1 num. 36. Reiffenst. eod tit. n. 113. Barbosa de jure eccl. univ. lib. 1 cap. 40 n. 33 et Quaranta in summa bullar. v. Habitus clericalis in addit. §. 2, Praeterea, cum clericis saecularia interdicantur negotia, horum tractatio, si ex necessitate sit exercenda, minorem profecto pariet admirationem, si qualitas clericalis veste mutata celetur.

Jam vero ea Oratorem paupertate laborare affirmat Episcopus, qua vestes proprio congruentes ordini jam dimissas hactenus repetere nequivit; eademque de causa necessitas exsurgit victum sibi suisque parentibus comparandi saecularibus negotiis vacando, quae clericis quoque in hac necessitate constitutis permitti communiter docent Reiffenstuel loc. cit. num. 127. Barbosa loc. cit. num. 97. 119 et seqq. et Zerola in prax. Episcop. p. 1. v. Clericus 9. 16.

Quatenus vero Eminentissimi Patres, inspecta misera Oratoris conditione, gravibusque ejusdem angustiis, quibus constringitur, vinculo indissolubili, quo ad altiora ob ineptitudinem prohibetur, nec spes eidem effulget in posterum

assequendi, ceu narrat Episcopus, cum eo dispensare censuerint ab incedendi obligatione in habitu clericali, haud abs re fortasse videretur eidem injungere, ut procul a patria sua et ab iis locis, in quibus nota est ejusdem conditio, et moram trahat et saecularibus vacet negotiis, dummodo tamen et honesta sint negotia, quae pertractet, non autem vilia et sordida et infamia, et decenti, licet laicali utatur habitu, ac omnibus ceteroquin obligationibus tum ordini adnexis, tum ex voto solemni resultantibus fideliter adimpleat.

Scribatur Episcopo juxta mentem, facto verbo cum Sanctissimo. Mens est, ut Orator moretur vel in dioecesi, vel extra ipsam, excepta Urbe, sub directione Ordinarii, de qua Episcopum domicilii monere debebit Episcopus Ariminensis, utque Orator ipse induere valeat vestes laicales, modestas tamen, et civilia negotia exercere, ac artes non viles et s. charactere non indignas.

3. De saecularibus negotiis vitandis.

119. Surrentina.

Die 22. Novembris 1823.

Angelus Cota canonicus collegiatae ecclesiae oppidi del Piano Surrentinae dioecesis, tenui scutorum circiter decem ecclesiastico reditu provisus, ad suam suarumque sororum civilem conditionem servandam, a Sacra Congregatione facultatem petit, suo peculio bis mille ducatorum artis sericae negotiationem instituendi, aliorum opera exercendam, cujus tamen lucri partem consequatur.

Archiepiscopus Surrentinus de aetate, vita, moribus Oratoris, vera familiae paupertate, qualitate negotiationis, et utrum sit periculum scandali in populo requisitus, ita suam aperit sententiam: „Canonicus Cota 50 annos circiter natus optima fruitur existimatione ejusque mores irreprehensibiles sunt. Familia ejus non pauper est, sed ratione istius regionis in satis bona versatur conditione, quamquam Oratori duae sorores nubiles adhuc sunt, quae tamen patre mortuo penes ipsum Oratorem vivere possunt. Negotiatio artis sericae, cui Angelus Cota summam indicatam erogare vult, minus secura est propter magnam pretii variationem. Gratiam petitam Oratori concedi posse opinor, cum modus, quo canonicus Cota pecuniam suam ad negotiationem adhibere intendit, populo scandalum non praebeat.“

Compertum est, poenas a Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. de reformat. statutas seu potius confirmatas contra clericos negotiatores, ad casum quoque pertinere, in quo negotiationem per interpositam personam exercere praesumpserint, Bened. XIV. constit. Apostolicae servitutis 25. Februarii 1741. Sericae tamen arti operam dare per interpositam personam, imo et per se ipsos, aliquando permissum fuit clericis, ut in Caputaquen. anni 1627. ad III. dub.; verum id obtinuit, ubi bombices foliis arborum in propriis locis exsistentium erant alendi, et ars serica exercebatur a clerico pro sua et familiae sustentatione. Horum neutrum ad sacerdotem Cota pertinet; cum neque foliis suarum arborum sit negotiationem instituturus, neque ad ejusdem ac ipsius sororum parandam honestam sustentationem necessaria sit negotiatio.

De paupertate siquidem Oratoris sive absoluta, sive relativa, nulla allata est valida probatio: utraque imo excluditur ab Episcopi informatione supra relata, ex qua etiam patet, abesse necessitatem sustentandi duas so-

rores nubiles de bonis ejusdem Oratoris. Ipsae enim suae conditioni satis congruo modo a patre percipiunt alimenta, quae et post patris mortem ex paterno patrimonio percipient.

Ad lucrum itaque et quaestum captandum, sericum negotium cum instituere velit canonicus Cota, ejus preces rejiciendas censerem.

Lectum.

120. Faventina.

Die 20. Novembris 1824.

Canonicus Honorius Zarabini, ex oppido Cotignolae Faventinae dioecesis plures contractus se inire exposuit, quos ita praecise indicavit: „Pacta ineo cum colonis et sociis animalium (s o c c i d a), recipio et do obligationes tam pro venditis quam pro emptis animalibus colonis et sociis necessariis; stipulationes facio secundum usum regionis, dum colonis vel aliis frumentum ad tempus mutuum datur, quod redditur in partitione societatis; paciscor cum fabris, mercatoribus et cum colonis ipsis tam pro expensis manutentionis, pro provisione ligni, ferri etc., pro cultura fundorum, quam ex qualicunque alia causa cum ista cultura cohaerente.“ Affirmavit autem, in contractibus suis numquam usuram, cambia vel qualemcunque mercaturam intercedere, ac suppliciter petiit tum amplam sanationem qualiscunque irregularitatis, in quam inscius vel etiam coactus inciderit, tum quoque veniam indicatos contractus in posterum ineundi nomine proprio et per se ipsum, quoniam eos per interpositam personam explere periculosum, imo saepe damnosum sit expertus. Requisivi Episcopum Faventinum, ut referret de Oratoris vita, moribus, bona fide, qualitate negotiationis, deficientia idonei consanguinei, vera necessitate, et utrum sit periculum scandali in populo vel dedecoris sacerdotalis characteris. Haec autem Episcopus retulit, „quae de precibus canonici Zarabini assequi ipsi licuit, singula singillatim inquirenti, tamesti hujusmodi pleraque videantur, ut non ita facile certi quidquam affirmetur. Ac primo ad anteactum tempus quod attinet, quandoquidem Orator absolutionem deprecatus, alicujus sese peccati conscium fatetur ipsemet, spes inde oboritur fore, ut facultatem, quam supplex postulat, iis in posterum limitibus circumscribat. Ita limitibus certis circumscripta, siquidem impetretur, facultas quamdam exhibet causam necessitatis, sin minus omnimodae, qualiscumque tamen, ejus quippe, cujus habere aliquam rationem indulgentia quandoque Ecclesiae consuevit. Nam de moribus Oratoris illud ausim subjicere, neque improbatos eos haberi, neque abs ministerio sacrorum abhorrentes; peti propterea veniam, ne quid forte peccet militans Deo, et implicans sese negotiis saecularibus. Animadvertendum praeterea reor, neminem consanguineorum praesto illi esse, cujus operam rebus suis administrandis adsciscat; undeunde enim ortum, constat satis, quod facere id vetat et intercepta cum consanguineis consuetudo, et obfirmata forte etiam disjunctio animorum. De scandalo denique, cujus plerumque fundamentum cujusvis negotiationis idea exhibet, illud quidem praecaveri autumo certis obstricta conditionibus indulgentia petitae facultatis, quarum conditionum quavis tandem neglecta, nulla prorsus habeatur indulta facultas, ita prorsus, quasi nullatenus indulta.“

Clerico licet per sacros canones vendere fruges, quae ipsi supersunt ex propriis recollectas agris; nec prohibitum est, animalia vel quidvis aliud emere ad suos colendos et instruendos fundos, et illa deinde alienare Fag-

nan. in cap. Multa. Ne clèrici, vel monachi saecular. negot. num. 35., et seqq. Hinc Apostolica dispensatione non indiget canonicus Zarabini, dum hujusmodi negotia vult gerere, sive per se, sive per alium. Et quatenus dilata pretii solutione emat animalia ad praefatum effectum, ac alia ad fundorum culturam et conservationem necessaria; manifestum est, ipsum posse obsignare obligationes solvendi, ac pariter opportunas vel faciendi vel solvendi obligationes accipere a fabris, colonis et aliis, quibus fruges suas vel vendit vel dispensat, etiam si eas recipiat in partitione societatis, dummodo de propriis colonis agatur.

Quamvis enim hic fruges distrahendi modus, gravem usurae suspicionem secumferens, videatur prohiberi in can 14. Concil. Arelat. anni 1275., quo statuitur, quod „nullus clericus beneficiatus . . . vendat bladum vel vinum, seu alia victualia sub ea forma, quod contractus usurarii verosimiliter praesumantur“; tamen id pertinere non videtur ad canonicum Zarabini, cum ipse asserat, nullam usurae labem suis contractibus accedere, et Episcopus huic assertioni adstipuletur, dum laudat mores canonici Oratoris, et de foenore nihil refert, a quo sejungi nequivissent scandalum in populo et dedecus sacerdotalis characteris, de quibus fuerat expresse interrogatus.

Verum sine mercatura vitam commode traducere indubitanter potest canonicus Zarabini, qui superfluos habet reditus, quos vendat; neque illa ad suorum consanguineorum sustentationem ordinatur, quibuscum nulla est ipsi consuetudo: quaevis deficit ergo justa causa concedendi, ut societatem animalium (indigenae soccida nuncupant) cum extraneis colonis ineat; nam ob suam suorumque dumtaxat necessitatem permittitur aliquando clericis, ut mercaturam exerceant, cap. 1. de postul., et Fagnan. in cap. Secundum. Ne clerici vel monachi. num. 8.

Absolutione a censuris non indiget Orator, si forte negotiationem exercuit, cum hae contra clericos negotiatores non sint latae, sed ferendae sententiae, nempe si moniti a negotiatione non destiterint, excommunicandi sint, Fagnan. loc. cit. num. 4. Scribendum itaque censerem Episcopo, qui curet, ut canonicus Zarabini, citius quam fieri possit, societatem cum extraneis colonis dissolvat, adhibitis, quatenus opus sit, etiam censuris ecclesiasticis.

Quoad licitos et necessarios contractus animalium et ceterarum rerum ad colendos et instruendos fundos suos, nec non frugum ex iis recollectarum, non indigere: quoad societatem animalium vulgo Soccida cum exteris colonis Lectum, et Episcopus curet, ne quid contra canones de clerico negotiatore agatur.

Post hanc die 14. Augusti 1824 editam resolutionem recursum ad Sac. Congregationem denuo habuit canonicus Zarabini, veniam implorans „assistendi personaliter iis contractibus, quos sub nomine alterius iniri oportere monstraverit“: quia tamen aperte jam indicati fuerant contractus liciti, quos canonicus tam per se, quam per interpositam personam stipulari poterat, itemque illiciti, quos inire nullo modo ipsi fas erat, sequenti responso fuit dimissus:

Jam provisum per resolutionem Sac. Congregationis diei 14. Augusti proxime praeteriti, et uniatur.

121. Panormitana.

Die 14. Maji 1825.

Sacerdos Thomas Amato ex oppido Misilmele Panormitanae dioecesis, mediis ad vitam sustinendam necessariis carentem, ac onere miserabilium consanguineorum gravatum se asserens, ut suis ac eorumdem necessitatibus consulat, facultatem implorat rem familiarem administrandi baronis Justi Fidelis Rumbolo Panormitani, ideoque exigendi, vendendi, atque omnes ineundi contractus, qui ad generalis rerum gestoris munus pertinent.

Rogavi Eminentissimum Archiepiscopum, ut referret de Oratoris aetate, vita, moribus, ac de ejusdem et consanguineorum vera paupertate, etiam quoad alimenta; utrum adesset periculum scandali in populo vel dedecoris sacerdotalis characteris, atque ut indicata qualitate contractuum suam sententiam aperiret. Ipse vero ita respondit: „Orator annos 60 aetatis habet et commendatur optimis moribus et regularitate vitae, versatur autem in angustiis propter familiae necessitates. Ejus consanguinei non omnia quidem ab eo alimenta percipiunt, sed aliquo subsidio nonnunquam egent. Quoad illud officium, viliora servitia ab aliis inferioribus hominibus exercentur, administrator autem vinum collectum vendit et rationes redituum et expensarum conficit. Alios contractus non stipulatur, nisi domorum locationes, et quandoque debitorum dilationes concedit. Hoc modo revera se res habent; erit Sanctitatis Suae dijudicare, quid opportunum sit ad Oratoris conscientiam tranquillam reddendam.“

Profecto vetitum est sacerdotibus, ne administratores sint laicorum, eorumque servitio mancipati, cap. 2. Ne clerici vel monachi. Apostolo scribente ad Timoth II. cap. 2. vers. 4. Nemo militans Deo implicet se negotiis saecularibus, uti late disserunt Monacell. formul. legal. pract. part. 1. tit. 5. num. 22., Reiffenst. in lib. 3. decret. tit. 50. num. 3., Engel. eod. tit. num. 3., Ferraris verb. Clericus art. 3. num. 63., Zallinger in lib. 3. decret. tit. 50. §. 491. Clericus enim, qui etiam secundum sui nominis etymologiam dicitur vocatus in sortem Domini, saecularium sese negotiis immiscere non debet ob sui status perfectionem, ne juxta illud Jer. Thren. cap. 4. vers. 1. „dispersi sint lapides sanctuarii in capitè omnium platearum.“

Possunt autem clerici pro Ecclesia, orphanis, viduis, pupillis, ac pauperibus administratorum munere non tantum licite, sed etiam laudabiliter fungi, argum. cap. 1. Ne clerici, vel monachi, et cap. fin. distinct. 86., Engel. loc. cit., et Reiff. loc. cit. num. 4.: atque interdum negotiationem exercere, licitam tamen, ac merae necessitatis causa, ut se suosque alant, cum aliunde non habeant, unde vivant ad text. in cap. 1. Ne clerici vel monachi, Ferraris verb. Clericus art. 3. num. 13.

Verum de Oratoris extrema paupertate minime constat, et ab ipso consanguineos totaliter non sustentari refert Episcopus, qui administrationis officia exponendo narrat, „administratorem vendere vinum, stipulari contractus locationis domorum et quandoque dilationes debitorum concedere“. Haec procul dubio sacerdotem minime decent, qui sine sacerdotalis characteris dedecore cellae vinariae praeesse ac inter inquilinorum jurgia et debitorum tricas versari nequit.

Itaque aliis licitis ac laudabilibus mediis suae providere curet necessitati sacerdos Amato, nostra praesertim aetate, qua vel minimae sacrorum ministrorum omissiones acerbissima laicorum censura notantur.

Lectum.

122. Amalphitana.

Die 6. Junii 1840.

Presbyter N. N. canonicus collegiatae ecclesiae oppidi M. Amalphitanae dioecesis ob negotiationem publicam conductione gemini opificii papyracei et pastilloni ab Archiepiscopo licet pluries redargutus, cum in ea contumaciter perseverasset, tandem anno 1836 a missae celebratione suspensus fuit, at nihilominus a negotiatione haud destitit. Anno vero 1838 jamdudum opificiis dimissis supplex a S. H. Ordine absolutionem petiit a suspensione aliisque poenis incursis.

Archiepiscopus de more rogatus retulit, Oratorem 52 annos natum, fuisse populo petram offensionis et scandali nedum ob contumacem negotiationem, quam ut fratris suorumque nepotum indigentiis consuleret, per 10 annos exercuit cum lucro ducatorum 7000, verum etiam ob inhonestam quam duxit vitam; at ex quo ipse negotiationi valedixerit, constantis emendationis signa desumi posse ideoque ex ejus rehabilitatione scandali periculum abesse autumabat Archiepiscopus, ea tamen Oratori imposita poena, ut ex ducatis 7000 illicita negotiatione lucratis 400 relinqueret, quibus beneficium aliquod institueretur, quod in sacri patrimonii supplementum alicui pauperi clerico inservire posset.

In congregatione generali diei 24. Nov. 1838 circa relatas preces Eminentissimis Patribus rescribere placuit: Dilata et Orator se recipiat in domum religiosam ad duos menses ab Archiepiscopo designandam, ibique per 10 dies peragat spiritualia exercitia et quatenus dederit indubia poenitentiae signa, recurrat commendatus ab Archiepiscopo. Expletis omnibus hisce, ceu in sua epistola diei 16. Febr. curr. anni testatur Archiepiscopus, addit, Oratorem bene se gerere et clara emendationis signa dare, et deinde concludit, ex suo arbitratu praevia absolutione Oratori concedi posse licentiam celebrandi missae sacrificium.

Renovatis spiritualibus exercitiis loco ac tempore arbitrio Archiepiscopi injunctoque praecepto Oratori se abstinendi a similibus sub quoris praetextu ac persoluta prius ab Oratore ipso summa ducatorum mille investienda pro titulo s. ordinationis favore pauperis clerici pro gratia absolutionis arbitrio et conscientia ejusdem Archiepiscopi; facto verbo cum Sanctissimo.

4. De correctione clericorum.

123. Bobbien. — Commutationis horarum canonicarum et suspensionis a divinis.

Die 10. Junii 1848.

Usque ab anno 1841 Bobbiensis Episcopus huic S. Ordini exponebat, sese in ea dioecesi reperisse sacerdotio initiatum ab anno 1827 quendam Bartholomaeum C. in aetate annorum 40 constitutum adeo ineptum scienti-

aque carentem, ut illum a divinis veluti irregularem suspendere judicaverit. Petebat autem pro eo dispensationem et facultatem celebrandi missam votivam B. M. Virginis vel defunctorum, attenta miserrima ejus conditione ejusque familiae, quae fructum patrimonii sacri eidem constituti in tenui summa scut. 30 juxta taxam dioecesis penitus consumebat. De illius autem moribus peculiariter referens haec primum pandidit: „vino deditus et non sine aliqua immodestiae nota“; addebat vero paulo post: „Parcit quidem vino, non adeo tamen, ut tantisper non indulgeat. Modestiam autem vel servat vel servare videtur, non tamen sine aliqua nota.“ Relatis hisce Episcopi precibus in particulari congregatione diei 2. Octobris 1841 propitium hoc prodiit rescriptum: „Peractis spiritualibus exercitiis loco ac tempore arbitrio Episcopi praefiniendo pro gratia absolutionis, dispensationis et rehabilitationis ad missam votivam B. M. V. diebus festis, diebus vero ferialibus missam defunctorum, facto verbo cum Sanctissimo.“ Quod fuit expeditum, prout jacet, vigore facultatum, quas Gregorius XVI. f. r. absens tribuerat Eminentissimo S. Congregationis Praefecto. Hodiernus autem vicarius capitularis ex identitate rationis implorat pro eodem Bartholomaeo commutationem officii divini in aliud parvum B. M. Virginis vel in integri rosarii recitationem, quia, ut refert vicarius capitularis, „Bartholomaeus ille nescit legere nisi cum frequentibus erroribus paene in omni verbo (hoc ego ipse examine exploravi) et tam lente, ut ad recitandum totum officium non minus quam tres vel quatuor horae ei necessariae sint, neque bene instructus est de breviario, calendario et rubricis et ratione aetatis annorum 45 progressus vix sperari possunt; tum omnes enarratae difficultates cum parva ejus devotione conjunctae effecerunt, ut ex aliquo tempore recitationem breviarii omiserit, neque amplius poenitentiae sacramentum susceperit, quamquam omni die celebrabat missam. De hac re certior factus ei spiritualia exercitia per aliquos dies imposui et ut semel saltem in hebdomada ad poenitentiae sacramentum accederet et de hoc rite peracto in fine cujusvis mensis testimonium afferret jussi; sed difficultatibus supradictis in legendo una cum ejus ignorantia vitaque tepida consideratis valde timendum est, ne denuo breviarii recitationem omittat et tali modo peccata accumulet. Quam ob causam existimo eum dispensandum esse a recitatione breviarii et officium parvum B. M. Virginis vel integrum rosarium ei esse imponendum. Hanc gratiam ego ipse expeto ad meam anxietatem tollendam et ut observantia legis facilior reddatur isti infelici sacerdoti, qui ad magnam inopiam reductus solis missarum eleemosynis vitam sustinet.“

Cum super hujusmodi vicarii capitularis precibus exquisivissem oraculum Sanctissimi Domini Nostri in audientia diei 8. proxime praeteriti mensis eadem Sanctitas Sua, antequam quidquam hac super re decerneret, mandavit, ut votum EE. VV. exciperem tam super petita divini officii commutatione, quam super s. sacrificii celebratione, utrum expediat necne attentis expositis praefato sacerdoti divinorum mysteriorum permittere tractationem.

Ad commutationem divini officii quod attinet, parum difficultatis inesse videtur; nam etsi ignorantiae impedimentum s. ordinationem praecesserit ideoque difficilius concedenda commutatio ad exemplum illorum, qui simili impedimento detenti beneficii possessionem assequuntur, uti monet Bened. XIV. de syn. dioec. l. 12. c. 4. n. 6.: attamen, cum hic non de beneficii amissione, sed de obligatione agatur ex ss. ordinum susceptione proveniente, quae nulla ratione tolli potest, minime aptanda videtur praefata dispositio; ac proinde cum hujusmodi impedimentum invincibile sit, tribuendam esse cense-

rem petitam commutationem. Duplex siquidem bonum ex concessione sibi adpromittit vicarius capitularis, oneris scilicet implementum et major reverentia in recitatione officii parvi B. M. Virginis, quod praeferri judicat rosario propter lectionis exercitium. Huc accedit praxis S. Congregationis passim hujusmodi commutationem concedendi presbyteris caecutientibus ac pueris ob defectum aetatis incapacibus; adest imo similis concessionis exemplum favore cujusdam clerici beneficiati annorum 43, qui adeo obtusae erat mentis, ut canonicas horas neque recitare satageret, neque spes adfuisset habilitationis in Collen. 9. et 30. Augusti 1788. ad 2. dub. Major vero exsurgit difficultas quoad missae celebrationem, non jam ratione irregularitatis, nam certum est presbyterum, de quo agitur, ab illa fuisse relaxatum per S. Congr. resolutionem diei 2. Octobris 1841, neque ex capite crassae, qua devincitur, ignorantiae, ex qua sit augustissimi sacrificii irreverentia pertimescenda vel adstantium scandalum et admiratio, cum huic periculo satis videatur consultum per concessam celebrationem missae votivae B. M. Virginis vel defunctorum, quas rite eum legere praesumendum est; sed exinde potius promanat, quia huic maximo scientiae defectui alia conjunguntur vitia in viro ecclesiastico detestabilia. Notatur nimirum vino deditus non sine immodestiae nota; reprehenditur illius oscitantia in omittenda divini officii recitatione absque ulla superiorum auctoritate, et, quod pejus est, ejus incusatur nescio an dicam socordia seu potius spretus poenitentiae sacramentalis, ita ut praecepto ac poenis ad illius frequentiam eum adigi oportuerit. Ex his, quae valde culpabilia sunt, nec non ex toto tenore literarum vicarii capitularis clarissime patet, eum esse presbyterum nulla pietate praeditum atque ecclesiastica dignitate prorsus indignum. Videant autem Eminentissimi Patres, utrum aliquam valeat suadere benignitatem extrema illius paupertas, cum ex solis missarum stipendiis media sustentationis accipiat. Quodsi postposita hujusmodi consideratione censuerint EE. VV. fore illi interdicendum missae sacrificium, erit ejus alimoniae aliqua ratione providendum ob sacri patrimonii tenuitatem, ne cum ordinis dedecore mendicare cogatur. Cum vero illius patrimonium sit constitutum juxta taxam dioecesis, Ordinarius fortasse ad media sustentationis eidem tradenda non tenebitur, si enim teneretur, cum hoc onus, quod reale est, transeat ad successorem, ceu tradit Schmalzgrueber in jur. eccl. libr. I tit. 11, n. 69. Ordinarius, qui nunc dioecesim administrat, etsi illum non ordinaverit, nihilominus adstringeretur sic ordinatum de competenti beneficio providere, ut docet Fagnan. lib. I. Decret. in cap. Accepimus de aet. et qual. num. 11.

Pro gratia commutationis per triennium horarum canonicarum, in officium parvum B. M. V. juxta votum vicarii capitularis, qui eundem presbyterum interdicat a missae celebratione, donec sincerae pietatis et emendationis signa dederit et ad mentem. Mens est, ut curet eum collocare in aliqua domo religiosa et providere de sufficienti sustentatione; facto verbo cum Sanctissimo.

124. Albien. — Suspensionis et rehabilitationis.

Die 28. Augusti 1847.

Franciscus Guilelmus Rodes Albiensis dioecesis in Gallia Romam petens elapso mense Aprili anni labentis supplicem S. Ordini dedit libellum, quo graviter conquestus de diuturna suspensione sibi a proprio Archiepiscopo, nulla praevia causae cognitione, nullaque servata canonica forma usque a

mense Martii anni 1843 inflicta, rehabilitationem ad divina tractanda mysteria postulabat.

Per Nuntium Apostolicum Parisiensem de Oratoris aetate, vita, moribus et causis inflictae suspensionis eumdem Archiepiscopum sum percontatus, qui mandatis satisfecit, transmissa per ipsum Apostolicum Nuntium accurata relatione, quam oculis EE. VV. subjicere opportunum existimavi. Ex ea licet deprehendere graves fuisse suspensionis causas; quae cum post latam suspensionem perduraverint, exinde poenae diuturnitas: monitiones autem ideo decreto non praecessisse, quia Oratoris dementia hujusmodi formam reddidit inutilem; ipsius vero Archiepiscopi opera fuisse assignatam Oratori annuam 400 francorum summam: denique non solum non expedire Oratoris rehabilitationem, sed magno insuper periculo quoad ipsum Oratorem, maximoque scandalo quoad ejus dioecesim esse futuram. Quae Archiepiscopus enarrat, confirmat etiam Apostolicus Nuntius in suis literis.

Cum fuerint communicatae Oratori presbytero Rodes ipsius rogatu ac repetitis instantiis imputationes, quae in epistola Albiensis Archiepiscopi continentur, ad singula imputationum capita respondere sategit. Objicit primum ea omnia generatim nulla probatione fulciri, quia nec testes proferuntur, nec processus juxta ss. canones adversus eum fuit confectus, ac proinde esse omnino respuenda. Deinde singularum accusationum inexistentiam ita probare conatur. Ac praeprimis, quae de ipso affirmantur flagitia dum Cognonensem administrabat ecclesiam sub hodierni Archiepiscopi praedecessore nullo in pretio sunt habenda, cum de illis jam poenas dedisse ipsum pateat ex Archiepiscopi decessoris testimonio ac proinde nec justitia nec aequitas consentit iteratam ab ipso exquirere poenitentiam.

Factum, de quo ipse accusatur et a quo causam repetit suspensionis poena, nulla ratione constare deprehenditur et si constaret, ipse nihilominus culpa vacaret, cum uti Archiepiscopus ex medicorum judicio declaravit, in statu dementiae versaretur. Turpis agendi ratio in paroecia de Labrugnière, de qua meminit Archiepiscopus, satis refutatur tum ex ipsius parochi testimonio, qui penes Archiepiscopum pro ejus rehabilitatione mediator fuit, uti deprehenditur ex epistola vicarii generalis ad ipsum parochum missa, tum ex amplissima localis magistratus attestatione, ex qua compertum est toto biennio, quo Orator Rodes in Labrugnière est commoratus, nec directam nec indirectam de ejus vitae ratione admotam fuisse querelam. Eodem tempore vicarius generalis eum hortatur „ut bene se gerat, sicut jam bene se gerit“, uti erumpit ex authentico epistolii ad Oratoris patrem directi fragmento. Porro haec omnia de flagitioso homine affirmari nequirent.

Praeterea Archiepiscopus in ea fuit voluntate, ut libenter ei daret literas pro quacumque dioecesi dimissoriales, velut referunt literae vicarii generalis, quin exinde decretae pensionis timeri posset amissio, uti asserit Orator. At hoc profecto non dixisset, si eum sub legis onere crederet et sub laicae potestatis inquisitione, prout hodie in sua relatione insinuare videtur.

Factum vero urbis Neamusiensis ultimo loco ab Archiepiscopo adnotatum verum edicit sacerdos Rodes, sed ita explicandum. Advena erat in ea civitate et peregrinus, ac proinde locorum ignarus; sciscitatus exinde est quemdam transeuntem, ut cauponam pro refectione sumenda vellet sibi ostendere; qui cum eum locum, quem Archiepiscopus prostitutionis domum appellat, sibi indigitaverit, illuc est ingressus et manducavit, at nihil mali se gessisse profitetur; ac proinde injuria ex hoc novo capite insimulatur flagitio.

Postremo protestatur se jam ter supplices porrexisse Archiepiscopo preces, adhibita Legati ipsius Galliae apud S. Sedem commorantis mediatione, pro obtinenda pensione, de qua meminit Archiepiscopus, sed nullum accepisse responsum, ac proinde exorat PP. Eminentissimos, ut velint Archiepiscopum pro pensionis solutione monere.

Haec erant in facto praenotanda; quae vero in jure ad casum conferre videntur, ad haec reduci posse videntur. Suspensio sub duplici conspectu venit consideranda, quatenus scilicet est censura proprie dicta, id est ob contumaciam in crimine, et quatenus est poena scilicet ob delictum commissum inflicta. Primo casu requiritur absolute vel trina ad justitiam, vel unica admonitio ad validitatem, ac praeterea solemnitas, ut scilicet proferatur in scriptis, et praevia cognitione causae in sententia suspensionis exprimendae: quae tamen forma impune omitti potest in altero casu, ut communiter sentiunt Barbosa in cap. Romana de sent. excomm. in 6. num. 5. et seqq. Van-Espen t. 10. in tract. de recursu cap. 3. §. 4 et tom 4. part. 3. tit. 11. cap. 11. de suspensione; Maschat, Instit. Can. lib. 5. tit. 39. §. 3. num. 47. Pignatell. t. 10. consult. 10. num. 3. et t. 1. consult. 162. num. 1. 16 et 17 et Gibert corp. jur. can. t. 3. de ord. judicior. part. 2. tit. 10. num. 1. Idemque tradunt Schmalzgrueb. part. 4. tit 39. de sentent. excomm. num. 30. Reiffenst. eod. tit. num. 28. et Monacell. formular. leg. part. 3. tit. 2. form. 8. num. 21.

Monet praeterea Van-Espen tom. 9. tract. de censur. eccl. cap. 10. eam suspensionem, quae infligitur ad correctionem et nomine propriae censurae venit, irrogari in tempus indeterminatum, quousque scilicet censura ligatus resipuerit, cum resipiscentia non habeat terminum definitum, et proinde repugnet naturae censurae, ut pro finito tempore imponatur, ex traditis per Suarez de censuris, disp. 4. sect. 1. num. 9., alteram vero, quae infligitur per modum poenae pro ratione culpae ad certum tempus limitari vel extendi solere; quamquam idem auctor subdit in tom. 10. de recursu cap. 3. § 4. omnem censuram sive contumaciae sit, sive criminis, esse semper poenam, semperque medicinalem, ac proinde: „Censura, ita Suaresius l. cit. disp. 25. sect. 1. num 3., praecipue fertur ad reprimendam contumaciam et ut homo a culpa recedat ideoque non potest habere alium terminum nisi donec recedat ab illa.“

Ex his valde confidit Orator Rodes, ut a tam gravi et diuturna poena tandem aliquando liberetur. Vel enim immerito ipsi inflicta est suspensio, cum aut nullum crimen admiserit, aut ex dementia puniri nequiverit et justitia pro eâ reclamat; vel etiam merito ex patratis criminibus, quae tamen denegat, utpote non probata, et hac etiam hypothesi esse rehabilitationi locum affirmat, quia aut agitur de suspensione, uti est proprie censura, et nulliter inflicta ex defectu formae dicenda est, aut de suspensione per modum poenae, et poenam per se gravissimam longe jam culpam quamlibet excessisse putat. In qualibet vero hypothesi, cum de sui emendatione satis constare arbitretur ex documentis, aequitatem ipsam canonicam suadere clamat, ut a suspensione relaxetur; post condignam enim satisfactionem suspensionis sententia debet relaxari, ita Gibert loc. cit. n. 21. et consonant in locis supranotatis Suarez et Van-Espenius. Ex dispositione tandem cap. Cum medicinalis. de sent. excommun. in 6. expensas et damna sibi ab Archiepiscopo petit reficienda; haec enim sunt illius verba: „Insuper temerarius hujus juris violator ad expensas et omne interesse condemnandus est, ut poena docente discant judices, quam grave sit sententias sine maturitate debita fulminare.“

Viderint tamen EE. VV. pro ea qua praestant prudentia, ex iis, quae in facto et jure adnotata sunt, quid sit deliberandum in casu, cum praesertim, si Orator ad propriam dioecesim rediret, grave procul dubio oriri posset scandalum, uti una simul Nuntius Apostolicus et Archiepiscopus pertimescunt.

Scribatur Nuntio Apostolico juxta mentem. Mens est: ut quoad rehabilitationem presbyteri Rodes et literas dimissoriales pro quacumque vel aliqua determinanda dioecesi, si in dioecesim Albien. redire non expediat, Archiepiscopus statuat atque decernat, quidquid magis in Domino conveniens judicaverit, quoad vero pensionem curet Archiepiscopus ipse, ut a gubernio continuetur pensio 400 francorum assignata pro honesta ejusdem Rodes sustentatione, ne cum s. ordinis dedecore mendicare cogatur, ac de resultantibus Nuntius ipse S. Congregationem certiorem reddat.

PARS II.

DE REBUS ECCLESIASTICIS ET CAUSIS PIIS.

SECTIO PRIMA.

DE REBUS ECCLESIASTICIS ET CAUSIS PIIS IN GENERE.

I. DE CONSTITUTIONE ET CONSERVATIONE CAUSARUM PIARUM.

1. Causae de objecto et interpretatione fundationis tractantes.

a) De existentia fundationis.

125. Tiburtina.

Die 22. Julii 1826.

Sacerdos Vincentius Chiappi, qui anno 1820 archipresbyteri munus gerebat in ecclesia S. Mariae et S. Blasii terrae S. Angeli Tiburtinae dioecesis communi civium suffragio ad diem festum S. Michaelis archangeli illius terrae patroni rite celebrandum praeelectus eidem parochiali ecclesiae coram ingenti populo argenteum donavit calicem, quem idem Vincentius dimissa nuper paroecia secum asportavit. Id aegre ferens Petrus Venanzi, illius in archipresbyterali munere successor, ab EE. VV. enixe postulat, ut Vincentius Chiappi ad calicis restitutionem adigatur.

Rogatus de more Episcopus querelas istas Vincentio Chiappi exposuit. Is autem, licet donationem explevisse fateatur, nihilominus contendit, eam jam diu evanuisse. Ait enim se calicem donasse addita conditione: „ut ecclesia ejus usum tantummodo habeat semper et quandocunque“ proprietate sibi suisque heredibus reservata. Ut vero id evincat, testes appellat Petrum Trondi, archipresbyterum terrae Casselchioduto, nec non Bonaventuram Isidori, parochum S. Hilarii oppidi Montis Rotundi, qui donationi calicis interfuerunt. Prior ex testibus Vincentium Chiappi calicem donasse affirmat cum declaratione: „se donare ecclesiae S. Angeli istum calicem ex sua devotione, religione, liberalitate, sed pro casu perturbationis gubernii vel novae usurpationis et invasionis hostium se proprietatem dicti calicis sibi reservare.“ Alter vero testatur, quod Vincentius Chiappi vere habuerit intentionem donandi calicem ecclesiae excepto casu invasionis hostilis vel requisitionis argenti manu forti factae, in quo sibi dominium calicis reservare voluit et id quidem, ut possessionem perpetuam ecclesiae S. Angeli magis tueretur.“ Subdit deinde idem Vincentius se hanc donationem ab ipso supra relatam in librum descripsisse

subsidiorum dotalium et ab hodierno Episcopo ad Tiburtinam sedem promoto petiisse, ut donationem acceptam haberet; cumque Episcopus memoratam legem donationi adjectam reprobaverit, ideo Vincentius censet donationem fuisse resolutam.

Post hanc responsionem Episcopus suam informationem his verbis emisit: „Probare enititur adversarius donum conditione illa de usu et non de proprietate exhibitum non fuisse ab Ordinario acceptatum adeoque rescissum, verum si attendatur testibus, quos pro se Petrus Venanzi adducit, diversimode conditionem exponunt. Evenerunt haec sede episcopali vacante: post meam autem assumptionem conditionem et nunquam donum reprobavi. Usum saltem semper et quandocunque donatum fuisse donator ipse non inficiatur, quomodo ergo potuit secum asportare?

Episcopus cogat sacerdotem Vincentium Chiappi ad restitutionem calicis sub conditione a donatore in actu donationis expressa et a testibus enunciata.

126. Signina.

Die 20. Decembris 1828.

Eurosia Azzocchi e terra Gabiniani Signinae dioecesis ex hac vita anno 1825 migratura proprio confessario Aloysio Cipriani pandidit, quid de bonis suis post mortem faciendum optaret; nempe in primis, ut cuncta fere bona mobilia titulo legati tribui possent partim consanguineis et affinibus suis, partim pluribus aliis personis, ita ut septemdecim numerarentur legatarii. Praecepit insuper, ut quaedam domus et stabulum divenderentur, ac pretium in missarum celebrationem quam primum erogaretur. Dein viro suo Faustino Bajocchi reliquit quandam vineolam ea lege, ut tertia pars valoris ejusdem vineolae similiter conferretur in sacrorum celebrationem. Tandem memoratum Faustinum haeredem in reliquis bonis fecisse videtur, eidem cetera bona relinquendo. Hanc testatricis dispositionem in informi quodam folio descripsit confessarius, qui juris utriusque penitus ignarus nullam adhibuit solemnitatem ac solummodo accersivit duos testes (verba sunt Episcopi), scilicet Aloysium Biasi et Franciscum Pasquini, quibus adstantibus et audientibus patefecit extremam Eurosiae voluntatem, eamque suam esse pia testatrix integris sensibus perspicuisque verbis ac nutibus declaravit confirmavitque, quod quidem nemo ex interesse habentibus inficiatur.

Defectus hujusmodi solemnitatum, quas postulant etiam sacri canones pro testamentis ad profanas causas, viam stravit successioni ab intestato ac demortuae haereditatem adiit ejus germana soror Angela Azzocchi Cerbara, cui testatrix tantummodo legaverat tres modios frumenti. Heres tamen pium missarum legatum viribus suis stare intelligens, supplicem huic S. Congregationi obtulit libellum, quo ob tenuitatem assis haereditarii congruam postulat sacrorum imminutionem.

Quae superius narravi, ex informatione Episcopi deprompsi. Idem autem Antistes quamvis nullius roboris existimet Eurosiae dispositionem quoad legata profana, nihilominus censet, heredem ab intestato obstrictam esse ad pii legati adimplementum, quoniam confessarius et alter ex testibus Joseph Biasi, qui adhuc vita fruitur, fidem perhibeant, eam fuisse testatricis voluntatem, quam supra descripsi. Refert insuper Episcopus cuncta bona haereditaria pertingere ad summam circiter scutatorum 160. Pretium autem bonorum, quae in missarum celebrationem forent eroganda, vix summam exce-

dere scutatorum nonaginta. Quae cum ita sint, pergit Episcopus: „mea quidem sententia, licet cetera bona ab haerede tuta conscientia possideri possint, attamen pretium domus stabulique nec non tertiae partis superficiei vineae erogandum est in suffragium animae Eurosiae. Sed quoniam sanctissimum missae sacrificium praecipuum quidem est animabus defunctorum suffragium, sed non unicum, cum et eleemosynae et alia pia opera defunctis fidelibus suffragari possint: non abs re esse arbitrarer, si ejusdem pretii dimidium in celebrationem missarum pro anima testatricis impenderetur aliudque dimidium converteretur in eleemosynas pro rata erogandas legatariis in folio descriptis, qui omnes vera paupertate laborant, quibus proinde subsidium aliquod, licet parvi momenti praestitum non leve arbitror esset animae Eurosiae suffragium.“

Lectum ad instantiam et pium legatum executioni mandetur juxta votum Episcopi; facto verbo cum Sanctissimo.

127. Ariminen. — Testamenti.

Die 13. Septembris 1856.

Sacerdos Antonius Ricci archipresbyter S. Simeonis loci Serbadone die 26. Junii 1833, manu propria exaravit atque subscripsit schedam testamenti cum proposito eam actis tabellionis commendandi. Ibi tertiam bonorum partem, et quidem in fundis specialiter designatis, causae piae reliquit, nimirum pro anima sua, reservato super iis usufructu quibusdam sororibus cognomento Gesuiti ipsius famulatui addictis, quoad viverent, de reliquo fratrem suum Thomam Ricci et nepotes ex fratre haeredes nuncupavit. Octo post menses ab condito testamento decessit testator, quin illud tabellioni tradidisset. Elato funere scheda originalis delata fuit ad Episcopum ejus temporis, qui eam in episcopali tabulario deposuit, ubi etiam nunc asservatur. Subinde sollicitus, ut pia disponentis voluntas suum sortiretur effectum, decreto in actu s. visitationis edito die 2. Maji 1836 de bonis ut supra relictis legatum erexit pro anima testatoris, reservata de ceterō sibi facultate legati qualitatem declarandi suo loco et tempore, nimirum ubi primum usufructuariae sorores Gesuiti e vivis excessissent. Haec vero omnia summa pace peracta sunt; haeredes vero posthabito inventarii beneficio haereditatem adierunt, atque inter sese diviserunt, quin unquam de testamenti valore aliquid obmussitarent. Subinde hodiernus Episcopus decreto 23. Februarii 1850, licet non omnes legatariae excessissent, e re tamen sua censuit legatum determinare, declarans reditum bonorum assignatorum impendendos pro stipendio capellani ad commoditatem populi superius dictae paroeciae cum onere celebrationis unius missae quolibet mense.

Sed tamen post viginti annorum lapsum praefati nepotes ac haeredes Dominicus Antonius et Andreas Ricci coram S. H. Ordine per supplicem libellum questi sunt de episcopali decreto anni 1836, quo legatum erectum fuit, quod inniteretur actui informi, ac minus perfectae voluntati, prout insimulant schedam, quae utrum defuncti characterem prae se ferat, nullatenus verificatum fuisse dicunt; indeque urgent ejusdem nullitatem, et bonorum proprietatem sibi tanquam legitimis haeredibus adjudicari.

Episcopo nullum bonum jus Oratoribus favere persuasum est, tum quia agitur de pia causa; tum quia nihil opportuno tempore objectum ex adverso fuit circa schedam testamenti; ceterum advertit etiam eos maximam haereditatis partem fuisse assecutos, pro defuncti vero anima parvas sustinuisse expensas.

Compertum est ex defectu solemnitatum extrinsecarum nullas esse testamentarias dispositiones quoad causas profanas, leg. 25. §. 2. ff. Qui testam. fac. poss. non ita vero quoad piam causam, quae sustinetur quomodocumque de disponentis constet voluntate, ad hoc enim sufficit probatio naturalis, cap. Relatum de testam. cum comm. Ast in themate nullitas testamenti ab intrinseco desumitur, quandoquidem inquiunt fratres Ricci „voluntatem non fuisse perfectam, sed ambulatoriam et praeparatoriam“ idque desumunt, vel ex eo quod testator alias per antecessum conscripserit schedas seu minutas testamenti, vel ex eo quod postremam, de qua quaestio est, tabellioni haud consignandam curaverit. Proinde licet ecclesia solemnitatibus a lege praescriptis quoad acta ultimae voluntatis ex privilegio haud indigeat, nihilominus, tanquam magistra ac justitiae cultrix, sibi condici haudquaquam patitur, quidquid definitive ac perfecta voluntate relictum eidem haud fuerit.

Agitur de quaestione voluntatis, quae est potius facti quam juris, cujus definitio, juxta regulam quam Card. de Luca disc. 17. de testam. n. 18. tradit, pendere debet „ex individuis casus circumstantiis prudenti beneque regulato arbitrio ponderantis ad effectum inspiciendi, an vere testator devenerit ad actum testandi ejusque voluntas redacta sit ad terminum, vel adhuc esset in via atque in terminis velleitatis et praeparationis.“ Jam vero in facto, testamentum integre ac regulariter testatoris manu dicitur conscriptum, ipsumque plenam ac numeris omnibus absolutam voluntatem prae se fert, prout legenti patet exemplar schedae ab ipsis opponentibus ad acta exhibitum. Quo posito, velleitatis ac actus informis commentum evanescere videtur; imo perpenso quod post menses octo cum eo testamento decesserit, enascitur praesumptio illam fuisse veram ultimam disponentis voluntatem. De characteris identitate non est, cur quaeratur, quandoquidem illum apud acta curiae cuique inspicere cupienti patet, et ceteroquin falsitas ab opponentibus esset luculenter probanda, quod tamen huc usque aggredi ausi non sunt. Ceterum viginti et ultra annorum silentium undequaque ab haeredibus servatum quoad testamenti valorem, in eo quod piam causam respicit, et subsecuta curiae decreta, an vehementissimam mali juris conscientiae praesumptionem prae se ferat, judicabunt Eminentissimi Patres.

Lectum.

128. Montisfalisci. — Commutationis voluntatis.

Die 10. Martii 1866.

Reciproco confecto testamento se invicem haeredes fructuarios scripserunt conjuges Vincentius Giannarini et Lucia Magalotti e terra Laterae, dioecesis Montisfalisci, sequenti explicita dispositione, quae in testamentariis tabulis diei 12. Septembr. anni 1842 legitur: „In omnibus nostris bonis mobilibus et immobilibus instituimus et nominamus haeredes universales vita nostra naturali durante nosmetipsos conjuges, ut invicem succedamus, ea retenta facultate conjugi superstiti, ut ex bonis suis, non autem ex illis praedefuncti vendere res mobiles possit et immobiles oneribus gravare, ut propriae conservationis necessitatibus occurrere possit.“

Utriusque vero morte secuta sanxerunt, ut bona mobilia venderentur, ex eorumque proventu totidem missae in suarum animarum suffragium celebrarentur; bonis vero immobilibus mandarunt erigi simplex beneficium in ecclesia parochiali Laterae ad capellam Sanctissimi Crucifixi. Impositis deinde oneribus satisfaciendis, jus nominandi rectorem praefati beneficii perpetuo tribuerunt antiquiori qui pro tempore adesset ex descendentia Antonii de Angelis.

„Post mortem utriusque testatoris, ita in testamento habetur, volumus ut omnia bona mobilia nomina, etc. vendantur et ex pretio missae celebrentur in animarum nostrarum suffragium. Bona autem immobilia volumus, ut ab exsecutoribus legaliter describantur, ut in perpetuum constituantur in dotem simplicis beneficii erigendi in patria nostra terra Latera, ad altare SS. Crucifixi in parochiali ecclesia. Jus nominandi rectorem habeat semper, qui major natu fuerit ex descendentibus Antonii de Angelis. Beneficiato semper incumbat cura et melioratio fundorum assignatorum etc. Duas missas de requiem cantabit diebus anniversariis nostrae mortis. Pariter quacunque hebdomada duas missas celebrari curabit.“

Vir diem supremum jam obiit, et mulier adhuc superstes mutato consilio novum testamentum condidit, quo, ut affertur, pristinam suam voluntatem prorsus immutavit. Hinc factum est, ut anno 1864 Franciscus et Vincentius Giannarini, defuncti Vincentii nepotes, S. Sedi supplicem obtulerint libellum, quo, enarratis quae jam exposui, rogant ut Beatissimus Pater dignetur derogare dispositioni circa eam bonorum partem, quae erat defuncti Vincentii Giannarini, (quae pars sola remansit pro erectione beneficii post mortem Luciae Magalotti) salvis oneribus ab illo impositis, ut ea cedant aequis partibus in beneficium Oratorum ipsorumque familiarum.

His acceptis precibus, mandatum est Episcopo administratori, ut auditis interesse habentibus et inspecta fundatione referret de valore, annuo reditu et oneribus fundorum in beneficii dotem relictorum, suumque panderet votum circa legitimam derogationis causam. Episcopus itaque haec reposuit: „Eos quorum interest, ut jussistis, Eminentissimi Patres, audivi. Hi Oratorum precibus refragantur. Una cum particula fundationis mitto syllabum eorum, quae beneficii dotem constituunt Res illae (scilicet Vincentii) in pecuniam redactae, vim scutatorum 286 et ob. 50 efficiunt, quae annuum praebent reditum scutatorum 12 et ob. 50. Et ab his si demantur onera solummodo a pio testatore adnexa, videlicet unius missae cum cantu quolibet anno, et singulis hebdomadis unius pariter missae lectae, annuus reditus purus esset scut. 2 et obol. 10. Nondum erectio hujus beneficii peracta est, eo quia Lucia haeres fructuaria vitae adhuc usura fruitur. Eminentissimi Patres, agitur de pauperrimo regno, sed et de voluntate testatoris, quae apud omnes sancta est. Verumtamen . . . . demisse putarem derogari posse Vincentii dispositioni, quod ad beneficii qualitatem tantum spectat, favore Oratorum. Verum an legitima haec sit derogationis causa, ambigo, ideoque a Vobis, Eminentissimi Patres, pro Vestra sapientia erit decernendum.“

Non dubitatur in jure, quin maritus et uxor una simul eademque charta testamentum facere valeant, et sese mutuo haeredes instituere; teste Spinell. specul. testament. gloss. rubr. part. 2. sub num. 9. vers. Hoc posito: quemadmodum doctores conveniunt, revocare illud minime posse conjugem superstitem quoad praedefuncti bona, ut notat Voet in pandect. lib. 28. tit. 3. num. 11. Discrepant iidem doctores, utrum id possit superstes quoad propria bona. Negant nonnulli cum Spinell. gloss. 18 princ. de meliorat. num. 55, ea ratione ducti quod testantes reciproco testamento contractum inire videantur, in quo posito, quod una pars tali modo ac conditione testetur, etiam altera eodem modo respective testatur. Hinc ita testantes sese ad invicem quodammodo obligare videntur a voluntate semel pandita in posterum non recedendi, nemini enim licet a contracta obligatione pro suo lubitu resilire.

Affirmant tamen alii communiter argumento desumpto ex leg. Si quis 22. ff. de legat. 3.; cum enim ambulatoria sit voluntas hominis ad supre-

mum usque vitae exitum ad leg. Quod si 4. ff. de adimendis legatis, et libera sit cuique potestas disponendi usque ad mortem §. Posteriore institut. Quibus modis testam. infirmentur, adimi eam potestatem non posse contendunt per mutuam institutionem conjugum in haeredes. Qui proinde conjuges propriam intentionem accommodare censentur ad naturam actus omnino et semper revocabilis, et qui ab alterius voluntate pendere non potest, ut disserit Calcagninus de variat. ult. volunt. art. 2. num. 83. tom. I, Pasch. de test. conjugum lib. 1. cap. 43, Reiffenst. lib. 3. decret. tit. 26 n. 381. Huic vero sententiae adhaesit Sacra Congregatio in Signina 20. Sept. 1788, nec non in Firmana Commut. volunt. 23. Februar. et 20. Aprilis 1793 ad II. dub.; cum enim de reciproco conjugum testamento ageretur, quorum superstes voluntatem immutaverat, Sac. Ordo censuit testamentum reciprocum quoad bona dumtaxat defuncti esse sustinendum.

His perpensis, si de merito precum disquirendum est attenta tenuitate census a Vincentio relicti pro beneficio, nec non Oratorum consanguinitate cum defuncto, eorumdemque conditione, quippe qui ex labore diurno tantum vivunt, alienum profecto non est a praxi Sacri hujus Ordinis, ut porrectae preces propitio rescripto dimittantur, maxime cum Oratores onerum missarum adimplementum ultro promittant. At donec uxor in vivis erit, etsi novum testamentum ediderit, in incerto adhuc manet, utrum cum novo, vel potius cum priori testamento e vivis tandem excessura sit. Fieri ergo poterit, ut beneficium erigi valeat ex cumulo bonorum utriusque conjugis; et non leve forsan inde compendium sibi adpromittunt patroni Antonius de Angelis et descendentes, qui precibus Oratorum obstant.

Lectum.

b. Quid contineatur in causa pia.

129. Theanen. — Donationis.

Die 28. Aprilis 1855.

Joseph Covellucci publico instrumento diei 2. Decembris 1848 ecclesiasticum beneficium sub titulo S. Andreae apostoli in paroeciali ecclesia oppidi Tora dioecesis Theanen., reservato sibi suisque successoribus jurepatronatus, instituit. Pro dote varia praediola assignavit, quorum reditus ducatos 30 conficere asseruit. Ita se habent instrumenti verba: „Praedictus Josephus Covellucci declarat, se non habere neque ascendentes neque descendentes legitimos aut naturales, se esse aetate jam provectum et non stabili valetudine; devotione porro se ferri versus S. Andream apostolum . . . . et cum perpetuum suffragium pro anima sua stabilire velit . . . . libera et absoluta voluntate fundavit capellaniam, etc., cui attribuit pro dote ad tempus perpetuum sequentes fundos rusticos (hic plures enumerantur fundi, addito unicuique proprio reditu) . . . . Facta unione dicti reditus ascendunt ad summam 30 ducat. et gran. 40. Descriptos fundos ex hac die remanent attributi et assignati pro dote capellaniae in pleno dominio et usufructu.“

Capellanum nominavit clericum Samuelem Simone, eique ac successoribus capellanis onus imposuit celebrandi tot missas, quot annui ducati viginti quinque, taxata eleemosyna diebus ferialibus in granis 20, festivis in granis 30 ferrent.

Die autem 14. Martii anni sequentis 1849 declarare melius cupiens voluntatem suam, novo exarato instrumento, capellaniae institutionem confirma-

vit, magis praecise onerum adimplementum praescripsit, ac demum addidit, reditus a praediis in dotem relictis percipiendos ad annuos ducatos 60 non deductis oneribus pertingere.

Post haec curia episcopalis fundorum peritiam fieri curavit. Ex peritorum autem relatione constitit, reditus conficere summam duc. 92 subductis oneribus. Lato itaque die 2. Septembris 1849 erectionis decreto, clericus Samuel Simone ab fundatore eodem nominatus ac praesentatus canonicam institutionem obtinuit.

At vero cum jam in eo esset, ut fundorum possessionem adipisceretur, obstitit fundator, eique significavit, numquam se in animo habuisse omnes praedictos fundos assignandi pro dote capellaniae, sed tres tantum, qui nomen habent, alter scenico, alter grotte ronica, tertius selvetta, quinque juxta peritos reddunt annuos duc. 35 et gran. 54. Satis insuper sibi esse, addidit, ut capellanus quotannis applicaret missas 20, ac sine onere applicationis reliquas diebus festivis missas celebraret.

Episcopus, qui rem enarrat, et capellanus Simone rei componendae gratia supplici oblato libello facultatem fieri postulant, ut illud beneficium pro reditu 92 ducatorum cum oneribus missarum pro 25 ducatis, habeat reditum duc. 35 et gran. 55 cum onere duc. 4 pro missis.

Donum interpretandum est juxta donantis mentem, et inquirendum, qua ratione ipse donare voluerit, cum versemur in materia voluntatis, in qua omne fert punctum donantis intentio et consilium, quod quidem argumentis et conjecturis elici ac declarari potest, juxta vulgatam regulam, de qua in leg. Si plures 24 ff. de vulg. et pupillar., Rota coram Coccino decis. 1339. num. 3. Inspecta itaque fundatoris mente, videretur partialem donationis revocationem, quam approbari postulat Episcopus, admittendam esse. Nam adjectio reditus in enunciatione fundorum, onerum praescriptio ratione ad enuntiatum reditum omnino habita, ac demum declaratio voluntatis paulo post ab eodem fundatore edita, argumento haec omnia fortasse videri possunt, ipsum non recensitos omnes fundos, sed reditum potius taxative animo in donatione spectasse, fundos vero vel ex errore, vel demonstrationis tantum gratia adjecisse, ut adeo illi tantum in donatione comprehensi censeantur fundi, qui ad designatum reditum constituendum sufficiant.

Aliter tamen dispositionis litera suadere videtur, quae incipit a designatione fundorum, ac deinceps cujusque fundi reditus adjicit, juxta theoricam, de qua Averanus lib. 2. cap. 36. interpret. juris, quod nimirum „si non certa quantitas ex fundo assignato percipienda deducatur in obligationem, sed ipse fundus, vel certum corpus in obligatione ponatur, et deinceps ejus reditus vel quantitas enuntietur; tunc haec adjectio demonstrationis causa facta censetur, nisi constet de contraria voluntate. Cum enim certum corpus legatum sit, corpus illud deducitur in obligationem, ut ajunt, taxative, et quantocumque sit, ipsum solum debetur, cum quantitas et summa adjecta sit demonstrative tantum.“

Quamobrem non obest, falsum esse reditum adjectum ex notissima regula, quod falsa demonstratio donationem non vitiat, modo de re in obligationem deducta aliunde constet.

Posterior autem voluntatis declaratio post expressam ac disertam dispositionem nihili facienda videtur, ceu in re non absimili perpendit Constant. vot. decis. 74. num. 21. et seqq. „quia declaratio super re clara et non dubia, quin imo diserte contraria verbis claris donationis non prodest, cum hoc casu non sit declaratio, quae cadat super actu dubio, sed nova dispositio,

quae praejudicat tertio, cui est jus quaesitum ex primo actu, quia haec non est declaratio, sed destructio actus, dum illum non exponit, sed destruit."

Sed quatenus de voluntate fundatoris universos in obligationem deducendi designatos fundos dubitari nequeat, inquirendum superest, num ejusmodi sit donationis actus, ut revocari pro lubitu possit. Duplici enim Covelluccius in revocatione utitur fundamento. Primum est, quod sua donatio non fuerit actus inter vivos, sed mortis causa peracta; alterum, quod ex hac donatione honestae sustentationis media sibi deficerent. Ad primum quod attinet, notissimum est, donationem inter vivos natura sua irrevocabilem esse, non autem donationem mortis causa, quae ante donantis mortem firma non est, quippe ejusdem donantis lubitu exstingui potest §. I. Inst. de donat. Jam vero, cum donatio inter vivos ea dicatur, quae sine mentione, cognitione aut suspicione mortis fit, ita ut toties censeatur donatio inter vivos, quoties absolute quis donat actu aliquid alteri absque ulla mentione vel suspicione mortis, sive tunc sit sanus, sive aegrotus ac moribundus, dummodo animus sit jam statim transferendi dominium in donatarium; donatio autem mortis causa ea dicatur, quae intuitu mortis et expressa cum mentione ejusdem fit, ut colligitur ex cit. §. I. Inst. de donat. profecto, licet rerum donatarum dominium, et quidem non ex aliqua instantis periculi trepidatione statim transferri voluerit donator, nec ullum de morte verbum in donationis actu fecerit, nihilominus merito dubitari posset, num verba illa in instrumento adhibita, quibus ipse declaravit se esse aetate jam provectum et non stabili valetudine, unde ad donationem perficiendam motus est, tacitam saltem mortis cogitationem includant, ejusque mentioni, quae omnino requiritur, aequipolleant.

Ceterum, quamvis, ubi ex facto dubio donatio argui velit, contrarium potius conjiciendum sit, ita ut donatio non praesumatur ex textu in leg. Cum de indebito ff. de prob., leg. Si cum aurum ff. de solut. et potius praesumatur error, quam donatio, Bald. cons. 180. in fin. lib. 2. Dec. cons. 195. col. pen. et in L. Cujus per errorem de Reg. Jur.; ubi tamen constat, aliquem donare voluisse, sed dubitatur an uno vel altero modo, plane donatio uti favorabilis benignius et largius est interpretanda, cap. Cum dilecti de donat, leg. Si quis argentum Cod. de donat., hinc patet, in dubio facti vel juris donationem potius praesumi et habendam esse inter vivos, quam causa mortis, ut firmat Bald. in cons. 107. col. 7. verb. Praeterea lib. 2. aliique communiter, quos refert ac sequitur Sperelli dec. fori eccles. dec. 172. num. 93.

Ad alterum vero objectum, ubi reapse consistat, quod Covelluccius asserit, integrum patrimonium suum ex fundis in donationis instrumento numeratis conflari, ita ut nihil sibi bonorum reliquum sit ad vitam honeste traducendam, profecto aequitatis ratio postularet, ut ex donatis rebus congrua saltem pro alimentis ejus favore subduceretur. Donans enim etiam perfecta ac expleta donatione cogi nequit, nisi deductis alimentis, ceu notat Glossa in leg. fin. Cod. de revoc. donat. et firmat Ventriglia in praxi etc. tom. 2. annot. 17. num. 9. Hinc proposita ab Episcopo redituum ac, uti aequum est, missarum reductio, qua et capellania consistit et fundatoris conditioni prospicitur, non reprobanda videretur, praesertim cum capellanus etiam, cujus nunc interest, in eam conveniat.

Pro gratia juxta preces Episcopi durante tamen vita pii donatoris, facto verbo cum Sanctissimo.

130. Sorana. — Legatorum.

Die 22. Februarii 1862.

Nicolaus Nardi, parochus olim ecclesiae collegiatae et parochialis S. Michaelis archangeli Arpini, Soranae dioecesis, suo testamento duo legata reliquit; quorum primo summam 1500 ducatorum ecclesiae collegiatae assignabat, ut annuis ipsius reditibus fieri deberet augmentum utensilium sacristiae quovis anno, et praecipue in iis, quae adhibentur in ss. sacrificio. Ad haec habeatur cura, in quantum fieri potest, ut pauperibus parochiae subveniatur vestibus linoque, ut tot scandala tollantur. Se tutum esse inde ajebat testator, canonicos fore accepturos exiguam hujusmodi oblationem, cui additas etiam voluit duas stolas acu ornatas, ipsos rogans, ut quolibet anno anniversarium ipsius mortis celebrarent.

Alio vero non absimili legato voluit, ut de intelligentia Soranae curiae episcopalis ducata 500 traderentur ecclesiae parochiali del Brocco sub ipsis conditionibus et in eundem finem, ut dictum est pro ecclesia S. Michaelis, scilicet archipresbyter in duas portiones dividat annuos fructus ducat. 500, ita ut altera pars sit pro sacris utensilibus, altera pro pauperibus parochiae.

Facilis, ut ajunt canonici legatarii, divisio redituum ducatorum 1500 fuisset, nisi dispositio secundi legati primi legati dispositionem obscuram quodammodo reddidisset, rogant idcirco EE. VV., ut decernere non dedignentur, qua ratione annui fructus addici debeant eidem ecclesiae collegiatae et pauperibus.

Auditus Episcopus retulit legatum 500 ducator. ecclesiae del Brocco solutum fuisse ab anno 1860, annuosque reditus de intelligentia suae episcopalis curiae in duas dividi partes ad formam testamenti, quod, ut ipse ait, dubium non admittit, et deinde prosequitur: „Testator non dixit: in duas portiones aequales, unde circa hoc exspectatur oraculum S. Congregationis.“

Cum Nicolaum Nardi nec ecclesiam pauperibus, nec pauperes ecclesiae in alterutro legato aliqua ratione praetulisse constet, non incongrue retineri posse videretur, ipsum aequali studio utrumque legatarium respexisse. Quod etiam in secundo legato innuere quodammodo visus est ea peculiari dispositione, qua duas fieri partes redituum expresse decrevit. Equidem in primo legato nulla fit mentio de hujusmodi partibus faciendis; attamen cum bina legata eamdem finalem causam prae se ferant, et ex ipsa voluntate testatoris mutua quasi vice sese compleant et explicent, modalis dispositio in uno expresse enuntiata, in altero etiam tanquam expressa intelligenda videretur. Nisi forte dubium aliquod in primo legato adhuc superesse dicendum foret ex illis verbis: Ad haec habeatur cura, in quantum fieri potest, ut pauperibus subveniatur, quasi nempe testator non aequali gradu pauperes cum ecclesia concurrere statuisset, sed primum ecclesiae decori, et deinde pauperum necessitatibus consulere voluisset.

Esse locum divisioni reditus utriusque legati aequis portionibus.

131. Imolen. — Reductionis legatorum piorum.

Die 22. Novembris 1856.

Anna Maria Garotti vidua Golinelli testamento et codicillis conditis haeredes suos instituit duo orphanotrophia, quae pro masculis ac feminis in terra loci Lugo dioec. Imolen. erecta exstant. Inventario confecto ab admini-

stratoribus utriusque loci pii haeredis compertum est activum haereditatis pertingere ad scut. 5735. 38. 4. Cum autem testatrix varia scripserit legata, quae valorem absorbent scut. 5130, e quibus 5020 celebrationi missarum in suffragium animae suae assignavit, reliqua favore privatorum, nec non celebrationis festi S. Cordis Jesu in ecclesia SS. Petronii et Prosperi relinquens, sequitur partem haeredum ex asse cohiberi ad scut. 605. 38. 4. vel ad summum ad scut. 1885. 38. 4., quatenus nimirum favore haeredum detractioni quartae falcidiae locus esse possit.

Hinc hodierni administratores supplices adstant postulantes remissionem, sin minus reductionem legatorum magis gravantium, hisce momentis moti: nimirum testatricem orphanotrophiis prae ceteris favere voluisse; unde inferunt ipsam circa verum rerum suarum statum in errore fuisse versatam, cum alias non scripsisset tot et tanta legata, quae totam fere absumunt haereditatem; quod eo verosimilius esse autumant, quia praefata testatrix ultimis hisce temporibus magnam bonorum jacturam passa sit ob male res gestas ab administratoribus, quibus ipsa ob propriam imperitiam curam suorum bonorum concredere debuerat. Lamentantur praeterea paupertatem orphanotrophiorum habito praesertim respectu ad succrescentes in dies necessitates. Haud ambigunt ita obsecundari mentem testatricis, cui primum cordi fuit beneficium afferre locis piis, deinde suffragia relinquere animae suae. Ob oculos demum ponunt multas curas ac labores ab ipsis Oratoribus exantlatos in inquirendis ac ordinandis rebus haereditariis.

Datis Eminentissimo Episcopo de more literis, ut auditis singulis legatariis, nimirum rectoribus ecclesiarum, in quibus missae sunt celebrandae, suam sententiam super expositis ederet, refert, omnia veritati consona esse; ex interesse habentibus alios detractioni quartae falcidiae, alios vero ne huic quidem consentire. Hujusmodi at vero dissensum penitus irrationabilem existimat, cum loca pia haeredes ob illud axioma, quod privilegiatus contra privilegiatum non utitur privilegio, ex legatis piis quartam falcidiam detrahere possint. Quapropter sentit, ut administratores utriusque loci pii solvere debeant missarum legata, detracta tamen quarta falcidia.

Quamvis pia decedentium voluntas sancte servanda sit, praesertim cum certus ac determinatus missarum numerus pro defunctis constitutus reperitur, et reditus oneri ferendo sunt pares, Benedictus XIV. de synod. lib. XIII. cap. ult. num. 28., nihilominus justa intercedente causa eas commutari posse monemur ex Trid. sess. 22. cap. 6. de ref. Porro justam praebere posse videtur causam pii loci paupertas, Amostaz. de caus. piis lib. 1. cap. 14. num. 37, maxime si, veluti in casu, sermo sit de orphanotrophiis, quae docente Monacelli form. leg. tom. 2. tit. 13. num. 1. inter caetera pia opera eminent. Et revera S. hic Ordo favore hospitalium saepius recessit a rigore disciplinae, ceteroquin circa implementum ultimarum voluntatum religiose custoditae, ut in Baren. 22. Novembris 1823 inter supplices libellos relata, et in Forolivien. 3. Junii 1843, idque favore ejusdem orphanotrophii cujus gratia hodie novum indultum petitur. Reductionem etiam missarum, imo interdum suppressionem a S. C. non raro fuisse concessam evincitur ex Mutinen. 24. Julii 1830 § Attamen. Accedit quod, ubi grandis praescriptus est sacrorum numerus, piaculum non sit illa minuere, ut alia pietatis opera exerceantur, S. C. in Panormitana 1. Julii 1837. §. Accedit. In themate annua legata conficiunt missarum numerum centum decem supra mille, nimirum tres capellaniae quotidianae in totidem ecclesiis parochialibus adimplendae, reliquae missae in ecclesia PP. Cappuccinorum.

Obicem at vero gratiae parare posset dissensus legatariorum, quibus ex testatricis voluntate jus quaesitum est ad implementum missarum in propria ecclesia. Exploratum autem est quod, si certum alterius jus laedatur, supremae testatorum voluntates non sint immutandae, Moneta de commut. cap. 11. num. 29., S. C. in Spoletana 2. Augusti 1823. §. Testatorum.

Ubi hinc totalis vel etiam partialis legatorum piorum remissio deneganda sit, videant EE. PP., num saltem detractione quartae falcidiae orphanorum inopiae succurri debeat, uti opinatur Eminentissimus Episcopus. Quocirca communiter sentiunt doctores, legata pia ita privilegiata esse, ut ne favore quidem haeredum omni lucro destitutorum quartae falcidiae sint subjiciendae, Bibliot. Ferrar. verb. Falcidia num. 20. et seqq. At non levis oritur controversia, ubi ipsa pia causa est instituta haeres. Cum hinc inde graves decertent auctores, major tamen pars, teste eodem Ferrar. loc. cit. etiam in hoc casu falcidiam denegent, maxime quia legata missarum favorabiliora sunt animae testatricis, dijudicandum erit, utrum nihilominus omnibus rite perspectis Oratorum precibus annui possit juxta rationem a laudato Eminentissimo Episcopo propositam, quod eo minus difficultatem pati videretur, quia ipsi nonnulli ex legatariis expressum consensum praebuerunt.

Pro gratia reductionis legatorum servata norma quartae falcidiae juxta votum Eminentissimi Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

c. De conditionibus fundationi appositis.

132. Pisauren. — Legati.

Die 29. Novembris 1851.

Pientissimus sacerdos Joannes Maria Rossi e terra Lizzola Pisaurensis dioecesis, ut fabricae illius ecclesiae parochialis, quae postea ad collegiatae honorem evecta est, manutentioni ac decori prospiceret, haec in postremo suae voluntatis elogio die 20. Maji 1715 condito demandavit: „Ratione legati fabricae ecclesiae parochialis S. Michaelis archangeli relinquo censum sortis scut. 50 et scut. $6^1/_2$ ex fructibus census nondum persolutis. Hujus census fructus exigat rector ecclesiae pro tempore, usquedum ad summam scut. 100 pervenerint. computata sorte, et tunc fructus novi census constituendi erogentur in manutentionem tectorum et aedificii ecclesiae. . . . . Quotannis rector Illustrissimo Episcopo Pisauren. rationem reddat, et si forsan necesse non sit omnes fructus pro ecclesiae manutentione erogari, ad augendum censum ipsum investiantur. Si forte eveniret, ut fructus in alias res impenderentur (quod tamen non credit, quia intendit et vult, ut in hunc et non alium usum convertantur) tunc testator vult, ut dicta fabrica ipso facto legato cadat, et ei substituit confraternitatem stigmatum S. Francisci, cui in eo casu relinquit legatum omnium istorum censuum cum fructibus etiam in sortem constitutis pro sustentatione altaris.“

Temporis lapsu factum est, ut reipsa sors praefati legati ex methodo a testatore praescripta ad scutat. unum et triginta supra quadringenta pertingeret, et annui fructus favore fabricae impendendi in scutat. 21 et obul. 22 computarentur.

Quoniam vero ab anno 1831 ad annum 1849 nunquam redditae fuerant ab actuali parocho Seraphino Guadagnini legati rationes Ordinario, ac interim scutata 50, licet pontificio auctus rescripto, in reficiendis aedibus parochialibus ipse consumpserat, aliaque scutata sex in singulos annos pro magistro

capellae illius ecclesiae, nulla obtenta superiori venia, pluribus abhinc annis erogabat: et insuper ex scutatis 319 et obolis 20, quae ab anno 1832 ad mensem Augusti 1849 ex legati administratione perceperat, scutata tantum 158 et obol. 69 in expensis collocaverat, reliqua vero scut. 160 et obol. 52. penes se retinebat, praeter scutata 111 adhuc exigenda contra expressam testatoris voluntatem, sodalitium sacrorum stigmatum sibi persuasum habens rectorem praefatum in comminatam caducitatis poenam incidisse, supplicem dedit S. huic Ordini libellum, ut parochus legati administratione privaretur, et demandatae fieret locus substitutioni, ac praevia regulari rationum redditione, fructus exstantes et inexacti tuto collocarentur investimento, et parochus ad omnium damnorum reparationem adigeretur.

Hactenus enarrata in sua relatione Episcopus de more rogatus undequaque confirmat, animi vero sui sensum in haec verba concludit: „Ad componendam igitur exortam controversiam, unde dedecus rectori provenire posset, qui ceteroquin sacerdos et parochus et dignitas capituli est, multis commendatus meritis, et in hac re praeditus bona fide, et ne praejudicium ecclesiae collegiatae afferatur ei subtrahendo tam utile et tam necessarium subsidium, caducitate admissa; ego omni qua decet subordinatione proponere auderem, quidquid a rectore usque huc gestum, de speciali gratia superiori sanatione muniri, hisce tamen conditionibus: 1. Intra terminum statuendum et praevia idonea fidejussione, ipse rector teneatur ad investiendam summam residualem pii legati, et in casu quod eam penes se haud habeat, ad deponendam praedefinito tempore ut inde investiatur — 2. Alius terminus ei praefigatur ad fructus nondum perceptos exigendos — 3. Hisce peractis, alius administrator, qui respondere valeat, ei socius adjungatur, sive sit canonicus camerarius pro tempore dictae collegiatae, sive alius ex exsecutoribus testamentariis pii legati (quos ipse testator designavit gubernatorem praefati sodalitii una cum tribus sacerdotibus confratribus vulgo nuncupatis „di cotta“ — 4. Annua assignatio scutatorum sex approbatione superiori firma remaneat favore magistri capellae, ad majus sacrarum functionum collegiatae decus et illius loci splendorem, pro quo contribuunt etiam cetera loca pia, nec non capitulum canonicorum, et municipium dictae terrae — 5. Sub caducitatis poena rationes administrationis, de qua agitur, reddantur Episcopo pro tempore labente quoque anno, aut ad ejus beneplacitum.“

Si juris rigor et testamenti litera spectanda et retinenda foret, ab inflicta per testatorem caducitatis poena parochus ejusque ecclesia collegiata minime forsan eximeretur. Suprema enim testatorum placita stricte ac religiose servanda sunt, neque aliter quam justa et necessaria causa commutanda, atque sola Romani Pontificis intercedente dispensatione, ceu vulgatissimum est apud omnes, et centies in hujus Sacrae Congregationis resolutionibus definitum. Jam vero non controvertitur scutata sex favore magistri capellae fuisse ex nudo parochi arbitrio contra expressum testatoris vetitum erogata: quo casu poenam caducitatis ipso facto incurrendam pius testator est comminatus.

At vero poena caducitatis in jure adeo est odiosa, ut ad illam declinandam quaelibet causa sufficiat nedum justa sed etiam colorata, ceu tradit Pignatell. tom. 10. cons. 46. num. 25, licet inepta et fatua, uti observat S. C. in Reatina Vectigalium et caducitatis 7. Aug. 1841. §. Res; imo etiam temeraria et bestialis docente Barbosa, ita nimirum ut quaelibet sumi debeat interpretatio ad illam excludendam. In casu autem parochum excusat bona fides, cum ad assignationem pro salario magistri capellae omnia concurrerint loca pia et institutiones, quas inter controversum

legatum adnumerandum esse videtur. Constat insuper, uti monet Episcopus, parochum negotiorum in Urbe gestori dedisse mandatum ad facultates necessarias impetrandas, quamquam ex ejusdem gestoris incuria res effectu caruerit.

Accedit quod testator ecclesiae parochialis fabricam peculiari dilectione legato suo fuerit prosecutum, ita ut ex peculiari facto unius rectoris tanto beneficio ecclesiam ipsam privare noluisse censendus sit, praesertim cum hocce factum in majorem ejusdem ecclesiae cultum et nitorem refundatur, et nullimode ex eo demandatum opus et manutentio negligatur: id enim ex superfluis reditibus perficitur.

Hac autem seposita animadversione, ceterae rectoris omissiones tam quoad neglectum fructuum superexstantium investimentum, quam quoad exactionis incuriam, licet efficaci remedio coercendae videantur, haud tamen poenam caducitatis important, ut ex ipsa testamentaria dispositione colligitur: ac proinde per conditiones ab Episcopo propositas satis iisdem erit provisum.

Juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

133. Placentina. — Testamentariae conditionis.

Die 8. Julii 1865.

Benedictus Carini Placentiae testamentariis tabulis diei 9. Martii 1852 de rebus suis ita disposuit: „Haeredem universalem instituo amatissimam uxorem meam Theresiam Carini, eo modo ut legatum bonis meis della Caminata inhaerens adimpleat, et semper vidua ea maneat; si ad secundas nuptias transierit, ei titulo legati scut. 1000 do. In hoc casu haeredem instituo animam meam, et parochus loci B. omnia in missarum celebrationem eroget.“

Haereditatem constituebat rusticum praedium decem circiter mil.ibus gallic. libell. aestimatum, cui inhaerebat onus annuarum missarum septuaginta, quarum decem celebrandae erant in ecclesia parochiali Bramajani, reliquae vero in quodam ejusdem paroeciae oratorio. Hoc tamen onus vivente adhuc testatore, scilicet ab anno 1853 neglectum fuit ad haec usque tempora.

E vivis erepto Benedicto Carini anno 1858, ejus uxor Theresia haereditatem adiit, ac post triennium viduitatis ad secundas nuptias convolavit, sed conscientiae stimulis deinde mota et anceps, utrum ob non adimpletam testatoris conditionem de non nubendo, licite haereditatem adhuc retinere posset, die 12. Decembris superioris anni supplici oblato libello petiit, ut liberaretur et a conditione in testamento imposita et ab onere 70 missarum jam antea bonis haereditatis inhaerenti, solutione in manus Ordinarii facta libellar. 2400, necnon ut sibi condonarentur missae inde ab anno 1853 non adimpletae.

Rogatus Placentinus Episcopus pro informatione et voto haec retulit: „Oratrix vidua erat per triennium, quo tempore nihil ex haereditate alienavit, deinde ad secundas nuptias transiit semper se haeredem universalem defuncti mariti existimans, quia secundum codicem civilem Parmensem conditio non transeundi ad secundas nuptias tanquam bonis moribus contraria ut non apposita consideratur. Nihilominus Oratrix se non omnino liberatam reputat sive propter obligationes, quas referente parocho cum defuncto marito iniit, sive quia non obstante codice civili in foro conscientiae pia legata implenda sunt, quando de testatoris voluntate constat. Quam ob causam Oratrix, ut ab istis oneribus liberaretur, summam 2400 libellarum promisit, quae tamen mihi non videtur sufficere, cum ad redimendas 70 istas missas jam 1890

lib. exigantur neque lib. 510 remanentes sufficiant ad implendas missas inde ab anno 1853 omissas. Propterea censeo Oratricem majorem debere erogare summam, ut ab omnibus oneribus liberetur."

Oblatis precibus favere videtur, quod conditio retrahens a matrimonio tamquam inhonesta reprobatur a Parmensibus legibus, quibus testamentaria Benedicti dispositio regitur. Quod plane convenit cum ipso communi jure, ceu patet ex l. Quoties, l. Cum tale § Maeviae et l. Titiae si non nupserit ff. de condit. et demonstrat. Hujusmodi porro leges in utroque foro servandae videntur, quamvis constet de contraria testatoris voluntate, quippe quae non sunt poenales, sed dispositivae et ob commune reipublicae bonum haereditatem vel legatum deferunt. Ita sane tradunt Cov. l. var. cap. 19. num. 10, Mantic. de conject. ult. volunt. lib. 11. tit. 19. num. 4, Riminald. jun. cons. 215. num. 173. vol. 2, Molin. tom. 1. de just. tract. 2. disp. 207, qui docent feminam, cui aliquod relictum est sub conditione si non nupserit, posse capere legatum, nec teneri restituere, quamvis nubat. Quare hujusmodi conditio Theresiae adjecta tamquam non scripta habenda videtur nedum in externo sed etiam in interno foro.

Sed etiamsi expressa Benedicti voluntas uxorem in casu obligaret, praesertim propter obligationes, quas uxor cum defuncto marito iniisse videtur, nihilominus haud forsan deessent expetitae dispensationis momenta. Ceu enim animadvertit Card. de Luca de regal. disc. 177. num. 35, Summus Pontifex prae ceteris principibus peculiares habet rationes dispensandi a conditione viduitatis; ut scilicet tueatur matrimonii libertatem, occurrat incontinentiae et peccandi periculo, ac foveat tandem canonicas sanctiones, quae poenas juris civilis contra secundo nubentes correxerunt. Cujus quidem indulgentiae spe secundas nuptias se iniisse fatetur Oratrix, quae licet dives non sit, prout testatur Episcopus, minime tamen, antequam ad secunda vota transiret, usa est facultate alienandi res haereditarias, ob optimam ipsius fidem aut circa adjectae venditionis inefficaciam, aut sin minus circa facilem apostolicae veniae consecutionem.

Verum precibus obstat, quod conditio servandae viduitatis honesta censetur, praeeunte Apostolo, qui in ep. 1. ad Cor. c. 7 sermonem habens de viduis inquit: „Bonum est illis, si sic permaneant sicut et ego." Hinc superallata jura, quae rejiciunt conditiones impedientes libertatem matrimonii quoad innuptas, locum non obtinerent quoad viduas, a quibus indicta viduitas servari debet tamquam conditio respiciens habilitatem personae, ut legatum vel haereditatem consequi et retinere valeant, ceu statuitur in Auth. Cui relictum Cod. de indicta viduit., ac tradunt Covar. 4. decr. p. 2. c. 3. §. 9. num. 11, Mantic. de conject. ult. vol. lib. 11. tit. 19. num. 2, Gut. lib. 2. cap. 23. num. 3, Gratian. reg. 43. num. 11. Sed accidit praeterea, quod deficiente conditione testamentaria lex in themate haereditatem defert piae causae. Jam vero conditio prohibens nuptias favore causae piae est plane servanda, etiamsi prohibitio connubii virgini foret adjecta: libertas enim et pia causa aequiparari solent, ad ea quae docent Tiraq. de privil. piae caus. privil. 18, Mantic. de conject. ult. vol. lib. 11. tit. 18. num. 8. et tit. 19. num. 11, Ant. Gabr. tom. 1. comm. 10. verb. legat., Gratian. regul. 83. num. 16.

Neque merito sibi polliceri videtur Oratrix apostolicam derogationem. Prouti namque scite animadvertit Card. de Luca loc. cit. num. 34. Princeps dispensare ab hujusmodi conditione assolet, quando ex conditionis defectu succederent ii, qui sunt a lege vocati, minime vero in praejudicium eorum, ad quos haereditas vel legatum defertur ab expressa testatoris voluntate.

Immerentem insuper sese exhibuisse videtur Oratrix, quia nedum praedefuncti viri neglexit praeceptum quoad satisfactionem legati missarum, verum etiam ad secundas nuptias convolavit, postquam a probis viris monita fuit, obligationem restituendi haereditatem in foro conscientiae non subtrahi a civilibus legibus, quae adjectam conditionem in casu haud agnoscebant. Quin juvari eadem posse videatur sub fuco, quod numquam alienare in antecessum tentaverit haereditarium praedium, quod permittente ipso testatore peragere potuisset; cum enim conditio ipsi praescripta consistat in non faciendo, juris communis sanctiones satis prospexerunt voluntati testatoris per cautionem Mutianam ab haerede praestandam ad text. in ll. 7. 18. 79. 92. ff. de condit. et demonst.

Exhibeantur meliores conditiones Episcopo, cui opportunae facultates ad hoc tribuantur; facto verbo cum Sanctissimo.

d. De ademptione et revocatione fundationis.

134. Aesina. — Legati pii.

Die 3. Martii 1855.

Joannes Baptista Carotti loci Montis Carotti Aesinae dioecesis per actum inter vivos diei 14. Decembris 1821 in ecclesia paroeciali ejusdem loci, et in ecclesia oratorii S. Philippi Nerii capellaniam mere laicalem instituit „quae post mortem suam effectum habeat“, cum annuo onere missarum 80 in ecclesia parochiali ad altare B. M. V. gratiarum celebrandarum, et aliarum 20 missarum, quae in isto oratorio dicantur et praeterea duarum librarum cerae, quae quotannis rectori ecclesiae tradantur.

Pro capellaniae dote attribuit praedium quoddam situm in territorio di Serra de' Conti in contrada S. Martino, ac censum scut. 50, quem postea codicillo diei 9. Novembris 1837 pro alterius capellaniae dote assignavit. Possessorem capellaniae nominavit Andream Carotti nepotem ex fratre, ac post hujus mortem ejus filios masculos, hisque deficientibus filios masculos fratrum Andreae, et in horum pariter defectu filias feminas ejusdem Andreae. Exstinctis autem hisce omnibus lineis substituit ecclesiam oratorii S. Philippi Nerii. Demum declaravit hanc institutionem se fideliter servaturum, nisi revocaretur.

Testamento autem diei 1. Septembris 1831 haec inter alia disposuit: Primo post mortem suae haeredis usufructuariae legavit congregationi oratorii S. Philippi Nerii summam scut. 300 ex duobus censibus conflatam cum onere, ut quatuor officia in animae suae suffragium quotannis celebrarentur. Deinde super praefato praedio S. Martini legatum perpetuum quatuor scut. reliquit pro celebratione tot missarum ad rationem taxae manualis ad aram B. M. V. gratiarum in dicta paroeciali ecclesia Montis Carotti, diserte cavens, ut ille ex suis haeredibus, cui pro parte obtingeret hoc praedium, praefata annua scutata persolveret archipresbytero pro tempore ejusdem ecclesiae, sub poena caducitatis a possessione praedii favore ejusdem archipresbyteri, cui etiam facultatem tribuit congruae hypothecae vinculo illud subjicere. Praevidens autem casum, quo supprimeretur Congregatio Oratorii, ac demandatae missarum celebrationi in ecclesia paroeciali satisfieri non posset, tunc statuit, ut haec duo legata devolverentur sodalitio sanctissimi sacramenti Montis Carotti.

Denique haeredem in usufructu omnium bonorum suorum instituit suam uxorem, haeredes autem proprietarios aequis portionibus nominavit Antonium filium suum, Andream, Augustinum, et Paschalem ex fratre nepotes, declarans, ut quilibet in suae quotae possessionem immitteretur, et pro arbitrio de ea disponeret.

Cum post haeredis usufructuariae mortem die 1. Februarii 1840 nominati haeredes ad haereditatis divisionem devenissent, inter alia haereditaria bona obtigit Andreae Carotti praedium S. Martini, quo desuper capellaniae dos in vim instrumenti anni 1821 et quatuor scut. legatum ex testamento avi sui constituta fuerant; conventum igitur inter haeredes fuit, ut hujusmodi onerum adimplementum eidem Andreae ejusque successoribus perpetuo incumberet, salvo ei jure, ut penes superiores hujusmodi onerum diminutionem obtinere tentaret.

Quamvis Andreas in ea esset opinione, se ab oneribus capellaniae, quam per testamentum revocatam existimat, inhaerentibus solutum esse, nihilominus ab eo temporis in praesens usque ea fideliter adimplenda curavit, quamvis in bona, ut asserit, fide solutioni quatuor scut. in testamento demandatae numquam satisfecerit. Verum ne suae opinioni nimis indulgere videatur, S. H. Ordinis oraculum percontari e re sua duxit, ac supplici modo oblato libello postulat declarari, capellaniam esse revocatam ab institutore J. B. Carotti; neque postea oneribus impositis satisfaciendum esse, atque petit, ut absolvatur ab omissione legati scut. ann. quatuor, quod futuris temporibus religiose adimplebitur; denique ut omnino res juxta aequitatem et mentem institutoris et testatoris componantur.

Eminentissimus Episcopus, ad quem supplex libellus pro informatione ac voto ablegatus est, pariter existimat, dubitari non posse, quin Joannes Baptista Carotti voluntatem suam, quam praecedenti actu inter vivos declaraverat, supremo quo decessit elogio, reservato sibi jure utens, commutaverit; hinc concludit, non aequitate tantum, sed justitia preces Andreae Carotti inniti. In eadem quoque esse opinione refert praefectum oratorii S. Philippi Nerii, quem utpote unicum hac in re interesse habentem audivit.

Tralatitii juris est, legata non solum expresse, sed et tacite adimi posse juxta textum in Instit. de adempt. legat. et Gloss. in leg. 27. Cod. de fidejuss. Vinn. instit. tit. 21. de adempt. legat. Cum igitur diserte testator capellaniam minime revocaverit, tacita ejus voluntas interpretanda est. In qua tamen interpretatione prae oculis habendum est, tum legata adempta videri, cum indubiis liqueat argumentis realis a priori sententia recessus, ex doctrina S. Rotae decis. 562. coram Crescentio, et decis. 340. num. 2. cor. s. m. Clemente XIII. in dubio siquidem legata conservari potius debere, quam exstingui, praesertim cum ad pias causas relicta fuerint, tradit Gratian. disp. 104. num. 32. S. Rota decis. 42. part. 11. rec. num. 8. S. Congregatio in Civitatis Castellanae 23. Augusti 1723, et in Montis Falisci 18. Novembris 1724.

Non levia tamen Andreas Orator urget argumenta, ex quibus arguere liceat Joannem Baptistam avum suum capellaniae institutionem testamentariis tabulis revocasse. Nam primo, cum in testamento onere quatuor scut. quotannis solvendorum gravasset praedium S. Martini, statuit id oneris ab illo ex suis haeredibus ferendum esse, qui in parte sua illud praedium haberet post mortem usufructuariae; atqui id omnino cum eo convenire nequit, quod in capellaniae institutione praecéperat, ut scilicet praedium hujusmodi tamquam dos capellaniae integrum obveniret Andreae ejusque successoribus, quos capellaniae possessores nominaverat. Ac praeterea idem

census quinquaginta scutorum, qui in instrumento institutionis datus fuerat in dotis augmentum pro eadem capellania, in codicillo anni 1837 pro dote alterius capellaniae assignatus fuit.

Secundo. In instrumento institutionis cautum fuerat, ut deficientibus lineis primo vocatis succederet Oratorium S. Philippi Nerii in possessione praefati praedii S. Martini; in testamento autem substitutio demandata est favore archipresbyteri, quoties hujus praedii possessores injunctum onus non implevissent.

Tertio. In instrumento praeceptum fuerat, ut capellania erigeretur immediate post mortem institutoris; in testamento autem, ut in praedicti praedii possessionem haeredes immitterentur post mortem usufructuariae.

Quarto. Ad tramites institutionis, quae vinculo substitutionis onerata fuerat, praedium S. Martini ab haereditate Joannis Baptistae segregari debuisset, nec in portionem legitimam ac haereditariam imputari. E contra voluit testator, ut comprehendatur in usufructu universali favore uxoris, et ut uni ex haeredibus in partem computetur.

Quinto. Juxta praefatam institutionem haud pro suo lubitu eodem praedio uti potuisset Andreas ob praejudicium successorum, qui jure vocationis fruebantur. In testamento autem facultas haeredibus data est, pro lubitu disponendi.

Denique. In vim institutionis ac substitutionis praedium S. Martini ultimo loco Oratorio S. Philippi Nerii devolvi debuisset; ex testamento autem devolutio indicta est favore sodalitii sanctissimi sacramenti, si quidem vis major prohibuisset, quominus onera missarum in paroeciali ecclesia implerentur.

Ac reapse probe noscens testator capellaniae institutionem in vim testamenti tacite revocatum iri, compensationis ac reintegrationis titulo legavit Oratorio S. Philippi Nerii summam scut. 300, et ecclesiae parochiali annua scutata quatuor pro tot missarum celebratione ad eamdem aram B. M. V. gratiarum. Quae quidem omnia satis ostendunt voluntatis mutationem, vel saltem justam et rationabilem praebent causam, unde defunctorum voluntates esse permutandas sinit Concilium Tridentinum sess 22. cap. 6. de reform. juxta ea, quae tradit S. Congregatio in Civit. Castellanae Legati pii 13. Jan. 1816. §. Observent, et in Viterbien. Applicationis 14. Dec. ejusdem anni §. Concurrente.

Haec quoad capellaniae revocationem; in quo quidem quod demum cumque futurum sit EE. VV. judicium, postulat Orator absolvi ab legati scut quatuor solutionibus quoad praeteritum omissis, nec non a poena caducitatis. Porro S. Congregatio pluries attenta bona fide, quae in casu omnino praesumenda videtur, praeteritas omissiones absolvit, et fructus perceptos condonavit, ceu innumera pandunt exempla resolutionum; quae absolutio extendenda etiam videtur ad poenam caducitatis, a qua causa quaelibet vel levissima excusat. Idque eo vel magis, si reapse capellania revocata censenda sit, quo in casu nemo non videt Oratorem majus praestitisse onus, quam debebat.

Constare de revocatione capellaniae et esse locum absolutioni et condonationi quoad omissam legati praestationem, firma in reliquis testatoris voluntate, facto verbo cum Sanctissimo.

135. Bobbien. — Legati Pii.

Die 2. Junii 1860.

Josephus Antonius della Cella loci Cabanne dioecesis Bobbiensis testamento confecto et ad acta notarii exhibito mense Martio anni 1827, haerede universali instituto fratre suo germano Hyacintho Augustino, sequentia pia legata reliquit: „Volo, ut quotannis in novena immaculatae conceptionis B. M. V. celebrentur quatuor missae in honorem istius festi, ubi haeres meus voluerit. Item in octava commemorationis defunctorum quotannis celebrentur tres missae cum officio in suffragium animae meae et omnium meorum ascendentium comprehensis avo meo et ava, et fratris mei Joannis, et animarum purgantium, ubicunque placuerit haeredi meo, qui providebit pro exsecutione harum dispositionum post mortem suam.“

Hujus testamenti exemplar ab se transcriptum tradidit pius testator fratri suo haeredi instituto, quocum vitam degebat communem, et in eo post aliquot annos ad marginem relatae primae dispositionis sequentia verba manu propria scripsit: „Hac die 21. Augusti 1837 dico, quod vice quatuor missarum celebrentur sex in honorem etc. uti dixi, et distribuantur libellae sex Januenses inter sex pauperes paroeciae, idque fiat solummodo per 25 annos, eo quod legata perpetua non exsequuntur.“ Cumque hujusce suae postremae voluntatis exsecutionem commendasset fratri suo, hic a praedicto anno 1837 usque ad annum 1844, quo testator decessit, ac deinde posteriori tempore juxta rationem in relata postilla expressam primum legatum, ceu et alterum, fideliter adimplevit usque ad annum 1858, scilicet spatio 14 annorum, undecim adhuc superexstantibus, quibus elapsis tempus a testatore praescriptum annorum 25 absolvitur.

Itaque haeres praefatus senio ac morbis confectus cupiens exsecutioni legatorum prospicere, ac verens ut sui haeredes illa adimplerent, in animum sibi induxit una vice insimul cuncti praescriptis in utraque dispositione seu legato satisfacere oneribus, quibus reliquo undecim annorum spatio satisfaciendum foret; quamvis quoad alterum, respiciens celebrationem trium missarum pro defunctis, nihil immutaverit testator. Ratio enim, qua ipse ductus primum mutavit legatum, optime et alteri etiam congruit, quae nimirum in eo fuit, quod „legata perpetua non exsequuntur.“

Ut vero tutius hac in re procederet haeres praedictus supplicem obtulit S. Congregationi libellum, ut sui voti compos fieret.

Paulo vero post datas hujusmodi preces obiit Orator ac interim literae advenerunt Episcopi, qui pro informatione et voto fuerat rogatus. In hisce confirmatis ab Episcopo iis, quae in supplici libello enarrantur, concluditur „adesse probabilem causam pro dispensatione et ob exposita in libello momenta et ob mortem Oratoris Hyacinthi Augusti della Cella, quae intervenit pendente negotio, postquam exsecutor testamentarius constitutus erat parochus loci. Atque etiam expositis defuncti precibus ipsius parochi preces adjungo, qui concessionem gratiae urget, quia successor testatoris haud facile ejus voluntatem adimpleret, quin imo non irrationabiliter timeri posset legata omnino perditum iri.“

Cum ambulatoria sit hominis voluntas usque ad supremum vitae exitum l. Quod si 4. ff. de adim. leg., et nihil prohibet priorem scripturam posteriore immutare l. 17 ff. de adim., evidens est cuilibet esse integrum adimere vel immutare legata, dummodo constet de immutata voluntate. Satis autem constare de immutatione voluntatis per

postillam manu propria testatoris appositam in testamento antea valide confecto docent Reiffenst. de testam. §. 14., Card. de Luca de legatis disc. 49. aliique communiter. Ac punctim in legatis et testamentis ad causas pias valere dispositiones testatoris factas sine solemnitatibus a jure civili praescriptas, dummodo aliunde certo constet de ultima ejusdem voluntate communis est sententia doctorum, Schmalzgrueb. tit. de testib. §. 3. num. 47. et seqq. In themate vero accedit praxis ab haerede, viro plane probo et conscientioso, ac sospite ipso testatore servata; quod quidem praesumptionem etiam inducit insinuationis a testatore ipso haeredi oretenus factae, juxta ea quae tradit Card. de Luca de fideicom. disc. 23. num. 11. de jurepatr. disc. 15. n. 9. Rota decis. 536. num. 3. cor. Cavaler.

Major sed vero difficultas parari posset quoad alterum legatum, in quo nulla immutatio a testatore facta est, quamvis ratio praecipua, quae ad primum immutandum legatum impulit testatorem, et alteri adamussim conveniat. Ceterum perpendent EE. VV. num specialia etiam adjuncta rerum precibus annuendum suadeant, ut utriusque legati exsequutioni juxta propositam rationem fiat locus.

Pro gratia juxta petita relicta prudenti arbitrio Episcopi liquidatione, facto verbo cum Sanctissimo.

2. De conservatione et administratione fundationum.

136. Romana.

Die 27. Januarii 1827.

Anna M. Fedele nuptui tradita Joanni Vaccari die 13. Sept. a. 1785 solemni obsignato instrumento onere sese obstrinxit rectori oratorii Urbani annuam persolvendi summam scutorum 180 erogandam in missae quotidianae celebrationem et in sumptus pro exercitiis spiritualibus, quibus vacare possent adolescentes sacram synaxim primum suscepturi vitaeque rationem inituri. Atque ut haec pia opera in perpetuum subsisterent, statuit vel a se vel a suis haeredibus assignandam fore „sortem idoneam et correspondentem dictae annuae summae scutorum 180.“ Etsi vero praestituta pecuniae vis diligenter hucusque soluta fuerit, neglecta nihilominus est congrui fundi assignatio. Quare hanc Joseph Vaccari piae fundatricis haeres et Eminentissimus Cardinalis Rivarola patrimonii Vaccari administrator modo efficere cupientes, annuum offerunt canonem scut. 160 supra quibusdam domibus in Urbe necnon reditum scut. 20 supra consolidatis R. Camerae Apostolicae. Eminentissimus Urbis Vicarius, ut hac de re suam aperiret mentem, rogatus retulit se perlegisse „instrumentum emphyteusis, quo impositus est canon annuorum scut. 160 et invenisse obligatas duas domos cum pactis et conditionibus domino directo valde proficuis, ita ut dubitandum non esse videatur de perpetuo reditu scut. 160. Et quamvis protector operis pii, quem audivi, dubitaret de aliqua possibili imminutione illius canonis, . . . nihilominus animadverti (pergit idem Eminentissimus) de hoc non esse timendum, quia ex ipso instrumento patet, canonem longe inferiorem pensionibus constitutum fuisse. De perpetuitate reditus aliorum scut. 20 in consolidatis non est dubitandum. Addo praeterea, oblatam ab haeredibus piae fundatricis bonorum assignationem esse procul dubio accipiendam, quia ex instrumento obligationis eruitur, fundum assignandum stare demonstrative, non autem taxative ad pii operis adimplementum, ideoque si forte reditus oblatorum bonorum imminuantur, remanet

semper haeredum obligatio substituendi alios reditus usque ad annuam summam scut. 180, quam fundatrix assignavit pro perpetua conservatione hujus piae dispositionis. Itaque sum in voto recipiendos esse oblatos fundos pro assignatione praescripta a pia fundatrice instrumento anni 1785, ad formam tamen ejusdem instrumenti et quin de singulis ejus pactis et conditionibus quidquam innovatum censeatur."

Sacra etc. perpensa relatione Eminentissimi D. Cardinalis Sanctissimi D. N. in Urbe Vicarii petitam facultatem assignandi enuntiatos fundos favore superius descripti legati pii Eminentissimo Domino Cardinali administratori patrimonii Vaccari impertita est.

137. Quiten. — Pensionis.

Die 14. Maji 1859.

Petrus Xaverius a Sanchez de Orellana ejusque conjux Francisca Rosalia de Rada anno 1755 majoratum fundarunt, ut marchionis titulum de Solanda fulcirent. Francisca Rosalia, marito defuncto, qui testandi facultatem uxori dederat, utpote fundationis condomina clausulam statuit, qua haeredi fideicommissario onus imponebatur „contribuendi duo mille nummos argenteos annuis vicibus uni ex ejus familia indigenti, hanc summam deducendo ex capite vinculato in praediis suae proprietatis, ac in valore duocentum duoque mille nummorum argenteorum, cum facultate possessoribus data transferendi hoc caput etiam ad Hispaniae regna."

In praedicta summa vinculo supposita comprehensa fuere triginta millia nummorum argenteorum in mobilibus consistentium, quae temporis decursu omnino perierunt. Item inclusa fuere alia quadraginta millia nummorum argenteorum haereditati debita, quae numquam tamen a decocto debitore soluta sunt, nec solvi poterunt. Praediorum ipsorum valor valde decrevit, deficientibus colonis culturae addictis, tum ob emancipationem servorum, tum ob tributi exstinctionem, quo gravabantur indigenae, tum ob defectionem opificiorum olim producendi magna virtute pollentium, accedentibus insuper ac de die in diem crescentibus vectigalibus, quibus a civili gubernio praedia haec onerantur. Difficilis eapropter cum evasisset in hisce rerum adjunctis impositae pensionis solutio, anno 1837 e re sua duxit familiae haeres onus hujusmodi in gubernium transferre. Lege enim civili illius reipublicae cautum fuerat, ut, qui publici aerarii schedulas detinerent, eas in aerarium refundere possent, translato in aerarium ipsum onere legata pia et alia id genus adimplendi; unde cum in aerario jam essent viginti millia nummorum capitis ad majoratum pertinentis, alia addidit haeres fideicommissarius quadraginta millia, quo factum est, ut sexaginta millia nummorum in aerarium translata sint ad hoc pium familiae opus fovendum. Res tamen juxta sententiam non cessit; publicum enim aerarium pensionem hanc jus habentibus integram non semper solvit, sed depositi capitis reditus pro parte in alia pia opera ac praesertim in hospitalium levamen et ecclesiarum cultum expendere suevit.

Itaque Marianna Solanda ob hanc agendi rationem civilis gubernii dubitans, an recte se habeat id, quod a defuncto marito suo anno 1837 gestum est, supplex instat pro peractae hujusmodi commutationis sanatione, quatenus opus sit.

Archiepiscopus super precibus informationem ac votum rogatus, praenarrata rei historia, prout eam retuli, ita prosequitur: „Ex dictis colligitur maritum dominae Solanda ditiorem evasisse translatione summae quadraginta

mille nummorum argenteorum in aerarium, consequenterque ejus sponsam et familiam ditiorem translationis ope fuisse liquet; nam quamvis ex annuo proventu, quo tamquam generalis, idest pedestrium copiarum praetor, ipse fruebatur, usus fuerit ad translationem, nihilominus ex schedulis ad ipsam adhibitis non parvam reportavit utilitatem; schedulae enim ab eorum tenentibus dantur ad triginta pro centum; at aerarium tantum solvit, quantum in schedula jacet. Ad dominam igitur Solanda spectat incommodum ferre, quae prius commodum percepit, habita tamen ratione circumstantiarum praedictarum, notabiliter diminuentium praediorum summam seu valorem."

Ita vero rem componendam proponit, nimirum „quod cum domina Solanda sit persona timorata, velitque se liberam ab onere responsabilitatis esse, ipsa igitur durante sua vita solvat, quod ipsi justum videatur juxta suae conscientiae testimonium; et antequam moriatur, unum ex his, quae possidet, praediis renuntiet ac deponat, ut vocati hujus familiae indigentes fructibus ipsius praedii perfruantur eodem ordine, quo fuit a fundatrice dispositum, ac sine praejudicio juris percipiendi ab aerario, quod solverit ratione fructuum ab eo debitorum propter capita refusa. Hoc modo domina Solanda tranquillitati conscientiae suae consulet, fundatricis voluntatem adimplebit atque compositione facta cum eis, quorum interest, conclusionem hujus rei adipiscetur."

Sed Archiepiscopi voto non omnino assentitur Oratrix; perpendit enim maximum sibi suisque exinde damnum obventurum, cum praedia patrimonialia ita inter se cohaereant, ut detracto uno ceterorum valor valde diminueretur; nec totam removeri difficultatem, quandoquidem ea sit mens fundatricis, ut diversis pauperibus personis solvatur annua pensio ex praediorum reditibus, et ita ignoretur, cuinam ex istis committendum esset praedium a patrimonio avulsum; ac tandem aliud nullum sibi suisque onus contingere, quotiescumque aerarium fideliter pensionem iis persolvat, qui sunt vocati. Quapropter cupiens pium opus, quoad fieri potest, adimpleri, ac sarta una simul tectaque servari futurorum ad haereditatem vocatorum jura, proponit obligationem se assumere, legem futuris fundorum possessoribus testamento dicendi, ut solvant quotannis, ubi aerarium obligationi suae non satisfecerit, summam scutorum sexcentum iis personis, quae ad pensionem ex fundatione jus habent.

Quibus probe perpensis, judicabunt EE. VV. quid consilii sit capiendum.

Solvendam esse a possessore super omnibus bonis ac reditibus majoratui subjectis annuam summam scutorum 600 et esse capiendam inscriptionem hypothecariam pro securitate ac futuro legati implemento, facto verbo cum Sanctissimo.

138. Pontis Curvi. — Administrationis capellaniarum.

Die 18. Decembris 1858.

In ecclesia sub invocatione S. Rochi oppidi S. Olivae duae exstant capellaniae ex piis incolarum oblationibus erectae, quarum juspatronatus et administrationem iisdem oppidanis competere, exclusa communitate Pontis Curvi, cui oppidum ipsum subest, definitum fuit resolutione S. hujus Congregationis diei 23. Novembris 1793. Cura administrationis hujusmodi tradi hucusque suevit duobus ex praedicto oppido viris, quorum officium biennio tantum perdurat. Nihilominus compertum est, capellaniarum bona non levem jacturam passa, ac reditus valde imminutos fuisse; quod quidem ignorantiae

ac paupertatis conditioni, in qua ut plurimum versantur administratores tribuendum; unde recta administrationis methodo uti nesciunt, vel cum propriis necessitatibus prospicere ex labore cogantur, rem piae causae oeconomicam negligunt, et aliquando etiam lucrum exinde sibi captare non verentur.

Cui malo mederi cupiens Episcopus, supplici S. Congregationi oblato libello proponit, ut causa etiam evitandi quemlibet aemulationis praetextum inter oppidum S. Olivae et civitatem Pontis Curvi, administrationis cura concredita maneat Episcopo ipsi in perpetuum, vel saltem ad viginti annos, quo tempore res in meliorem, quoad licet, ordinem ac statum restitui poterunt.

Precibus hujusmodi acceptis, scribendum eidem Episcopo duxi, ut convocatis patribus familias loci S. Olivae exquireret ab iisdem redditionem rationis, eosque moneret, ut proponerent aptiorem methodum quoad exercitium administrationis causae piae, et quomodo reparanda forent damna hucusque illata. Quibus diligenter satisfecit Episcopus, ceu ab curiae relatione colligitur, in qua haec habentur: „Ad exsequenda mandata S. Congregationis, haec curia episcopalis primo diligenter studuit sibi procurare rationes administratorum capellarum. Verum ex his rationibus vix apparet aequalitas expensarum et redituum, et multa residua credita frumenti, quae plerumque ad tempora remota ascendunt, ita ut multa difficillime, alia nullo modo exigi possint, attenta paupertate, ad quam redacti sunt debitores eorumque haeredes et successores. Ut cognoscatur, quinam sit revera status debitorum sive frumenti, sive pecuniae (siquidem haec ex rationibus exhibitis saepe dignosci non possunt) videtur omnino procedendum esse ad constitutionem procuratoris probi et solertis, qui debitores in jus vocet, ut certo debito constituto excuti possint. Deinde idem procurator componere deberet libros administrationis gerendae, inscribendo fundos ad capellanias pertinentes, et alia peragere, quae ad rectam administrationem pertinent. Si enim ea apud incolas istius pagi remaneat, nunquam conditio capellaniarum melior fieri poterit, sive per ignorantiam rusticorum et pastorum, sive per connexiones et respectus parentelae, amicitiae etc., quibus haec loca pia in miserrimum statum devenerunt. Convocata fuit praeterea concio tredecim praestantiorum illius pagi, quibus reverendus provicarius generalis modum proposuit pro futura meliori administratione capellaniarum et reparatione damnorum, quae hucusque in ea evenerunt. Congregati unanimiter censuerunt, requirendos esse libros administrationis, ut ex his, quo meliori fieri posset modo, conficerentur rationes praeteritae administrationis. Constituerunt deinde, meliorem modum futurae administrationis eum esse, ut nominarentur duo procuratores, quorum alter extraneus esset a terra S. Olivae, ut fortiter agere posset sine respectu sanguinis vel amicitiae, alter vero ex dicta terra. Denique animadvertimus, quod in curia episcopali jam depositi sunt libri, obligationes et alia documenta de duabus capellis scripta.“

Ubi expedire videatur proposita methodus ad reparanda damna piae causae illata quoad praeteritum, videndum, quae provisio quoad futurum tempus adhibenda sit, ut rectae bonorum administrationi consultum maneat; utrum scilicet res Episcopi arbitrio vel in perpetuum vel ad tempus omnino relinquenda sit, vel potius oppidanis S. Olivae permittenda independenter ab Episcopo electio duorum procuratorum, quorum alter sit extraneus, alter loci naturalis, ceu ipsi proponunt; firma tamen semper iisdem obligatione reddendi rationem administrationis eidem Episcopo, juxta praescriptum Concilii Tridentini sess. 22 cap. 9 de ref. Quoties enim excogitari possit provisio,

quae sartum tectumque oppidanorum jus servet, et causae piae incolumitati insimul prospiciat, haec plane adhibenda ceterisque praeferenda videretur. Ceterum inter utrumque propositum temperamentum, media erit ratio, si procuratorum alter eligatur ab oppidanis, alter ab Episcopo, vel etiam electio utriusque procuratoris libera quidem iisdem oppidanis relinquatur, sed eorum approbatio reservetur Episcopo. Prudentia autem EE. VV. decernet, quid magis expediat.

Esse locum quoad praeteritum redditioni rationum per procuratorem ab Episcopo nominandum, et quoad futurum deputationi duorum procuratorum ad formam resolutionis patrumfamilias ita tamen, ut procuratores iidem ab Episcopo approbari et biennio quolibet renovari debeant, firmo jure Episcopi exigendi quotannis redditionem rationum.

II. DE ALIENATIONIBUS RERUM ECCLESIASTICARUM ET CAUSARUM PIARUM.

A. Casus, in quibus mutatum est objectum, in quod Ecclesiae jus habuit.

1. Casus emptionis venditionis.

139. Faventina. — Alienationis.

Die 20. Aprilis 1850.

Beneficium erigendum curavit sacerdos Joannes Baptista Lanzoni sub invocatione S. Mariae ad nivem, constituta dote in latifundio Formellino prope civitatem Faventinorum, in aedicula inibi aedificata in honorem ejusdem B. Mariae Virginis, domui suae ad rusticationis usum adnexa, et sacris utensilibus pro capellani commodo sufficienter instructa, ad cujus usum et habitationem domum etiam praefatam destinavit. Activum beneficii juspatronatum, postquam onera per capellanum implenda demandasset, haeredibus suis ex asse scriptis Josepho et Sebastiano fratribus Toni eorumque successoribus in linea tantum masculina reliquit, exercendum tamen una cum parochis pro tempore SS. Vitalis et Eutropii exsecutoribus suae voluntatis nuncupatis in perpetuum, quibus, defecta praefatorum haeredum linea ac descendentia masculina, integrum jurispatronatus exercitium reservavit; iisque in capellani nominatione dissidentibus Episcopo Faventino pro tempore votum attribuit decisivum. Jus vero passivum pro sacerdotibus vel clericis paroeciarum SS. Vitalis, Eutropii, et Abrahami, vel pauperioribus civitatis, servato vocationis ordine, constituit, firma tamen praelatione descendentium ex memoratis haeredibus, si qui ceteroquin idonei nominationem provocarent. Capellanus autem pro tempore nominatus ex natura onerum injunctorum, sacrum ministerium respicientium, ea videtur necessitate constringi, ut in loco beneficii residere teneatur.

Eidem insuper praeter cetera onera illud etiam testator adjecit: „ut teneatur ad omnes restaurationes et meliorationes faciendas et in capella domibusque beneficii et in possessione, sive necessariae illae sint, sive ab in-

frascriptis meis haeredibus et exsecutoribus testamentariis mandatae, a quibus volo, ut capellanus hac in re omnino dependeat, ut omnia bene conserventur, et rogo istos haeredes et exsecutores, ut debitis temporibus visitent illud beneficium, ne ex negligentia capellani detrimentum capiat."

Fideliter servata est testatoris voluntas, donec labente anno 1821 unicus, qui supererat, masculus ex haeredum descendentia, Joannes Toni, cum Pontifici maximo Pio VII. sanctae piaeque in aevum recolendae memoriae sese, priscis amissis opibus, in re arcta versari exposuisset, ab eodem obtinuit expeditis literis in forma Brevis, ut suspensa capellani nominatione beneficii administratio apud se suosque ortos masculos et legitimos filios, nulla determinati temporis adjecta limitatione maneret, omnesque reditus impletis tamen oneribus ad formam fundationis in propriam utilitatem commodumque converteret.

Joanne vita functo, duo ex eodem legitime progeniti masculi supersunt, Carolus et Aloysius. Ii vero, in Urbe domicilium habentes, cum animadvertissent bona capellaniae ex conductorum vel administratorum incuria ingentibus reparationibus ac meliorationibus, iisque urgentibus tam in solo quam in aedificiis indigere, ne onus tam grave supportare cogerentur, vel admodum diminuta mercede bona praefata locare, in eam venerunt sententiam: ut beneficii dotem alienarent, pretiumque retrahendum utiliori traderent investimento. Initisque reapse tractationibus cum Antonio Rossi, qui beneficii praedium locationis et conductionis titulo retinebat, annua conventa mercede scutatorum octoginta, rem omnem facile cum eodem composuerunt. Hic siquidem, confecta privata stipulatione, salvo apostolico beneplacito sese irrevocabiliter obstrinxit ad pretium scutatorum quingentorum et quadraginta septem supra bismille tribus distinctis ratis intra biennium solvendum, depactis interim usuris ad rationem quincuncem pro quolibet centenario et anno, assumptisque omnibus et singulis oneribus super enunciato praedio tam impositis, quam in posterum imponendis. Ea insuper fuit adjecta conditio, ut emptor ex pretio depacto retineret „scutata 447 sub speciali et privilegiata hypotheca pro adimplendis oneribus beneficii et conservatione ecclesiae utensilium, aedium etc." ad tramites nimirum fundationis. Rebus ita compositis, cum perutilem tam sibimetipsis quam capellaniae arbitrarentur fratres Toni adstipulatam alienationem, quippe quae pretium praeseferat longe excedens aestimationem a perito ex officio deputato redactam in scutatis bismille et duo de triginta supra biscentum, coram S. H. O. supplices adstiterunt.

Preces ad Episcopum ablegavi, qui omnia confirmans, quae hactenus exposita sunt, haud exclusa emptoris idoneitate, luculenter affirmavit contractus utilitatem ea tamen ratione ineundi, quam paulo inferius subjungit, efformandi nimirum censum reservativum irredimibilem ex parte etiam emptoris, ut praedium in fundatione assignatum perpetuo capellaniae servaretur. „Cum agatur (ita ille) de latifundio, quod dotem beneficii constituit et in territorio haud mediocris qualitatis consistit, ut rei peritus declaravit, et habita ratione situs (quia locus parum ab urbe Faventina distat,) et adnexarum aedium cum oratorio, submisse censeo, contractum celebrandum esse cum A. Rossi juxta modum indicatum, non vero ineundam esse perfectam venditionem . . . quia quocunque alio modo periculum adesset deperitionis dotis beneficii."

Cum autem fratres Toni pro absoluta alienatione pressius instarent, ut pretium Romae darent investimento ad avertenda pecuniarum transmissionis

incommoda atque pericula, nec non ad vitandam amissionem utilitatis ex peracta stipulatione resultantis in casu insolvibilitatis emptoris vel ejus haeredum, cum in hac hypothesi nihil aliud possent ipsi vindicare nisi fructus fundi beneficialis, qui longe minores habentur quam annuum compendium ex pretio depacto investiendo retrahendum, iteratis literis Episcopum percontavi auditis in scriptis omnibus interesse habentibus.

Novis Oratorum precibus firmiter obstiterunt ii, qui una cum qualitate exsecutorum etiam patronalem conjungunt, pessumdatam ex petita alienatione conclamantes pii testatoris institutionem, maxime cum passiva vocatio post Oratorum obitum favore suorum paroecianorum reviviscat. Quibus assentitus Episcopus ipse haec addit: „Simplex translocatio dotis beneficii de loco in locum piam fundatoris mentem destruit et jura vocatorum laedit et interesse totius urbis Faventinae. Atque pejor res evadit, si consideretur agi de dispersione latifundii qualitatis bonae, ut pretium Romae investiatur. Beneficium fundatum est in hac dioecesi, et tali dote instructum, quae permansura sit cum securitate. Justum igitur est, ut conservetur. Si fratres Toni suis rebus et commodis prospicere volunt, debent et debuerunt quae proposui acceptare.

Hisce ab Episcopo acceptis, in eo eram ut juxta illius votum rescriberem, pro alienatione nimirum ad effectum constituendi censum irredimibilem: at, reluctantibus Oratoribus, illorum instantias pro simplici alienatione porrectas semel et iterum rejiciendas putavi. Cum autem vehementius instarent, nonnullis exhibitis deductionibus, quibus et objecta ex parte Episcopi enervare, et absolutam evidentemque utilitatem ex proposita alienatione demonstrare conabantur, eorum desideriis indulgens rem totam judicio EE. VV. subjicere constitui: meoque muneri in comitiis praeteriti mensis Januarii satisfecissem, ni Oratores, saniori ducti consilio, sese paratos exhibuissent ad censum quoque efformandum juxta formam ab Episcopo propositam. Hac vero accepta declaratione, eumdem Episcopum prius interrogandum censui, num Antonius Rossi in eadem perseveraret voluntate praefatum censum constituendi, vel saltem an parata adesset occasio utilis investimenti in loco beneficii, aut intra dioecesim, quatenus expetita probaretur alienatio. Continuo reposuit Episcopus Antonium Rossi (qui haec inter vadimonium Oratoribus indixerat coram congregatione civili Apostolicae Camerae pro termini praefixione ad beneplacitum apostolicum pro stipulata alienatione obtinendum, ut elapso inutiliter termino ab assumpta obligatione liber et immunis evaderet), mutato prorsus consilio, a constitutione census abhorrere, suamque sententiam ab alienatione firmiter alienam iterum aperiens literas suas in haec verba concludit: „Praetensam alienationem non solum beneficio non utilem esse, sed nocere censent ii, quorum interest. Denique nescio, an prompta sit occasio utilis collocationis pretii sive in loco beneficii, sive intra fines hujus dioecesis.“ Patefacta Oratoribus Episcopi responsione, haud animum desponderunt, sed rationibus inferius enucleandis confisi preces ad propositam alienationem perficiendam ingeminant.

Tria opponunt fratres Toni iis, quae ab Episcopo et exsecutoribus testamentariis afferuntur pro exclusione adstipulatae alienationis. Demonstrant siquidem permagnam alienationis utilitatem, justam insuper illius perficiendae causam adesse, et nullam ex ea piae testatoris voluntati laesionem inferri. Utilitas autem alienationis ab eodem Episcopo solemniter recognita inde patenter erumpit, quod praedium, cujus aestimatio scutata bismille et viginti octo supra biscentum non excedit, venit scutatis quingentis et quadraginta

septem supra bismille, ita ut non modo valor, sed annui quoque reditus quam maxime augeantur, cum in praesentiarum nonnisi annua scutata octoginta percipiantur, quae majorem etiam passura essent diminutionem, attenta deteriori fundorum conditione. Utilitas praeterea peractae stipulationis exinde quoque demonstratur, quod emptor obligatur ad omnia beneficii onera sustinenda ad formam fundationis, nec non ex ejusdem emptoris poenitentia, qui in id unum contendit, ut celebratus cum Oratoribus contractus resolvatur, quo casu mala illius fides triumphum contra juris regulam consequeretur.

Justa vero causa imploratae alienationis perficiendae illinc repetenda est, quod tam solum quam aedificia ingentibus urgentissimisque reparationibus indigeant, quae nonnisi cum gravi incommodo Oratores supportare possent; quarum ratione beneficii fructibus maximo cum detrimento privarentur contra mentem Pontificis, cujus providentia indultum suspensionis obtinuerunt: dum e contra beneficium principis deceat esse mansurum. Purum denique commentum edicunt jactatam piae voluntatis laesionem, tum quia nulla adest in tota tabularum cera pii fundatoris mentio, quae alienationem prohibeat, tum quia integra servantur onera injuncta, et tam domus, quam aediculae sacrorumque utensilium conservationi et manutentioni per enuntiatum contractum consultissime prospicitur, tum demum quia sarta tecta sive exsecutorum, sive passive vocatorum jura permaneant.

Addunt praeterea indubie futurum ut, si enuntiatus probetur contractus, Antonius Rossi in census constitutionem juxta modum ab Episcopo propositum (quam ultro amplectendam Oratores profitentur) rursus conveniat, ne pretium conventum non sine incommodo cogatur exsolvere. In qualibet vero hypothesi sese paratos exhibent eas adamussim exsequi conditiones et leges, quibus depacti pretii investimentum EE. PP. placuerit circumscribere, et apostolicum, quod petitur, beneplacitum vallare et communire.

Hisce autem praeter ea, quae ab Episcopo latissime deducta sunt, illud etiam obstare videtur, quod domus pro capellanorum habitatione (qui residentiae legibus probabiliter tenentur, ut superius innuimus) expresse designata contra testatoris voluntatem fortasse distrahatur; ex quo futuris beneficiatis facilis aperiretur via causam praetexendi, ut in loco beneficii minime resideant. Accedit aperta exsecutorum et compatronorum reluctantia, quorum dissensus haud facile spernendus apparet, cum quoad beneficii manutentionem et conservationem amplissimum in ipsos fundator contulerit arbitrium. Illud praeterea prae oculis habendum est, quod ex patula fundatoris voluntate rector beneficii, cujus vices Oratores indultarii nunc repraesentant, ad omnes sive reparationes, sive meliorationes necessarias perficiendas obligetur.

Haec erant in facto praenotanda. Pauca nunc ex jure deprompta subnectuntur. Bona Ecclesiae alienari ordinario prohibentur ex notissima Extravaganti Ambitiosae; quare ut illorum alienatio juridice perficiatur ex constit. Leonis Magni incipien. Occasio requiritur legitima causa, et quaedam solemnitates. Causa vero legitima vel ex necessitate, vel ex utilitate promanat. Quamvis autem conjunctim non requirantur, sed alterutra sufficiat, necessitas tamen urgens esse debet, Petra ad const. apost. in commentar. ad constit. I. Leonis Magni sect. 4 num. 8 et utilitas debet esse evidens ac indubitata, idem auctor l. c. num. 110 et 111 et 121, ubi (ac praesertim numer. 147.) monet utilitatem respicere debere non solum rectorem, sed etiam et principaliter ecclesiam vel beneficium, cujus bona divenduntur.

Utilitas evidens tunc dicitur adesse, cum meliora alienans prospiciat, scilicet ubi alicujus rei fit alienatio pro emenda alia majoris utilitatis et fructuum. Petra loc. supra cit. num. 155, vel quando bona non reddant fructus, nisi magnis cum expensis ex can. Terrulas, et Glossa in can. Sine exceptione caus. 12 qu. 2, ceu tradit S. Congregatio in Maceraten. Beneplaciti 26. Aug. 1780 § Jura. Ad utilitatem insuper dignoscendam inspici debet causa, et modus, quo contractus perficitur, aliaeque facti circumstantiae, ut censet idem Petra loc. cit. n. 153 et 155.

Solemnitates autem servandae in apostolico beneplacito, et in consensu interesse habentium praecipue concluduntur. Et beneplacitum apostolicum, licet regulariter nonnisi cum difficultate concedatur, illud tamen ex praxi S. Congregationis denegari non solet, quoties urgens ecclesiae necessitas vel evidens concurrat utilitas, velut adnotatur in Veliternen. 3. Aug. 1771 §. Bonorum, in Bononien. Beneplaciti 14. Martii 1744 §. Compendium, et in cit. Maceraten. §. S. Congregatio; maxime si pecunia ex alienatione percipienda unico contextu erogetur in emptionem aliorum stabilium, vel alio modo tuto pro ecclesia; haec enim ratio non dicitur vera alienatio, sed naturam potius induit permutationis, uti observat Petra loc. cit. n. 21. et S. Congr. in Spoletana Capellaniarum 14. Martii 1744 §. Eoque. Quoad consensum interesse habentium notari sufficiat in themate, patronorum consensum, praesertim ecclesiasticorum, de honestate tantum requiri; ac proinde, eo etiam despecto, ecclesiae bona alienari aliquando permitti, ubi praesertim alienatio in evidentem cedat ecclesiae utilitatem, quia tunc patroni interesse minime vulneratur, prout docet Petra loc. cit. sect. 3. n. 18.

Et haec quoad alienationem sufficiant. Omittenda autem non videtur peculiaris circumstantia, quam primae Episcopi literae referebant. Testator Lanzoni in ultimis tabulis praeter beneficium, de quo hactenus sermonem instituit, ac cetera legata illud etiam scripsit duorum scutatorum quotannis a suis haeredibus persolvendorum favore sodalitii a Spiritu Sancto nuncupati pro quadam functione quinque sextis feriis quadragesimalibus explenda. Ea occasione, qua excitati sunt omnes interesse habentes super Oratorum precibus, confratres etiam memorati sodalitii duo petierunt ab Episcopo, primum scilicet ut annua praefati legati praestatio emptori bonorum beneficialium injungatur, alterum ut fratres Toni ad solutionem quoad praeteritum adigantur, cum opus pium a testatore demandatum fideliter fuerit adimpletum. Quoad primum vero animadvertendum est, memoratum legatum non beneficium sed haereditatem gravare; quoad alterum patere videtur recursus ad Episcopum, qui tutor et exsecutor a ss. canonibus est constitutus piorum legatorum, et proinde confratrum petitio quoad utrumque effectum extranea videtur a praesenti controversia.

Non expedire, et Episcopus una cum exsecutoribus a fundatione designatis curet fundorum reparationes ab indultariis expleri.

140. Romana. — Alienationis.

Die 5. Aprilis 1851.

Possidet pia societas presbyterorum in ecclesia S. Mariae de Pace instituta ad excolendam nocturnis exercitationibus Christi fidelium pietatem, parvam domum in Urbe ex pietate Raphaelis Modave provenientem, nonnullis missarum oneribus gravatam. Hujusce domus valor per peritum recognitus,

omnibus subductis oneribus, ad scut. 451 cohibetur, et quamvis annuae mercedes ex conductione resultantes ad scut. 36 computari possent, eae reapse annua scut. 18 minime praetergrediuntur, eaeque ob morositatem et impotentiam conductorum saepe serius atque aegre solvuntur, saepius nulla ratione exigi possunt.

Hisce permoti difficultatibus piae societatis superiores, eaque praesertim ratione, quia parva illa domus in recondito vico vulgo della Penna non longe a platea del Popolo secus profluentem posita ruinam ferme minitatur, ac reparationes necessariae ultra vires administrationis praefatae societatis protenduntur, in id unanimiter consenserunt, ut divendita domo pretium retrahendum utiliori collocaretur investimento. At semel et iterum per publica edicta facto experimento, nulloque comparente oblatore, tertio tandem Joseph quidam Transi oblationem dedit bipartitam, vel scilicet emphyteusim super ipsa domo celebrandi perpetuam et ad quoscumque transituram, persoluto annuo canone scut. octo, vel emptionis et venditionis contractu celebrato pretium scutat. 250 tribus distinctis ratis exsolvendi.

Postremam moderatores amplectentes oblationis partem preces dederunt pro facultate ad celebrandam enuntiati contractus stipulationem, omnibus in emptorem refusis expensis. At licet precibus faveret Eminentissimus Urbis Vicarius, haud expedire visus est venditionis contractus, cum valor aestimativus ingenti 200 scutatorum summa pretium oblatum excederet. Dumque in eo eram, ut rem totam Eminentissimis Patribus dirimendam proponerem, moderatorum unionis sollicitudine factum est, ut suspensa propositione, majoribusque adhibitis diligentiis novus apparuerit oblator, Joannes Tortoni, qui pretium domus ab omni onere (missis in fundatione demandatis exceptis) ac expensis immune ad scut. 350 adauxerit, novaque adhibita periti relatione, fatiscentis domus reparationes scut. 155 summam expostulantes ejusdem valorem ad scut. 296 tantummodo cohibeant. Rebus ita se habentibus, existimantes moderatores praefati venditionem non solum piae causae utilem fore, quia pretium oblatum realem domus valorem non parum excedit, si summa pro urgentibus restaurationibus requisita supputetur, sed etiam necessariam ob unionis impotentiam ad non leves reparationum expensas sustinendas, preces qua voce qua scriptis instantissimas ingeminarunt, pro implorata jam facultate obtinenda, salvo tamen jure vigesimae et sextae exindeque prudens Eminentissimorum Patrum, paucis adjectis animadversionibus oraculum exquiritur.

Alienationes bonorum ecclesiasticorum nonnisi concurrente necessitatis vel utilitatis causa permittendas esse sanxerunt Romani Pontifices, idemque conciliorum decretis et compluribus S. H. O. resolutionibus firmatum est. Quando autem adsint necessitatis causae pluribus exemplis assignat Petra in comment. ad constit. I. divi Leonis Magni a num. 3 ad 94 sect. 4.; inter eas vero reponit etiam sub n. 89 casum deperitionis rei, nisi vendatur.

Utilitas autem pro rei alienatione debet esse evidens et indubitata. Haec tamen occurrit, quoties agitur de re sterili seu infructuosa distrahenda, ut pretium utilius investiatur, Petra loc. cit. n. 121 et seqq.; hoc siquidem casu, potiusquam alienatio, permutatio in melius accipienda est. Atque hoc ita verum est, ut ad ecclesiae utilitatem stabiliendam sufficiat habere rationem ad majores fructus, ex novo pretii investimento percipiendos, licet res ipsa vendita majoris valoris, sed minorum fructuum fuerit aestimata, ut notat Petra loc. cit. n. 150, ubi plurium adducit auctoritatem. Ex peculiaribus denique facti circumstantiis utilitatem ecclesiae dimetiendam esse tradit idem auctor inferius n. 155; nec proinde certam regulam posse praescribi, sed

ex casuum particularium adjunctis rem definiendam esse concludit; ubi tamen statuit ex communi opinione utilem alienationem alicujus rei pro emenda alia majoris utilitatis et fructuum.

Quibus in jure adnotatis, in proposita domus venditione animadvertendum est non solum evidentis utilitatis, sed etiam cujusdam necessitatis causam haberi. Siquidem agitur de domo ruinam minitante, quae, denegata petita facultate, probabiliter eventura est, cum pia societas mediis careat ad ejusdem reparationem perficiendam, ceu monet in sua relatione Eminentissimus Urbis Vicarius; unde alicujus causa necessitatis exsurgere videtur.

Quoad utilitatem vero, licet prima fronte haec desideretur, quia pretium oblatum in scut. 350 longe distat ab aestimatione periti in scut. 451, et ob. 50, habita tamen ratione ad non levem summam pro urgentibus refectionibus necessariam a reali valore detrahendam, evidens omnino verificatur utilitas, cum oblatio Joannis Tortoni novissima longe valorem realem in praefata hypothesi transcenderet, ac proinde res venderetur pro alia emenda majoris utilitatis et fructuum. Eoque fortius haec haberetur, quia habita ratione tum ad praesentem domus conditionem, tum ad naturam loci, ubi posita est, illius reditus vel nullus est vel ita modicus, ut Eminentissimus Vicarius jam tum, cum oblatio ad scut. 230 cohiberetur, affirmare non dubitaverit utilius fore pii loci interesse, si ea diversimode investirentur.

Hisce tamen non obstantibus, omittendam non arbitror circumstantiam a perito in sua relatione narratam, annuam scilicet domus locatae mercedem ad scut. 36 esse constitutam, licet vix medietatem illius exigi superiores affirment. Ex qua dubium enascitur, utrum magis expediat piae sodalitati propositam alienationem perficere pro scut. 350, quae ad rationem quincuncem ne 18 quidem scutata quotannis redderent, seu potius domum ipsam reficere, mediante etiam aeris alieni creatione, cum domus ipsa reparata, licet in recondito vico posita sit, quia tamen tribus constat tabulatis seu ordinibus, et unumquodque horum duobus cubiculis cum suis commoditatibus, non difficile videretur, annuum ex locatione fructum ad scut. 36 elevare: maxime cum idem fere remedium suaserit S. Rotae Auditorium in Romana domus 16. Febr. 1604 cor. Seraphino.

Iterum proponatur.

Die 17. Maji 1851.

Quoad alienationem non expedire; sed potius contrahatur debitum pro summa vere necessaria, minori quo fieri potest interusurio, ad effectum explendi reparationes arbitrio Eminentissimi Urbis Vicarii, et cum obligatione ultra civiles fructus persolvendos deponendi annua scutata 15 pro debiti extinctione, sub poenis contra alienantes bona Ecclesiae latis, reductis interim missis pro intranti quantitate.

141. Comaclen.

Die 28. Aprilis 1855.

Anno 1830 Matthaeus Beltramini proprio aere publicum oratorium sub titulo S. Antonii Patavini in terra Codigoro provinciae Ferrariensis exstruxit ad sui suaeque familiae usum tempore rusticationis. Inter supellectilia ac ornamenta, queis oratorium auxit, recensentur imprimis organum pneumaticum, tres campanae, nonnullae tabulae egregie pictae, ac statua s. titularis marmorea, excellentis artificis opus. Pro fabricae ac supellectilium manutentione canonem annui reditus scut. 3. 33. 4. attribuit.

Vita functo Matthaeo, ejus filii paternam haereditatem sibi diviserunt. Raphaeli, alteri ex filiis, obtigit praedium, in quo erectum est oratorium, ejusque patronatus jus, eique imputata fuere ac aestimato tradita organum, campanae, tabulae, ac statua eidem oratorio addicta. Brevi portionem suam dissipavit Raphael, omniaque fere bona ejus una cum praedio ac rurali domo, cui adnexum est oratorium, sub hasta divendita sunt. Nihilominus jus patronatus retinuit oratorii, quod pluribus abhinc annis clausum manet.

Hac perculsus calamitate, ut aliquod rei suae familiari levamen afferret, ab Comaclensi Episcopo saepe facultatem petiit recensitas res oratorii mobiles divendendi, quas non animo donandi ac perpetuo, sed ad propriam commoditatem ac precario tantum ab fundatore ibidem collocatas fuisse, ac ideo in pleno sui dominio esse contendebat. Numquam autem voti compos factus suas denique preces ad S. hunc Ordinem, denegatam hucusque facultatem expostulans, detulit.

Auditus Episcopus retulit, oratorium congrua nunc supellectili indigere, reditum pro dote assignatum numquam fuisse exactum, nec hypothecae vinculo subjici potuisse fundum, a quo reditus percipi debet, cum in fundationis instrumento conditiones ad id necessariae desint, ac ignorentur ejusdem fundi confinia; Oratorem vere pauperem esse. Quibus positis perpendit: „Organum et campanae considerari possunt ut res infixae oratorio, a quo nunquam remotae sunt, idemque dicendum est de statua S. Antonii, quamvis aliquando a loco suo amota fuerit, et de tabulis pictis. Si istae res Oratori Beltraminio in quota sua computatae fuerint, cum de eis disponere non possint, quia oratorii sunt, ad eos recurrat, contra quos de jure potest. Si tamen S. Sedi placeret Oratori addicere solas picturas praesertim ob rei familiaris angustias, censerem concessioni eam adjiciendam esse conditionem, ut ipse omnia necessaria subministraret pro assumptione hypothecae oratorio cessae, vel si iste canon alienatus fuerit, ut ipse speciali hypothecae alium reditum aequalis valoris subjiciat, scilicet in annuis scut. 3. 33. 4, et residua ab anno 1830 persolvat, ut necessariis oratorii utensilibus provideatur. Si vero Orator id nollet, conveniens mihi videtur, ut simul cum ipso procedatur ad venditionem tabularum, et deducta sorte computanda ad rationem quincuncis pro centenario ex reditu scut. 3. 33. 4. et deductis fructibus nondum solutis, reliquum dicto Beltraminio tradatur.“

Investiganda in casu fundatoris voluntas est, an scilicet animum habuerit nec ne memoratas res oratorio donandi. Porro nemo donasse praesumitur nisi probetur, ad text. in leg. Cum de indebito 25. ff. de probat., et leg. 47. ff. de bonis libert., cum generaliter donare non sit aliud, quam suum perdere ac jactare leg. 1. ff. de donat., Rota coram Molin. dec. 556. num. 3. Atqui contendit Orator, nullum patrem suum protulisse actum, unde eliciatur sive expressus sive tacitus praedicta ornamenta donandi animus. Siquidem in erectionis instrumento nullam de hisce mentionem faciens, annuum dumtaxat reditum scutor. 3. 33, 4. dotis titulo assignavit, ejusque rependendi onus sibi suisque haeredibus perpetuo imposuit. Contrariam imo voluntatem praesertim quoad pictas tabulas manifesto argui ex eo, quod illas modo in oratorio, modo in rurali domo pro lubitu collocare consueverit. Ita donandi animum abfuisse a quodam viro, qui conflaverat argentea candelabra cum stigmatibus cujusdam monasterii, illaque penes monasterium deposuerat, aliquando definitum referunt Riccius in decis. cur. archiepisc. Neapolitanae, dec. 296 , Ventriglia tom. 2 annot. 16 §. 1 num. 15. Ferraris biblioth. canon. v. Spolium n. 19.

È contra perpendendum est, ad Ecclesiam pertinere non ea tantum, quae expresse, sed etiam quae tacite eidem donantur. Donatio autem tacita habetur, si quis res suas ita eidem ecclesiae aptaverit, ut a principio ipsi dicata ac donata videantur, Rota divers. part. 3 lib. 3 dec. 582 num. 7 et 9, Ventriglia cit. loco, num. 11. Ferraris loc. cit. num. 17. In casu non levia suppetunt indicia, quae voluntatem donandi saltem quoad organum, campanas, ac statuam titularis prae se ferunt. Res enim facti est, haec omnia ab ipsa fundatione in oratorio collocata fuisse, et numquam ab eo posteriori tempore amota. Ita organum ab oeconomo curato propriis sumptibus comparatum et parieti in ecclesia paroeciali infixum, ac postea ab eodem oeconomo curato paroeciam dimissuro divenditum, S. Congregatio ad paroeciam spectare, ac venditionem improbandam censuit in Pisauren. Alienationis 18. Augusti 1827. Sed praeterea dubitari posset, num tabulae pictae, quatenus in oratorio venerationi expositae sunt, aliquam spiritualitatem acquirant, ut in commercio esse nequeant. Verum tabula picta inter sacra supellectilia recenseri potest: haec autem dubium non est, quin apostolica venia intercedente divendi possint, ceu definivit S. Congregatio in dubio alienationis rerum ecclesiae 7. Augusti 1683 lib. 33 decret. pag. 243.

Quatenus itaque EE. PP. habita praesertim ratione miserae conditionis, in qua versatur Orator, tabulas pictas saltem eidem restituendas censuerint, ut ex pretio ab earumdem venditione retrahendo levamen persentiat, decernent etiam, an et qua ratione conditiones hac in re ab Episcopo propositae approbandae sint. Plurimi enim interest, oratorium congrua instrui supellectili, ut divino cultui restituatur, et in tuto poni dotem eidem assignatam.

Pro gratia quoad tabulas pictas tantum juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo, capta cura ipsius Episcopi inscriptione hypothecaria super omnibus bonis haereditatis Matthaei Beltramini pro securitate dotis.

142. Nepesina. — Solutionis.

Die 28. Martii 1857.

Pia mulier Felix Biondi oppidi Fiano ultimo, quo decessit, voluntatis elogio die 18. Februarii 1855 virum suum Josephum Marconi haeredem usufructuarium nuncupavit, ac post hujus funus statuit, ut bona haereditaria divenderentur, et pretium retrahendum in tot missas in animae suae suorumque suffragium erogaretur. Jussu Episcopi exsecutor testamentarius canonicus Septimius Giustiniani legale bonorum inventarium confici curavit, cujus expensae, computatis etiam sumptibus pro funere, ad scut. 90 circiter pertingunt, quorum solutio deficiente pecunia numerata in haereditate adhuc peracta non est. In hac itaque rerum conditione idem testamentarius exsecutor supplicem S. Congregationi obtulit libellum, in quo postulat, ut sibi detur facultas aliquem haereditatis fundum vendendi, quo recensitae expensae possint exsolvi.

Episcopus in suis literis informationis refert haereditatem pluribus constare bonis partim rusticis partim urbanis, quorum valor catastralis conficit summam scut. 1008. 99. 5. Ex hisce quaedam domus valoris scut. 163. 65 esset alienanda, quae minus utilis haereditati asseritur. Quoad meritum petitionis haec perpendit: „Codex legislativus tractans de legalis inventarii compilatione sect. 9. cap. 1. §. 1962 ita se exprimit: Expensae in-

ventarii haereditatem gravant. Quodque legales interpretantur diverse opinantes. Aliqui dicunt non teneri haeredem usufructuarium ad expensas inventarii ex usufructu sibi debito, sed potius distrahendum esse fundum aliquem dictae haereditatis. Aliqui ajunt teneri usufructuarium dictas expensas solvere de usufructu fundorum, ita ut debeat ipse usufrui de reliquis, detractis omnibus oneribus et expensis tum inventarii, tum volturationis, inscriptionis, nec non funeris facti in die obitus, ac infra annum juxta testatricis voluntatem faciendi.“ In hac diversitate sententiarum Episcopus censet: „Supposito quod non teneatur haeres usufructuarius ex usufructu sibi debito solvere inventarii expensas, uti quidam legales cit. §. codicis legislativi interpetrantur, esse valde necessarium devenire ad alienationem unius fundi, utpote exsecutor testamentarius suppliciter petit ad evitandas lites.“

Nuper, adventa jam Episcopi informatione, literas testimoniales parochi loci Fiano accepi de obitu Josephi Marconi, qui contigit mense Januario proxime elapso, ex quo quidem factum est, ut nunc usufructus una cum proprietate bonorum in pia causa consolidatus fuerit.

Porro cum ex diserta legis sanctione sumptus inventarii, ut funeris in die obitus testatoris, ab haereditate ferri debeant, haud aequum videtur id onus refundi totum in haeredem usufructuarium, qui ceteroquin eo minus in usufructu percipit, quo majora sunt onera haereditatis, cujus vires ex eo aestimantur, quod debito deducto superest. Hinc ubi in promptu non sit pecunia numerata pro inventarii solvendis expensis, nihil est reliquum, nisi ut haereditaria bona veneant, vel aere graventur alieno, ut ita onus aeque persentiant tam haeres proprietarius, quam usufructuarius, quibus inventarii confectio aeque utilitatem et commodum affert. Quamobrem nisi contraria sententia magis arrideat (quo in casu haeredes Josephi Marconi nunc ad solutionem tenerentur, quorum auctor biennio ferme integro bonorum usufructu gavisus est), probanda videretur proposita domus alienatio ad hoc, ut expensarum solutio fieri possit, quae instanter a creditoribus urgetur. Idque eo vel magis in praesens non denegandum censet exsecutor testamentarius, quia defuncto jam haerede usufructuario, cetera quoque bona alienari debeant juxta testatricis praescriptum, ut pretium percipiendum in demandata suffragia impendatur.

Pro facultate juxta petita.

143. Asculana. — Emphyteusis.

Die 8. Julii 1854.

Unicum praedium constituens dotem beneficii simplicis sub titulo suffragii in ecclesia oppidi Ophidae erecti possedit emphyteutico jure ad tertiam generationem familia Tinti, quae et patronatus jure gaudet super eodem beneficio, annuo persoluto canone scutor. octo, donec die 10. Decembris 1849 postrema per obitum Candidi Tinti generatione perempta, utile cum directo dominio favore rectoris beneficii consolidatum est. Porro Aloysius Tinti ultimi possessoris filius ac haeres perquam utile perspiciens emphyteusim a suis auctoribus initam sui favore renovare, supplicem ad id porrexit libellum, quo postulat eumdem fundum in emphyteusim ad ejus tertiam generationem eodemque oblato canone scut. octo concedi.

Requisitus Episcopus super utilitate propositi contractus, retulit primum votum hodierni rectoris precibus undique consonum: attexuit deinde peritiam, quae praedicto fundo valorem attribuit in scut. 506. 28. ejusque reditum

annuum in scut. 24. 59. 4. demptis vectigalibus, ceterisque realibus oneribus: demum suam pandit sententiam pro gratia cum facultatibus necessariis et opportunis pro prorogatione emphyteusis ad tertiam generationem Oratoris; motus ex eo quod agatur de patrono, quodque per oblatum canonem sufficienti beneficii dotationi et utilitati prospiciatur, nec ulli ceteroquin inferatur injuria.

Ex notissima Extravag. Ambitiosae nulla rerum Ecclesiae alienatio suis potest consistere viribus, nisi fiat servatis solemnitatibus, et in evidentem cedat Ecclesiae utilitatem. Agitur quidem in themate de fundo alias alienato pro annuo canone scut. octo: quidquid tamen de hoc sit, illud aeque certum est, emphyteusim ecclesiasticam tunc utilem dignosci, cum canon fructibus respondet; secus non modo non utilis, sed neque justus posset contractus appellari, Surd. decis. 189. n. 21. Rota in Balneoregien. Praetensae emphyteusis 30. Junii 1778. cor. Origo §§. 3 et 9. Ex receptissima imo regula tunc justus canon dicitur, cum intra viginti annos satis est ad aequandum valorem rei in emphyteusim concessae, Fontanell. de pact. nupt. gloss. 18. p. 1. num. 4, Fulgin. de jure emphyt. quaest. 28. num. 3, Natta cons. 49. num. 26. Quam sententiam S. etiam Congregatio refert in Privernen. Emphyteusis 16. Junii 1787. §. Tenuis, et in Albanen. Emphyteusis 14. Januarii 1792. §. Inire.

Si hinc ratio habeatur vel ad valorem vel ad annuum reditum fundi in emphyteusim concedendi, nemo non videt, quam enormiter laederentur ecclesiae jura, ubi canon oblatus admitteretur. Quod eo minus ferendum in themate, quia agitur de contrahendo cum patrono, cujus est meliorem quidem, non deteriorem facere ecclesiae conditionem. Dijudicandum hinc erit, utrum expediat iterum alienare praedium, quod in liberam ac plenam ecclesiae proprietatem reversum est; utrum insuper deflectendum sit ab edictorum affixione ad utiliores habendos oblatores; quam quidem solemnitatem S. Congregatio haud solet remittere, nisi perspectissima sit utilitas ex privata oblatione resultans. Forte etiam in themate utilitas resultare posset quatenus ad justitiae ac aequitatis tramites augeatur canon.

Non expedire.

144. Asculana in Apulia.

Die 22. Julii 1826.

Dignitates et canonici ecclesiae cathedralis Asculi in Apulia anno 1773 legatum pium fundarunt in summa ducatorum 308 conventione facta, ut pecus dumtaxat esset emendum et augendum usque dum ejus pretium summam ducatorum 1640 attigisset et tunc pecoris fructus inter ipsos foret dividendus in tresdecim aequales partes atque ab unoquoque canonico in tot missarum celebrationem pro benefactoribus erogandus: eleemosyna carolenorum quinque pro quolibet sacro. Rite gesta sunt omnia usque ad annum 1808, quo ob aeris intemperiem totum fere pecus deperiit et, quod superfuit, divenditum est ducatis 169, quae apud capituli aerarium deposita fuere. Notissimae inde evenerunt rerum vicissitudines et canonici verentes, ne militare gubernium omnia quoque loca pia supprimeret, depositam pecuniam inter se diviserunt et unicuique tributa fuit summa ducatorum 13 injuncto onere celebrandi missas 26 ad tramites fundationis. Reddita ecclesiae pace canonici Pontifici supplicem porrexerunt libellum, ut sanationis indultum impetrarent, quod anno 1816 per S. Poenitentiariam, uti asseritur, sunt assecuti. Verum delitescente

hoc indulto et animadvertentes quinque superstites canonici, fundatores praecepisse, ut nihil quoad legatum innovaretur inconsulta S. Congregatione, ideo ab hoc S. Ordine sanctionem et absolutionem humillime implorant. Requisitus de novo Episcopus non solum confirmavit, quod superius exposui, sed addidit quemlibet ex superstitibus canonicis missas 26 jam celebrasse ac praesumendum esse, ut etiam defuncti utpote meticulosae conscientiae injuncto oneri satisfecerint. „Quoad vero Oratorum bonam fidem (pergit Episcopus) quinque superstites canonici asserunt se fuisse bona fide propterea quod instrumentum fundationis, quod cognoscere debuissent, in capitulari archivio nunquam exstitit sed casu apud quendam laicum repertum fuit, quod eisdem causam dedit, ut ad S. Sedem recursum haberent pro suarum conscientiarum quiete. Hinc arbitror, dummodo EE. VV. secus haud sentiant, cum supradictis quinque superstitibus canonicis remissius agendum esse."

Pro gratia sanationis et absolutionis celebratis quinque missis pro omnibus omissionibus, facto verbo cum Sanctissimo.

2. Casus permutationis.

145. Tiburtina. — Cessionis.

Die 1. Decembris 1855.

Prope Vicovarium exstat ecclesia nuncupata S. Mariae Gratiarum, eique adnexa conspicitur religiosa domus, quam olim incolebant fratres Minores conventuales. Dominantibus Gallis tam ecclesia, quam bona, quae ad conventum pertinebant, inter bona demanialia relata fuerunt. Rebus inde restitutis s. m. Pius VII. nonnulla ex praefatis bonis exigui reditus scut. 32 una cum ecclesia adnexaque domo attribuit capitulo S. Joannis in Laterano. Porro ecclesia fatiscit, et domus ruinam minitatur; quamobrem Lateranense capitulum supplici oblato libello postulat, ut praevia dispensatione ab affixione edictorum sibi liceat praefatam domum perpetuo concedere cuidam Vincentio Conti, qui in correspectivitatem cessionis onus sibi assumeret ecclesiam reparandi ac manutenendi.

Ablegatae fuere hujusmodi preces ad Episcopum Tiburtinum pro sueta informatione ac voto, et praesertim ut deputato perito referret de evidenti causae piae utilitate, et utrum ex edictorum affixione obtineri possent meliores oblationes. Ex transmissa periti relatione constat, domum seu conventum in deterrimo statu versari, adeo ut non sine gravi dispendio refici ac restaurari posset. Episcopus hinc censet cessionem hanc in evidentem vergere utilitatem causae piae, quae ex iis aedibus, cum ab oppido distent, nihil unquam habuit, nihil unquam habere potest lucri. Addit nullam effulgere spem meliores obtinendi oblationes ex edictorum affixione; se nihilominus rem omnem ad communitatem Vicovarii detulisse, si forte praeferri voluisset; sed frustra, cum oblatores deterreat miseranda ecclesiae conventusque conditio. Demum monet nullam in precibus mentionem fieri de missarum oneribus, quas in eadem ecclesia litandas esse asserit, quasque ad numerum quotannis 197 una cum duobus officiis adnotatas exhibet in tabella quadam exarata die 28. Januarii 1725 et Ministri generalis fratrum Conventualium manu subscripta. Hinc existimat declarari oportere a capitulo, an sibi in posterum, an vero praefato Vincentio Conti hujusmodi missarum onus incumbat.

Ex iis, quae exposita sunt, videretur, propositam cessionem nedum nullum capitulo Lateranensi detrimentum afferre, ex quo ab cedenda domo nihil un-

quam lucri habuerit aut in posterum habere poterit, sed imo longe utilissimam censeri oportere, quandoquidem ab quolibet ecclesiam adnexam reparandi ac manutenendi onere vacuum ac solutum evaderet. Atqui ob evidentem utilitatem facultas bona ecclesiastica alienandi impertiri solet, Extrav. Ambitiosae de rebus eccles. non alien.; can. 52, caus. 12. quaest. 2. At vero S. Congregatio praescribit, ut ante beneplaciti concessionem edicta publicentur, eique ab Ordinario remittantur oblatores; Card. Petra ad const. 1. D. Leonis magni sect. 3. n. 29. tom. 1. C. C. in Neapolitana Domus 13. Januarii 1731, in Lauden. 3. Maji et 2. Junii d. anni, in Florentina Emphyteusis 5, Maji 1735. Verum cum id eo spectet, ut meliores, si fieri potest, oblationes habeantur, locique pii utilitati magis magisque prospiciatur, hinc perpensa rei conditione, pro sua prudentia decernent EE. PP., an in praesenti casu, in quo melioris oblationis spes nulla Episcopi sententia effulget, ab hujusmodi solemnitate dispensatio concedenda sit.

Demum definient etiam, quid sentiendum sit quoad missarum onera, quorum olim adimplementum conventui S. Mariae Gratiarum ejusque bonis absque dubio inhaerebat. Multis quidem capitulum Lateranense huic offensioni occurrendum satagit, contendens nullam missarum obligationem in bonorum translatione sibi impositam fuisse. Documentis enim exhibitis perpendit primo, non omnia quae ad suppressum conventum pertinebant bona capitulo adjudicata fuisse, sed ea tantum, quae post generalem meliorum fundorum alienationem a demanio peractam supererant, quaeque exigui sunt reditus scūt. 32. Porro cum in tabella onerum missarum ab Episcopo exhibita nulla mentio fiat de fundis, quibus praescripta inhaererent onera, merito dubitari posset, an bona a demanio alienata, vel ea minima, quae capitulo concessa fuere, hujusmodi oneribus vel pro parte vel in totum subderentur. In facti igitur ambiguitate omnem exsulare obligationem, quae concludenter probari deberet. Jus enim nostrum promptius est ad solvendam, quam imponendam obligationem, leg. Arrianus 47. ff. de act. et oblig.

Animadvertit ulterius certo asseri non posse, an cuncta onera bonis conventus inhaererent, cum improbabile non sit eorum plura vel ab regularis disciplinae obligatione promanasse, quae inter recenseri potest missa quolibet mense pro fratribus ac benefactoribus defunctis litanda, vel ad exteras capellanias pertinuisse, de quo non pauca exstant in ecclesiis etiam Urbis exempla. Ignorari etiam, an eorum aliqua in locis montium constituta fuerint Quae quidem omnia eo magis quodlibet obligationis vinculum excludere palam est.

Quibus addit in donationis instrumento nullum de missarum oneribus verbum excidisse, imo bona ibidem tradi capitulo asseruntur in pleno et libero dominio, unde cum plenum dominium directi ac utilis rationem includat, ita libertas dominii ab quolibet onere immunitatem necessario prae se fert. Nec leve huic argumento robur accedere, si spectetur qualitas donantis, nempe Summi Pontificis, cui ex suprema sua potestate integrum in donatione fuisset onera uti augere, ita diminuere vel omnino delere. In hac demum fuisse sententia omnes Tiburtinos Episcopos, qui in ss. visitationibus altum de hujusmodi oneribus silentium servarunt.

Quatenus aliter censuerint EE. PP., videant, an et quae missarum reductio sit facienda; tum cui illarum onus incumbat: ab hoc enim Vincentius Conti, cui domus tantum, in qua conventus erat, non bona, quae ad conventum pertinebant, ceduntur, eximendus omnino videretur. Denique in eadem hypothesi definient, an attenta bona fide absolutio pro praeteritis omissionibus capitulo Lateranensi concedenda sit.

Pro gratia juxta petita, praefixo Vincentio Conti termino trium annorum pro restauratione ecclesiae et domus, cum solitis clausulis, facto verbo cum Sanctissimo ad cautelam etiam super condonatione missarum quoad praeteritum, et reductione quoad futurum ad unicam missam singulis mensibus.

146. Ariminen. — Legati pii.

Die 14. Februarii 1857.

Joannes Petrus Vita oppidi Morciano pium missarum legatum reliquit testamento diei 13. Junii anni 1780 per haec verba: „Volo ut a meis haeredibus in ecclesia parochiali S. Michaelis archangeli in hac mea patria curetur celebratio unius missae cum eleemosyna obolorum 15 diebus festivis, pro commoditate populi, ... quae celebretur hora a parocho designanda, et pro hac dispositione exsequenda assigno fundum dictum „del Manone". Et si forte haeredes mei hanc obligationem assumere nolint, lego istum fundum parocho loci Morciano pro tempore, ut legato satisfaciat, et residui reditus ipsi cedant pro mercede vigilantiae." Pro hujus securitate legati anno 1819 assumpta fuit inscriptio hypothecaria super bonis in testamento notatis pro summa scut. 360. Anno inde 1836 obtenta facultate a S. Congregatione Episc. et Regul., legati fundus commutatus fuit in aliud praedium, quod pariter hypothecariae inscriptioni subjectum fuit pro summa scut. 240, quae quidem summa adimplendo legato sufficiens visa fuit.

Possident nunc hoc praedium fratres Vanni, qui cum jam bona sua inter se diviserint, ac praedictum praedium liberum habere sibi cupiant, consilium ceperunt transferendi in parochum Morciani onus celebrare faciendi missas singulis diebus festis, ceu in testamento cautum est, eique ob id obtulerunt summam scut. 250 in bonis rusticis collocandam. Hodiernus Morciani parochus Petrus Menghi libenter exciperet praedictam summam, quam erogare sibi proponit in emptione praedii jam sibi a possessore oblati et alteri parochialis praebendae fundo contermini. Hinc supplex a S. Congregatione facultatem postulat assumendi super praebenda parochiali legatum missae ut supra, absolvendi ab hoc onere fratres Vanni, et assensum praebendi pro deletione hypothecae in legati securitatem assumptae.

Episcopus petitioni assentiri videtur, utilem parocho reputans oblati praedii emptionem, et ad rem insuper perpendit, quod „eleemosyna obolorum quindecim pro qualibet missa de festo celebranda nunc temporis non respondet eleemosynae, quae elargiri consuescit in hac dioecesi diebus festis; sed cum fundator ipsam sic statuerit, mihi videntur haeredes Vita eorumque successores cogi non posse ad tribuendam eleemosynam, quae modo in usu est. Quatenus vero fratres Vanni solvere parati sunt summam scut. 250, quae ad rationem quinque scutatorum pro quolibet centenario et anno reditum dabit scut. duodecim cum dimidio, eleemosyna pro qualibet missa augeri poterit usque ad obolos fere octodecim pro unaquaque, haec autem licet insufficiens sit modo, major tamen est illa statuta a fundatore, qui non praevidit futurum eleemosynae augmentum."

Petitioni obstare primo videtur voluntas testatoris, qui specifice fundum designavit, a quo reditus pro celebratione missarum percipiendi forent; eo vel magis quod semel jam primaevo fundo alter suffectus fuerit, ac frequentes hujusmodi fundorum commutationes ac subrogationes evitare expediat, ne causa pia detrimentum patiatur. Videndum praeterea an aliquod obveniat

praejudicium praebendae parochiali ex novi hujus oneris impositione, praesertim ubi fundum a parocho coemendum in deterius tractu temporis ita abire contingat, ut congruus oneri implendo reditus exinde percipi nequeat.

At e contra propositae commutationi fundi haud repugnare videtur lex testamenti, in quo fundus ipse non taxative, sed demonstrative relictus videtur. Incipit enim dispositio ab onere „Volo ut .. curetur celebratio unius missae“ .... et deinde fundus adjungitur „et pro hac dispositione exsequenda assigno fundum etc.“ juxta distinctionem de qua late S. Congregatio in Mediolanen. 23. Nov. 1765. §. Sin vero et seqq. Huic interpretationi suffragatur etiam cit. rescriptum ab S. Congregatione EE. et RR. latum, quo aliàs in specie fundi subrogatio permissa fuit.

Aliqua etiam utilitatis ratio in proposita commutatione subest, nedum ob acquisitionem praedii paroecialibus aliis praediis contermini, sed ob augmentum etiam sortis, quam ad scut. 250 evehunt fratres Vanni, ex quo fit, ut augeri quoque possit eleemosyna missarum, quae ceteroquin nimis foret tenuis, nec facile praesto essent sacerdotes, qui diebus praesertim festis cum eleemosyna, quae manuali inferior est, missam applicent pro satisfactione legati. Denique rei favere videtur vel ipsius testatoris voluntas non plane abnuentis, imo praecipientis, ut legati administratio Morciani parocho committeretur, ubi illam in se suscipere haeredes renuerent

Pro gratia juxta petita.

147. Nepesina. — Commutationis voluntatis.

Die 30. Martii 1867.

Supremo quo decessit elogio mense Decembris 1736 Augustinus Bucchi Nepesinus, instituta haerede uxore sua Theresia Penteriani, ex nonnullis, quae designavit bonis, mandavit institui post obitum praedictae uxoris in ecclesia cathedrali Nepesina beneficium simplex laicale tantum, cujus jus activum tantum, ut videtur, in perpetuum Theresiae haeredibus contulit, peracta prima nominatione ab ipso testatore favore Simonis Cerrelli, et onere imposito capellano pro tempore celebrandi unam missam in singulas hebdomadas, et solvendi quotannis scutata duo cum dimidio sacristiae praedictae cathedralis.

Mortua Theresia Franciscus Penteriani, Theresiae patruus, eidem haeres exstitit, sed de beneficio erigendo minime sollicitus fuit: post Franciscum vero haeredes ipsius Ptolemaeus, Archangelus et Joannes, divisis inter se rationibus haereditariis, nedum beneficium non erexerunt, sed ne de erectione quidem, ut asseritur, cogitarunt, ea ducti ratione, quod onus injunctum ab Augustino Bucchi ad legatum pium vi beneplaciti apostolici, ut Ptolemaeus se a praedecessoribus audivisse referebat, salvo onerum adimplemento redactum fuisse autumabant; quin imo bona haereditaria inter se divisa quisque pro lubitu alienavit. Qui nunc autem de familia Penteriani sunt, quoniam de asserto beneplacito nil certi invenire potuerunt, quia fortasse deperiit in incendio, quo consumpta fuit cancellaria et urbs Nepesina in invasione Gallorum anno 1798, supplicem Sanctissimo porrexere libellum, quo petierunt commutationem praedictorum onerum in legatum perpetuum, pro quo in satisfactionem onerum a testatore Bucchi impositorum idoneum se fundum hypothecae subjiciendum desponderunt, et insuper profitentes se prorsus ignorare, utrum quoad praeteritum omnes missae celebratae fuerint, a Sanctitate Sua postularunt propitiam super hujusmodi omissionibus absolutionem.

Episcopus Nepesinae dioecesis administrator, quem rogavi, ut audito capitulo referret super valore bonorum, quae beneficii dotem constituere debuissent, suamque aperiret sententiam, haec habet: „De instantia haeredum Penteriani verba feci cum hoc capitulo et cum aliis omnibus interesse habentibus, et omnes fuerunt in sententia favorabili ipsis precibus haeredum Penteriani. Valor bonorum, quae constituere deberent dotem beneficii, ut ex relatione patet periti Marconi, summam exaequant scutat. 787: 43. Relate autem ad beneplacitum apostolicum, de quo in precibus, fas non fuit illud reperire in actis ss. visitationum pastoralium, et puto propterea allegatam bonam fidem Oratorum posse admitti. Nunc vero ad providendum eorum conscientiae in futurum proponunt ecclesiae cedere fundum ab omni onere exemptum valoris scutat. 100 pro satisfactione missarum quolibet anno 33, et pro aliis missis 20 quotannis celebrandis ad complendum numerum 53 solvere oportunam summam, quae respondeat reditibus annuis 5%. In quantum vero ad omissiones anteactas, scio aliquando quosdam ex haeredibus pro sua conscientia huic legato magna ex parte satisfecisse, quosdam vero non. Haeredes Penteriani ex adversa fortuna non pauca egestate premebantur; nunc vero titulo haereditatis aliunde quaesitae bona quaedam consecuti sunt, quae vix scutat. 1000 exsuperant pro quolibet haerede."

Ex hucusque relatis, quidquid sit de beneplacito apostolico, quod sane incertum est, utrum reapse exstiterit necne, illud in primis statui posse videtur, non agi in themate de proprie dicto beneficio, sed tantum de onere ad causam piam injuncto a testatore haeredibus ab ipso nuncupatis: Amostaz. de caus. piis lib. 3. c. 2. n. 2. Sacr. Congr. in Asculana Dispensationis 21. Martii 1863. Re quidem vera nomen beneficii testator adhibuit; at cum illico addiderit, se velle, ut beneficium esse deberet pure laiciale, satis mentem suam, ut apparet, explicavit, ita ut sollicitus quidem fuisse videatur de salutari missarum suffragio sibi procurando, minime tamen in animo habuisse, ut bona ab ipso designata ecclesiastica fierent. Et sane immediatus haeres Theresiae Franciscus et Episcopus illius temporis de pio tantum relicto testatoris mentem interpretati sunt, et nunquam ad erectionem beneficii per auctoritatem Ordinarii deventum est.

Quapropter cum ex legitima temporalium bonorum dedicatione facta Deo per Episcopos, quorum auctoritate unice a ceteris bonis profanis nonnulla separantur ac divini juris efficiuntur: cap. Ad haec de relig. dom., Sacra Congreg. in Firmana Capellaniae 29. Augusti 1772, bona ipsa Ecclesiae addicantur: hujusmodi decreto Episcopi in casu deficiente, bona a testatore designata pro onerum adimplemento non videntur quaesita Ecclesiae, ita ut eadem ecclesiasticis beneficiorum sanctionibus subjecta dicantur. Aliunde vero cum praedicta bona a longissimo temporis spatio divisa jam fuerint inter haeredes, imo quaedam etiam alienata, et difficillimum, imo impossibile nunc sit, eadem in pristinum statum redintegrari, maxime opportunum, ne dicam aliquatenus necessarium in praesentiarum esse videtur, ut Oratorum preces propitio rescripto excipiantur, ne attenta ipsorum paupertate forte contingat, ut pia testatoris voluntas quovis effectu in posterum destituatur. Praeterea si paupertas eorum, qui stipendium missarum rependere tenentur, aequa esse potest causa, ut onera reducantur ad exempla in Imolen. Red. missar. 17. Julii 1745. §. Tenuitas, in Tolentina 20. Martii 1790 §. Haec, in Bracharen, 20. Januarii 1798. §. Miserrimus, et in Caven. Reduction. 22. Dec. 1838, non minus aequa judicari debet, (praesertim si favens accedat sententia interesse habentium et votum Episcopi,) ut commutatio injuncti oneris elargiatur, et praescripta onera in opus consimile com-

mutentur: ceu rescripsit Sacr. Congr. in una Nullius Piscien. 13. Julii 1720, in Fulginaten. 4. Dec. 1762, et in Nullius S. Benigni 16. Jun. 1792. Haec autem omnia in themate concurrunt et Oratoribus favent; nisi forte fundus valoris scutator. 100, quem pro missis 33 quolibet anno celebrandis hypothecae subjiciendum proponunt, haud aeque fortasse satisfaciendi oneris securitati prospicere videatur.

Quoad absolutionem vero super missis hucusque non celebratis, quam postremo loco haeredes Penteriani postulant, adnotare juvat, non omnes Penterianos hujusmodi oneri defecisse; eos autem, qui praedictum onus non adimpleverunt, ita se gessisse non ex dolo aut fraude, sed potius ex egestate, qua premebantur, et ex bona fidé, ut putat Episcopus. His autem intervenienticus causis, Sacra Congregatio haud denegare solet absolutionem et condonationem, injuncto aliquo peculiari onere missarum vel alio etiam satisfactorio opere: ceu videre est in Romana Capellaniar. 18. Febr. 1815, in Placentina 18. Martii ejusd. anni, et in Calaritana Reduct. missar. 22. Febr. 1823. §. Sane.

Celebratis missis triginta ac tradito fundo valoris saltem scutatorum biscentum quinquaginta pro integro implemento onerum juxta legem fundationis pro gratia absolutionis, condonationis ac commutationis voluntatis, facto verbo cum Sanctissimo.

3. Casus transactionis.

148. Derthonen. — Transactionis.

Die 9. Augusti 1862.

Supremis tabulis diei 24. Aprilis 1794 Joseph Conte ex oppido Arquata Derthonensis dioecesis omnium bonorum animam suam haeredem nuncupans, testamentariis exsecutoribus suae voluntatis, et post ipsos parocho ejusdem oppidi et praesidi confraternitatis sanctissimi sacramenti ecclesiae parochialis injunxit, ut in perpetuum exclusis parentibus locarent omnia sua bona stabilia et canonem annuum post mortem Catharinae Franciolo uxoris suae, quam usufructuariam instituit, in celebrationem missarum, addita facultate erogandi reditum annuum bonorum stabilium in totum aut pro parte in favorem ven. confraternitatis ss. sacramenti, vice missarum in testamento mandatarum, cum forte expensae occurrerent extraordinariae faciendae ab eadem confraternitate in utilitatem ejusdem ecclesiae et populi commoditatem. Hoc enim in casu eadem confraternitas libere posset missarum celebrationem suspendere „in totum aut pro parte et per id tempus, quod opportunius crederet, quin opponi posset defectus auctoritatis pro commutatione facienda.“

Defuncto testatore ejusque pariter uxore, publico instrumento 25. Novembris 1796, exsecutores testamentarii, derogata clausula exclusionis parentum per decretum marchionis d'Arquata, bona immobilia ibidem posita in perpetuam emphyteusim concesserunt Francisco et Sebastiano Conte, defuncti consanguineis, eorumque descendentibus masculis, annuo constituto canone 390 libell. Januensium (hod. 325). Cum vero anno 1822 integre haud solveretur canon, alter qui tunc supererat ex emphyteutis, Sebastianus, a loci parocho et pii sodalitii administratore in judicium raptus est coram judice di Serravalle, a quo admissum est debitum ob canones residuos in summa libellar. novar. 1830. 80 in 37 annis

solvendarum, in portionibus lib. 50, et perpetuae emphyteusis contractus in temporaneam 21 annorum locationem resolutus est, annua 180 libellarum statuta mercede.

At nec inde major consecuta est in solvendo diligentia. In ingens immo volventibus annis ecclesiae creditum excrevit, et anno 1857 loci parochus post alia remedia inutiliter adhibita, judicio convenit Aloysium et Michaelem Conte, Sebastiani vita functi filios, postulans, ut declararetur eos ab emphyteusi cecidisse, aut condemnarentur ad solutionem quinque canonum usque ad finem Novembris 1856 decursorum, obtinuitque sententiam anno 1856, aliamque primae confirmatoriam anno 1859, qua posthabitis omnibus exceptionibus a fratribus Conte productis, iisdem mandatum est „ut deliberarent super merito petitionum parochi.“

Hisce in angustiis si ad sententiae definitionem contra ipsos tribunal procederet, fratres Conte, qui, ut ipse parochus exponit, obruuntur debitis et onere sustentandae familiae, in maximam miseriam et desperationem prolaberentur; hinc supplices Beatissimum Patrem rogarunt, ut approbare dignaretur transactionem, quam, parocho et fabricae administratoribus consentientibus, hisce articulis complexi sunt:

1. Ut petatur absolutio a debitis et missis non persolutis a fratribus Conte usque ad 1. Jan. 1860, pro quibus cedent fundum quendam ex bonis a Josepho Conte relictis, cum pacto redimendi infra quinquennium, solutis libellis 600. 2. Ut ab exsecutore testamentario et fabrica agnoscatur non cessasse emphyteusim, quae a fratribus Conte redimetur pretio libell. 5200, scilicet 16 canonibus annuis juxta legem 13. Julii 1863, quae sors hypothecaria inscriptione privilegiata per 18 annos super illa bona tutabitur. 3. loco usurae legal. libell. 280 fratres Conte his 18 annis solvent tantum libellas 200.

Preces ad Episcopum remisi, ut referret „quo jure admitti possit proposita transactio, quae dum ex una parte sufficienti ratione destituta videtur, in evidens ex altera detrimentum causae piae cessura est, cum praesertim ex pretio affrancationis habeatur annuus reditus longe minor ipso canone.“ Ipse vero postquam monuerit, rationem in primis commiserationis movisse parochum ad transactionem ineundam cum fratribus Conte, „utpote qui vere ad egestatem redigerentur, ubi bonis spoliarentur, quae actu possident;“ illumque prae oculis etiam habuisse assecurationem annuae praestationis in futurum, cum praesertim noscat, annis ante habitis plusquam 40 nihil aut ferme nihil percipi potuisse; observare non praetermittit, ex una parte praedicta transactione finem imponi liti nondum expletae, atque exitus non omnino certi; eadem enim agitur in Pedemontani regni ditione, et hac nostra aetate; ex altera autem eos, quibus commiseratio adhibetur, pii fundatoris descendentes esse: concluditque hisce verbis: „Auserim dicere posse transactionem approbari, dummodo ipsi (fratres Conte) sortem solvant libellarum sex mille et quingentarum, quae sors annuum reditum parit libellarum tercentum vigintiquinque, qui canonem aequat in primaeva investitura statutum.“

Cum quaevis transactio, veluti cessio et remissio, onerosam contineat inter partes conventionem, beneplacito quidem apostolico indiget, ut iniri valeat super juribus ac rebus in pias causas erogandis; hujusmodi vero beneplacitum concedi profecto haud solet, nisi justa concurrat transigendi causa, sin minus necessitatis, saltem evidentis utilitatis; Urceol. de transact. qu. 23. n. 2. et seq.: S. Congregatio in Perusina Transactionis 20. Decembris

1823 et alibi passim. Huic quidem utilitati licet maxime prospiciatur transactione, quoties transigendo liti adhuc incerti exitus finis imponatur, S. Congr. in Senogallien. 8. Maji 1819. §. Porro; primario tamen requiritur, ut dum nonnihil ab Ecclesia remittitur, aliquid etiam acquiratur, nec forte fiat, ut in Ecclesiam nonnisi detrimentum derivet, tota vero utilitas pro adversa parte quaeratur, eadem S. Congr. in Camerinen. Concordiae 17. Dec. 1825, et in Beneventana Beneplaciti 24. Januar. 1829 ad II. dubium. Qua quidem in re id etiam notandum, utilitatem vel detrimentum ex specialibus facti adjunctis peculiariter esse dimetiendum. Haec in genere; in specie vero in casu de quo res est, ad beneplacitum concedendum causa suffragaretur cessationis a lite, quae uti jam innui, pro loco, in quo agitur, proque circumstantiis temporum, in quae devenimus, non parum incerta dijudicari potest; et huic causae nec despicienda deesse videtur ratio ex commiseratione erga pii fundatoris descendentes desumpta, qui licet de bonorum possessione dejicerentur, solvendo fortasse non essent, attentis praecipue debitis, quibus ipsi gravantur. Soluto tamen juxta votum Episcopi affrancationis pretio, quo reditus haberetur primitivo canoni respondens, et absolutione praestita debitorum juxta conventionem in primo articulo comprehensam, integrum causae piae gravamen videri posset exclusum. Videant idcirco EE. PP. an conditionibus ita perstrictis, conciliatio permittenda sit, juxta votum Episcopi, vel aliquid etiam praeterea indulgeri valeat ad tramites propositae conventionis, sive ob summam fratrum Conte paupertatem, sive ob illud speciale, quod etsi nulla in casu iniretur transactio, non parvum tamen detrimentum a pia causa in praesenti rerum statu certo sustineretur.

Pro gratia condonationis et absolutionis super praeteritis omissionibus, et approbationis transactionis juxta votum Episcopi, graviter onerata ejus conscientia pro adimplemento conditionum, facto verbo cum Sanctissimo.

Sanctissimus Dominus Noster abradi voluit illud incisum „graviter onerata ejus conscientia pro adimplemento conditionum“ et in ejus locum substitui aliud incisum, nempe: „qui tamen curet fidele implementum conditionum.“

149. Viterbien. — Transactionis.

Die 16. Junii 1866.

E vivis erepto die 7. Septembris anni 1864 sacerdote Joanne Gori, qui propriam animam sibi universalem haeredem dixit, Joachimus Persi exsecutor testamentarius in possessionem se immisit omnium bonorum defuncti, et praedii cujusdam la Fullonica, quod emphyteutico contractu ad tertiam generationem concessum anno 1717 a principe de Alteriis cuidam Lucae Deraris, ipsi et descendentibus, legitime ad praefatum Joannem devenerat. Statutum quippe erat favore Lucae Deraris, ut possit illud dare in dotem filiis earumque descendentibus, et ita reapse peractum est: a Luca enim praedium la Fullonica traditum fuit filiae suae Mariae nuptae Petro Gori, transiit deinde in nepotem Georgium, et tandem in Joannem pronepotem. Attamen praeter Mariam aderat Lucae altera filia Margarita, cujus nepos Stephanus Gori pari gradu ac Joannes a Luca Deraris descendens in judicium rapuit coram episcopali curia Viterbiensi testamentarium exsecutorem, et praedicti emphyteutici fundi restitutionem expostulavit.

Re discussa inter partes cribratisque juris momentis, testamentarius exsecutor amicas, ut ait, praebens aures prudenti transactionis consilio, proponit, ut dicto Stephano Gori emphyteusis, de qua agitur, cedatur solutis scutatis 40 favore causae piae, ut deinde eidem causae piae fructus fundi usque ad stipulationem transactionis tribuantur atque judicii expensae compensentur. Animadvertens propterea praefatum Stephanum sexagesimum quintum aetatis annum agere, adeoque brevi adhuc perduraturum fore emphyteuticum contractum, praediumque soluto canone et publicis vectigalibus parum utilitatis afferre, supplex orat, ut sibi facultas fiat ineundi propositam transactionem etiam instrumento privato ad evitandas expensas.

Datis in has preces literis ad Viterbiensis dioecesis administratorem Episcopum, is ad Sacrum Ordinem rescribens die 27. Januarii currentis anni, docuit imprimis de plenissima porrectarum precum veritate; explicans deinde pacta conciliandae transactionis, haec addidit: „Stephanus Gori pro anima defuncti sui propinqui scutata centum solvet, scilicet scut. 50, cum ei fundus Fullonica emphyteuticus traditur, scut. 25. die 31. Decembris hujus anni 1866 et alia 25 mense Decemb. anni insequentis, ea tamen lege, ut ipse suum faciat pretium omne locationis-conductionis illius fundi, quod nunc depositum exstat: expensis in judicio factis utrimque compensatis“. Sui tandem animi mentem, prout sequitur, aperuit: „Cum quis animadvertat jus emphyteusis integrandae Stephano Gori tribuendum a viris auctoritate pollentibus hac in re sentiri; vita functo isto Gori, qui ann. 65 natus, emphyteusim resolvi . . et pretium locationis annuum ex fundo emphyteutico scutata circiter 50 non excedere; facile utilitatem transactionis relate ad causam piam, prout etiam a Stephano Gori moderata est, perspectam habebit.“

Agitur in casu de emphyteusi ad tertiam generationem concessa ea lege, ut quousque vel unus ex comprehensis in dicta generatione supersit, ad directum dominium emphyteuticus fundus remeare non possit.

Utrum vero idem fundus ex bonis haereditariis defuncti sac. Joannis Gori dicendus sit, seu potius Stephano Gori adjudicandus, in propatulo non esse videtur. Sane, duo a themate extra discrimen sunt posita; 1.° quod in concessionis litera facultas tributa fuit primo acquirenti dandi fundum in dotem filiis earumque descendentibus; 2.° quod idem praedium in dotem Mariae reapse concessum. ad hujus descendentes ac nominatim ad Joannem pervenerit. Jamvero dos de sui natura causam habet perpetuam, ac nisi peculiaribus pactionibus aliter constituatur, mulieri pleno jure acquiritur, ut ad alienos etiam eam transmittere queat. Quare inspecto hujusmodi concessionis pacto, inferendum videtur emphyteusim in casu esse haereditariam, vel sin minus, ut ex contrahentium voluntate cuilibet descendenti ex privilegiata ac peculiari dotis causa privative acquiri posset.

Sed contraria huic sententia non levis momenti rationibus fulciri etiam videtur. Etenim inspecto praedicto emphyteutico contractu, in quo non semel legitur emphyteusim concedi Lucae Deraris in tertiam generationem ipsi et descendentibus, nulla unquam haeredum facta mentione, emphyteusis ex pacto et providentia dicenda videretur, cujus ea est natura, ut ad extraneos minime transire valeat. Illud etiam animadvertendum, quod in eodem instrumento inserta prohibitio sit vendendi vel locandi fundum emphyteuticum; ex quo intentio argui potest contrahentium non sinendi, ut qui in investitura comprehensus non sit emphyteusi fruatur. Res igitur dubia nimis dici debet, qua super merito possit coram judicibus dimicari. Atqui si solus etiam timor futurarum litium veluti legitima habetur transigendi causa: leg. Cum te proponas 2. Cod. de transact., Voet ad pand. lib. 2. tit. 45, 10; a

fortiori id retinendum, si lis jam ferveat, ut in casu, et gravium expensarum periculum immineat, veluti traditur in leg. 1. Cod. de transact., l. Causas Cod. eod. tit., Rota in Firmana Transactionis 18. Maji 1791, in Firmana Concordiae 21. Novembr. 1807 et in aliis passim, et eo magis etiam, si super incerto litis exitu dubitatio aliqua adsit. Tunc enim omnino utilis transactio censeri debet ad tradita per Urceol. de transact. quaest. 2. n. 40, Rotam in Fulginaten. Nullitatis transactiones 12. Maji 1806 §. 6 et Sacram Congr., quae constanter transactionis hujusmodi approbare consuevit, ceu in Fanen. Transactionis 27. Apr. et 25. Maji 1816, in Senogallien. Transact. 8. Maji 1819.

Pro approbatione propositae transactionis juxta votum Episcopi administratoris, facto verbo cum Sanctissimo.

B. Casus diminutionis onerum.

1. Dispensationes a conditionibus causae piae.

150. Assisien. — Commutationis voluntatis.

Die 24. Januarii 1857.

Mariae Annae Modestini, civitatis Assisii nobili puellae matre orbatae, duo relicta fuere legata, alterum testamento diei 7. Julii 1836 ab ejus avunculo Alexandro Fiumi comite in summa scut. biscentum, adjecta conditione, si nuberet aut monasterium ingrederetur, alterum testamento diei 23. Novembris 1848 ab ejusdem patruo Josepho Modestini in summa pariter scut. biscentum, et addita clausula, ut id recipiat, si vel in matrimonio vel in monasterio collocetur, si vero nubilis remaneat, legatum consequi non possit, quod haereditati accrescat. Ceterum puella ratione dotis ex bonis paternis et maternis unico fruitur capite scut. quingentum, cujus reditus decenti ejus exhibitioni pares non sunt; quare usque in praesens opem ipsi tulit ac domi eam excepit soror defunctae suae matris; quod tamen auxilium brevi penitus deficiet, cum ejus amita sit aetate provecta, nec quidquam relinquere possit, quippe quae nihil possidet praeter nonnullos reditus vitalitios.

Haec itaque secum animo reputans praefata puella, quae cum vigesimum octavum nunc agat aetatis annum, nec ad statum conjugalem, nec ad professionem religiosam vocationem experta adhuc est, supplicem obtulit huic Sacrae Congregationi libellum, quo postulat, ut in nubili quo versatur statu, utrumque assequendi legatum facultas sibi detur.

Episcopus, ad quem preces pro informatione et voto, auditis prius interesse habentibus remissae sunt, narrat: „Comes Alexander Fiumi primi legati auctor instituit haeredem usufructuarium fratrem suum comitem Franciscum Fiumi, suosque haeredes proprietarios filios masculos natos et nascituros ex D. Aloysia Fiumi testatoris sorore nunc defuncta et D. Joanne Paulo Modestini conjugibus. Mortuo Alexandro, haeredes proprietarii tunc in pupillari aetate constituti, et pro eis illorum pater beneficio legis et inventarii haereditatem adiverunt.“

„Hinc praedictus Joannes Paulus Modestini, vir in gerendis negotiis plane rudis, sub specie obaeramenti haereditatis judicis aucto itate et filiorum nomine omnia cessit jura haeredi usufructuario praedicto Francisco Fiumi viro experto, qui expromisit solvere aes alienum omniaque legata adimplere,

quique insuper favore haeredum scuta biscentum persolvit, ac bona nonnulla vincolo hypothecae subjecit in securitatem obligationum, quas assumpsit. Dixi, sub specie obaerationis haereditatis; nam cessionarius aes alienum haereditarium et legata absque conditione relicta persolvit, sibique praedium et domum reservavit, quibus fruitus est quoad vixit, et ubi morabatur in Villa Angelorum.

„Patefacta ei tamen neptis instantia, respondit, fratris haereditatem fuisse obaeratam, ideoque se nihil illi debere, eo magis cum haereditas adita sit beneficio legis et inventarii; asseruit insuper jura se habere contra dictam fraternam haereditatem; ac propter illa protestatum fuisse. Conclusit tandem pendere ex suo arbitrio et voluntate favendi suo tempore puellae titulo benevolentiae, non jure.

„Hisce tamen non obstantibus, certum est, D. Franciscum Fiumi se obstrinxisse ad omnia legata adimplenda ac aes alienum persolvendum, juxta fratris testamentum, proptereaque hypothecae bona subjecisse, prout eruitur ex instrumento diei 4. Martii 1837, ubi adnexum fuit judicis voluntariae jurisdictionis decretum, quo cautum est: „Comiti Francisco acquirenti et renuntiatario incumbet, ut provideat satisfactioni legatorum et debitorum infra tres annos.“ Cum autem omnia persolvisset debita et legata, non idcirco consensum pro hypothecae deletione obtinuit, sed tantum pro illius restrictione, ut legatum favore neptis Mariae Annae sartum tectum esset.

„Et re quidem vera quomodo absque ista obligatione Modestinius haereditatem cessisset? quis vero Franciscum Fiumi coegit cessionem haereditatis acceptare? Nonne vero et alia legata et quidem vitalitia quotannis persolvit? Nonne cum istis legatariis convenit? Tandem in facto est, ipsum aes alienum fratris, scuta biscentum Modestinio, annua legata solvisse, et nihilominus praedium domumque ex fratris haereditate superfuisse, quae bona praedictus D. Franciscus Fiumi pacifice possedit, ac de quibus solum (nam ipse alia bona stabilia nec ante nec post cessionem unquam habuit) disposuit vigore testamenti, in quo haeredem usufructuariam mulierem extraneam instituit, et proprietarium D. Comitem Caesarem Fiumi suum ex consobrino nepotem, cum onere solvendi omne aes alienum et legata, quae testator debebat, nihil prorsus Oratrici pauperi relinquens. Cum hac dispositione diem ipse clausit supremum.“

Quoad alterum legatum a Josepho Modestini Oratricis patruo relictum anno 1848, refert „hunc nominasse haeredem usufructuariam propriam uxorem, et proprietarios haeredes fratres suos Joannem Paulum et Aegidium. Quibus interpellatis, vidua petitioni non adversatur, dummodo pleno fruatur usufructu. Aegidius multis filiis oneratus, exigua possidens bona obstitit instantiae et nuper mortuus est. Joannes Paulus autem alter haeres filiae legatariae arridet. Iste tamen aere alieno gravatus omnia jura sua filiis masculis cessit.“

De Oratrice demum observat, ortam eam esse ex patre Assisiensi et matre nobili, ac more nobilium educatam; carere tamen congruis ad se alendum auxiliis. „Ipsa, inquit, a pueritia Deum timere coepit, et moribus bonis ornata ac religione ac multa pietate praedita, ceteris puellis optimum praebet exemplum, digna propterea meliori sorte, ideoque adjuvanda.“

Duo praecipue obstant Oratricis petitioni, nimirum testatorum voluntas et dissensus interesse habentium. Uterque enim testator voluit, legata non conferri extra casum spiritualium aut carnalium nuptiarum; geminatum autem hoc morientium desiderium frustrandum non esse docet textus in can. Ultima voluntas caus. 13. quaest. 2. et in leg. Omnium 19. Cod.

de testam. Legata autem sub conditione relicta, ea non purificata accrescunt haereditati; quod ceteroquin alter testatorum disertis verbis declaravit. Quare legatorum solutio in praejudicium verteret haeredum, quibus invitis et cum damno juris iisdem quaesiti gratia concedenda non esse videretur.

Nihilominus plura sunt, quae Oratrici favent; arctum nimirum cum testatoribus sanguinis vinculum, paupertas, bonorum commendatio morum, pietas ac religio, Episcopi votum, alterius ex interesse habentibus consensus. Deinde valde ponderanda sunt peculiaria rerum adjuncta, quae in sua relatione praesertim quoad primum legatum adnotat Episcopus. Quibus probe perpensis judicabunt EE. VV., an pro parte saltem Oratricis petitioni annuendum sit.

S. Congregatio pro casuum et circumstantiarum varietate hujusmodi petitiones benigne aliquando excepit, contradicentibus etiam interesse habentibus, uti in Melevitana Subsidii dotalis 17. Junii 1797, ad I. dubium; aliquando vero respuit, ceu in Camerinen. Subsidiorum dotalium 3. Martii 1787; aliquando demum pro parte aliquid postulantibus indulsit, uti in Firmana 6. Augusti 1808.

Lectum.

151. Alatrina. — Derogationis voluntatis.

Die 30. Julii 1859.

Publicis exaratis tabulis die 4. Maji 1831 Augustinus cathedralis Alatrinae canonicus et Alexander fratres Schiavi bina legata pia seu capellanias mere laicales patrimonialibus suis bonis fundarunt, adjecto singulis annuo missarum onere quinquaginta. Administrationem primae capellaniae cum jure superlucrandi reditus, qui impletis oneribus superessent, tribuerunt Petro Volpi ex sorore nepoti ejusdemque descendentiae sive masculini sexus sive feminini cum amplissimis facultatibus: alterius vero capellaniae cum eodem emolumento iisdemque conditionibus tribuerunt Philippo Fabiani eorum pariter nepoti. Cautum vero voluerunt pii institutores, „ne ab administratoribus ullo modo alienetur vel hypothecae subjiciatur fundus quicunque capellaniis adnexus, ne ex beneplacito quidem apostolico, quod semper pro obreptitio vel subreptitio habeatur“ comminata in contraventores quoscumque caducitatis poena a fruitione legati ipso facto incurrenda. Unam alteri ex nominatorum lineis, nempe Volpi et Fabiani, in casu exarescentiae substituerunt, et in ultimam spem, nosocomium Aletrinae civitatis vocarunt. Demum ipsa bona capellaniarum onerarunt annuo livello scutator. duodecim eorum sorori moniali Mariae Crucifixae ab administratoribus aequis partibus solvendo.

Nunc vero Franciscus, Georgius et Joseph Fabiani fratres ac haeredes defuncti Philippi primo vocati supplici oblato libello expostulant ab hac S. Congregatione, ut sibi facultas tribuatur alienandi bona in capellaniae dotem assignata, sese paratos ceteroquin exhibentes subjiciendi vinculo hypothecario satis amplam domum, quam Aletrii possident, pro securitate ac implemento missarum aliorumque onerum; causati sese non posse fundorum administrationi eo loci praeesse, cum alio, nempe in oppidum Arcis Maximae domicilium suum transtulerint. Addunt sese gravi premi paupertate, praesertim vero Josephum qui, ut suae proli satis numerosae victum comparet, officinae pharmaceuticae operam navat suam.

Rogatus Episcopus informationem et votum, is abstinet a sua promenda sententia: auditis vero nosocomii deputatis refert, eos libenter propositae alienationi assentiri, dummodo hospitali pro spe praevisae ab institutoribus

substitutionis centum triginta scutata exsolvantur, et per inscriptionem hypothecariam super praedicta domo suscipiendam prospiciatur securitati oneris missarum ac livelli. Etiam Petrus Volpi suum praebuit assensum sub iisdem fere conditionibus. Valor bonorum alienandorum juxta tabulas censuarias ascendit ad scutata 2800; domus vero hypothecae subjicienda juxta periti relationem exhibet valorem scut. 1108. 66 Adnotat tamen Episcopus, quod eadem domus multis reparationibus indiget.

Oratorum petitioni refragatur patula ac effraenata prohibitio fundatorum, quam pluries S. Congr. servandam esse decrevit, et ceteris missis in Caesenaten. 13. Maji 1713, ubi cum quidam pium legatum instituens prohibuisset fundos eidem obnoxios alienari, cumque exinde domus inter illos recensita absque conductore diu remansisset, quaesitum fuit, an ea posset alienari, et non posse responsum est. Eo fortius ita videretur respondèndum in themate, ubi non de unico fundo, sed de omnibus capellaniae bonis alienandis quaeritur. Agitur praeterea de recenti fundatione, quo in casu difficilius derogare solet S. Ordo fundatorum voluntati. Cum insuper agatur de capellania gentilitia, maxima cautela adhibenda foret, ne futuris vocatis praejudicium afferatur, siquidem vocatis descendentibus fieri non valet alienatio in extraneos, prout fieri valet in jure patronatus haereditario, teste Piton. alleg. 37. num. 13. et Rota in Tridentina Jurispatronatus 26. Martii 1709.

Verumtamen perpendendum erit, an rationum momenta ab Oratoribus adducta pro alienatione, praesertim paupertas Josephi ejus ponderis sint, quae justificent utilitatem vel necessitatem, quibus concurrentibus novum non est, ut a S. Sede derogetur testatorum voluntati. Patronorum inopiae multimodis occurri notum est. In themate non agitur de delendis vel imminuendis suffragiis, quibus imo prospectum undequaque foret per inscriptionem hypothecariam. Ceterum relevat etiam consensus interesse habentium; nec praesumendum descendentes seu futuros vocatos invitos fore in levamine suorum auctorum. An autem aequa sit summa, quam nosocomii moderatores postulant pro abdicatione sui juris, judicabunt EE. Patres habito respectu ad remotissimam spem, cui idem jus inniti videtur.

Lectum.

Die 2. Maji 1868.

Nunc vero novas Beatissimo Patri preces obtulerunt iidem Oratores exponentes, „permutata esse quaedam rerum adjuncta, propter quae contraria Oratoribus data fuit resolutio, et imprimis supremam obiisse diem sororem Mariam Crucifixam Schiavi, in cujus favorem Oratores canonem solvere debuerunt, ideoque petunt, ut causa iterum coram S. Congressu tractetur.“ Quas dum Episcopo Alatrino transmisissem, ut Oratores moneret ad exhibenda nova jura et documenta, alterum libellum exhibuerunt fratres Fabiani, quo enarrant „se expensas fecisse haud parvas in reparationibus, ita ut quoad haec rerum status mutatus sit, porro conditionem familiarum suarum pejorem evasisse variis infortuniis. Georgius enim, ajunt, a praedonibus captus est et ad redimendam libertatem circiter 300 scutata dedit; Josephus cum numerosa familia miseram vitam degit officio fungens secretarii communitatis, ex quo quinque scutata quovis mense percipit. Addatur alia gravis ratio, quod scilicet familia Volpi item suae capellaniae liberationem petiit et facile obtinuit rescripto S. Congreg. Episcoporum et Regularium, quod exsecutioni datum est ab Episcopo Alatrino mense Octobri 1866.“

Hasce pariter preces communicavi cum Episcopo, qui obsequentissime in sua ad H. S. O. epistola refert nullum novum juris adminiculum aut documentum, quod stricte ad rem faceret, fratres Fabiani produxisse, sed argumentum tantum sibi efformasse a simili, videlicet ex gratia, quam pro altera ejusdem institutionis capellania obtinuit Petrus Volpi per rescriptum Sac. Congregationis Episcoporum et Regularium. Deinde prosequitur:

„Instantibus igitur praedictis fratribus Fabiani, audivi super relatis precibus, uti interesse habentes, deputatos hujus venerabilis nosocomii ultimo loco ex voluntate fratrum Schiavi vocati, et hi in hanc unanimem sententiam venerunt, ut, si Sanctissimo placuerit praedictos fratres ad gratiam admittere, solvant huic piae domui infirmorum scutata biscentum, prout factum fuit a Petro Volpi. . . . .

„Ceterum fratres Fabiani in re, de qua agitur, nedum valorem bonorum capellaniae prae oculis debent habere, sed remedium poenae eaducitatis ab ipsis institutoribus expressum, et stricte mandatum in instrumento fundationis contra alienantes, aut quolibet modo eadem bona vinculo hypothecae subjicientes.

„Tandem assignandum erit sufficiens fundus rusticus, ut satisfactioni oneris missarum provideatur.“

His acceptis literis iterum scribendum duxi Episcopo Alatrino, ut referret: an in informatione transmissa S. C. Episcoporum et Regularium super precibus Petri Volpi deduxerit preces fratrum Fabiani rejectas fuisse a S. C. Concilii sub die 30. Julii 1859 decreto „Lectum.“ Cui satisfaciens Ordinarius enarrat capellaniam, quam possidet Petrus Volpi, jam antea oneratam fuisse aere alieno favore illius ecclesiae cathedralis pro scutatis sexcentis, cui debebantur etiam pro fructibus non solutis scutata circiter centum. Ait praeterea eumdem Volpi, priusquam Episcopo innotesceret decretum Lectum diei 30. Julii 1859, latum contra preces fratrum Fabiani, quod primum agnovit per literas 11. Augusti 1865, institisse coram Sac. Congregatione Episcoporum et Regularium pro facultate aliud grave debitum efformandi super bonis ejusdem capellaniae ratione suae rei familiaris adversitatis, et tum factam fuisse propositionem capellaniam coangustandi supra partem tantum fundorum, ut fas esset Oratori suis necessitatibus providendi. Hisce de causis deductum non fuisse praelaudatae Sac. Congregationis negativum responsum.

Haec, quae adduxi, factum respiciunt, in quo EE. VV. judicabunt, an rationum momenta Oratoris adducta, praesertim paupertas, ejus ponderis sint, quae utilitatem vel necessitatem praeseferre videantur. Hisce siquidem concurrentibus, novum non est, ut a S. Sede derogetur fundatorum voluntati, ceu animadvertebatur in folio precum diei 30. Julii 1859. In themate autem sat gravis occurrere videtur congruentiae ratio, ex eo quod S. Congregatio Episcoporum et Regularium benigne rescripserit precibus familiae Volpi, et licet petitioni refragetur fundatorum prohibitio, quo in casu S. Congregatio alienationes difficilius indulget, praesertim si de capellania gentilitia res sit, ne praejudicium futuris vocatis afferatur, expendendum tamen est Oratores paupertate laborare, et indulgentiam Sacri Ordinis expostulare, firmo manente impositorum onerum adimplemento.

Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.

152. Verulana. — Conditionis testamentariae super dispensatione.

Die 22. Decembris 1866.

Caesar Stefani e terra Riparum in Verulana dioecesi testamentariis tabulis omnium bonorum universalem haeredem suam neptem Margaritam viduam Cascioni nuncupavit. Legem tamen eidem injunxit: „ne possit vendere fundos in regionibus Utine et Cerasano cum domibus, aut alium in regione Valaccia“ quam si haeres sprevisset, testator jussit: „ut ab eorum usu cadat et cedant hospitio Ripano.“

At non multo a suscepta haereditate transacto tempore praefata Margarita facultatem a Sanctissimo Domino Nostro postulavit recensita praedia distrahendi. Exposuit siquidem „haereditatem reductam esse ad domum habitatam, et quosdam parvos agros in valore totali scut. 273. 88... atque se haereditatem non adiisse cum beneficio inventarii, quia eam non putasset debitis gravatam; at facto inventario pro administratione locorum piorum apparuisse debitum circiter 200 ducatorum; tum, ait, ad debitum duc: 301. 94 duci Lante, solvendum judicialiter haereditas damnata est. Haec debita certe non versabantur in mente testatoris, quia alterum evenit errore, quem in calculo admisit, qui post mortem detectus est, alterum evenit mala fide eorum, qui venditiones perfecerunt.“ Et his praemissis supplex rogavit „ut ad solvenda haec debita et alia Oratrici sex filiis gravatae permittatur alienatio libera illorum fundorum, quia aliis subsidiis privata est.“ Quas preces postea alio supplici libello moderata est, satis sibi fore affirmans, si praefata praedia in emphyteusim ab eadem dari posse permitteretur.

Propitium ad viduae petitionem edidit votum Episcopus, qui a me rogatus retulit „vera esse quae a Margarita .... exponuntur“, idemque naturam et effectus contractus emphiteutici, quem inire cuperet praefata vidua, ita exposuit: „Ex more illius terrae Riparum contractus hic consistit in eo, quod fundi dominus, proprietate sibi reservata, duas arborum seu fructuum terrae et arborum partes vendit, et emptor, vulgo colonus vel socius vel improprie emphyteuta, pretio soluto duarum partium, agrum colere debet, et quotannis vel certum canonem dare, vel potius unam ex tribus fructuum partibus quotannis fundi domino tribuere debet. Onera vero et vectigalia fundi dominum gravant. Margarita ergo .... hunc contractum inire cupit super fundis, de quibus supra, e quorum venditione summam scutatorum tercentum viginti quatuor et obol. quadraginta duorum perciperet. Hic valor adjunctis pecuniis ab alienatione nonnullorum fundorum ejusdem haereditatis percipiendis ad exstinctionem praedictorum onerum cederet. Exinde pars tantum dictorum bonorum vendenda foret. Ut autem ostenderet vires dictae haereditatis, notulam quamdam exhibuit vidua, ex qua aere alieno deducto haereditas tota scutatis 920. 94. constat, et ut notam ipsam comprobare valeat, adducit attestationem seu acceptilationem officialis di bollo e registro, cui successionis taxam solvit, summa omnino libera sc. 741. 87. tantummodo computata. At administrator hospitalis illius oppidi, quem audivi, autumat, praeter fundos descriptos, alios haberi, quibus ab aere alieno se liberare vidua queat, et insuper domum haereditariam cum omnibus adnexis, cujus valorem vix summam sc. 750. pertingere ait Cascionia, circiter bis mille scutator. valere. Ex quibus petitioni contrarius saltem implicite se demonstrat administrator.

„Ast cum caducitatis casus favore hospitalis Riparum nunquam forsan obventurus sit, quia Cascionia familia non sinet a se avelli as haereditarium, Oratrici non liberam venditionem, sed emphyteusis contractum (qui eidem satis juvaret) in fundis, de quibus in precibus, concedi posse arbitror.

Obstat viduae testatoris voluntas, quae adimpleri debet juxta conditionem ab eodem injunctam, maxime cum conditio, de qua in themate, potestativa sit: leg. In testamento 31. ff. de condit. et demonstrat., leg. 1. et 2. C. de instit. et substit. Quod vero Oratrix haereditatem adierit haud praemisso inventario, in pretio haberi nequit, nec deinde eximere se vidua valeat a debitorum solutione, etiamsi haereditatis vires debita excedant. Eo vel minus denique queri posse videtur, cum ex bonis haereditariis, soluto etiam aere alieno, emolumentum supersit.

His vero haud obstantibus, animadvertere non omittam, Ecclesiam constanter succurrere solere miserabilibus personis, qualis in themate est vidua sex filiorum onere gravata, quos inter quinque adnumerantur feminae. Aequum propterea videtur, ut per apostolicam dispensationem quo magis poterit levior eidem fiat conditio a testatore imposita; praesertim cum praesumi valeat, quod testator ipse, cui ignotum, ut videtur, erat aes alienum post ipsius mortem in haereditate detectum, si illud agnovisset, praedictam conditionem non imposuisset.

Ignotum deinde haud est, quam provide in jure consulatur mulieribus, ita ut in omnibus omnino actibus earum, unde instet quoquo modo periculum, ne laedi possint, solemnitates a statuto, multoque magis dispositione legis inductae, ne ex imbecillitate in damnum incidant, exigantur, ceu totidem fere verbis habet Rota decis. 75. num. 4. cor. Malvasia. Expendant igitur Eminentissimi Patres, utrum excusatione digna Oratrix appareat super omissione inventarii in adeunda haereditate.

De exiguitate haereditatis a testatore relictae subdubitari vix poterit, inspecta attestatione officialis di bollo e registro, quae nonnisi scutata 741. 87. haeredi libera attribuit; nec hac super re videtur Episcopus dubitare, qui omnibus perpensis propitium edidit viduae suffragium.

Praejudicium denique hospitali Riparum non obventurum videtur ex contractu emphyteutico; hoc enim admisso, utile dominium pro parte, quae liberum praediorum reditum repraesentat, semper mansurum erit in haereditate, directum vero ex integro. Dubitari propterea posset, an permissa contractus emphyteutici adstipulatione, praecise verificaretur conditio caducitatis a testatore praeconcepta, maxime cum in odiosis et contra haeredes benignori modo ea interpretanda videatur.

Pro gratia petita facultatis ineundi contractum emphyteuticum juxta votum Episcopi ad tertiam tamen generationem exeundam, facto verbo cum Sanctissimo.

2. Imminutio securitatis sortis ipsius.

153. Bononien. Deletionis seu reductionis hypothecae.

Die 28. Martii 1857.

Elisabeth Bentivoglio Paleotti marchionissa vidua Magnani testamento die 27. Septembris 1766 exarato, hospitale a nobili viro Francisco Azzolini Bononiae institutum sub titulo S. Mariae Magdalenae suum universalem haeredem scripsit, onere tamen ejusdem administratoribus imposito duorum

legatorum parocho S. Mariae Magdalenae quotannis solvendorum; alterum in scut. 120 in utilitatem ecclesiae paroecialis ejusdem nominis erogandis, alterum medietatis redituum suae haereditatis, quae detractis expensis superesset distribuenda pauperibus ejusdem parocciae, cum altera medietas impendenda foret in levamen infirmorum in hospitali degentium, qui ad praedictam paroeciam pertinerent.

Pro hujusmodi securitate legatorum numquam a parochis S. Mariae Magdalenae capta fuerat hypothecaria inscriptio super bonis haereditatis usque ad annum 1821. Quo anno primum tunc temporis parochus duas inscripsit hypothecas, alteram pro summa scutat. 2400 in securitatem legati annui scut. 120, alteram in summa scut. 12000 pro secundo legato medietatis redituum; quae quidem inscriptiones novissime anno 1852 renovatae fuere soluta summa scutat. quinquaginta.

Hodiernus S. Mariae Magdalenae parochus et hospitalis administratores perpendentes ex una parte inutilem prorsus in casu censeri posse quamlibet inscriptionem hypothecariam, quia vel ex eo ipso, quod parochus tam suae ecclesiae, quam hospitalis commissioni administrativae addictus sit, satis exinde in tuto posita videatur legatorum praestatio; ex altera vero eamdem hypothecariam inscriptionem in detrimentum potius vergere parochianorum ob consuetae taxae solutionem, quae reditus imminuit; hinc supplici oblato libello necessarias et opportunas postulant facultates, ut ad utriusque hypothecariae inscriptionis deletionem devenire possint ac valeant.

Hujusmodi preces ad Eminentissimum Archiepiscopum remisi pro informatione et voto auditis omnibus, quorum interesse poterat, ac praesertim ut referret, quomodo consultum sit causae piae, quatenus petitio excipiatur; et ejus nomine ab vicario generali, qui votum etiam congregationis piorum locorum, et ecclesiae juribus tutandis praepositae exquirere curavit, literas accepi, in quibus ex attestatione ratiocinatoris nosocomii monet, dimidiam partem redituum parocho debitam super bonis haereditatis Paleotti summam annuam attingere scut. biscentum. Super precibus autem haec habet: „Quamvis agatur de duabus piis causis, quae neque reditus distrahere, neque bona alienare possunt, aut vinculo subjicere, nihilominus ad quascumque contingentes vicissitudines vitandas, cautum profecto videtur, ut hypothecae serventur quidem, sed aequitatis sit, ut quae inscripta fuit pro capitali summa scutat. duodecim millium, reducatur ad summam scut. quatuor millium, quae ratione quincunce respondet annuo reditui a R. Priore Curione recipiendo, firma altera hypotheca manente prout inscripta comperitur.“ Hanc eamdem testatur esse sententiam praefatae congregationis, cui nunc etiam parochus et administratores hospitalis iterum auditi sese submittunt.

Ex iis quae in curiae relatione perpenduntur videtur, uti non absque piae causae periculo omnimodam hypothecae deletionem posse concedi, ita aequitati consentaneum esse, ut inscriptio pro minori summa suscipiatur, quae dum crediti providet securitati, patrimonium debitoris non gravet plusquam par est; quod suadet etiam juris dispositio, ceu videre est in neotericis legibus Codic. legis. et judic. §. 220 et 227. Quo in sensu S. Rota in Firmana seu Cingulana Hypothecae 25. Junii 1841 coram De Curtiis num. 2. merito monet: „Hypothecarum restrictioni vel deletioni locum dari semper, quoties vel nullum, vel in minori summa subsistens probetur creditum, pro quo hypothecaria inscriptio suscepta fuit.“ Quod quidem juris praescriptum licet ad generales inscriptiones directo referatur excessu laborantes, quae scilicet praeter necessitatem debitoris universum irretiunt patrimonium; attamen optime ex quadam congruentiae ratione aptari palam est,

ubi, ceu in casu, de minuenda inscriptione quoad summam agitur, quae laboret excessu, quamvis eadem bona huic vinculo subjecta in posterum maneant. Ceterum decernent EE. PP., an proposita reductio probanda sit, quae in tuto quidem ponit causam piam ratione habita ad reditus, qui ex haereditate Paleotti in praesens percipiuntur, sed dubitari fortasse potest, an eamdem praestet cautionem ac securitatem, si reditus augeri contingat, quorum semper dimidia pars favore pauperum paroeciae S. Mariae Magdalenae eroganda est.

Pro facultate juxta votum Eminentissimi Archiepiscopi.

154. Firmana. — Restrictionis hypothecae.

Die 24. Septembris 1864.

Gesualdus Valeri e Portu S. Georgii Firmanae archidioecesis testamento publici juris effecto die 25. Febr. 1856 post haeredis institutionem, tria reliquit pia legata quotannis adimplenda, sanctissimi sacramenti expositionem secunda quadragesimae dominica, novendialem supplicationem in honorem Deiparae Virginis in coelum assumptae, et missae celebrationem quolibet anni sabbato, pro quorum satisfactione scutata 23 ex reditibus cujusdam determinati fundi hisce verbis constituit: „Pro aliis tribus legatis, ut supra, volo ut quotannis praelevetur summa scut. 23 in messe frumenti ex fundo in territorio di Lapedona, . . .“ et fidelem exsecutionem vicario foraneo hujus loci pro tempore committo.“

Cum igitur ad praedictorum legatorum securitatem res componi deberet, forsan ex eo quod repertum est designatum fundum tribus ulterius gravari censibus complexivae summae scut. 336, et nonnisi ad summam scut. 470, 19 ipsius aestimationem in censuariis tabulis assurgere; ab interesse habentibus hypothecalis inscriptio non super eo tantum, sed et super universis haereditatis bonis suscepta fuit.

Ex eo visum est haeredibus nimis praegravari suam conditionem et supplici huic Sacr. Ordini porrecto libello flagitarunt, ut ea inscriptio hypothecaria restringatur ad fundum a testatore assignatum et ut tollatur hypotheca generalis ceteris fundis haereditariis imposita. „Hoc autem, ajunt, justum est, primo quia testator cum uni fundo onus imposuit, ceteros liberos esse voluit; secundo quia valor istius fundi longe sufficiens est pro securitate trium legatorum. Verum quidem est, eundem fundum tribus censibus gravari in summa scut. 336, quos ipse testator imposuit, at non minus verum est, illum fundum in tabulis censualibus aestimatum esse in valore scut. 470, 19. Hinc facto consueto calculo triplici valoris pro solutione taxae successionis, valor praesumptus superaret ea quae in §. 221. Codicis legislativi etc. requiruntur, ut excessus statuatur atque inde reductio hypothecae generalis. Revera ex fundo plusquam 100 scut. redeunt libera a quocunque onere, itaque verus valor scut. 2000 excedit.“

Super hujusmodi precibus de informatione et voto consultus, qui a quatuor annis Eminentissimi Ordinarii vicibus in ea pejus quam viduata dioecesi fungitur, ut auditis interesse habentibus referret de idoneitate ac libertate fundi in casu; literis 16. Mart. 1863 archidiaconus Cordella provicarius retulit: „Veritate fulcitur quod Oratores narrant . . . . Illius fundi de libertate ac idoneitate abest dubium, quia licet gravetur summa scut. 336 propter tres census ab ipso testatore impositos et licet in censuariis tabulis aestimatio ad scut. 470 tantum perveniat, tamen annuos fructus scut. 100 circiter con-

flare pro certo tenetur, ut fide digni referunt. Exsecutor testamentarius de voto rogatus assentitur et ratione idoneitatis fundi et ratione ipsius testatoris voluntatis. Nemo alius interesse habens adest qui sit audiendus . . . Quapropter censerem excipiendas preces ab EE. VV."

Vestigiis inhaerendo testamentariae dispositionis in casu inquirendum esset, utrum testator praedicta statuens legata intenderit, quod eadem unice reditibus fundi di Lapedona quocumque eventu sustinenda essent nec ne, videlicet an taxative vel demonstrative fundum legatis assignaverit. Nam si primum: justitiae fundamento careret hypothecalis inscriptio in reliquis haereditatis bonis. Posito namque quod idem tandem aliquando deperiret vel ejusdem fructus ad legatorum satisfactionem impares deprehenderentur, neque legata amplius praestanda essent ad text. in leg. 5 et ult. ff. Quibus modis usufructus vel usus amittatur. At sive jus inspicere, sive legum interpretes consulere placuerit, locum in casu sibi vindicare videtur lex 5 ff. de tritico, vin. et oleo legatis, in qua Julianus ait: „Cum certus numerus amphorarum vini legatus esset ex eo quod in fundo Semproniano natum esset, et minus natum esset, non amplius deberi placuit et quasi taxationis vicem obtinere haec verba: „Quod natum erit." His perpensis dijudicent EE. VV., num Oratorum preces his dispositionibus juris satis sustineantur.

Praeterea cum novum non sit, ut favore haeredum, quibus legatorum piorum praestatio incumbit, ex benignitate S. Sedis universalium hypothecarum reductio ad aliquem in specie fundum concedatur, constito saltem prius quod peculiaris fundi reditus satis sint oneribus supportandis; perpendant rursus Eminentissimi Patres, num in casu satis tuta tria enunciata legata contineantur in designato fundo. Ad constituendum pretium fundorum traditur in §. 230 vigentis Praxeos: . . . Valor immobilium . . . ad exsequendam reductionem (inscriptionum) determinatur probatione legali annui reditus, unde deducitur caput ad rationem quincuncis pro centenario. At fundus, de quo agitur, uti Oratores referunt et Ordinarius confirmat, scutata centum quotannis reddit, praedii pretium ergo ad bis mille scutata facile assurgit, queis si scutata 336 aliorum censuum demas, quae supersunt profecto haud imparia esse videntur oneri trium legatorum, de quibus in casu.

Pro gratia restrictionis juxta votum Ordinarii.

3. Diminutio redituum.

155. Ilcien. — Reductionis fructuum census.

Die 24. Aprilis 1852.

Latifundium vulgo Secondio, quod Eugenius Grassi possidet in Ilciensi suburbio, oneri census scutatorum mille favore ejusdem loci seminarii ad rationem quincuncem subjicitur. Hodierna inspecta, qua illud laborat, sterilitate, vi cujus impotes oneri fructuum ferendo reditus evaserunt, nec non rerum quibus debitor premitur angustiis, jam a praeterito anno ipsum impulerant ad postulandam apud loci Ordinarium fructuum census reductionem. Auditis vero hac in re loci pii deputatis, Episcopus petitionem respuit, ea motus ratione, ne scilicet et aliis seminarii debitoribus ad idem postulandum ansa praeberetur; facta tamen debitori potestate sortem deponendi penes aedem nummulariam vulgo de' Paschi urbis Senarum.

Spe ita frustratus Eugenius recursum habuit ad S. hanc Congregationem nonnullas sui favore subnectens rationes, videlicet, caeteros seminarii debitores haud in aequali reperiri conditione, tum quoad sortem, quum eorum nemo scutator. millium censu gravetur, tum quoad fundi censiti sterilitatem. Nullam praeterea regerit obvenire seminario utilitatem, si sors deponeretur penes montem de Paschi, a quo certus annuus reditus haudquaquam repraesentatur, sed modo plus modo minus persolvitur pro varietate pretii nundinarum. Licet autem se paratum exhibeat ad tantundem persolvendum, quantum annuatim a praedicto monte rependitur, instat nihilominus, ut census fructus reducantur ad rationem quatuor pro quolibet centenario.

Auditus Episcopus, dum meminit preces alias jam ab ipso fuisse rejectas ob supra relatam rationem, haud tamen inficiatur fundi reditus impares esse ad persolvendos annuos fructus seminario, et nunc in ea est sententia, ut scutata quinquaginta fructuum reducantur ad scutata quadraginta, posthabita prorsus Oratoris propositione repraesentandi fructus ad rationem montis de Paschi.

Petitur itaque fructuum reductio ob redituum fundi censiti imminutionem, quam quidem denegandam suadet doctorum illorum sententia, qui tenent censum esse quovis in casu supplendum, tam si fructus imminuti fuerint ob casum mere fortuitum, vel propter culpam et negligentiam debitoris; ea moti ratione, quia census non imponitur super fructibus ipsius rei, sed super re ipsa; nec per censum venditur jus ad ipsosmet fructus ex eadem recolligendos, sed dumtaxat jus ad rem, idest ad constitutam census pensionem ratione rei censitae exigendam; ita ut jus hoc tamdiu perseveret, quamdiu res, quae fundamentum ipsius juris est, remaneat, Cencius de censib. quaest. 37. num. 6.

Jam vero fundus, de quo quaeritur, nullam hucusque quoad substantiam passus est jacturam, nec omnimoda atque absoluta sterilitate laborat. Ceteroquin sterilitatem unius temporis cum ubertate alterius esse compensandam monet Cencius loc. cit. Quod si quandoque detur reductioni locus, id plerumque contingit vel quia immodici agnoscuntur fructus, vel quia peculiaris loci lex id fieri sinit; sed hisce exsulantibus in casu extremis, videtur reductio excludenda cum Duardo de censib. tom. 1. in proem. num. 15.

Verum ad effectum reductionis ob fructuum imminutionem opportunius distinguenda cum Card. de Luca de cens. disc. 19. num. 4. infructuositas temporanea a perpetua seu successiva; hac quippe altera in hypothesi, peremptioni vel reductioni juxta casuum contingentiam locum esse satis innuit vel ipsa Piana constitutio per ea verba „census omnes in futurum creandos, re in toto vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte effecta, ad ratam perire.“

Compertum porro est praedii, de quo agitur, sterilitatem non precariam, nec culpa debitoris obtigisse, sed ob accidens perpetuum, et ut ipsi seminarii deputati fatentur ob frigidam illius qualitatem, unde caret etiam olearum cultu. Quo in casu cum sterilitas causam perpetuam habeat, nil mirum, si justa agnoscatur reductionis petitio, quippe nulla ratione compensatio sterilitatis cum ubertate sperari posset, Card. de Luca de regul. discur. 134. n. 12. et discur. 78. num. 3.

Nec desunt exempla penes S. Rotae auditorium hujusmodi fructuum reductionis ob sterilitatem praedii, ut videre est in decis. 593. num. 34. et seqq. cor. Ansaldo. Et S. haec Congr. reductionem a loco pio factam, quia nimis grave interesse visum fuerat, sustineri etiam absque beneplacito

apostolico, dummodo non appareat collusio, decrevit in Romana Census 11. Maji 1720.

Ad haec accedere etiam videtur quaedam aequitatis ratio. Siquidem ex periti relatione, nec non ex Episcopi et deputatorum testimonio deprehenditur fructus praedii nequidquam sufficere ad integros fructus census solvendos. Quo posito dura nimis fieret Oratoris conditio, quippe esset compellendus ad solvendum ultra rei obligatae vires, nullumque emolumentum perciperet a laboribus pro fundi cultura impendendis. Nec insuper praetereundum ipsum Oratorem, qui ceteroquin diligens semper in solvendo fuit, ingenti aere alieno praegravari; quibus concurrentibus adjunctis, merito intrare posset arbitrium supremi magistratus ad moderationem fructuum ex bono et aequo statuendam, Card. de Luca de feudis disc. 81. num. 14.; quin exinde verendum sit detrimentum seminario obventurum ex parte aliorum debitorum, quatenus eamdem reductionem essent expostulaturi, quum nullus inter eos reperiatur eadem extrema praeseferens, quae in Oratore peculiarem indulgentiam suadere possent.

Quatenus igitur benigne excipiantur preces, definiendum erit, ad quamnam rationem expediat annuum fructum cohibere. Qua super re prae oculis habenda Episcopi sententia.

Pro gratia juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

156. Nursina. — Absolutionis et reductionis onerum.

Die 28. Aprilis 1860.

Antonellus Cozza Nursinus testamento condito die 31. Julii 1699 Cajetanum Ercoli seniorem, quem e sacro fonte susceperat, ac deinde uti filium adoptivum domi suae aluerat ac educaverat, haeredem universalem instituit, nonnullis eum onerans legatis piis perpetuis, quae sunt nimirum: 1° Missae 12 annuae in ecclesia S. Valentini, prima die Mercurii cujusvis mensis cum eleemosyna obolor. 10. 2° Jusculum fabae et panis quotannis in vigilia SS. Conceptionis. 3° Tres missae die 8. Decembris cum eleemosyna obolor. 20. 4° Librae 3 et unciae 10 cerae ad ornandum altare die 8. Decembris. 5° Alia missa die 25. Maji cum aliis unciis 8 cerae et eleemosyna 20 obolorum.

Cajetano Ercoli-Cozza instituto haeredi successere ejus filii Franciscus Antonius et Joannes Petrus, et a Francisco Antonio ortum habuere Cajetanus junior, sospes adhuc, aliique hujus germani fratres, qui volvente anno 1773 ad haereditatis Cozza aliorumque familiarium bonorum divisionem cum patruo Joanne Petro devenerunt. Ex divisionis vero tabulis colligitur, dividentes aere alieno laborasse in summa scutorum 281. 80, nec non modiis 29 frumenti. Praeter nomina passiva ibi relata, constat alios deinde in medium prodiisse creditores petentes summam scutorum 312. 50 ipsis a testatore debitam; quibus cum satisfacere haeredes Ercoli-Cozza nequirent, pinguiorum ac meliorum fundorum spolium pati debuere, queis et in praesens carent. Posteriori tempore Joannes Petrus, ut rei suae familiaris angustiis occurreret, portionem suam censu gravavit in capite scut. 10 favore ecclesiae parochialis, in quo fructus insoluti modo ad summam ascendant scut. 13; ac praeterea praedium in dotem filiae suae dedit, et alteri filiae titulo pariter dotali assignavit scut. 40, in quorum securitatem omnia ejus bona hypothecae vinculo fuere supposita. Et illud denique calamitosum accessit, quod terrae motu anni 1703 duae domus haereditariae corruerint; quamobrem as haereditarium testatoris Cozza, qui aestimari poterat principio excedere vim scut.

bismille, fere totus disparuit; siquidem ejus haeredibus ineunte hoc saeculo ex praedicta haereditate aliisque bonis propriis ac familiaribus vix superfuere scuta 500 in bonis urbanis ac rusticis haud sane fructuosis, quae praedictis tamen hypothecis obnoxia manebant.

Hinc factum est, ut praefati haeredes Ercoli-Cozza anno 1810 supplices sacratissimum Principem rogatum, ceu asseritur, adiverint, ut attentis hujusmodi rerum circumstantiis reductio onerum ad pias causas, de quibus supra mentio facta est, ipsis impertiretur. Ignoratur vero, quem exitum supplex habuerit libellus; nihilominus constat ab eo temporis scilicet ab anno 1811 inadimpleta mansisse legata quoad praestationem cerae ac refectionis, nec non quoad celebrationem sex missarum in die festo sanctissimae Conceptionis, quibus suffectum fuit onus Completorii in ejusdem festi pervigilio, firmis manentibus missis duodecim in ecclesia S. Valentini celebrandis, nec non altera missa in festo sanctissimae Conceptionis, et altera die 25 Maji, ceu in testamento, quibus oneribus usque in praesens fideliter satisfactum est.

Itaque Cajetanus aliique qui hodie existunt e familia Ercoli-Cozza descendentes, quamvis a majoribus suis acceperint hujusmodi reductionem qua usi sunt revera fuisse a S. Sede impertitam, attamen ut conscientiae suae tranquillitati magis consulant, supplicem huic S. Congregationi obtulere libellum, in quo exponentes, eadem in conditione se versari ac majores suos, cum bona haereditaria quae possident nec ad decentem eorum sustentationem sufficiant, postulant, ut praevia, quatenus opus sit, absolutione super praeteritis omissionibus, assertum rescriptum confirmetur, seu de novo concedatur, solvantur scilicet ab onere cerae, refectionis, et sex missarum, ut supra. Cum praeterea eleemosyna pro duodecim missis in ecclesia S. Valentini celebrandis, quae constituta in testamento fuerat in obolis 10., aucta nunc fuerit ad obolos 15, et augenda forsan in posterum erit ad obol. 20, hinc congruam, proportione scilicet servata ejusdem augmenti eleemosynae, pro iis pariter missis reductionem exposcunt.

Rogatus Episcopus, ut auditis interesse habentibus referret de annuo reditu et oneribus haereditariae substantiae tam de tempore fundationis quam de praesenti, bona fide quoad praeteritum, et de legitima condonationis ac reductionis causa; ipse exposita haec omnia veritate niti confirmat, ac Oratorum preces valde commendat; hinc ad rem haec habet: „Cum de interesse habentibus sermo faciendus sit, sciendum est ex testamento vocari pauperes ad fruendam eleemosynam jusculi fabae et panis; ceterum nihil pauperes amisere, cum familia Oratoris juxta vires suas eleemosynas continuo faciat petentibus. Similiter vocari sodalitatem Sanctissimi Sacramenti ad fruitionem reliquae cerae post celebratam festivitatem sanctissimae Conceptionis. Sodalitas isthaec non exsistit canonice, atque ecclesia parochialis suis sumptibus festum sanctissimi sacramenti peragit, ad quam cera in commemoratione omnium fidelium defunctorum spectat; parochi vero nihil interest, ut actuali parochus Philippus Parena declaravit, an major vel minor numerus sit missarum, imo pro 15 obolis renuit celebrare missas, cum omnes aliae ob paupertatem paroeciae ad 20 obolos sint redactae. De cetero nemo alius potest sibi jus arrogare.

„De annuo reditu substantiae haereditariae tempore legati relicti nihil sciri potest; hodie tenuissimus est, nam fundi culturae idonei prae se ferunt aestimationem in scutis 272, reliqua bona consistunt in silvis ac domo, in qua Oratores habitant, atque ita habentur scuta 506, supra quae census, fructus insoluti, atque dos 40 scut. gravant.

„De bona fide Oratorum videtur non posse dubitari, inspectis eorum rusticitate atque ignorantia, et maxime Cajetani, qui dum in puerili versabatur aetate, fuit bonis omnibus exspoliatus, quae postea a suis vindicavit consobrinis, quod accidit anno 1817; atque ex parochorum notulis constat usque ab anno 1811 celebratas tantum fuisse missas 14 et Completorium in vigilia sanctissimae conceptionis, pro quo quinque oboli penduntur.“

Quibus praejactis votum suum pandens in haec verba concludit: „S. Congregatio perpetuo reputavit bonam fidem causam esse justam concedendae absolutionis pro praeteritis omissionibus, uti in Massarien 4. Decembris 1821, per summ. precum. Reductio autem videtur posse pariter concedi ob diminutionem bonorum, quae legatis gravantur, ut videre est in Florentina 3. Augusti 1823; neque insuetum apud Sacrum Vestrum Ordinem reductionem concedendi, ut aliquam utilitatem haeres gravatus ex substantia sibi relicta percipiat.“

Praevia absolutione et condonatione quoad praeteritum, impositis ab Episcopo precibus per modum suffragii, pro gratia reductionis legatorum juxta petita, facto verbo cum Sanctissimo, et Episcopus curet capi inscriptionem hypothecariam super bonis superexstantibus pro securitate ac implemento legatorum.

157. Mazzarien.

Die 14. Maji 1831.

Ignatius Impellizeri ex oppido Alcami dioecesis Mazzariensis solemnibus anno 1816 exaratis tabulis perpetuum legatum in ecclesia PP. Capuccinorum instituit; ubi tot missas post obitum suum cum eleemosyna duorum tarenorum ab eisdem patribus celebrari mandavit, quot annui reditus ex fundis taxative assignatis percipiendi paterentur. Sed ipso anno 1816 pius fundator ejusmodi fundos in emphyteusim concessit partim Leonardo Impellizeri filio suo pro annuo canone unciarum quindecim, partim genero suo Liberio Mule pro annuo novem unciarum canone adeo ut, emphyteuticis fundis peculiari hypothecae subjectis, annua 24 unciarum summa syndico Apostolico PP. Capuccinorum pro missae quotidianae celebratione quotannis solveretur. Jam vero anno 1826 cum pius institutor e vivis excessisset, memorati emphyteutae porrectis huic S. Ordini precibus retulerunt, se annuos emphyteuticorum fundorum reditus ferendis canonum oneribus impares deprehendisse ac proinde humillime efflagitarunt, ut S. Congregatio decerneret, quidquid ea super re aequitati et justitiae congruum esse sentiret.

Mazzariensis Episcopus pro informatione et voto rogatus literis suis die primo Novembris 1827 datis illud in primis retulit, annuum canonem, quo se emphyteutae obstrinxerunt, sine ulla praecedenti fundorum aestimatione fuisse constitutum. Atque ita insuper se habebat praefatus antistes: „Ut cognoscerem, utrum Oratorum preces veritati consentirent, operae pretium duxi id primum examen instituere, an in fundis assignatis actu damna et deteriorationes vel melioramenta invenirentur. Artifex peritus ad eos accessit atque in meliori statu quo fuere ad emphyteusim concessi illos invenisse affirmavit. Qua de re novam ipsorum aestimationem secundum pretia, quae concessionis tempore inveniebantur, conficiendam judicavi; atque ex ea compertum habui censum pretio majorem fuisse impositum, cum illorum capitale ad quinque pro centenario vix annuum canonem unciarum 18 possit aequare. Hisce rationibus moti Oratores vel praedia dimittere vel annuum censum

minui et ad justitiae tramites reduci exposcunt. PP. Capuccini sunt parati alterutram acceptare petitionem, quoties S. Sedis, cujus est ea de re judicare, accesserit auctoritas. Mea autem esset sententia, vel ab Oratoribus praedia dimitti solutis tamen prius censibus, si qui sint, elapsis; vel annuum canonem ab unciis 24 ad uncias 18 imminui, firma tamen remanente bonorum hypothecatorum obligatione.“ Ego quidem ut omnia scitu necessaria uberius ad rem innotescerent, Oratorum preces Episcopo censui iterum ablegandas atque eo praesertim consilio, ut syndicum Apostolicum PP. Capuccinorum in scriptis audiret. Huic tamen muneri, Mazzariensi antistite e vivis sublato, paruit anno 1830 vicarius capitularis, qui ita rescripsit: „Apostolicus syndicus per meum vicarium foraneum rogatus sententiam suam ita aperuit, ut potius annuum canonem juxta habitam peritorum relationem imminui quam praediorum dimissionem acceptari existimaverit, ea potissimum ratione quod jam defuncto Liborio Mule ejus filii minores aetate, quibus a lege bonorum alienatio est interdicta, possent in posterum majores natu factam dimissionem impugnare.“

Pro gratia reductionis canonis juxta votum Ordinarii.

158. Romana. — Dubium circa onera censuum.

Die 25. Maji 1867.

Anno 1840 Cajus quidam contractu consignativi census certam pecuniae summam Titio tradidit, qui juxta praescriptionem const. S. Pii V. „Cum onus Apostolicae“ reali censui supposuit fundos exsistentes in ea pontificiae ditionis regione, quam Subalpinum gubernium anno 1860 militari armata vi occupavit. Cajus censualista, seu census emptor, ut eo magis in tuto poneret annuam pensionem sibi rependendam, peculiare pactum iniit cum Titio censuario, seu census venditore, scilicet: „Eo tamen pacto et conditione expressa, ut iste census annuus semper persolvi debeat sine vel minima diminutione, retentione, gratificatione etc. non obstante qualicumque onere, quod sub quovis aspectu vel nomine, etiam pro rata commodi imponeretur sortibus, fructibus aut fundis talium contractuum, vel etiam praecise imponeretur creditoribus ipsorum vi alicujus legis latae aut ferendae, etiamsi ea huic pacto deroget; cui legi et aliis omnibus beneficiis Titius sub juramento renuntiat hoc et omni meliori modo.“

Res pacifice procedebat, et censuarius annuam pensionem ex integro censualistae persolvebat, quin deductioni alicujus respectivae ratae insisteret, quippe qui persuasum habebat supramemoratum peculiare pactum sibi undequaque refragari. At gravis dubitationis causa suborta est anno 1864, quando a Pedemontano gubernio lata fuit lex, quae publicum tributum imposuit super bonis mobilibus, (sulla ricchezza mobile). Tunc enim Cajus censualista cum conventam census pecuniam postulaverit absque ulla detractione attento pacto, Titius censuarius nullitatem ejusdem pacti opposuit in vim §. 9. Pianae constitutionis, in qua haec sancita leguntur: „Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de jure et ex natura contractus non spectarent.“

Rebus sic se habentibus, Cajus supplicem H. S. O. libellum porrexit, rogans ut Eminentiae Vestrae dignentur decernere, an praefatum pactum, ad quod Titius etiam cum juramento se obligavit, nullum sit ex constitutione Piana in casu? De hujusmodi itaque quaestione agendum esse rescripsi coram Eminentiis Vestris per summaria precum.

Antequam rationes expendam, quae favore censualistae vel censuarii afferri possunt, praemittam cum Voet. ad pand. lib. 2. tit. 14. de pactis num. 4, pacta quae contractibus adjiciuntur ad triplex genus posse revocari. Quaedam scilicet 1^0 sunt quae substantiam contractus directe pertingunt, eamque subvertunt, et hujusmodi pactiones generatim totum negotium vitiant, proinde ac si nihil gestum sit. Alia 2^0 de iis sunt concepta, quibus recedi-tur ab ordinaria contractus natura, quaeque praeter communem contractus exigentiam dicuntur adscita, quod fit quando uni parti onus aliquod imponi-tur, quod e contractus indole ad eam non spectaret. Hae pactiones si adsint tum ipsae tum contractus in sua firmitate manent, nisi lex habeatur, quae eas irritet. 3^0 demum nonnulla pacta interponuntur circa ea, quae in con-tractibus adesse, vel ab ipsis abesse possunt, ac vulgo accidentalia appellan-tur. Et hujus generis pactiones pro contrahentium arbitrio adjecta in quo-cumque contractu sustinentur. Richerius jurispr. lib. 3. tit. 21. cap. 3. de pactis inter cens. empt. et vend. §. 1606 pertractans de hac tri-plici pactorum specie, ea dicit esse substantialia, naturalia et acci-dentalia.

His praehabitis facili negotio dignoscitur, quaenam fuerit mens S. Pon-tificis Pii V. circa quodlibet pactionum genus. Et revera nulla agitatur quae-stio inter canonistas circa pactiones primi generis, etenim si in contractu census adjecta sint, totum negotium destruunt. E converso pacta tertii ge-neris etiam in censu sustinentur: pacta vero secundi generis irrita habentur in vim §. 9. constit. Cum onus, salvo tamen manente ipso contractu. Et revera apud Cenc. part. 2. cap. 1. qu. 3. art. 1. n. 29 et seqq. de censib. ex lege praedict. §. 9. Pianae constitutionis irritum communiter habetur pactum, quo censualista emit fructus liberos etiam ab illis oneribus, ad quae ipse vel ejus haeredes tenerentur, Richerius loc. cit. §. 1612 et §. 1625, Rota in Bononien. Census 26. Junii 1600 cor. Card. Pamphilio, in Calaguritana Census 28. Januar. et 29. April. 1602 cor. Card. Serafino, et in Nullius Census 16. Martii 1615 coram rev. Decano.

Tota itaque propositae quaestionis difficultas in eo reposita est, ut discer-natur, utrum pactum, de quo agitur, ad secundi seu potius ad tertii generis pactiones pertineat. Hoc vellet censualista, illud censuarius.

Pro censualista observari potest, pacta super tributis non cadere sub censuram §. 9. Pianae constitutionis, deducto arg. ex Motu-proprio Pii VII. de anno 1806, quo interdicta fuit deductio ratae commodi „in omnibus casi-bus, quibus duo contrahentes convenerint, ut canones, census fructus com-pensativi et aliae annuae praestationes dentur liberi ab omni tributo et taxa imposita aut imponenda, cujuscunque generis et naturae sit.“ Forsan cen-suarius bonum sibi jus in eo repositum dicet, quod in themate agatur de taxa, quae non fundum ut dativa, sed fructus afficiat. Verum vectigalium realium eadem semper erit indoles et natura, idemque effectus; sive enim directe percutiant fundum et indirecte fructus, sive vicissim, semper in idem recidunt, scilicet in decurtationem fructuum, et proinde nulla inter unum alte-rumve vectigalium genus intercedere videtur realis distinctio relate ad do-minos rerum tributis subjectarum, ideoque si censualista potest per pactum rejicere in censuarium onus primi generis vectigalium, et alterius etiam idem posse dicendum foret. Et hac de causa auctores, licet casum excipiant, quo taxa esset injusta et a tyrannico arbitrio procederet, posthabita quacumque distinctione inter vectigalia realia afficientia fundum aut fructus, concludunt, non esse contra §. 9 const. Cum onus pactiones, quibus censuarius pro-

mittit, se exoneraturum censualistam a quocumque tributo imposito aut imponendo. In quam rem facere videtur Rotae decis. ann. 1583 in Romana Census, ubi definitum est, non repugnare naturae contractus census, quod censualista emat annuam pensionem immunem et exemptam a quocumque onere; et ratio in eo sita dicitur, quod censualista longe differat ab emptore simplici fructuum; hinc tale pactum, quod in emptore fructuum usurariam fraudem redoleret, sustineri in censu: Natta cons. 198. n. 13. lib. 1. Rot. cons. 49. n. 35. et seqq. lib. 2.

Neque ulterius obgerendum videtur nullitatem pacti erui ex eo, quod tributum della ricchezza mobile afficiat reditus, eos considerans quasi a fundo separatos, et consequenter tamquam rem censualistae omnino propriam. Etenim non multum interesse potest, an fructus percutiantur in ipso fundo, sive postquam a fundo fuerint separati: illud potius ad rem forsan faceret, an fructus affecti sint ex causa contractui census intrinseca, puta ratione fundi, sortis etc. vel ex alia aliqua causa extrinseca et ab ipsa censualistae persona et conditione potius dependente. In hoc posteriori casu onus ejus naturae esset, quod neque per pactum posset censualista in censuarium transferre: reprobata enim esset pactio per §. 9, quemadmodum juxta autores reprobata sunt pacta, quibus censuarius adigeretur ad exonerandum censualistam ab expensis, quas morosus debitor solvere non tenetur: Richerius loc. cit. §. 1625, vel pro pensionis exportatione ad perincommodum censualistae domicilium: idem auctor §. 1622. At aliter sentiendum, quando onus ex causa contractui intrinseca procedit: hujus generis siquidem onera in censuarium transferri posse videntur ex principio, quod censualista annuum censum possit emere immunem et exemptum ab omni onere; neque enim naturae contractus repugnaret pactum, quod contractum ita moderatur, ut penes eum remoretur effectus, apud quem ex ipso contractu residet causa. Jam vero negari non potest, rationem sive causam memorati tributi esse sortem; aliter enim exteros non afficeret: at sortis dominium ex contractus censuarii natura penes censuarium est.

Praeterea dato etiam quod res adhuc dubia maneret, favore censualistae nihilominus esset judicandum. Agitur enim de lege irritante, quae strictissimae interpretationis est: de sustinendo actu, cujus validitas praesumitur, donec contrarium invicte ostendatur: postremo agitur de aequitate tutanda. Etenim censuarius, dum pactum adeo effrenatum contra se admittebat, sibi persuasum habebat, se adstrictum manere ad cujuscumque generis vectigalia pendenda, et censualistam exonerandum a quacumque census diminutione: qua forsan de causa pensio justo etiam pretio minor fuit constituta. Et secus esset, si censuarius ex insperato relevaretur onere tributi, quo gravaretur censualista, qui numquam sua pecunia se exspoliari passus esset, ut pactum aperte ostendit, si cui gabellarum oneri debuisset subjacere. Cumque in praesentiarum ea sit pecuniae conditio, ut magis magisque in dies fructuum incrementum accipiat, censualista fructus suos videret diminutos. Hic autem afferri posset exemplum ex mutuo, ubi taxa solvitur a mutuatario ea ratione adstricto, quod secus mutuans pecuniam reddi juberet. In censu econtra cum solus censuarius possit, si expedire sibi viderit, exstinguere censum, censualistae conditio, quae sat dura est, durior etiam fieret, si praedictum pactum non sustineretur.

Denique in mentem revocandum est, censuarium jurejurando sese adstrinxisse ad censualistam exonerandum a quocumque tributo, et expresse eadem juramenti solemnitate renunciasse unicuique legi pro se introductae sive introducendae etiam irritandi. At quando lex irritans respicit directe

bonum privatorum, juramentum juxta gravissimos auctores firmare potest pactum, quod de jure humano non sustineretur: Reiffenst. lib. 2. tit. 24. n, 119. et seq. de jurejur; valet enim illud: quisque potest beneficio pro se introducto renuntiare.

At suis econtra rationibus non destituitur censuarius. Et sane posito principii loco quod sanctus Pontifex Pius V. §. 9. pacta omnia reprobet, per quae uni ex partibus imponatur solutio onerum, quae quacumque ex causa alteri parti naturaliter inhaerent, facili negotio evincitur pactum, quo tributum della ricchezza mobile in censuarium transfertur a Piana lege proscribi. Enimvero si considerentur verba legis, quae onus de quo agitur, propius respiciunt, sive legislatoris mentem, sive ipsam legis inscriptionem tassa sulla ricchezza mobile, compertum esse videtur hoc tributum adeo naturaliter censualistae affixum esse, ut nonnisi per pactum, quo ab ordinaria contractus natura recedatur in censuarium transferri valeat: objectum tributi sunt reditus, iique qua simpliciter tales. Relator enim legis professus est, se nolle afficere fundos, sive sortem, sed tantummodo proventus: insuper in ipsa lege exstat articulus, quo a vectigali eximuntur fructus bonorum stabilium a fundi domino percepti, tamquam jam indirecte perculsi alia taxa dativa. Hinc in censu ipso fructus afficiuntur veluti res omnino propria censualistae, et eatenus, quatenus ad censuarium non spectant. At §. 9. Pianae constitutionis irritantur pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem de jure et ex natura contractus non spectarent. Quapropter si juxta auctores communiter reprobatur pactio, qua in censuariam transfertur onus pro exportatione pensionis ad domicilium censualistae, ut superius jam dictum est cum Richerio, item pactio, qua censuarius adigitur ad integras expensas instrumenti: Richerius §. 1622, quia talia onera habentur tamquam propria censualistae, a fortiori dicendum esset reprobatum pactum, quo in censuarium rejicitur onus vectigalis, quod adeo proprium est censualistae, ut ea solummodo de causa tributum solvatur, quia fructus percipiuntur a censualista, non autem ab habente fundi dominium. Maxima vero videtur esse repugnantia, ut aliquis tributum solvat super re non sua; quae praeterea si sua esset, eo peculiari tributo non afficeretur.

Ex his in primis palam sese offert differentia inter dativam et tributum hujusmodi, quapropter ex eo quod sustinentur pacta respicientia dativam, non sequitur et ea sustineri, quae ad tributum della ricchezza mobile referuntur. Nam si pactum super dativa non sustineretur, nullum pactum addi valeret, quod absurdum; si vero in suo vigore manere deberet pactum super tributo della ricchezza mobile, actum omnino esset de §. 9. Pianae legis.

Objicitur onus hujusmodi esse contractui intrinsecum, quasi eatenus reditus percutiantur taxa quatenus sunt fructus pecuniae, et sortis, quae contractus materiam constituunt; at frustra confugitur ad causas, ob quas onus imponitur, quando lex clare determinat personas, quae illud ferre debeant. Semper enim verum esse videtur onus uni parti affixum, et proinde pactum contrarium censuram §. 9. in censu non effugere. Deinde taxa ejusque applicatio non adeo pendet a contractu censuario, quod simul et potius a persona fructus percipiente non dependeat. Nam etsi localitas fundi attendatur ad decernendam taxae applicationem, ejusque quantitatem et exsecutionem, habetur simul respectus ad personam reditus percipientem ejusve conditionem, et non applicatur taxa, si fructuarius 200 libellas annui reditus non habeat.

Postremo non est, quod in eo valde fidere possit censualista, quod rejiciens in censuarium hoc onus, quod naturaliter ad se spectaret, tamquam cor-

respectivum illud statuerit pro pensione minori justo pretio rependenda. Etenim hac ratione quodlibet et semper sustineri posset pactum, quod tamen generaliter a S. Pio V. rejectum est; qui proinde ad usurariae fraudis suspicionem prorsus removendam generatim irritavit quaecumque pacta, quibus adstringeretur censuarius exonerare censualistam ab oneribus, quae ad ipsum censuarium non spectant.

Quod denique attinet ad juramentum, omisso quod auctores non levioris notae non admittunt distinctionem inter leges irritantes, quae directe respiciunt bonum privatorum, et quae bonum publicum, cum omnes leges tandem aliquando latae sint ob bonum publicum simul et privatorum, cum juramentum sit accessorium pacti, ruente pacto et ipsum ruere debet. Ceterum etiamsi concedatur irritari pactum quoad tributum della ricchezza mobile, cum tamen hujusmodi in suo vigore maneat quoad dativam, satis consultum dicendum est juramento, praesertim cum sit strictissimae interpretationis.

Non proposita.

C. Casus usus extraordinarii rerum ecclesiasticarum.

I. Conversiones ad usus cultus divini et alias ecclesiarum necessitates.

1. Commutationes in beneficiis.

a) Commutationes beneficiorum et simplicium legatorum.

159. Nepesina. — Commutationis voluntatis.

Die 18. Julii 1857.

In Nepesina Solutionis proposita inter summaria precum die 28. Martii proxime elapsi, (n. 142) relata fuit testamentaria dispositio piae feminae Felicis Biondi oppidi Fiano, qua nimirum jussit, ut post obitum superstitis sui viri Josephi Marconi, quem haeredem usufructuarium nuncupavit, haereditaria sua bona universa venderentur, ac retrahendum pretium in tot missas impenderetur in animae suae suorumque suffragium. Obiit itaque usque a mense Januario proxime praeterito Josephus haeres usufructuarius, ac reliqua nunc esset pii legati exsecutio juxta mentem testatricis. In hac porro rerum conditione duo Sacrae huic Congregationi oblati sunt libelli; alter ab archipresbytero parocho ac duobus ex tribus canonicis collegiatae ecclesiae ejusdem loci, quo postulant, ut ex praefata haereditate dos constituatur pro erigenda nova praebenda canonicali, ut ecclesiae et chori servitio, cui modo tres tantum praeter archipresbyterum addicti sunt canonici, melius consultum sit; ita tamen ut congruus missarum numerus a novo canonico juxta testatricis voluntatem celebrandarum praestituatur; alter a canonico Septimio Giustiniani, qui rogat, ut ex iisdem bonis, quae in tam parvo oppido non facile venire contingeret, vel simplex erigatur beneficium ab se perfruendum una cum sua praebenda canonicali, utpote quae exigui admodum est reditus, vel eadem bona praedictae praebendae uniantur, imposito pariter onere congrui missarum numeri, quae in testatricis animae suffragium applicari perpetuo debeant.

Episcopus refert, bona haereditatis, quae partim urbana partim rustica sunt, detracto aere alieno et expensis inventarii (de quibus actum fuit in

postrema congregatione mensis Martii) aestimata fuisse valoris scut. 872. 47. 5. Ad rem porro haec habet: „Exstant in ecclesia collegiata Fiani duae canonicales praebendae primae erectionis, et una archipresbyteralis, cui est adnexa cura animarum, et habent reditum in communi ab omnibus oneribus liberum scut. 447. 93. 5., qui reditus est divisibilis quoad medietatem archipresbytero, et quoad aliam medietatem subdividitur pro aequalibus portionibus aliis duobus canonicis, quorum unus possidet etiam duo beneficia simplicia, quorum reditus pertingit saltem ad alia scuta quinquaginta detractis oneribus. Tertius canonicus vero est Orator Giustiniani, cujus praebenda secundae erectionis sub titulo S. Antonii abbatis habet reditum demptis oneribus scut. 20 circiter. Non est opus erectione alterius canonicalis praebendae, quia in tam parvo oppido non adesset, qui eam retinere posset: neque conferri valeret advenae sacerdoti, eo quia cum sola praebenda scut. triginta, vel ad summum quadraginta detractis oneribus, uti esset ista, vivere nequaquam posset. Nulla ergo exsurgeret Ecclesiae utilitas ex erectione, quae a canonicis postulatur.“

Hinc ita animi sui sententiam pandit: „Quoties placeret S. Congregationi, melius foret devenire ad perpetuam unionem istorum bonorum canonicatui valde tenui, qui possidetur a supplicante Septimio Giustiniani, sacerdote bonis honestisque moribus imbuto, et ecclesiae valde utili, qui indiget provideri, imposito onere perpetuo sibi et successoribus celebrandi aliquem numerum missarum juxta mentem testatricis, et sic redderetur etiam praebenda ista sufficiens ad honestam sustentationem personae, cui in posterum erit conferenda. Et si hoc non placet, servetur testatricis voluntas.“

Altera ex causis, quae pro commutatione affertur, est difficultas utiliter alienandi haereditaria bona, ut testatricis praecepto fiat satis. S. Congregatio in simili casu commutationem probavit in Interamnen. Commutationis voluntatis 8. Maji 1756. Verum in Senogallien. 7. Sept. 1833 instantiam pro commutatione rejecit, donec Episcopus facta accuratiori peritia de impossibilitate venditionis retulisset. In themate autem nullas ad id diligentias fuisse adhibitas constat. Nihilominus perpendendum, an justam commutationis causam praebeat ratio vel augendi praebendarum numerum juxta capituli petitionem, vel saltem (ubi novae praebendae erectio nec necessaria, nec utilis videatur ob ea quae perpendit Episcopus), providendi honestae substentationi possessoris canonicatus, qui est secundae erectionis, ceu postulat canonicus Giustiniani, qui illum nunc retinet. Ceterum cum utroque in casu onus missarum ex temporaneo perpetuum evaderet, facilius commutatio, sive capituli, sive Oratoris Giustiniani favore, probari posse videretur, juxta S. Congregationis praxim, ceu in Savonen. 25. Maji 1822, et nuper in Nepesina Commutationis voluntatis 14. Februarii hujus anni. Demum si in hanc sententiam concedent EE. PP. decernent etiam, quem pro rerum adjunctis praestituere expediat missarum numerum in futurum celebrandarum, quae demum cumque commutationis ratio ac modus probabitur.

Dilata, et exquiratur votum Episcopi super noviter deductis.

Die 29. Januarii 1859.

Ad haec porro noviter deducta favore canonicorum redibant. Cum collegiata Flavianensis tribus tantum constet canonicis praeter archipresbyterum, aequitas non modo, sed ipsa necessitas postulat, ut nova erigatur canonicalis praebenda ex praefata haereditate ad ecclesiasticas functiones decenter explendas. Quod et testatricis menti consonum ajebant, quippe mulier Felix

Biondi, antequam e vita migraret, id se in animo volutare coram duobus viris patefecisse fertur. Neque suffragari canonico Giustiniani pro unione obtinenda, quod Ordinarius informans retulit de illius tenuitate praebendae; nam Episcopi relationem errori vel deceptioni fuisse obnoxiam autumabant, cum is retulerit reditus massae canonicorum primae erectionis pertingere ad scutata 447. 93. 5. detractis oneribus, cum vix ad scutata 214. 70. cohibeantur, ita ut quilibet primae erectionis canonicus praebenda fruatur scutorum vix 54 in singulis annis, et in fertilioribus ad summum 60. Ab hac non differre subsumebant praebendam a canonico Giustiniani possessam, cum ad annua scutata 59 eam assurgere existimarent: cui si uniretur annuus reditus haereditatis Biondi in scutatis 69. 85. pinguior prae ceteris ejus evaderet praebenda. Quod si ita parva et incongrua haec foret, uti Episcopus referebat, cum sit ea jurispatronatus, de quo idem Episcopus siluit, pertineret ad patronos eamdem augere, minime vero aequum esset id fieri per commutationem piae voluntatis. Huic accedere haud parvum esse oppidum Fiano, quod sexcentis hominum capitibus constat; nec deesse optimae spei juvenes, qui possent erigendam novam canonicalem praebendam occupare.

Super hisce denuo auditus Ordinarius mox retulit, haud ea plane consistere, quae canonici deduxerunt ad effectum novae canonicalis praebendae erigendae. Inquit enim: „Expunctis oneribus liberos massae canonicorum annuos reditus ad summam ascendere valde superantem jam expositam in anteacta relatione; ita ut quilibet primae erectionis canonicus ex sui praebenda fruatur in singulos annos scutatis centum viginti novem cum dimidio, et non quinquaginta quatuor aut sexaginta, ut ipsi asserunt.“ Quod ex inventario probat bonorum capituli, ab ipsis canonicis interposita jurisjurandi religione obfirmato. „Æquali calliditate (prosequitur) longe lateque proferre non dubitarunt (canonici) reditus praebendae, quae actu possidetur a sacerdote Giustiniani, assurgere ad scutata annua quinquaginta novem, cum sit longe minor, et deductis oneribus remanet annuus reditus in scutatis duobus, et obolis uno cum dimidio supra viginti, quod pariter allatis probat documentis.“

Quo vero ad pium relictum Biondi animadvertit „a veritate distare (canonicorum) assertionem, quod reditus piae haereditatis . . . ad scutata septuaginta quatuor et obolos viginti quinque quotannis ascendere possint etc. . . nam peritorum judicio (eadem haereditaria bona) dare possunt introitum annuum scutatorum quinquaginta quatuor et obol. sex. Detractis vero oneribus tum impositis cum imponendis in scutatis viginti tribus, et obol. 79 remanent libera scuta triginta et obol. 37, ut patet ex respectivo statu activo et passivo etc.“ Missis ceteris rationibus, quae inferius recensentur, Ordinarius concludit: „Cum constet quoslibet primae erectionis canonicos praebenda frui satis pinguiore ea, qua honeste vivere valeant; cum etiam constet, si praebendae tenui canonici Giustiniani uniantur reditus legati Felicis Biondi, esse valde alienum, quod sibi constituat praebendam pinguiorem prae ceteris, quae insunt duobus aliis canonicis; cum erectio novae praebendae, saltem adhuc, neque absolute necessaria, neque utilis existimetur, imo esset menti testatricis satis difformis, ut patet ex ipsius ultima voluntate decimo quarto anno ab ejus obitu non retracta, licet faciliter retractari potuisset; cum denique Justiniani petitio odiosa non dignoscatur, eo quia non ad aliud tendit nisi ad honeste vivendum etc., sententia mea esset, sicut jam dictum fuit in anteacta relatione, ut quoties placeat Eminentissimis Patribus S. C., et quoties sit locus commutationi voluntatis, melius foret devenire ad perpetuam unionem istorum bonorum praebendae valde tenui favore supplicantis Septimii

Giustiniani, bonis honestisque moribus imbuti, ecclesiae valde utilis, et qui indiget provideri, imposito onere perpetuo sibi et successoribus ejus congrui missarum numeri annuatim celebrandarum in testatricis animae suffragium. Sicque redderetur praebenda sufficiens ad honestam sustentationem personae, cui in posterum erit conferenda cum lucro testatricis, cujus onus missarum ex temporaneo perpetuum evaderet. Et si hoc non placet, servetur dictae testatricis ultima voluntas. Neque canonicis haec commutatio displicere potest rationabiliter, quia commutatio cum sit gratia, non potest inter competitores judiciale certamen intervenire de ipsa vindicanda."

Canonici Giustiniani defensor advertit, dubitari non posse de bono jure commutandi piam testatricis voluntatem in themate, ad effectum uniendi haereditaria bona perexiguae illius praebendae; cum id suadeat divini cultus splendor, cui per hujus praebendae augmentum sacer alter minister altaris, qui divinas valeat functiones peragere, decenter potest in posterum addici; nec minus id suadeat ipsius testatricis utilitas, nam onus missarum fit ex temporaneo perpetuum, quo in casu facilius probari potest commutatio juxta S. Congregationis praxim, ceu in Savonen. 28. Martii 1822; et in Nepesina Commutationis voluntatis 14. Februarii 1857; adeo ut haec potius piae voluntatis accuratior dici valeat executio quam commutatio. Idque ad ipsius etiam collegiatae ecclesiae decorem redundare ait; quandoquidem canonicalis praebenda, quam sacerdos Giustiniani nunc possidet, cum, deductis oneribus, redeat ad annua scutata duo et obolos viginti duos cum dimidio, ceu probat ex documentis, ac dati receptique syngraphis desuper solutis oneribus, evidens est, ut nemo in posterum inveniatur, qui tam perexiguam praebendam velit adipisci: eaque propter nec canonici primae erectionis rationabiliter de petita unione dissentiri valent; nam prius innitendum est, ut conservetur canonicorum numerus per decentem tuitionem, quam ut is augeatur.

Monet insuper per praefatam unionem, si haec detur, canonici Giustiniani praebendam longe etiam minorem exsistere primae erectionis praebendis. Cum enim haereditas Biondi, detractis oneribus, libera praebeat annua scutata 30 et obolos 27, ut ex respectivo statu activo et passivo deducitur; haereditaria bona si uniantur praefatae praebendae Giustiniani, haberi tantum poterit praebenda annui reditus sc. 32: 49 1/2, subductis oneribus. Atqui quisque primae erectionis canonicus ex sui praebenda fruitur in singulos annos scutis 129. 44. 5. expunctis oneribus, ceu ex inventario probat ejusdem capituli ceterisque monimentis.

Ex hisce falsam ostendit esse canonicorum assertionem, qua regerunt haereditarios hosce reditus pertingere, subductis oneribus, ad scutata annua 69. 85. Quod et si id verum foret, longe semper minor evaderet canonici Giustiniani praebenda illa canonicorum primae erectionis.

Spernendum post haec, inquit, testimonium canonici Savicelli et Silvestri Micheli, qui asserunt se accepisse a testatrice, ejus fuisse mentem, ut ex suis bonis nova erigeretur praebenda; praeterquam enim id numquam audierint ceteri testes propinqui et familiares post lapsum quatuordecim annorum ab condito testamento, sciendum est canonicum Savicelli testem esse in causa propria, ac testem Micheli extraneum esse ab oppido Fiano familarissimumque alterius. Praeterea si beneficium, quod possidet canonicus Giustiniani, est jurispatronatus, cum etiam ad canonicos primae erectionis praeter alios, hujusmodi juspatronatus pertineat, hoc id secum ferret, ut iidem canonici illius perexiguae doti prospicere tenerentur de proprio, vel saltem non impedire, quominus nunc prospiciatur per petitam unionem pii relicti Biondi

Tandem advertit, neminem esse in oppidulo, qui valeret novam canonicalem praebendam, si ea juxta votum capituli erigeretur, assequi; nec ecclesiam collegiatam hac nova canonicali praebenda absolute indigere, cum etiam sine ea valeant solemnes functiones impleri, suppetias ferentibus fratribus Minoribus conventualibus, ceu semper suevere in Flavianensi ecclesia.

Canonici primae erectionis nihil praeterea deduxerunt. Interim Helena Salvatori vidua Petri Biondi supplex adstitit, exponens, quod „testatrix Biondi unicum fratrem Petrum habuit, qui anno 1856 decedens viduam cum quinque filiis reliquit, parvo gaudentes patrimonio et debitis obaerato. Infelix mulier, ut educationi imprimis trium puellarum orphanarum prospiciat, supplicat EE. PP., ut derogare dignentur testamento Biondi, et ipsam ad possessionem haereditatis admittant, cum onere 12 missarum quotannis in perpetuum, etc.“ Super his pariter auditus Ordinarius, reposuit, pendente jam praefata petitione pro commutatione super unione vel erectione, admitti non posse preces Oratricis pro nunc.

Ceterum tam super petita unione vel erectione novae praebendae, quam super nuperrimis Helenae precibus, quid consilii capiendum sit, decernent Eminentissimi Patres: praesertim quid praestituere expediat circa numerum missarum.

Pro gratia commutationis voluntatis ad effectum erigendi beneficium ecclesiasticum liberae collationis cum onere celebrandi annuatim missas 40 in suffragium animae testatricis, subministratis per proximum quinquennium annuis scutis 12 titulo subsidii charitativi favore viduae Salvatori Biondi ejusque filiorum, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 14. Februarii.

Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis moderata est et decrevit, ut pars bonorum haereditatis Felicis Biondi, quae annuum reditum praebeat scutorum 20, assignetur ab Episcopo in augmentum praebendae, quae modo possidetur a canonico Septimio Justiniani cum onere eidem ac futuris rectoribus pro tempore celebrationis unius missae quolibet mense in suffragium testatricis ac coadjuvandi parochum in religiosam instructionem juventutis: reliqua vero bona assignentur viduae Salvatori ejusque filiis cum annuo onere sex missarum in suffragium pariter testatricis capta inscriptione hypothecaria super respectiva quota bonorum pro securitate et implemento utriusque legati.

Et onera missarum describantur in tabella sacrarii ecclesiae collegiatae ad formam decretorum generalium sa. me. Urbani VIII. et Innocentii XII. de celebratione missarum.

160. Cremen. — Commutationis voluntatis.

Die 26. Junii 1858.

Moderatores seu administratores locorum piorum, quos vocant elemosinieri, Cremensis civitatis exponunt: testamento diei 25. Maji 1535 nobilem feminam Domitillam Lupi missae quotidianae legatum reliquisse reditibus adimplendum suae haereditatis, quam praedicti moderatores in praesens administrant. Ita se habent testamenti verba: „Volo ut quotidie in perpetuum missa celebretur in honorem S. Josephi et constituatur capellanus, qui eam celebret ad arbitrium exsecutorum testamenti (nunc moderatorum praedictorum) ad quorum nutum sit amovibilis.“ Diligenter huic oneri satisfactum fuit usque in praesens juxta piae testatricis praescriptionem; nisi quod post suppressionem ecclesiae S. Josephi, missae celebratae fuerunt in ecclesia S. Bernardino sacra,

quae subsidiaria est cathedrali, aucta subinde earumdem missarum eleemosyna, prout mutata temporum ratio exigere videbatur.

Nunc vero iidem moderatores perpendentes, quantum augetur eleemosyna missarum, tantum subtrahi pauperibus, qui a pia testatrice haeredes instituti sunt, supplices postulant, ut praefatum pium legatum in simplex beneficium erigatur collativum in titulum hisce sub conditionibus:

„1. Beneficium erigetur in ecclesia S. Bernardi succursali cathedralis, intra cujus limites fuit ecclesia S. Josephi.

2. Administratoribus reservetur nominatio capellani, qui tamen benevisus sit Ordinario.

3. Pro eleemosyna dentur libella una cum dimidia pro missa feriali, et pro festiva lib. $3^1/_2$.

4. Si canonico vel naturali impedimento, de quo curia cognoscet, detineatur a celebratione, si est sacerdos, aut a presbyteratu, si est subdiaconus aut diaconus, ad celebrandam missam non tenebitur, neque administratio stipendium erogabit pro celebratione missae ab alio sacerdote facienda.

5. Si beneficiatus clericus sit neque canonico aut naturali impedimento impeditus, ipse supplentem sacerdotem pro missarum celebratione constituet, qui benevisus sit Ordinario et administrationi.

6. Si beneficiatus provideatur de alio beneficio ecclesiastico sufficienti, aut si in minoribus est, ex decreto Episcopi vel sua sponte habitum clericalem dimittat, ipso facto privetur beneficio, de quo res est, etiamsi non praecesserit admonitio Ordinarii aut formalis renuntiatio.“

Addunt vero Oratores: „Cum quarta conditio, quamvis naturae beneficii conveniat, contraria esse posset menti piae fundatricis, quae voluit quotidie in perpetuum missam celebrari, ad tollendas anxietates simul petitur ab administratione pro beneficiato dispensatio ab onere celebrationis in casibus canonici aut naturalis impedimenti, ob redituum tenuitatem.“

Hujusmodi petitionem vehementer probavit ac suis literis commendavit Episcopus, qui rogatus etiam, ut magis praecise referret de viribus haereditatis, legitima translationis ac reductionis causa, et an adsint passive vocati, quibus praejudicium inferatur, reposuit: „1. Moderatoribus locorum piorum hujus urbis ex possessionibus relictis a quondam Domitilla Lupi redire annuatim termille et quingenas libellas circiter monetae Austriacae, quo reditu ipsi moderatores tenentur adimplemento non solum capellaniae quotidianae, sed etiam aliorum legatorum cultus et beneficientiae. 2. Institutionem beneficii expostulari a necessitate; nonnulli enim clerici hujus dioecesis egent titulo canonico, ut queant ad ordines majores promoveri. 3. Dictam capellaniam transferendam ducimus ad ecclesiam S. Bernardini, tum quia ista ecclesia exsistit inter fines hujus cathedralis, prout sita erat illa S. Josephi modo suppressa; tum quia in illam post hujus suppressionem translata a praedecessoribus nostris. 4. Tandem non adesse passive vocatos, quibus praejudicium inferri queat ex institutione beneficii.“

Proposita legati pii commutatio in ecclesiasticum beneficium nullam facessere videretur difficultatem, ubi adjectae conditiones fundationis integritatem non offenderent. Ast hujusmodi non est conditio quarto loco apposita. Perpendendum itaque, an ratio prospiciendi decenti clericorum tuitioni, quibus beneficium instituendum destinatum foret, ea sit, quae hanc conditionem probandam suadeat; vel potius expediat, firma perpetuo manente satisfactione missarum, vel majus praestituere earumdem stipendium veluti in compensationem lucri, quod beneficiatus aliquando impeditus ad celebrationem amittet, cum eam alteri committere debeat; vel administrationi piorum operum injun-

gere, ut hisce in casibus missas per alios celebrari omnino curet, ex haereditatis ab ea administratae reditibus: satius enim est, ut justa interveniente causa, alia pia opera, quam missarum onera negligantur.

Ceterum non latet, missarum stipendia alicui beneficio adnexa arbitrio Episcopi, in constituenda summa pro ordinationis titulo requisita, computari, S. Congregatio in Ariminen. 17. Julii 1723. Porro hanc, de qua agitur, accidentalem missarum reductionem nec natura beneficii inducit, cum beneficiatus, etiam ille, qui per se ipsum celebrare debet, in casu saltem diuturnae infirmitatis per alium celebrare teneatur; nec tituli ordinationis ratio postulare videtur, cum nihil aliud ad hoc requiratur, nisi quod ordinationis tempore ordinandus tale habeat patrimonium sacrum, quo possit commode vivere, illius oneribus per se ipsum satisfaciendo, nullo habito respectu ad fortuitos casus, S. Congregatio in cit. Ariminen. 17. Julii 1723. discurs: Secret. §. 3.

Pro gratia juxta petita, dempta tamen quarta conditione.

b. Commutatio qualitatum beneficiorum.

161. Fossanen. — Commutationis voluntatis.

Die 25. Januarii 1851.

Ex omnibus, quae post mortem suam reliquit, bonis Stephanus Aloysius de Gubernatis erigi mandavit consobrino suo Victorio de Gubernatis canonicalem praebendam in cathedrali templo civitatis Fossanensis de jurepatronatus familiae de Gubernatis, instituto peculiari tam activae quam passivae vocationis ordine, ac imposito futuris provisis duarum missarum onere singulis annis pro fundatore praeter aliam missam cum cantu, recurrente quotannis die obitus ejusdem anniversaria.

Elato testatoris funere, confectoque bonorum haereditatis inventario, ex quo valor emersit libellarum circiter 19244, cujusque reditus, ducto calculo per decennium, annuas libellas quinquaginta supra septingentas haud excedere perhibetur, sacerdos Joseph de Gubernatis primus ab ipso fundatore ad canonicatus possessionem nominatus institit coram Fossanensi capitulo pro formali canonicatus erectione. Ast, refragante capitulo, tum quia proventus bonorum mille libellas quotannis non attingebant, et peculiares reditus pro quotidianis distributionibus haud habebantur juxta praescriptum statutorum capitularium, tum etiam quia libera sedes pro novo canonico omnino desiderabatur in choro, praefatus sacerdos ad S. hunc Ordinem confugit, enixe petens, ut loco canonicatus in cathedrali templo Fossanensi simplex institueretur beneficium in parochiali ecclesia Gorbii, dioecesis Niciensis, firmis aliis omnibus tum oneribus, tum juribus patronorum, tum conditionibus per testatorem demandatis.

Ea, quae praenarrata sunt, in petita informatione confirmat adamussim Episcopus, qui insuper addit, non omnia bona haereditaria adeo esse tuta, ut litibus saltem non reperiantur obnoxia, ac proinde majoris imminutionis haud absit periculum; causamque petitae commutationis legitimam oriri ex defectu redituum libellarum mille, praeter peculiarem pro distributionibus fundum, ceu statuta capitularia rationabiliter exigunt, hujusmodi enim deficiente annuo reditu nequiret canonicus in ea civitate honestae ac decenti sustentationi providere: omnes denique sive compatronos, sive alios interesse habentes, non excluso capitulo Fossanensi, in propositam commutationem consentire. Orator

vero loco choralis officiaturae novum missarum onus usque ad quinquaginta praeter eas, quae testator ipse praescripsit, beneficiato pro tempore quotannis injungendum esse concedit, nisi aliter Eminentissimis Patribus visum fuerit.

Hisce habitis, placuit iterum Episcopum suscitari, cur non magis expediret, ut per aliquot annos investirentur reditus haereditatis ac deinde erigi posset praebenda canonicalis juxta capitularia statuta. Abnuit autem Antistes a proposito suscipiendo consilio: „Cum graves sint expensae faciendae, sunt illius verba, . . . reditus purus annuus ita tenuis esset, ut multi decurrerent anni, priusquam formaret sortem pro fructu, qui requiritur, et interim vocatus a fundatore, qui certe illi favere voluit. nihil perciperet, et ne expensas quidem resarciret, quas ferre debuit.“ Literasque concludit preces Oratoris commendans, ut voti compos evadat.

Nemo profecto non novit, quod ut defunctorum voluntates sancte ac religiose serventur omnia tum divina tum humana jura praecipiunt, legesque omnes civiles atque canonicae districte ac severe praescribunt. Id tamen intelligendum facile quisque percipit, quatenus illarum exsecutioni nullum legitimum paretur impedimentum: interveniente enim justa utilitatis vel necessitatis causa, ac praesertim ubi voluntatis exsecutio perdifficilis aut etiam impossibilis reddatur, prudens illius commutatio non modo rationabilis, sed etiam necessaria facile deprehenditur juxta monitum Barbos. ad Conc. Trid. sess. 22. cap. 6. de reform., et Pignatelli tom. 4. consult. 48. num. 12.

In specie autem adesse videtur justa commutationis causa ob reditùum tenuitatem; canonicales praebendae siquidem, imo ecclesiastica generatim beneficia non ad implenda onera imposita, et ad ecclesiae servitium peragendum tantummodo instituta sunt, sed etiam ad congruum et decentem ministrorum ecclesiae tuitionem, ceu notat Scarfant. ad Cecoper. lucubr. can. libr. 3. tit. 2. num. 31. Congrua autem beneficiatorum exhibitio pro loci et personarum qualitate dijudicanda est, veluti ad rem observat Tridentinum sess. 24. cap. 5. de reform. atque hujusmodi ratio tanti per S. hunc Ordinem semper habita fuit, ut ad hoc non raro missarum aliorumque onerum imminutionem concesserit, ut in Nullius S. Martini 16. Septembris 1820 et in Nursina Onerum 19. Jul. 1828.

Neque solum justa sed etiam necessaria causa intercedere censetur ob rationabilem capituli recusationem tum ex defectu necessariae dotationis ad formam statutorum capitularium, tum maxime ob stalli carentiam in choro: consensus autem canonicorum in erectione novi canonicatus adeo necessario requiritur, ut absque eo validitate destituatur erectio, uti perpenditur in Ripana Erect. canonicat. 30. Jan. 1830 §. Plura et §. Nec. Quatenus igitur ex his impleri nequeat fundatoris voluntas per canonicatus erectionem ne ad longius quidem tempus protractam, si ea, quae notat Episcopus, in pretio habenda sunt, commutationis necessitas jam per se patet.

Posita vero utilitate ac necessitate commutationis, ne pereat omnino fundatoris voluntas, hanc expedit commutare in opus et usum magis proximum et consonum panditae voluntati, minusque a testatoris desiderio recedentem: quo fit ut non tam mutetur quam explicetur defuncti voluntas ex traditis per Barbos. loc. cit. et ex praxi frequentiori S. Congregationis, ceu testantur Romana Commut. vol. 27. Febr. 1734 Nullius Terrae Pontiani 30. Jan. 1745. Interamnen. 8. Maji 1756 et Eugubina Commut. vol. 1. April. 1786.

Certum est autem fundatorem canonicatus potius chori servitium quam aliud quodcumque opus voluisse, ceu perpendit S. Congregatio in Taurinen. 1. Martii 1817, in Asculana 22. Januar. 1820, et in Fossanen.

relata per summaria precum 18. Septembris 1824. Hinc potius quam beneficium simplex eligendum videretur aliud chorale beneficium, veluti mansionaria seu capellania cum onere servitii choralis in ecclesia designata erigenda, uti per modum regulae factum esse a S. Congregatione patet ex relatis exemplis in §. praecedenti, et praesertim ex praefata Eugubina, nec non ex Maceraten. 30. Augusti 1704 et Regien. 17. Novembris 1736 ex identica ratione tenuitatis redituum pro congrua canonicorum tuitione. Qua imo de causa canonicatus etiam jampridem erectos in mansionarias commutavit, vel absolute suppressit, ut in Caesenaten. 25. Septembris 1728 et in Praenestina 15. Martii 1777. At de mansionaria ne verbum quidem excidit nec in precibus nec in informationibus Episcopi, ita ut in cathedrali templo utrum mansionariae seu capellaniae chorales habeantur penitus ignoretur.

Uti vero Eminentissimis Patribus placuerit in simplex beneficium cum onere missarum demandatum immutare canonicatum, prout quandoque etiam per S. hunc Ordinem concessum legitur in Aretina 29. Novembris 1698 ubi duplicatum fuit onus missarum praescriptum a fundatore, et in Clusina 31. Julii 1751, in qua pro chorali officiatura quidam missarum numerus fuit subrogatus, cum praesertim omnium patronorum et interesse habentium consensus interveniat, quod plurimi solet aestimari, ut in Senogallien. Commut. vol. 30. Maji 1772 §. Accedere, et in Placentina Translat. 7. Aug. 1773 §. Pias, agitur enim de ipsorum praejudicio, Piton. de controv. patron. tom. 2 all. 67. num. 18 et 19: animadvertendum superest, num etiam translatio, quae petitur, expediat in ecclesiam parochialem Gorbii alienae dioecesis, unde majus fortasse testatoris dispositioni vulnus inferretur, et de ecclesiae ipsius ageretur praejudicio, veluti monet Piton. loc. cit. all. 37 num. 5. tom. 1.; quamvis praesumere liceat fundatorem, sublata canonicatus erectione, magis ecclesiam parochialem Gorbii, unde originem habebat, quam templum cathedrale Fossanense praedilectione fuisse prosecutum; ecclesiae autem praejudicium exsulare videtur ex unanimi Episcopi et capitularium consensione.

Admissa tandem commutatione juxta petita, de numero missarum praescribendo decernendum superesset. Annuas quinquaginta proposuit Orator, ceu superius enarravimus; at valde tenue appareret onus subrogatum respectu servitii a testatore praescripti. Haud esset forsan abs re praeter eas a fundatore demandatas celebrationem missarum injungere beneficiato pro tempore omnibus diebus festis etiam reductis, maxime cum ageretur de ecclesia parochiali extra civitatem, in qua procul dubio major utilitas ex missarum celebratione diebus festis accipitur. Atque ita non solum animae testatoris expiandae consulitur, sed majori etiam ecclesiae cultui, et populi commoditati prospicitur.

Dilata, et scribatur Episcopo, qui auditis omnibus interesse habentibus et praesertim capitulo et beneficiatis, referat an magis expediat erigere mansionariam vel beneficium chorale.

Iterum proposita causa die 26. Julii 1851 post expletas meliores informationes dimissa est rescripto:

„Pro gratia commutationis juxta modum, aucto nimirum missarum numero singulis diebus festis de praecepto ultra missas a fundatore statutas celebrandarum in parochia Gorbii hora populo commodiore ab Episcopo Nicien. praefinienda, facto verbo cum Sanctissimo.

162. Asculana. — Commutationis voluntatis.

Die 18. Julii 1859.

Fabritius ejusque soror Anna Lucia Cocci Ophydae supremo, quo respective decesserunt, elogio annis 1726 et 1727 exarato, capellaniam laicalem „opera pia Cocci“ nuncupandam haeredem ex asse instituerunt; onere capellano imposito tot litandi sacra ad aram SS. Crucifixi in collegiali ecclesia SS. Trinitatis ejusdem loci, quot ferret annuus bonorum reditus computata eleemosyna in obol. duodecim. Exsecutoribus testamentariis pro tempore, septenario numero amplissimis cum facultatibus designatis, facultatem, praeter alia, tribuerunt capellanum per secreta suffragia eligendi sacerdotem seniorem inter consanguineos usque ad quartum gradum; iisque deficientibus, prout jamdiu defecisse compertum est, nominari jusserunt „sacerdotem extraneum et Ophydae permanentem, et praeferatur major aetate et in paritate aetatis major aetate in sacerdotio.“ Capellano demum tributa fuit libera facultas administrandi bona, onere tamen eidem imposito sub remotionis poena a capellaniae possessione reddendi quotannis rationem ipsis exsecutoribus tum de reditibus, tum de missarum satisfactione.

Porro hujusmodi capellaniam per nominationem rite a modernis exsecutoribus testamentariis expletam anno superiori obtinuit, qua senior inter loci sacerdotes, Raphael e comitibus Brandimarte, qui paulo post supplex adfuit coram S. Ordine duo haec postulans, ut nimirum missarum onus ad aequum determinatumque numerum cohiberetur, utque capellania ad augendum collegialis ecclesiae decus in canonicatum erigeretur, atque ita antiquus canonicorum numerus redintegraretur, nonnullis abhinc annis imminutus ob unius praebendae suppressionem ejusque perpetuam unionem favore ecclesiae PP. Augustinianorum a Sede Apostolica peractam.

Exsecutores testamentarii, quos per Episcopum de more audiendos curavi, petitioni refragantur praesertim quoad canonicatus erectionem. Per eam siquidem undequaque subverti testatorum voluntatem clamant, cum laicalis capellania, cujus rector amoveri saltem ex causa posset, in praebendam collativam esset convertenda; eoque ipso perimerentur jura exsecutoribus tributa, saltem ea quae cum nova rei conditione incompatibilia forent. Missarum etiam reductioni, prout petitur ab Oratore, obstant; sed in eo tantum assentiuntur, ut habita ratione ad temporum adjuncta evehatur eleemosyna ad obolos viginti.

Capitulum propositae canonicatus erectioni assensum praebuit, nonnullis tamen sub conditionibus; quas inter, ut ex reditu bonorum quota pro distributionibus quotidianis assignetur in summa scut. 21. 42. 8; ut integro manente jure praecedentiae ceterorum canonicorum actu existentium, novus canonicatus habeatur mere supranumerarius, cum omnibus juribus ac oneribus canonicis ejus generis inhaerentibus ad tramites constitutionum capitularium; ut demum in futuris vacationibus, posthabita conditione senioratus quivis e sacerdotibus Ophydae oriundus eligi queat ab exsecutoribus testamentariis.

Episcopus postquam retulerit annuum capellaniae reditum, detractis oneribus, computari posse in scut. 44 plus minusve, haec habet: „Nulla adest legitima causa mutandi cepellaniam in canonicatum, si demas permagnum Oratoris desiderium augendi chori servitium; sed adest ratio pro missarum reductione, cum valde tenuis sit elcemosyna duodecim assium. Perpensis vero circumstantiis existimarem, quaesitam gratiam, commutandi scilicet capellaniam Cocci in canonicatum, posse concedi, at solum donec vixerit Orator, in

senili jam aetate constitutus, sequentibus conditionibus: 1. ut omnes proventus operae piae subductis expensis applicentur celebrationi missarum augendo eleemosynam pro singulis usque ad asses viginti, seu viginti quinque; 2. ut servetur testatoris voluntas quoad diligentem rationem reddendam quotannis testamenti curatoribus; 3. ut scutata 21. 42. 8. notata pro distributionibus, aut Orator solvat e proprio, non vero ex proventibus operae piae, aut non praesumat esse participem distributionum canonicorum; 4. ut canonicatus instituendus non sit supranumerarius, sed unus ex gremio capituli; 5. ut denique expensae omnes, quibus opus erit, solvantur a Brandimarte, qui pariter habere debeat et honores et onera sicut alii e gremio capituli.

Quamquam exsecutorum contradictio in calculo habenda videatur, quippe innixa utriusque juris sanctioni, qua cautum est testatorum voluntatem esse omnino servandam S. C. in Perusina Capellaniae 20. Januarii 1770. §. Capitulum; nihilominus novum non est, ut Sedes Apostolica suprema sua auctoritate commutationi voluntati indulgeat, quoties per eam divinus cultus augeatur et commutatio bono publico sit utilior, Piton. discept. eccl. 69. num. 15, S. C. in Firmana Mansionariae 15. Decembris 1770 §. Ait. Nec dubitari potest, quin canonicatus erectio cedat, generice loquendo, in augmentum divini cultus, cum certum sit per illam augeri numerum laudantium Deum, eique bona dicentur, et ex temporalibus sacra efficiantur ac spiritualia, Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 5. num. 43. et seq. S. C. loc. cit. Unde etiam ad tenues choralium praebendas, vel distributiones, nec non exiguum canonicorum numerum augendum, legata missarum, capellanias ac beneficia saepe reduci, uniri ac quandoque supprimi solent, ceu plura exhibent in thesauro exempla.

Conditiones quod attinet, quatenus pro canonicatus erectione legitimam in themate adesse causam agnoscatur, perpendendum erit, an quae proponuntur ab Episcopo admitti queant; qua insuper ratione ineunda sit missarum reductio, quum aequum videatur, ut congrua redituum portio titulo praebendae rectori assignetur. Ceterum potissimum curandum est, ut per eas primaevae fundationis legi ac exsecutorum juribus, quo minus fieri potest, detrahatur.

Pro gratia reductionis missarum ad effectum augendi eleemosynam ad obolos 20 pro unaquaque missa, et ponatur in tabella, facto verbo cum Sanctissimo, in reliquis lectum.

2. Commutationes ad alios usus ecclesiae.

163. Fanen. — Commutationis voluntatis.

Die 31. Januarii 1852.

Pervetusta ac olim locuples ecclesia collegialis oppidi S. Constantii, grassante Gallica invasione, ita fuit direptioni obnoxia, ut omnibus ejus bonis, haud exceptis decimis, regio demanio addictis, nonnisi annua pensio scut. 93. et obol. 43. archipresbytero, cui incumbit animarum cura, assignata fuerit, quin pro occurrentibus fabricae et cultus impensis quidpiam decerneretur. Pro his itaque ex communi massa detrahi solebat duplum ejus, quod uni ex canonicis praestabatur. Et quamvis deinde restituto Pontificio gubernio publici thesaurarii rescripto edito sub die 14. Maji 1817 pro hujusmodi impensis praestituta fuerit summa scutatorum 100; nihilominus haec mense Septembri insequentis anni deleta prorsus ex albo fuit, nec amplius praestita,

nil suffragantibus repetitis ad rem precibus, vel exemplo ceterarum ecclesiarum ejusdem dioecesis, queis adhuc pensio eadem a gubernio rependitur. Factum hinc est, ut archipresbyter illud oneris de sua paroeciali congrua sustinuerit, quod scutata 100 quotannis excedit. Aliqualis compensationis loco obtinuit quantitatem scutatorum 55, quorum quinque desumpta ex reditibus census ad sacrarium pertinentibus, alia decem ex pio relicto quondam Antonii Bolognesi praevio S. Congregationis decreto diei 11. Julii 1840, reliqua quadraginta, quae superexstabant ex eadem haereditate, quibus obviam itum fuit expensis pro ecclesiae contignatione sacrisque supellectilibus reficiendis.

Hodie iterum urgere ejusdem ecclesiae restaurationem laudatus archipresbyter exponit: „Cum nunc haec ecclesia extrema necessitate reparationis et restaurationis prematur, et scalis indigeat (quae omnia jam decreta fuerunt in s. visitatione) nec aliae facultates archipresbytero ad haec exsequenda suppetant“; idcirco supplex adest apud Sacrum hunc Ordinem: „ut benigne ipsi concedantur, quae residua sunt ex haereditate Bolognesi (cujus ipse est gestor, quae usque ad finem anni 1850 ad scut. 50 circiter ascenderunt, et ea quae futuris annis reliqua erunt pro manutentione et dote fabricae et supellectilium ecclesiae; quamvis enim ad opus non sufficiant, faciliorem tamen reddent exsecutionem.“

Hisce omnibus morem gerit vicarius generalis pro absente Episcopo informans, qui postquam adamussim easdem facti circumstantias recensuerit, haec habet: „Jam vero preces ipsas veritate obniti mihi persuasum perspicuumque est .... summa res est. Scuta centum servata etiam ratione strictioris oeconomiae sustinendis ecclesiae sumptibus vix posse in annum sufficere, quae indotata prorsus haberi debet, si paucos solidos, fructus exigui census, excipias. Sacer hic Ordo .... mandatum dedit proponendi alia media quoad futurum: sed quibus potiri plane nescio; nisi ad extraordinaria confugiamus. Haud me latet ex jure communi beneficiatos et canonicos in contributum esse vocandos, si qui tamen reditus congruae illorum sustentationi supersint; sed hoc opus. Nullus enim eorum ex titulo habet ultra quod necessarium. Id adeo exploratum, ut quos tunc conferre in subsidium ecclesiae scut 30 S. Congregatio jusserat, ipsemet archipresbyter impotentissimos sciens, absolutos obligatione dimisit. Cum ergo constet de impotentia aliter supplendi, deprecatorem archipresbyterum dignum reor, quem gratia et favore prosequamini. Immo et vehementer exopto. Hoc eo vel maxime, quod testator Bolognesi ecclesiam S. Constantii praedilexisse videatur, in qua et canonicatum instituit, et voluntas de superexstantibus fructibus haereditatis impendendis in celebratione missarum magis interpretata, quam in tabulis expressa dignoscitur. Cui tamen cum aequum non sit nullimode obsequi eam sane gratiae conditionem apponendam censerem, celebrandi quotannis officium missarum ab universis loci sacerdotibus pro ejus animae expiatione.“

Petitioni apprime jura obsistere videntur quae jubent, defunctorum voluntates pie ac religiose esse servandas. Quare nunquam ultimarum voluntatum commutatio conceditur, nisi justa et necessaria causa concurrat. Reparatio autem fieri debet de ipsis ecclesiae reditibus, si quos habet; secus concurrere debent ecclesiarum rectores, parochi nempe in parochialibus, et beneficiati in ecclesiis non curatis, Reiffenstuel. in lib. 3. decret. tit. 48. numer. 22. et seqq. Quod autem ad illos attinet, hoc est peculiariter statutum, rectores nempe ecclesiarum ad illas tuendas sarciendasque primum obstringi, praesertim si eisdem congrua scutatorum 100, demptis in ecclesiam sumptibus, supersit, S. C. in Ferentina Reaedificationis eccl. 19. April. 1834. §. Eum. Deinceps gravati quoque exsistunt patroni,

ceterique omnes, qui aliquid de ecclesiae fructibus participant; nec excluduntur ultimo loco parochiani qui tenentur in subsidium quoad ecclesiam, ubi sacramenta et alia divina percipiunt, et in quorum gratiam est reparanda, Reiffenst. cit. loc.

Quod dictum est de ecclesiae reparatione, id intelligendum venit etiam de procurandis et resarciendis ejusdem paramentis, ut puta casulas, pluvialia, albas, calices etc. cum fabrica ecclesiae et praeparatio ornamentorum in jure parificentur; ita docente Surdo aliisque, quos sequitur Pirhing. h. t. n. 16, nec non Ventrigl. in annot. 18. de reparat. eccl. num. 2.

Quamquam vero, cum urget ecclesiae restauratio, haec sit ordinaria methodus observanda, nihilominus in praesenti specie grave nimis accideret ecclesiae rectori S. Constantii, cui, si demas congruam scutatorum 171. 43, quae attentis oneribus curae animarum inhaerentibus suaque decenti tuitione, exigua admodum reputatur, nulla alia suppetunt media, quibus praedictae ecclesiae necessitati occurri valeat.

Deficientibus ordinariis remediis, haud dedecet ad extraordinaria confugere, ad commutationem nempe ultimarum voluntatum, ac missarum aliorumque legatorum suspensionem, ut fabricae necessitati prospiciatur, prout saepenumero decrevit S. C. in Senogall. Fabricae eccl. 20 Febr. 1796 ad 2. dub., in Ferentina Reaedificat. eccl. 25. Maji 1805, et in Tiburtina Suspens. capell. 13. Jan. 1816. Praeterquamquod enim id saepissime factum sit justa concurrente commutationis causa, accedit etiam hoc in casu praesumpta mens testatoris, qui ecclesiam S. Constantii praedilexisse quam maxime videtur; quin obsit voluntas de superexstantibus reditibus in celebratione missarum impendendis, quae, ut refert vicarius generalis, magis interpretata quam in tabulis expressa dignoscitur.

Quod si censuerint EE. PP. archipresbyteri precibus annuere, piae voluntatis commutationem decernendo, perpendere haud abs re erit, utrum aequa videatur conditio, quam apponendam esse existimat vicarius generalis, celebrandi nimirum quotannis officium missarum ab universis loci sacerdotibus pro testatoris animae expiatione; vel aliud onus injungendi, quod in ejusdem spirituale bonum cedat.

Pro gratia juxta votum vicarii generalis ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

164. Spoletana.

Die 17. Maji 1828.

In collegiata Maevaniae adest capella quatuor constans cantoribus, qui singulis diebus festis in missa et vesperis concinere obstringuntur. Huic capellae canonicus Angelicus Trabalza supremis tabulis anni 1760 quotannis solvi praecepit scutata quadraginta. Cum vero stipendium scutatorum decem, quod singuli cantores percipiunt, valde tenue sit et labori minime respondens, sacerdotes congregationis consortii, quibus concredita fuit administratio haereditatis Trabalza huic S. Ordini supplicem porrexerunt libellum, ut legatum eidem capellae relictum annuis scutatis 12 augeatur. Hujusmodi autem pecuniae vim depromi posse existimant vel ex annuo legato scutator. 40 ab eodem canonico Trabalza sacrario ecclesiae collegiatae relicto, ut sacrae comparandae supellectili inserviret, vel ex scutatis 40 in pauperum praesertim infirmorum levamen ad formam testamenti Trabalza erogandis. Rogatus Archiepiscopus, ut auditis quorum interesset, votum suum panderet, retulit:

„Miserum revera est emolumentum, quod cantores percipiunt. Capella musicorum sicut antiqua est, tolli non potest sine populi commotione: aequum aliunde videtur aliquid addere subsidium componentium illam. Horum laboris et penuriae miserti tam canonici quam congregatio consortii alia scutata 12, tria nempe pro quolibet ex cantoribus superaddere cogitant. Non una tamen est sententia duarum corporationum, unde haec 12 scutata ex haereditate Trabalza sint desumenda.

Canonici augmentum pro cantoribus detrahendum esse putant ex eleemosyna pauperibus largienda, tum quia et ipsi cantores pauperes sunt, tum quia testator Trabalza legatum pro comparanda sacra supellectili in alios usus converti prohibuit „nonobstante quacunque dispensatione vel beneplacito superiorum.“ Hisce accedit, quod sacrarium indiget sacris vestibus et „massa capitularis vel nulla est vel maxime exigua et certe novis oneribus impar. Collegium autem consortii desumendum esse subsidium potius retinet ex legato sacristiae, cum cantores servitio ecclesiae collegiatae sint mancipati. Dum ergo omnes in emolumentum aliquod cantoribus augendum nec aliter quam ab administratione pii operis Trabalza desumendum conveniunt, ego requisitus per literas EE. PP. rem componendo dicerem, desumenda esse scutata sex ex legato eleemosynae et alia sex ex legato pro supellectilibus, quibus, antequam legatum Trabalza advenisset, tenebantur in supplementum sacristiae ipsi canonici, quibus serviunt pro supplemento cantores.“

Pro gratia juxta petita et votum Archiepiscopi, facto verbo cum Sanctissimo.

165. Nullius Sublacen. — Commutationis voluntatis.

Die 27. Novembris 1858.

Franciscus Nocenti e terra Cerbariae ultimis quibus decessit tabulis elapso anno 1857 jussit, ut post mortem conjugis suae, quam haeredem usufructuariam nuncupavit, universa suae haereditatis substantia in beneficii ecclesiastici institutionem erogaretur.

Itaque haeres usufructuaria, cui hujusmodi institutio demandata fuit, supplici nunc oblato libello postulat, ut, cum in Cerbariae oppido beneficia ecclesiastica abundent, ex bonis haereditariis alumnatus, ut ajunt, in Sublacensi seminario constituatur, ea tamen conditione, ut eadem bona haereditaria emphyteusi ad tertiam generationem subjiciantur favore ejus pronepotis Petri Ruggeri, a quo nunc recipit alimenta: additaque insuper lege, ut nominatio ad alumnatum spectet ad Joannem Pellegrini ejusque descendentiam in infinitum favore pueri Cerbariensis. Ex hac vero commutatione seminarium onus in se per bonorum consecutionem susciperet alendi alumnum ex parte tantum, et celebrandi quotannis missam cum cantu et quatuor alias lectas in ecclesia collegiata Cerbariae in die anniversaria obitus testatoris.

Remissae fuere preces ad Eminentissimum Abbatem, ut auditis interesse habentibus referret de viribus haereditatis, de utilitate propositae derogationis, num aliunde consultum sit viduae sustentationi, et an propositae conditiones sint probandae. Quibus omnibus per accuratam suam relationem plenissime satisfecit Eminentissimus vir inquiens: „Quod spectat ad vires haereditatis, ex judicio periti viri valor haereditatis ascendit ad scut. 458 et exinde annuus reditus liber sperari potest scut. 23.“

„De viduae sustentatione non est cur solliciti simus, quoniam petita commutatio effectum suum sortiri debet post illius obitum; ita ut, ejus vita durante, ipsa fruatur fructibus haereditatis universis ad tramites testamenti.“

„Utilitas derogationis seu commutationis valde perspicua est. Nam terra Cerbariae beneficiis abundat habito respectu ad numerum incolarum; adest enim ibi ecclesia collegiata cum pluribus praebendis adnexis. Majorem exinde utilitatem accipiet illa terra ex beneficio instructionis.“

„Conditiones autem propositae ita sunt probandae, ut emphyteusis ad tertiam generationem favore Petri Ruggeri, et nominatio ad alumnatum favore Joannis Pellegrini ejusque descendentium equidem concedatur, ita ut seminario devolvatur caput dotis viduae petentis in scut. 45 titulo investiturae, quam vocant, emphyteusis concedendae; et seminarium onus habeat, postquam venerit in possessionem haereditatis, celebrare faciendi missam cum cantu, et quatuor lectas in die anniversaria obitus testatoris, et in ecclesia collegiata Cerbariae, pro qua satisfactione duo circiter scuta necessaria sunt in singulos annos; et puerum Cerbariensem a designata familia nominandum alere teneatur pro intranti tantum quantitate scut. viginti; reliquam vero summam usque ad taxam pro alumnis dioecesanis impositam et imponendam, si opus fuerit, cum rubro frumenti solvere teneatur familia pueri ipsius nominati.“

„Hasce conditiones ratas habuit vidua Francisci Nocenti, et archipresbyter ejusdem loci, qui unus habet quoddam remotum interesse juxta testamentum. Ex hisce, quae mea sententia sit, satis innotescit Eminentiae Vestrae etc.“

Quamvis ultimae fidelium voluntates religiose sint servandae et custodiendae; attamen expedit aliquando ut commutentur, cum majoris utilitatis ratio in commutatione suppetat, et consensus eoque magis petitio interesse habentium accedat. Ex Eminentissimi Abbatis relatione causam imploratae commutationis habent EE. PP.; quorum erit etiam decernere, quid statuendum putent quoad propositas conditiones, quas singulas, non excepta cessione capitis dotis favore seminarii, testatoris vidua ratas habuit ac probavit.

Pro gratia juxta votum Eminentissimi Abbatis, facto verbo cum Sanctissimo.

II. Conversiones ad fines charitatis christianae.

1. Ad finem statutum melius obtinendum.

166. Lucana.

Die 29. Martii 1824.

Confraternitas sanctissimae pietatis redemptionis captivorum Lucanae civitatis nullos alios habet reditus, quam annuam quantitatem, quae ex privilegio bullae cruciatae eidem obvenit, quaeque ex decennali calculo ad scuta annua romana 490 circiter ascendit. In Lucenses captivos redimendos hae pecuniae sunt erogandae; captivis vero deficientibus, s. m. Pius VI. apostolicis literis diei 13. Februarii 1789 indulsit, ut partim in dotandis puellis, ac partim in liberandis iis, qui aere alieno obruti publicis mancipantur carceribus, impenderentur. Statutum etiam fuit, ut scuta 1000 continuo apud sacram aedem deposita manerent pro redemptione captivorum, ac alia opera suspenderentur, quoties ea summa imminuta ad complementum esset perducenda.

Cum vero novis illius ditionis legibus debitores vinculis amplius non detinerentur, s. m. Pius VII. die 18. Januarii 1820 confraternitati potestatem fecit, ut summam pro debitoribus erogandam in sacra supellectili aliisque rebus necessariis comparandis pro sua ecclesia S. Hieronymi eadem confraternitas impenderet.

Nunc vero Prior et confratres ab hac Sac. Congregatione suppliciter expostulant, ut medietatem hujus summae ecclesiae assignatae, quae quartae parti totius annui reditus respondet, pro sacris missionibus in Lucano dominio Archiepiscopo moderante habendis, ipsis liceat erogare.

Archiepiscopus, quem rogavi, ambabus ulnis preces excepit, cum alia media pro missionibus peragendis, praeteritorum temporum calamitate, omnino evanuerint; eademque in sententia omnes interesse habentes versari testatur.

Innocentius III. in decretali relata in cap. Magnae. de voto votique redemptione, haec habet: „Tria praecipue duximus in hoc negotio attendenda, quid liceat secundum aequitatem, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundum utilitatem.“ Quae quidem in voti redemptione statuta ad ceteras commutationes pertinere, innuitur in Anagnina Capellaniae 22. Januarii 1822.

Licet secundum aequitatem implorata concessio: nullius enim jus laeditur, et omnes interesse habentes consentiunt.

Decet autem, ut saepe saepius divinum verbum populo nuntietur.

Expedit quoque, praesertim hisce temporibus, ut populi evangelica voce a peccatorum coeno revocati, quae sursum sunt sapiant, non quae super terram; et eo magis expedit, mediis ad id alias constitutis omnino deficientibus.

Pro gratia juxta petita, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

167. Civitatis Castel i. — Commutationis voluntatis.

Die 13. Martii 1852.

Duplex in Civitate Castelli insigni piorum virorum largitione pia reperitur institutio ad pauperum levamen addicta, sed pari licet obtentu, parique ratione fundata, valde tamen inter se differunt quoad beneficii impendendi modum methodumque servandam a singulis institutoribus demandatam. Prima suum agnoscit auctorem meritissimum illius civitatis Episcopum recol. me. Joannem Muzi mense Novembris 1849 e vivis ereptum; alteram Joannis Antonii ac Ferdinandi fratrum Betti commendabilis pietas excitavit. Utriusque naturam, conditiones, et effectus paucis sed accurate in haec verba describit Episcopus: „Meritissimus antecessor meus Joannes Muzi cl. me. orphanotrophium suis sumptibus erigebat, quo pueri vicissim et puellae pauperes colligerentur, ac pietatis artiumque institutionibus crescerent. Dotem vivens concessit, post funus haeredem pro parte (tertia nimirum) sui assis reliquit. Huic instituto parochos civitatis, Ordinario praeside, praefecit. Plurima postulantium copia, vires autem debiles, neque reditus necessitati sufficiunt.“ (Dos enim capitalis valore scutatorum 12,326 integra constituitur; reditus actualis ad scut. 690 et obol. 57. cohibetur: exitus autem ad scut. 1229. et obol. 68. conscendit, ut ex transmisso statu colligitur.) „At enim altera occurrit institutio, quam fratres Jo. Antonius et Ferdinandus Betti postremis tabulis decreverunt, nescio an dicam subsidio vel exitio pauperum. Etenim constituerunt, ut ex reditibus sui patrimonii scutum unum pro qualibet familia inopi bis in anno impenderetur parochorum ministerio (vis autem capitalis

pii hujusce relicti, detractis oneribus, summa conflatur scutatorum tredecim millium ac triginta quinque supra biscentum). Adveniente autem distributionum tempore, videlicet Natali et Paschate, qui talibus inhiant eleemosynis quaerimonias elevant, turbas faciunt, paupertatem confingunt, per fas et nefas immerentes subsidium praesumunt, minis et contumeliis parochos insectantur ni sibi morem gerant. Quandoquidem, ut majora avertantur mala, contingit, ut eleemosyna haec meretricum inhonestorumque virorum fiat praemium, et in solemnioribus ecclesiae festis in instrumentum vertatur ad crapulas, ebrietates, blasphemias et teterrima scandala perpetranda. Scutum illud nec pauperiem sublevat, nec boni quid parit, imo vero mali.

Haec animadvertentes parochi omnes civitatis, utriusque piae institutionis exsecutores, collatis consiliis, Sanctissimum Dominum Nostrum fervida prece adierunt, ut pium relictum fratrum Betti, cujus effectus fini ab institutoribus praestabilito minime respondent, alteri a clarissimo Mutio in veram populi utilitatem instituto subsidio sociaretur, non obstante caducitatis poena ab ipsis fratribus Betti comminata, ac jure devolutionis favore hospitalis sub invocatione S. Mariae Novae Florentiae infirmis pauperibus addicti. Habita siquidem a Principe Maximo voluntatis commutatione seu potius interpretatione, sese consensum a magno Hetruriae duce et hospitalis substituti moderatoribus obtenturos esse pollicebantur.

Auditus Episcopus super oblatis precibus, ut referret de canonica causa commutationis, ac de consensu pii loci subrogati moderatorum, haec ipse praeter ea, quae superius sunt narrata, reposuit: „Nemo sanae mentis non videt, quam utilius hujusmodi reditus instituti Betti impenderentur, si orphanotrophio Muzi tota assis moles sociaretur. Etenim tam pro pueris quam pro puellis miserrimis locus ampliaretur, alumnorum numerus cresceret, aptiores instituerentur scholae, ac praecipue puellis gubernandis piae sorores pii instituti Venerini advocarentur, artium culturae per idoneos artifices consuleretur, ita ut pecuniae vis, quae hactenus in pessum abiit, tunc quamplurimis familiis, vero civitatis bono publicaeque honestati subsidio cederet. Et quoniam institutores Betti suae voluntatis commutationem vetarunt sub caducitatis poena favore hospitalis S. Mariae Novae Florentiae, ideo altitudini imperiali ac regali magni Ducis hisce omnibus expositis caducitatis jus per renunciationem deletum est, ceu authenticae literae probant (quae habentur in actis). Gratiae igitur obtinendae cuncta adspirant. Florentiae gubernium cessit caducitatis juri, parochi omnes unanimiter vota ferunt, uti ex precibus singulorum nomine et charactere munitis, ac pluries in eorum conciliis, me praesente, canonice confirmatis; magistratus iterum iterumque pro viribus favet, majoraque disponit subsidia; ego pro viribus preces effundo, ut quam citius patrimonium Betti praefato orphanotrophio uniatur. Neque enim testatorum voluntas quoad substantiam eluditur, sed tantummodo in melius vertitur. Ipsi quidem pauperibus subvenire voluerunt, media autem opportuna non adhibuerunt. Ut autem et ipsa eorum piae voluntatis litera aliquo modo servetur, festis diebus Natalium et Resurrectionis Christi Domini miserabilium urbis familiis panis eleemosyna tribui posset. Proposita vero commutatione subleantur pauperes; ex familiis enim pauperibus educuntur pueri ac puellae pietate ac moribus efformandae; quae parentum desidia ac saepe scandalo perirent, sub regula tamen ac disciplina manerent. Voluntas igitur testatorum perfectius impleretur.“

Defunctorum voluntates religiose servandas monet can. 4. Ultima voluntas caus. 13. qu. 2. et Clemens V. in decret. Quia contingit de relig. dom.: „Cum ea, quae ad certum usum largitione sunt desti-

nata fidelium, ad illum debeant, non ad alium converti“ et quotidiana S. hujus Ordinis praxis ostendit, ne malo scilicet frequentium commutationum exemplo deterriti fideles a piis hujusmodi ac salutaribus largitionibus retrahantur. Quod tamen eatenus observatur, quatenus justa ac necessaria commutationis causa non intervenlat, hoc siquidem casu non tam commutatio fieri, quam voluntatis interpretatio censetur, uti videtur innuere Conc. Trid. sess. 22. cap. 6. de reform. et saepe S. C. sua resolutione sancivit, et signanter in Nullius Piscien. Commut. vol. 21. Jun. 1721. et Anagnina Capellaniae 22. Jun. et 27. Jul. 1822. Hinc tota versari debet inquisitio, utrum in casu necessaria, aut saltem justa seu legitima commutandi voluntatem causa concurrat, ac num commutationi propositae voluntas testatorum omnino refragetur.

Plura, quae sequuntur, incommoda ex distributione per fratres Betti demandata, ac alterius piae institutionis Muzi necessitas, ad illam nimirum institutionem solidiorem efficiendam, veluti causa ponitur et fundamentum commutationis. At non omnes continuo pauperes designatos abuti collato beneficio facile praesumi potest: aliquorum autem abusum compescere etiam per illorum exclusionem a subsidio consultius esset, quam innocentes eadem ac nocentes sententia punire, jure per fundationem quaesito illos omnes expoliando; non debet enim aliquis, juxta notissimam regulam, alterius odio praegravari. Praeterea, potiusquam voluntatis commutationem cum non levi pauperum vocatorum praejudicio sancire, pecuniam in panes, vestes aut similia pauperibus necessaria convertere haud esset incongruum, ut Episcopus ipse quadam in parte proponit; hac siquidem methodo duplex obtineretur effectus, voluntas testatorum et jus pauperum familiarum servaretur (finis enim, mediis tantisper immutatis, haberetur illaesus) ac plures enuntiati tollerentur abusus. Quoties enim necessitas exsurgit piarum dispositionum moderationem perficiendi ad eliminandos abusus, alius pius usus, qui sit institutioni magis proximus atque consimilis, quoad fieri potest, est eligendus, uti praescribit Tridentinum sess. 25. cap. 8. de reform. et constans S. Congregat. stylus ostendit in Fanen. Legator. et transact. 19. Junii 1828.

Post haec facile quisque deprehendit nullo esse habendam in pretio Mutianae institutionis necessitatem; licet enim valde optandum sit, ut beneficum illud institutum, additis mediis, in dies augeatur, non inde tamen ratio fundata desumitur vel causa legitima firmam testatorum Betti dispositionem infringendi, ac jus certum designatorum pauperum laedendi, quod inviolabiliter oportet custodiri juxta monitum in cap. Super eo, de off. jud. deleg.; elementare siquidem est illud aequitatis adagium neminem cum alterius injuria et jactura locupletari debere ex cap. Locupletari, de reg. jur. in 6. Quod si ex dictis improbanda videatur expetita commutatio, magis magisque refutari deberet ob loculentissimam testatorum inhibitionem sub expressa caduci poena demandatam: tunc enim quantum fieri potest, pia testatoris dispositio debet omnino sustineri, quando expressa resistit voluntas ejusdem ex censura Conc. Trid. sess. 25. cap. de reform. et declarationibus S. C. in Asculana Congruae 21. Jul. 1827, et Camerinen. 17. Maji 1828. Hoc siquidem casu non juvat exceptio opus in aequale, aut in melius quoque mutari, quod ex praesumpta testatoris voluntate perficitur; cum id procedat in dubio, ceu perpendit Card. Petra in commentar. ad const. 7. Innocent. IV., non autem quando praecisa ac firma resistit voluntas testatoris, cui omnino liberum est velle minus bonum, praetermisso meliori: quod maxime sentiendum de proposita commutatione, cum testantibus Betti non modo Mutianum institutum, sed etiam angusta illius conditio perspectissima

foret. Ratio autem prohibitionis exinde etiam est repetenda, quod testatores sint valde solliciti non solum de peculiaris injuncti operis exsecutione, sed etiam de proprio nomine operi praefixo in piae nuncupatione haereditatis in aevum servando; data vero commutatione, opus praestitutum cum alio confuditur, et una cum operis commutatione pii institutoris etiam nomen quandoque tegit oblivio.

Nihilo tamen secius haud parvi pendenda sunt rationum momenta, quae pro commutatione proferuntur. Literalis enim piae fundationis exsecutio tot tantosque secum fert abusus, ut inde pietas, religio bonique mores, experientia teste, grave patiantur detrimentum. Hisce vero concurrentibus adjunctis, etiam ubi de contraria expressa voluntate constat, haec est profecto corrigenda. Praesumitur enim testator, quatenus ea praevidisset, contrariam rationabiliter fuisse daturum dispositionem, cum nemo sanae mentis mala voluisse praesumatur, et quam maxime rationi congruat, ut si testatores viverent suumque beneficium in moralitatis detrimentum pravo cum abusu fuisse conversam conspicerent, propriam dispositionem fuissent correcturi. Jam vero, potiusquam de commutatione, de recta voluntatis interpretatione pertractari videtur in casu. Legatum autem, ita ad rem Fagnan. libr. 3. decret. cap. Nos quidem num. 31., „quando non potest impleri sive de jure sive de facto eo modo, quo per testatorem fuit dispositum, posse per superiorem fieri ejusdem conversionem in alium usum, non obstante quod in testamento adesset clausula, ne posset applicari nisi ad usum destinatum.

Juvat insuper animadvertere dispositionem fratrum Betti quoad finem primarium integram omnino servari, si, prout petitur, modus tantum exsecutionis immutetur. Pauperum subsidium eos principaliter, imo absolute voluisse per se patet ex litera fundationis. Dum igitur intacta servatur mens testatoris quoad substantiam, et methodus exsecutionis in melius commutatur, ita ut suum effectum illius dispositio praestantius assequatur, haud deneganda videtur immutatio. Praeterea maxima quae proponitur immutationis utilitas cum gravissimis incommodis collata, quae ex methodo praescripta consequuntur, adeo spectabilis est, ut per se sola gratiam imploratam suadeat: ait enim Schmalzgrueber part. 3. tit. 23. num. 221. ad mutandam ultimam voluntatem sufficere „ut in ejus commutatione inveniatur evidens utilitas, nam haec necessitati aequiparatur, et hinc, quae ob necessitatem, fere omnia etiam permittuntur ob evidentem utilitatem inde provenientem.“ Porro si commutari solent supremae morientium voluntates, ubi commutatio in publicam cedit populi ac civitatis utilitatem, uti perpenditur in una Ripana Commut. vol. 30. April. 1836, eo magis precibus assentiendum videretur in casu, in quo maximam ex concessione exaltat Episcopus totius civitatis ac pauperum praesertim utilitatem, et non tam de commutanda, quam de interpretanda voluntate ex rerum adjunctis inquiritur.

Huc accedit, quod fratres Betti voluntatem suam haud abhorrentem ostenderunt a pio instituto Mutiano, valde contra in ipsum sese praebuere propensi; in codicillaribus enim tabulis Ferdinandi annuam, dum viveret vidua Jo. Antonii fructuaria, praestationem scut. decem eidem instituto legatam invenio, ac post viduae ipsius obitum tercentum scutatorum summam ipsimet pio loco praestandam testator ipse mandavit. Proinde licet arguere clausulam de poena caduci disponentem aliam quamcumque commutationem, praeterquam unionem imploratam, prae oculis habuisse, seu potius per eam praecavere voluisse disponentes in adimplendo pio legato negligentiam, vel etiam omnimodam omissionem. Ceterum enuntiata clausula licet difficiliorem

reddat commutationem, quoties tamen per hanc melius impleatur finis a testatoribus praefixus, ac modus tantum immutetur, denegari non solet commutationis gratia, ceu factum est in Romana Commut. vol. 27. Febr. 1734; nemo enim censetur resistere, quominus propria voluntas in melius immutetur, ut monet Rota post Piton. de controv. patr. all. 50. num. 16., eoque minus si ex accidentali immutatione perfectius exequatur, uti contingeret in themate.

Jus vero pauperum ad piam Betti haereditatis distributionem, praeterquam eventuale est, non jam ex proposita immutatione pessumdatur, sed potius impletur atque perficitur, cum bonum, quod exinde percipiunt, ex temporaneo ac ephemero in stabile solidumque convertatur, ut optimo consilio monet Episcopus; cujus animadversio de panis distributione designatis diebus per fratres Betti pauperibus facienda, ut modus etiam eorum dispositionem materialiter exsequendi quodammodo servetur, haud despicienda dignoscitur. Haec omnia praeterea perbelle juvantur unanimi voto et consensione tum ipsius Episcopi, tum parochorum, tum loci communitatis, quae insuper majora subsidia pollicetur. Quodlibet demum removet obstaculum expetitae gratiae renunciatio in forma juris valida, quam magnus Hetruriae Dux et moderatores hospitalis subrogati devolutioni jam praestiterunt, qui ex fratrum Betti dispositione jus acquisiverant. Unum tantummodo cavendum videtur ut bina institutio in unum coacervata titulum ac nomen tam Episcopi Muzi, quam fratrum Betti insimul assumat perpetuoque retineat; hoc enim non solum aequitati, sed etiam justitiae ad perennandam utriusque institutoris seu fundatoris memoriam, apposito quoque lapide, consonum reputatur.

Pro facultate juxta votum Episcopi, addito orphanotrophio Muzi nomine fratrum Betti et apposito lapide ad perennandam memoriam praesentis concessionis, facto verbo cum Sanctissimo.

2. Ad subsidia pauperibus danda.

168. Faventina. – Subsidii.

Die 25. Januarii 1851.

Obseratis die 14. Junii 1849 tabulis testamentariis, iisque eadem die rite traditis publico tabellioni, e vita excedebat die 21. insequentis Julii sacerdos Alexander Bosi. Cum in iisdem nonnulla scripsisset legata tam pia in expiationem animae suae, quam profana in parentum levamen, universam contulit haereditatem in monasterium sub invocatione sanctissimi sacramenti loci Fognano Faventinae dioecesis. Totum haereditatis compendium, quam cum beneficio legis et inventarii tempore habili nullaque facta oppositione formiter adiere moniales, detractis legatorum oneribus, ad mille et sexcentum circiter scutata pertingit; atque haec titulo mere lucrativo ad moniales delata est.

Astiterunt nuperrime, mense scilicet Junio superioris anni, coram Sanctissimo Aloysius et Petrus Bosi, testatoris ex fratre nepotes, eique preces dederunt, quas ad S. hunc Ordinem ablegavit. Exponebant autem Oratores patruum suum, qui non semel promiserat eosdem haereditate sua solaturum, ideo monialium favore disposuisse, quia ab iisdem qua literis, qua interpositione medici eidem monasterio addictissimi inductus fuit atque diuturna seductione compulsus; deinde maximas rei familiaris angustias, in quibus versantur ex florenti statu honestaque conditione dejecti, nullam melioris for-

tunae spem ipsis affulgentem, prolem masculinam atque femininam valde numerosam, prostitutionem uxorum atque filiarum in extrema necessitate pertimescendam, debacchationem filiorum in foedam monialium avaritiam, aliaque praetexentes incommoda, nec non propriam jactantes Pontificiae auctoritati fidelem subjectionem, qua plurimum calamitosissimis novissimarum perturbationum temporibus divexati aestimationis atque bonorum jacturam sustinuerunt, eo preces protendebant, ut ablata monialibus patrui haereditas, vel pars saltem illius ipsis ad propriae egestatis, familiaeque levamen concederetur.

Episcopus de sententia rogatus, postquam patefecerit haereditatem a monialibus aditam fuisse cum beneficio legis et inventarii, ita prosequitur: „Hoc solum (aditio cum beneficio inventarii) sufficere videtur ad excludendas praetensiones fratrum Aloysii et Petri Bosi, de quorum non laudanda agendi ratione praecipue prioris hic necesse non est multa dicere, cum defunctus eorum patruus sanus mente et corpore, cum testamentum solemniter conderet, neque inductus neque seductus sit, ut asseritur, ut in favorem potius monasterii quam suorum nepotum disponeret de suis rebus; atque id eo magis, quod tribus suis nepotibus Petro, Francisco et Aloysio Bosi summam scut. 75 legaret pronepotibusque suis filiis Petri scut. 150 . . . . Si igitur unicuique liberum est, prout libuerit de suis rebus disponere, nescio quo jure nunc fratres Bosi se laesos esse asserant. Videndum igitur superest, an per gratiam et solo titulo charitatis eis concedi aliquid possit. Constat miseram esse Oratorum conditionem, in quam Aloysius praesertim mala vita delapsus est. Submisse igitur censerem, ut Sanctitas Sua ab haereditate Bosi alia scut. 50 pro istis fratribus separet, ut tandem monasterio molesti esse desinant.“

Haud est immorandum quoad jus legitime monialibus quaesitum super haereditate favore ipsarum a sacerdote Bosio delata, riteque ab ipsis adita. Nulla siquidem fraus aut dolus in illius dispositione intercessisse probatur, nullumque jus Oratoribus ad patrui haereditatem fuisse, utpote qui non erant haeredes necessarii. Accedit quod ipsorum familia fuerit ab eodem honorata legato scutatorum 295; ex quo manifesta eruitur testatoris voluntas ab alio quocumque compendio eosdem excludendi, maxime cum probe nosset miseram eorum conditionem; quae post funus testatoris recens secutum haud notabiliter immutata esse potest, ac proinde nec de illius contraria voluntate licet praesumere. Quidquid demum sit, nulla quamvis vehemens praesumptio sufficeret ad haereditatis statum et possessionem vel minimum immutandam, postquam bona haereditaria, rite omnibus, quae jure praescribuntur, adimpletis, per legitimum translationis dominii actum in monialium próprietatem devenerunt.

Restat igitur ut expendatur, an attenta magna Oratorum paupertate sit locus alicui elargitioni ex titulo gratiae specialis. Extra omnem dubitationem positum est solere S. hunc Ordinem voluntates defunctorum commutare ad levandam eorum paupertatem, qui cum fundatore sanguine conjunguntur, uti etiam adnotatur in Nullius S. Benigni 16. Junii 1792; et in Ferrarien. Commut. volunt. 20. Novembris 1830. §. Verum. At id plerumque fieri compertum est, quando nullius adest praejudicium, et solum missarum vel alterius pii operis suspensione aut imminutione per supremam Pontificis maximi auctoritatem ex plenitudine potestatis efficitur. In casu autem adest praejudicium monialium, quarum favore liberum haereditatis compendium a testatore collatum est.

Quia tamen pro subsidio scutatorum quinquaginta monialium intercedit consensus, veluti ex Episcopi literis colligitur, illud probari posset attenta Oratorum paupertate ac consanguinitate cum testatore. Videant autem Emi-

nentissimi Patres, utrum ex eo quod monasterium Fognani satis pingui ditetur censu, et Oratores in maxima versentur inopia, majori sint elargitione donandi.

Negative, facta tamen monialibus facultate elargiendi titulo charitatis pro unica vice tantum scutata 50 Oratoribus, et notificetur Episcopo.

169. Romana. — Subsidii.

Die 3. Junii 1852.

Maria Antonia Galigoni, uxor Josephi Bessero, per actum inter vivos instituit in ecclesia parochiali SS. Vincentii et Anastasii de Trivio in Urbe capellaniam quotidianam assignata dote scutat. 4500, et variis oneribus adnexis, quam quidem patribus SS. Vincentii et Anastasii ea lege adscripsit, ut si forte eos de praefato conventu in aliam domum migrare contingeret, capellania sequeretur personas.

In postremae vero suae voluntatis tabulis die 1. Martii 1841 editis dicta Galigoni ex secundis nuptiis maritum Josephum Besserum universalem nominavit haeredem eique inter alia etiam onus imposuit quotannis tradendi patribus praefati conventus SS. Vincentii et Anastasii scutata 10 pro solemni anniversario in solatium animae suae die obitus in perpetuum celebrando, nec non parocho hujus ecclesiae quotannis scutata 200 eroganda in distributionem octo dotium, scilicet pro unaquaque dote scutata 25 favore orphanorum illius paroeciae eligendarum, uti ait: „inter illas pauperes, quae diligentiores fuerint in frequentanda doctrinae christianae expositione diebus festis, quam necessariam absolute conditionem esse volo.“

In quo voluntatis suae elogio cum testatrix omnino praeteriisset Antonium quendam Gradella, suum, uti per exhibita testimonia constat, nepotem, hic postquam dicta Galigoni die 5. Octobris 1851 ad superos migravit, S. H. C. supplex adiit, ut attenta qua premitur cum patre, uxore et duobus filiis in tenella aetate constitutis miseria, aliquam partem ex reditibus praefatarum piarum institutionum sibi assignare dignaretur.

Rogatus, uti mos est, Eminentissimus Urbis Vicarius de informatione et voto, mox enarrata retulit, nec non Oratoris consanguinitatem cum defuncta Galigoni et ejus deplorandam paupertatem confirmavit. Etenim Oratoris familiam omnibus fortunae bonis destitutam esse et aegre in dies sustentari, eumque variis nominibus tantopere premi retulit, ut in comperto sit, artem ferrariam, quam Orator exercet, imparem fieri sublevandis ejus ipsiusque familiae ad victum et vitam necessitatibus. Quare Eminentissimus Vir duo illa extrema, quae requiruntur, ut de aequitate canonica aliquid ex reditibus piarum institutionum postulanti ejusque familiae elargiri possit, in hoc themate adesse censet, scilicet consanguinitatem et paupertatem.

Quamvis autem ea de causa idem Vir Eminentissimus petitionem factam aliquo favore complectendam esse putet, tamen enuntiatam assignationem neque super anniversario solemni, quia est exigui reditus, et ejus suspensioni graviter refragaretur testatricis voluntas, neque super capellania, ad cujus fruitionem taxative vocati sunt patres SS. Vincentii et Anastasii, fieri debere aestimavit; bene vero super legato dotium, ad quod generice tantum vocatae sunt puellae praefatae paroeciae. Quocirca votum suum concludit: „ut remanente firmo numero dotium hae pro unaquaque reducantur ad scutata viginti ad decennium; subductis ita scutatis quinque ex singulis, quae

annua scutata 40 componunt, eroganda in sublevandis aerumnis ac satisfaciendis necessitatibus familiae Oratoris Gradellae.“

Reque vera multa sunt, quae huic Eminentissimi Viri proposito suffragari videntur. Piorum fundatorum voluntatem ex justa et rationabili causa commutari non ambigitur, ut patet ex Conc. Trid. sess. 22. c. 6. et sess. 25. c. 4. de reform., praesertim si commutatio petitur ad sublevandam proximorum consanguineorum inopiam, uti passim S. H. C. et in specie ad sublevandam inopiam nepotum, uti decisum nuperrime in Pisauren. Commut. volunt. die 29. Maji cur. anni. In themate autem non tantum ob paupertatem relativam voluntatis aliqua commutatio petitur, cujus quidem paupertatis causa teste Card. de Luca de testam. disc. 72. n. 17. innumera reperiuntur exempla etiam de suspensa beneficiorum institutione, sed ob paupertatem absolutam, quippe Oratoris familia, uti Eminentissimus Vicarius retulit, omnibus fortunae bonis destituta est atque aegre in dies sustentatur.

Verum si causa vertit circa derogationem eorum, quae ad animae purgandae solatium pii fundatores designaverunt, difficiliorem se praebet hic Sac. Ordo, uti in Forolivien. Reduct. missar. 7. Julii 1787. §. Perpetua; Bononien. Commut. volunt. 27. Junii 1786. ad II. dubium; nec non ejusmodi fundationes, qualis est capellania a testatrice instituta, idem S. Ordo usque ad summam necessitatem conservare in more habet; qua ratione nec de anniversario, nec de capellania Oratori aliquid assignandum esse videretur, sed de legato tantum ad octo dotes destinato. Quae quidem indulgentia haud aliena esset ab Sac. Ordinis disciplina, qui saepius dotium distributiones suspendit, ut pauperi haeredi opitularetur, uti in Lucana Remissionis oneris die 23. Julii 1728; Romana Subsidior. dotal. die 23. Julii 1838; ejusmodi enim assignatio favore parentum paupertate laborantium non tam voluntatis commutatio quam potius benigna quaedam interpretatio e stylo S. Congregationis censetur.

Pro assignatione annuae pensionis juxta votum Eminentissimi Urbis Vicarii, facto verbo cum Sanctissimo.

170. Aquipendien seu Perusina. — Commutationis voluntatis.

Die 13. Septembris 1836.

Mense Septembri anni superioris ad plures abiit Perusiae Catharina quaedam Sforza, vidua quondam Pauli Gentili. Haeredem testamento dixit praefati Pauli filium, et filios ab hoc sive natos, sive nascituros, cum liberos ipsa non suscepisset. Bona haereditaria rebus mobilibus pretiosis et pecuniarum summis quibusdam universa constabant. Quorum portionem praecipuam, (tenuis enim inventus est assis haereditarius) scutata nimirum tercentum investiri praecepit haeredibus „in censu perpetuo, cujus reditus erogetur quotannis in officium in ecclesia S. Hieronymi Perusiae (quam tenent PP. Minores de observantia) celebrandum cum missa cantata, in suffragium animae meae et defunctorum consanguineorum meorum.“

Erat Catharinae neptis, cui nomen Seraphina Sforza nupta Francisco Pellegrini ex oppido Proceni dioecesis Aquipendiensis, quam testatrix non solum educasse, et pluries in adversis et rerum penuria tum eidem tum viro ejus Francisco et filiis eorum, quorum unum diu secum habere voluit, affuisse fertur, sed insuper decedens tam neptis Seraphinae, quam ejus filiarum eam haud oblitam fuisse patet ex testamento, in quo „reliquit eis quaedam mundi muliebris, annulos, catenas, vestes etc.“

Rebus legatis vel usu detritis vel exigui valoris acceptis Franciscus Pellegrini nomine tam uxoris Seraphinae quam filiorum extrema pressus inopia, malaque insuper affectus valetudine tum ipse tum uxor praedicta, ceu parochi, physici et municipum comprobat testimoniis, supplex adiit S. H. Ordinem humiliter petens, ut commutata partim testatricis voluntate pium legatum pro anniversario relictum ecclesiae S. Hieronymi ad sui familiaeque levamen imminueretur quoad summam assignatam; attento praesertim, quod quantitas in hunc usum legata majorem constituat haereditatis partem, et componi possit pium opus a testatrice demandatum cum subsidio per ipsum ejusque familiam in amitae dispositione pene oblivione relictam exquisito.

Episcopus Aquipendii super precibus referens ait: „Orator ejusque familia constans uxore et septem filiis, nempe tribus feminis et quatuor masculis, quorum major nondum decimum quartum aetatis annum explevit, habent bonum testimonium sui parochi, quod attinet ad mores et religionis sensa. Laborant vero tanta rei familiaris inopia, ut parvi valoris bona stabilia, quae possident, graventur ultra vires aere alieno. Vitam praefati traducunt valde miseram, utpote qui victum et vestitum sumunt ex una mercede denariorum circiter quatuor, quos Franciscus percipit diebus, quibus operam praestat cuidam sic dicto Pastaro. De inopia Oratoris, quae solet praebere causam sufficientem derogationi piarum voluntatum, certum judicium mihi datum est proferre: de ceteris autem nihil possum asserere, cum testatrix Perusiae degeret, dum extremum diem vidit; ipsius novissima voluntas mihi est ignota, sicut ignoro statum et conditionem domus religiosae, a qua legata summa scut. 300 accepta est.“

Procuratorem etiam Ordinis generalem audivi, qui tamen, relata mulieris dispositione, suas huc limitat animadversiones, quod scilicet familiam Oratoris haud est oblita testatrix, quippe quae eam recensito honoravit legato, quodque, licet non multa bona Catharina haereditate reliquerit, pium legatum, de quo supra, non mere lucrativum, sed onerosum est (ob anniversarium scilicet injunctum) ecclesiae et coenobio S. Hieronymi, pandita quoque circumstantia, quod praefata Catharina erat sodalis seu adscripta tertio Ordini: votumque demum precibus inimicum aperit innixus depositione cujusdam presbyteri congregationis Oratorii Perusiae, quem Catharinae, dum vixit consilio, et in extremis parochi vicibus perfunctum adstitisse memorat. Hic enim plura refert, quibus et ingratum neptis ejusque viri animum, et voluntatem testatricis ab ulteriori largitione eorum favore prorsus alienam conjicere datum esset, si quae tum de facto proprio tum ex aliorum dicto et opinione profert, in pretio forent habenda.

Supremam morientium voluntatem, in pias praesertim causas directam, pro lege habendam ac religiose servandam canones praescribunt et passim edocere solet S. Congregatio ex Clem. Quia contingit, de relig. domib. et l. 1. Cod. de sacr. Eccl. et in Bononien. inter summaria precum 24. Julii 1824; ita ut commutatio difficile concedatur, maxime si habentium interesse dissensus accedat, ut in Romana supplices inter libellos diei 17. Decembris 1825. Quod sane potiori de causa servandum videretur in casu, quo de contraria testantis voluntate, ac petentium demeritis erga testatricem quaedam occurrit probatio, unde praesumptio voluntatis, cui ejusmodi concessiones innituntur, evanescere videretur; addita praesertim consideratione quod Orator ejusque familia plura, dum vixit testatrix, beneficia, eaque decedente legatum accepit, quo declarasse censetur, aliud se nolle neptis familiae tribuere emolumentum.

E contra vero extrema consanguineorum egestas et inopia legitima semper habita est causa commutationis et reductionis, ut in Nucerina 5. Septembris 1778, in Anconitana Missarum 20. Aprilis 1782, Januen. Capellaniarum 21. Augusti 1819 et Ravennaten. Capellaniae 15. Aprilis 1820 §. Ad paupertatem. Juris enim praesumptio est, testatores haud voluisse consanguineos in summa rei familiaris angustia versari, Card. de Luca de testam. disc. 72 n. 15 et seq. Rota cor. Duran. dec. 98 n. 4. et S. Congr. in cit. Januen. et in Ripana Commut. volunt. 27. Julii 1822 §. Redit, praesertim ubi consanguineos in vita et morte subsidio juvarunt, unde, nisi praedilectionis, cujusdam tamen benevolentiae colligitur argumentum, et contrariae voluntatis educitur exclusio: iisque concurrentibus rerum adjunctis interesse habentium seu legatariorum dissensus attendi non solet, utpote irrationabilis, et aequitati ac praesumptioni naturali penitus adversus. Cum autem de extrema familiae Oratoris inopia ex Episcopi judicio dubitari non liceat; ac praeterea pium legatum, imminuto etiam ex parte fundo seu sorte relicta, satis impleri posse videatur, aliquod forsan tantae miseriae levamen haud immerito sibi despondet Orator. Viderint autem Eminentissimi Patres, utrum precibus adversentur, quae de ingrato ejusdem Oratoris suaeque uxoris animo recolantur in allata presbyteri Oratoriani depositione, ita ut beneficium imploratum haud mereantur, habita ratione ad testis unicitatem, qui praeterea non solum ex aliorum dicto multa refert, sed etiam depositioni scriptae testantis contradicit, et bonum, quod habet Orator cum familia a parocho testimonium quod attinet ad mores et religionis sensa, ceu monet Episcopus.

Lectum.

171. Melevitana. — Subsidii.

Die 30, Martii 1867.

Vincentius Speranza Melitensis, sacerdos professus et magister Ordinis PP. Praedicatorum in conventu civitatis Vallettae, nec non per multos annos parochus in Porto Salvo, legitimis auctus facultatibus ab Apostolica Sede die 11. Junii 1844 emit a gubernio Melitensi pretio scutator. Melitens. 48. (Rom. monet. 18 et ob. 56) incultum terrae spatium positum in propinqua regione La Sliema. Parvam eo super agro domum cum adnexo viridario propriis sumptibus aedificavit in sui commodum et solatium aestivo praesertim tempore, ibique commoratus est ad diem usque 23. Julii anni 1865, qua senio confectus mortalitatem explevit. Eo e vivis sublato, ager cum exstructa domo ad conventum pertransiit. Quoniam vero ex gubernii lege interdictum est, ut communitas PP. Praedicatorum, ceu etiam aliae piae domus rerum immobilium possessionem retineant, omnia venditioni intra annum praeponenda erant.

Praemonendum est, fundi pretium super eo, quod initio reapse aestimatum fuerat, ex superventis temporum circumstantiis permultum excrevisse, ita ut conventus per obitum P. Vincentii non tantum insumptam ab ipso pecuniae quantitatem, sed longe etiam majorem haereditaverit. Et re vera terrae spatium emptum exstitit „pro modico pretio, ceu Episcopus retulit, et quidquid sit de praecisa complexiva summa erogata in constructione aedificii et in adjacenti viridario, indubitatum est viginti abhinc annis pretium operis et materiarum ad constructiones fuisse valde modicum; hodiernus vero fundi valor, ut ait in sua informatione procurator generalis Ordinis ex relatione periti aestimatus est scutatorum 787 monetae Romanae.

Quatuordecim superexstiterunt praedefuncto Vincentio tertio consanguinitatis gradu conjuncti nepotes, Antonia scilicet, Franciscus et Joseph filii Leopoldi, qui mortuus jam est; item Adelaides, Carmela, Eduardus, Carolina, Alfredus et Antonius ex defuncta Marianna; tandem Antonius, Joseph, Julianus, Constantinus et Francisca, filii adhuc viventis Juliani. Hi omnes itaque animadvertentes, se magna indigentia premi, (quod exhibitis etiam documentis comprobatur,) supplici libello Sacratissimum Principem rogarunt, ut pro sua clementia elargiri vellet pauperibus Oratoribus excessum hodierni fundi valoris super pretio et expensis a patruo in emptione agri et domus aedificatione solutis, vel alio quovis modo benignitate sua eorum indigentiae providere dignaretur.

Acceptis his precibus et a Sanctitate Sua ad Sacrum hunc Ordinem ablegatis, rogatus fuit Episcopus, ut una cum animi sui sententia referret de legitimo concessionis titulo; eodemque tempore scribendum esse decrevi priori generali Ordinis Praedicatorum, tum ut suam in precibus informationem et votum ederet, tum etiam ut Sacram Congregationem instrueret de valore, annuo reditu et oneribus fundi, deque justa petitae gratiae causa.

Brevi praemissa expositione factorum, quae superius relata sunt, suas literas his verbis Melitensis Praesul concludit: „Propterea attenta inopia Oratorum et eorum consanguinitate cum defuncto religioso, nil videtur magis aequitati consonum, quam tribuere favore ipsorum portionem pretii fundi alienandi, sive id quod supererit deductis summis reapse impensis a Fr. Vincentio, sive aliam quotam isti Sacrae Congregationi benevisam.“ Procurator autem generalis Ordinis eadem quae Episcopus quoad facti circumstantias retulit, addiditque: „Ex locatione annua fundi haberi possent scutata 23. Facultates ad emendam domum P. Speranza ex reditibus religiosis habuit .. Hinc cognoscitur, eum in emendo et colendo fundo nihil a familia habuisse a parentibus autem nihil haereditavit .. et inter ejus scripta quaedam ejus manuscripta reperta sunt, quibus asserit, domum totam conventus esse. Superiores ei permiserunt liberam applicationem missarum ab anno 1856 usque ad ensem Julium 1865. Quae de paupertate Oratorum asseruntur, exaggerata videntur...“ His vero relatis procurator Ordinis abstinet a quacumque animi sui sententia aperienda.

Non dubitatur, quin defuncti Speranza haeres fuerit conventus Ordinis Praedicatorum civitatis Valletta, si tamen inter professum et religiosum ordinem proprie dicta haereditas dari possit; scitum enim est monasterio illico acquiri, quidquid monachus acquirat. Ager igitur et domus eorumque valor utcumque supervenientibus temporum circumstantiis adauctus ad conventum pleno jure pertinent. Eo etiam vel magis, quod in themate P. Vincentius nil a parentibus haereditaverit, nihilque unquam obtinuerit a consanguineis suis, qui profecto pauperes omnes sunt, et a pauperibus descendunt. Merito propterea, quod defunctus adeptus est proventibus religionis, ad religionem ipsam proprio jure rediisse tenendum est. Haec sane Oratorum precibus adversantur.

Verum ipsi non ex aliquo quod praetendant jure, sed ex gratia tantum a Sacratissimo Principe propitio donari rescripto rogant; et si quid jura sanguinis conjunctim cum magna indigentia mereri adhuc poterunt eorum favore, sperant a Sanctissimo Patre aliquod misericordiae solatium. De consanguinitate Oratorum cum defuncto nullum dubium: eos autem revera pauperes esse satis docet can. dec. cathedralis Aloysius Fernandez.

Episcopus autem haec omnia plene confirmat ita Sacr. huic Ordini scribens: „Hi (Oratores) destituti reditibus, et inhabiles ad comparandam pro-

priam sustentationem cum sint feminae, vel adhuc in minori aetate constituti, inter pauperes recenseri possunt. Adnexa declaratio can. dec. Aloysii Fernandez plenam fidem facit de statu oeconomico Oratorum. Omnia ibi narrata sunt vera, et egomet testor, fratres et sorores Missud-Speranza uti pauperes percipere quolibet mense titulo charitatis ab oeconomo mensae episcopalis eleemosynam scutatorum trium hujus regionis monetae."

Quae hucusque exposita sunt tum a can. Aloysio Fernandez, tum praesertim ab Episcopo super egestate Oratorum, quorum pars major in minori adhuc aetate et nonnulli etiam feminae sunt, non parum profecto porrectas preces juvant, ut eorumdem conditionis pia mater Ecclesia misereatur. Ceterum cum praedefunctus ex facultate apostolica potuerit acquirere, quod in emolumentum familiae religiosae cessit, non alienum ab aequitate videtur esse, ut ex eadem auctoritate apostolica in partem praedicti emolumenti admittantur pauperes Oratores, qui defuncti nepotes sunt. Notum profecto est, quam justo titulo succurratur egenis et conjunctis ex bonis, quae ab eorum consanguineo ad Ecclesiam provenerunt.

Lectum.

172. Reatina.

Die 23. Junii 1832.

Sacerdos Pancratius Pettinari ex oppido Belmontis, Reatinae dioecesis, adeo gravi ac diuturno morbo sex abhinc annis laboravit, ut eo adhuc durante summam scutatorum 80, quibus egestati suae suisque necessitatibus consuleret, a Joanne Baptista Orsini, suae sororis viro mutuari coactus fuerit. Jam vero domesticae rei angustia magis magisque pressus sacerdos Pettinari refert, se nullo unquam tempore potuisse hactenus restituere ejusmodi summam, cujus reintegrationem hodierna mutuantis paupertas maxime postulat. Itaque ad SS. D. N. Gregorium XVI. supplex accessit, flagitans ut retento sibi annuo reditu scut. 40 ex rusticis bonis sui patrimonii sacri proficiscente possit ipse in illius debiti exstinctionem vendere etiam paternae domus partem, quae inter fundos ejusdem sacri patrimonii recensetur, quaeque tamen in oppido Belmonte 130 scutatorum valorem pertingens, vix annuum reditum scut. trium et obol. 50 progignit, nempe soluto debito scut. 80, rogat Orator, ut quidquid pecuniae ex illius domus pretio supererit, id sibi liceat in suae inopiae levamen impendere, praesertim cum habitualibus valetudinis incommodis afficiatur.

Ex audientia Sanctissimi diei 18. Martii proxime elapsi per R. P. D. Auditorem Sanctitatis Suae preces sacerdotis Pettinari ad H. S. O. ablegatae sunt atque hinc Ordinarius pro informatione et voto de more auditus, ita ad rem respondit: „Quae de fundorum valore atque annuo reditu exposuit Orator, peritorum relatione veritati consona deprehenduntur. Nec minus aes alienum dimittendum revera est, quod ab Oratore assignatur. Cum autem de ejus impotentia aliter supplendi non modo mihi, verum etiam omnibus hujus civitatis incolis constet, et ex rusticorum fundorum proventibus sufficiens reditus pro decenti sui tuitione, data in solutum domo, de qua agitur, Oratori supersit, eidem concedendam duco licentiam ab eo ipso imploratam."

Die 23. Junii 1832 Sacra etc., benigne commisit Episcopo Reatino, ut petitam facultatem alienandi enunciatam domus partem, ad effectum erogandi pretium in exstinctionem debiti, et convertendi superexstantem pecuniam in proprios usus pro suo arbitrio et conscientia et juxta superius descriptum ejus votum Oratori gratis impertiatur.

173. S. Miniatis. — Perceptionis fructuum.

Die 22. Junii 1861.

Silvester Silvestri ultimo quo decessit elogio diei 30. Aprilis anni 1856 jussit, ut institueretur officiatura seu capellania pro missae celebratione singulis diebus festis tam de praecepto quam reductis ad horam nonam ante meridiem in ecclesia parochiali seu in oratorio B. M. V. della cava a Casciana nuncupatae dioecesis S. Miniatis, imposito praeterea onere capellano, assistentiam praestandi functionibus in eadem ecclesia explendis et audiendi sacramentales confessiones iis diebus, quibus missarum celebrationi satisfacere deberet, et majoris hebdomadae. Jus nominandi rectorem parocho detulit, ita tamen ut ad hujusmodi munus nec parochus ipse, nec ecclesiae capellanus, nec loci ludimagister, sed extraneus sacerdos perpetuo deputari et assumi deberet. Voluit, ut rectori rependeretur quotannis pensio libellarum centum et sexaginta, ita ut emeretur nomine officiaturae census in pretio libell. 400. etc.

Haeredem testator nuncupavit proneptem suam Mariam Silvestri Liburnensem, quae cum in eo sit, ut praedictae officiaturae institutioni operam dare cupiat, preces obtulit ad hoc ut „in contractu institutionis ab Ordinario statuatur, ut si vacaret officiatura, vel rector missas non celebraret aut servitia ecclesiae non praestaret, fructus census non officiaturae solvantur, sed cedant favore Oratricis et ejus haeredum et successorum.“

Quod ut assequatur sequentia rationum momenta profert, nimirum: 1°. Tenuitatem assis haereditarii, cujus utilitas, si post alia jam soluta legata ad pias causas etiam haec officiatura instituatur, ad libellas 8000 reducatur; 2°. Difficultatem inveniendi sacerdotem, qui assumat officium; 3°. Ex verbis testatoris deducendum videri ipsum solum majus servitium ecclesiae parochiae Casciana intendisse, cui satis jam provisum sit; neque apparere, an suffragium pro anima sua intenderit, cum applicationem non praescripserit.“

Super oblatis precibus auditus Episcopus, in pretio habendas censet animadversiones ab Oratrice propositas, cujus ideo postulationi suam adjicit commendationem, uti etiam parochus assentitur. Observat enim, vires haereditatis eidem delatae, detractis expensis hujusmodi officiaturae, aliisque legatis, vix ad libellas 8000 pertingere, servitio ecclesiae parochialis di Casciano satis consultum esse, adeo ut altero non indigeat sacerdote, qui plane in parvo illo oppido commorans otiosam vitam ageret, cujus quidem rei intuitu in ea ferme se fuisse sententia Episcopus ait, ut praefatum legatum accepto non haberet. Non inficiatur tamen, rem ita posse componi, ut reductis oneribus designatis hujus officiaturae translatio ad aliam dioecesis fieret ecclesiam, cui utilior profecto foret, sed hujusmodi consilio perpetuo restitisse Oratricem, sperans fore, ut aliquod ex illius reditibus caperet ipsa emolumentum. Eapropter suam opinionem pandit, ut annuatur precibus Oratricis, et addit semper fere vacantem fore officiaturam, quia non sufficit ea provisio, nisi tractu temporis aliud officium adjungatur.“

Principio notatu dignum est, dotem a testatore ita constitutam fuisse, ut in officiaturae dominio sit; siquidem non simplex personalis obligatio rependendi pensionem haeredi imposita est ex reditibus bonorum ad haereditatem pertinentium, nec certi fundi pro exsecutione pii relicti demonstrationis causa designati sunt, eorum proprietate penes haeredem manente; sed vero certum pecuniae caput nomine ac titulo officiaturae acquirendum praescribitur, quod a patrimonio fundatoris veluti segregatum dotem ipsius officiaturae propriam constitueret; quo quidem in casu pium ipsum opus veluti moralis

juris persona civiliter possidere censetur, ceu ad rem docet S. Rota in Senogallien. Immissionis seu reintegrationis 22. Aprilis 1833. §. 5. coram Eminentissimo Bofondi; nec secus Berardi in jus eccles. univ. tom. 2. in append. de benef. impropr. Ex quo proinde sequitur, nullum competere haeredi jus ad perceptionem redituum constituendi census in themate, etiamsi officiatura vacaverit, pro ea quantitate saltem, quae rectori tribuenda foret. Dominium enim census officiaturae ipsi inest, cui proinde vacationis tempore cedere reditus debent.

Videndum itaque, an adducta rationum momenta Oratricis precibus favendum suadeant. Quod enim ad haereditatis vires attinet, exiguae quidem hae sunt, sed pares tamen pio legato adimplendo, cujus immo dotem cum haeres constituerit, sufficiens ex superexstantibus bonis locum percipiet. Ceterum nec de sua paupertate saltem relativa docet Oratrix, qua comprobata justus fortasse titulus suppeteret juris temperandi rigorem, ceu in more habet S. Congregatio.

Nec suffragari pariter videretur difficultas exsecutionis legati ob sacerdotum deficientiam et assignatae pensionis tenuitatem. Notum enim in jure canonico est, legatum ad piam causam relictum, quando juxta rationem a testatore praestitutam exsecutioni committi nequeat, vel reduci, commutari, aut in alium pium usum, qui illius voluntati magis consentaneus sit, converti debere, numquam vero caducum fieri favore haeredis, Fagnan. in cap. Nos quidem de testam num. 14., Barbosa de offic. et potest. episc. alleg. 83. num. 7., Amostaz de caus. piis tom. 1. lib. 4. cap. 2. num. 4. Quod quidem servatur etiam, si pium legatum ab iis repudiatur, quibus relictum fuerat, ceu patet ex resolutionibus S. Congregationis in Cremonen. Commut. voluntatis 27. Julii 1702. ad I. dubium penes Zamboni in collect. declarat. S. Congr., in Fanen. Legator. et transactionis 19. Julii 1828 ad II. dubium. Deinde ratio tenuitatis redituum suaderet potius pro illorum augmento vacantis officiaturae fructus attribui, quam in haeredis utilitatem converti debere.

Denique etsi consisteret, praecipuum testatoris consilium in eo fuisse, ut ecclesiae paroecialis servitio provisum magis magisque foret, attamen haud suffragia posthabuisse censendum ex eo, quod de missarum applicatione nihil edixerit, jubens nempe tantummodo institui officiaturam „pro celebratione missae diebus festis . . . hora nona“, additis ceteris oneribus, de quibus supra. Nam receptum est ex doctrina Benedicti XIV. de sacrif. missae. lib. 3. cap. 9., demandata per fundatorem missae celebratione, injunctum quoque censeri onus applicandi, nisi gravia adsint rerum adjuncta, quae diversam fuisse demonstrent ejusdem voluntatem. In casu vero haud inficiandum duo concurrere, quae Oratricis sententiae maxime favent, nempe praecipuum, ceu notatum est, testatoris propositum prospiciendi populi commoditati et servitio ecclesiae, ac tenuitas redituum relate ad imposita onera, quae quidem momenta ad applicationem excludendam magno haberi solent in pretio a S. Congregatione, ceu in Taurinen. Applicationis missarum 26. Aprilis 1856. §. Ad magis, et in Brixien. Legati pii 24. Julii 1858. §. In themate, utraque proposita per summaria precum.

Sed ubi precibus annuendum sit, videant EE. VV., an missarum celebratio praetermitti omnino possit, vel non expediat potius hoc in casu illarum applicationem, etiam in fundatione licet explicite non demandatam, Oratrici injungere. Decernent etiam, ad quod tempus protrahenda gratia foret.

Lectum et scribatur Episcopo, ut proponat modum erogandi reditus tempore vacationis officiaturae.

3. De subsidiis patronorum ex beneficiis ecclesiasticis.

174. Firmana. — Alimentorum.

Die 31. Julii 1852.

Juspatronatus ecclesiae parochialis S. Elpidii, quod ab immemorabili possederat Firmanum brephotrophium, anno 1783 cessionis titulo in Josephum Spaccasassi translatum est. Una vix uncia ejusdem patronatus jure haereditario modo in Dominicum derivavit, qui sexagesimum quintum annum agens, ut infirmae tum suae tum uxoris valetudini prospiceret in rerum omnium angustia supplex apud hunc S. O. adstitit mense Majo anni superioris enixe deprecans, ex reditibus ecclesiae patronatae et parochialis S. Elpidii dietim sibi addici ad minus obolos viginti quinque. Percontatus Eminentissimus Archiepiscopus Firmanus de informatione et voto auditis interesse habentibus retulit, se et Hieronymum Spaccasassi et Aloysiam Pacini compatronos sciscitatum esse, ut libere exponerent, quid de hujusmodi precibus sentirent; horum autem alterum responsum Oratori adversum minime protulisse; alteram vero, licet secundo ac tertio invitatam, nil prorsus respondisse. Ipse demum in sententiam descendit parochi S. Elpidii, qui multis argumentis conatur suadere Oratoris preces rejiciendas esse: quapropter Dominici Spaccasassi libellum vacuum remissum est sub die 25 Januarii currentis anni, responso „Relatum“.

Hoc inopinato exitu haud animo cecidit Orator, quin et preces ingeminavit multa tum in facto tum in jure subjiciens ad justitiam suae petitionis protuendam, quae num aliquid ponderis habeant sapienti EE. VV. judicio dijudicanda propono. Ac primo lamentatur, quod infirma valetudo in suo et uxoris corpore senescente haud possit flectere animum parochi S. Elpidii, qui non modo contradicit Oratoris votis, sed ipsis verbis Christi Domini misericordiam in pauperes praecipientis. Ne vero suspicari possit de infirma valetudine, deque vera et absoluta paupertate in homine ceteroquin ex familia satis divite genito, in medium profert documenta tum doctoris artis medicae, tum parochi oppidi Ortezzano, ubi ipse immoratur, qui testatur insuper de ipsius honestate et religione, qua inter omnes elucet. Ad jus quod attinet multa congerit in suo libello decerpta ex vulgatis ss. canonum et doctorum sententiis, queis probatur patronorum inopiam sublevandam esse ex beneficiorum reditibus.

In memoriam quoque revocat jus alimentorum non solum competere patronis descendentibus ab institutore beneficii, verum etiam extraneis: hujusmodi enim jus inseparabiliter adhaerere censet titulo patronatus ac necessario transire ad quoscumque mediante donationis contractu, Piton. de jure patron. alleg. 29. num. 6. ad 8; nec silentio praeterit, S. Congregationem non solum collationem beneficiorum suspendere consuevisse, ut facilius patronorum inopiae opitularetur, verum etiam de beneficio pleno iisdem aliquid semper suppeditasse, dummodo beneficii proventus et ad patronorum alimoniam, et ad decentem rectoris sustentationem sufficerent, Piton. alleg. 44. num. 20. et pluries S. Congr. in Nullius S. Michaelis de Clusa 20. Januarii 1776 et in Nucerina 5. Septembris 1778. Idipsum vero in casu locum habere posse non dubitat, cum extra controversiam positum sit parochialis ecclesiae reditus sin minus ad biscentum annua scutata pertingere.

Hisce omnibus acriter refragatur parochus, quandoquidem ipse concedit Oratorem senio confectum et infirmitatibus attritum vitam prorsus miseram et bonis fortunae orbatam forsitan ducere; non tamen idcirco jus ad beneficii

proventus jactare eum posse contendit, utpote qui bona patrimonialia obligurivit vitiis indulgendo: ne vero istud gratis asserere videatur, inter alia quae ipsi impingit, narrat, illum a curia archiepiscopali per triennium ad triremes damnatum exstitisse.

Nec titulum patronatus quidquam juris Dominico conferre ait ad alimenta super bonis beneficii; praterquamquod enim eodem jurepatronatus in minima tantum parte ipse gaudeat, etiam monet illud in gentem Spaccasassi derivasse tantummodo cessionis contractu. Quidquid autem sit de doctrina Piton'i superius relata circa patronos extraneos, certum est innumeros alios auctores iisdem denegare alimenta, tum quia ss. canones hujusmodi alimenta tribuentes loquuntur de solis descendentibus ab institutoribus, tum quia praedictum jus alimentorum est personale, ut inquiunt, quod in extraneos transire nequit, tum denique quia interpretativa voluntas fundatorum, in qua praecipue nititur benignitas ss. canonum, ad extraneos protrahi non potest, Lott. de re benef. lib. 2. n. 4, Surd. de alim. tit. 9. quaest. 22. num. 33.

Addendum denique, proventus beneficii, de quo agitur, non adeo pingues esse, ut ex illis possit Dominicus exoptatam pensionem assequi: etiamsi enim forsitan biscentum argenteis nummis annuis constarent, certum tamen esse ait parochus, ad minus centum secernenda esse in sui decentem sustentationem. Reliqua vero vix sufficere ad onera supportanda, quae longo ordine ipse disponit atque enumerat, inter quae singulari commemoratione dignum censet onus impendendi summam sexaginta scutatorum in vim sententiae rotalis pro reparatione ecclesiae parochialis jamdiu a divinis interdictae. Quibus in facto ita se habentibus, concludit beneficium relevandum esse ab onere patronum inopem alendi, quod tunc tantum locum obtinet, cum de superfluis ecclesiae reditibus indubie constat, Vivian. prax. jurispatr. lib. 1. cap. 2. num. 20, Piton, alleg. 44. num. 20, Surdus de alim. tit. 1. quaest. 32. num. 2.

Relatum.

175. Faventina. — Dispensationis.

Die 31. Julii 1852.

Supremis tabulis per acta tabellionis quondam Angeli Bucci die 5. Decembris an. 1849 vulgatis, canonicus Matthaeus Mamini Faventinus simplex beneficium ecclesiasticum instituit sub invocatione S. Nicolai a Tolentino in paroeciali ecclesia d. Augustino dicata. Jussit autem, ut ad hujus beneficii possessionem intra quadrimestre ab ipsius morte ab episcopali curia immitteretur „Henricus secundogenitus nepotis mei Joannis, filii sororis meae defunctae uxoris Augustini Pasi.“ Quando vero hoc beneficium vacare contingeret vel ob mortem, vel ob renuntiationem rectoris, voluit, „ut jus nominationis pertineret ad duos seniores masculos in linea recta masculina et feminina earumdem 5 familiarum a me denominatarum in erectione alterius beneficii sub titulo auxilii christianorum.“

Intra tempus ab institutore praefinitum Henricus Pasi jam in aetate annorum decem et octo constitutus in beneficii possessionem fuit immissus, ac insimul clericali tonsura donatus. Verum cum modo persentiat ad ecclesiasticum statum amplectendum se haud esse inclinatum, preces una cum ejus genitore H. S. O. offert, dispensationem petens ad beneficium retinendum etiam in statu laicali simul cum proprio patre, saltem vita patris durante, suspensa interea nominatione novi rectoris. Exinde alias renovavit preces

idem Henrici pater, idipsum fere postulans, ut nimirum attenta ejus paupertate, reditus ad vitae praesidium ipsi, uti patrono, benigne assignarentur.

Requisitus Faventinus Praesul pro informatione et voto, auditis compatronis, refert praeprimis beneficium oneratum esse „obligatione 28 missarum annuarum praeter alia parva onera, et reddere scut. 70, quae deductis expensis ad sc. 45 reducuntur . . . Inquit autem actuales beneficii compatronos esse patrem Oratoris, nempe Joannem Pasi et Franciscum Mamini. Hic ultimus interrogatus gratiae concessioni se opponit, cum sint, ut allegat, in familiis a testatore designatis personae idoneae, quae nominari possint. Et revera ipse nominavit fratrem suum Achillem Philippum, qui ad hunc finem facultatem petiit induendi vestes clericales, quae ei denegari non potest. Neque minus pater Francisci Astorgius Mamini eo nititur, ut contraria petitio respuatur, affirmans paupertatem Joannis Pasi prorsus fictitiam esse, qui de munere suo vitae necessaria habeat, et iisdem focis utatur cum fratre beneficium scut. 300 ann. possidenti.“

Exploratum in jure est fructibus beneficii succurrendum esse patrono, can. Quicumque 30. quaest. 7. caus. 16, qui nedum extrema, sed etiam relativa laboret necessitate, uti monet Fargna de jurepatr. par. 1. cap. 3. can. 5. num. 8., et docuit Sacra ipsa Congregatio in Bugellen. 16. Dec. 1716, in Asculana Dispensation. 20. Maji 1786, Derthonen. Alimentorum 22. Jan. 1820, in Aretina Suspension. nomination. 14. Junii 1817, et in Ravennaten. Capellaniae 15. April. 1820. §. Ad paupertatem. Jam vero familiam Pasi non modo relativa sed extrema premi paupertate ipsemet testatur Episcopus, inquiens, Joannem Pasi omnino mediis vitae necessariis carere, si filius beneficio privaretur . . . . Hanc ob causam eum in tali versari conditione, in quali S. Congreg. patrono alimenta ex reditibus beneficii concedere soleat. Et sane pro hujusmodi effectu etiam implementum onerum beneficio adnexorum suspendi edocet Pirhing. in lib. 3. Decretor. tit. 38. num. 27., Sac. Congregat. in Camerinen. 21. August. 1784 in Romana, Translationis 1719 §. Inter. In casu tamen cum suspensio minime petatur, et passive vocatus onera omnia se impleturum polliceatur, annuendum ejusdem precibus videretur.

Adest tamen in themate apertus interesse habentium dissensus, qui maximo semper in pretio est habitus ab hoc Sacro Ordine, ne talia indulgeret privilegia; ceu in Firmana Erectionis 18. August. 1787, et in Burgi S. Sepulchri Translation. missar. 24. Julii 1824. Quamvis haud praetereundum, de Astorgii paupertate nullum ab Episcopo proferri verbum, et e converso quae iste refert super Joannis paupertate pugnare videntur cum objectis a Maminio divitiis.

Videndum itaque, quaenam compostulantium preces sint excipiendae; num propterea maxima familiae Pasi inopia, ejusque cum testatore propinquitas, uti ex Episcopi testimonio constat, suadeat voto ipsius Praesulis assentiendum, qui rem inter dissentientes ita componi posse opinatur, ut saltem pensio quaedam ex reditibus beneficii Joanni Pasi, ejus vita durante, impertiatur. Hujusmodi sane temperamentum in similibus rerum adjunctis amplecti ex aequitate canonica passim suescere S. H. C. docent innumera propemodum exempla.

Lectum ad instantiam Henrici, sed tantum pro gratia assignationis enuntiatae annuae praestationis scut. 15 ex reditibus beneficii favore patroni Joannis Pasi, ejus vita durante, titulo sustentationis, facto verbo cum Sanctissimo.

176. Montisfalisci. — Suspensionis beneficii.

Die 28. Januarii 1854.

Ursula Poscia testamenti sui tabulis die 8. Februarii 1710 signatis, simplex ecclesiasticum beneficium sub invocatione B. M. V. de Columnis instituit jussit in aede D. Flaviano sacra extra moenia Montisfalisci, brevissimo ab ea civitate intervallo dissita. Onus beneficiato adjectum voluit duo in singulas hebdomadas missarum sacrificia sive per se, sive per alium celebrandi. Jus autem nominandi rectorem reservavit Carolo Mariae Poscia, nepoti suo, „ejusque filiis et successoribus ordine successivo et in infinitum durante linea masculina, et deficiente linea masculina substituit feminas, et descendentes masculos ordine successivo, et in infinitum ex feminis.“

Vacavit hujusmodi beneficium die 20. Martii anni 1853 ex obitu Joannis Eleuterii, quem in ultima vacatione cum juris patronatus exercitium habere judiciali sententia constitisset, suum jus in Episcopum Montisfalisci cessione transtulerat exorans, ut hic sibi, quam consecutus est institutionem conferret. Statim igitur nomine Petri Eleuteri, qui demortui rectoris frater est, oblatae sunt preces huic Sacrae Congregationi, ubi venia postulatur, ut beneficii vacantis reditibus potiri fruique possit Bernardus, Petri filius, uxoratus, binis susceptis filiis, tristique domesticae rei conditione districtus.

Eminentissimo Episcopo Montisfalisci hujusmodi precibus ablegatis, retulit ejusdem provicarius generalis die 7. Junii anni 1853 annuum beneficii reditum scutata centum viginti pertingere, oneribus minime detractis, quae missarum duarum stipendium, et publicorum vectigalium solutionem respiciunt. Subjecit, Joannem Eleuteri sui patrimonii ad scutata octo millia ascendentis haeredes reliquisse aequis partibus fratrem Petrum et nepotem ex eo Bernardum. Petrus insuper licet filiam unicam nubilem alere debeat, nihilominus menstrua sexdecim scutatorum pensione a pontificio aerario praestanda potitur. Bernardus autem praeter memoratam haereditatis medietatem nihil aliud possidet, ideoque ex industria propria victum sibi comparare compellitur. Utili tempore Joannes et Felix Golini, rati se quoque jure patronatus gaudere nominaverunt ad hoc ipsum beneficium clericum Aloysium Balneoregiensem alterum eorumdem fratrem: quorum tamen nominatio non potuit admitti, quia in penultima judiciali sententia, de qua modo dixi, a juris pertinentia fuerant exclusi, ac deinde quia ipsi Golinii ceteroquin tuentur beneficium esse de libera Episcopi collatione nunc effectum. Haec omnia e literis eruuntur provicarii generalis, qui ab aperienda animi sui sententia circa preces prorsus abstinuit.

Paulo post acceptam a provicario epistolam, ipse Eminentissimus Episcopus suis literis mihi significavit, apud episcopalem curiam suam sese stitisse Petrum, ac impedimentum interposuisse, quod audit nihil transeat, simulque professum esse preces suo nomine inscriptas sese prorsus inscio huic S. O. oblatas fuisse, easque proinde nullo pacto velle se agnoscere. Notandum tamen ex quibusdam literis ab eodem ad filium scriptis colligi, reapse patri notum fuisse, quod preces, de quibus agitur, apud hanc S. C. pendebant. Deinceps, die nempe 16. Junii idem Petrus nominavit semetipsum, utpote „clericum tonsuratum et nunc viduum“ et canonicam uno tempore institutionem efflagitavit. Adhuc tamen res in suspenso manet, siquidem Episcopus censuit exspectari exitum, quem preces pro Bernardo porrectae ab Eminentiis VV. obtinebunt. Porro antequam deliberet idem Eminentissimus Episcopus, quid super Petri precibus consilii capiendum sit, enixe de-

precatur, ut EE. VV. sapientissimum suum judicium pronuntient circa alteras preces pro Bernardo ejusdem filio S. C. submissas.

Causa in hisce precibus exposita, ut, nimirum suspensa beneficii collatione, fructus Bernardo fruendi relinquantur, sita est in tristi rei domesticae conditione, qua idem Bernardus laborat. Favet etiam, quod preces sciente patre Bernardus porrexit; quodque hic patroni sit filius, et Sacer Ordo patronorum filiis praesertim paupertate pressis facile indulgentiam solet adhibere. At vero contra haec officere videntur: Primo loco pater, re adhuc integra, consensum suum revocavit, dato etiam quod antea consensum praestitisset. Secundo loco ex relatione Ordinarii elicitur, Bernardum in praesenti jam potiri portione haereditaria patrui Joannis, quae ad scutata quatuor millia assurgit, quoniam totum as haereditarium octo millium fuisse aestimatum jam superius adnotatum est. Tertio loco idem spem habet ad haereditatem patris, qui num bona propria possideat ex positionis actis minime constat: certum est autem aliam portionem eum obtinuisse pro scutatis quatuor millibus ex fratris haereditate profectis: quarto loco Petrus ejusdem pater, cui in hac vacatione nominationis jus exercere licet, contra ipsas preces rite protestatum fuisse narrat idem Episcopus. Tandem, licet Petrus ex apertissimo textu in cap. Per nostras de jur. patr. non possit seipsum praesentare, potest nihilominus, ut permultis cumulatis auctoritatibus firmatur a sacra Rota coram Ansaldo in Asten. Prioratus die 6. Martii 1712. §. Alteras per viam precum Ordinario supplicare, ut beneficium sibi conferre velit, quod reipsa jam fecit. Cum itaque possit ceteroquin Ordinarius patronum gratificando admittere, ceu declaratum est ab hac S. C. in Faventina Praesent. 10. Junii 1679 apud Fargna: de jure patr. p. 2. can. 29. num. 2, licet non teneatur ex debito, Rota dec. 430. num. 40. p. 9. tom. 2. rec. si precibus annueretur favore Bernardi, hujusmodi indulgentia jus tertii profecto laedi videretur.

Videant igitur EE. VV. an, hisce praestitutis, petita pro Bernardo venia deneganda sit, unaque Eminentissimo Episcopo libera via reliquenda, ut suis juribus juxta sacros canones uti queat.

Lectum ad instantiam quoad suspensionem nominationis.

177. Firmana. — Indulti.

Die 5. Junii 1858.

Publicis exaratis tabulis anno 1656 Petrus Nuccius de castro Collinae dioecesis Firmanae, in ecclesia rurali ejusdem oppidi B. Mariae Virgini dicata capellaniam seu simplex ecclesiasticum beneficium instituit per haec verba: „Fundavit et erexit perpetuum sine cura et residentia ecclesiasticum beneficium, seu capellaniam sub invocatione B. Mariae Virginis de Laureto nuncupatam et nuncupandam de jure patronatus laicorum familiae Nucciae de descendentia dicti fundatoris, regendam per capellanum nominandum, et praesentandum pro prima vice, ac donec ipse Petrus supervixerit ab ipsomet fundatore, et post ejus mortem ab ejus haeredibus, sive successoribus, et descendentibus in infinitum et in perpetuum, et post dictam fundatoris descendentiam a ven. societate sanctissimi rosarii dicti castri, quae, concurrentibus votis in majori parte favorabilibus, teneatur nominare et praesentare ejus arbitrio digniorem et magis idoneum ejusdem castri ad nutum tantum ac semper et quandocumque amovibilem cum perpetuo onere, quod d. rector et capellanus teneatur per seipsum vel alium sacerdotem in altari praedicto ce-

lebrare unam missam hebdomadariam in perpetuum suffragio animarum purgantium et fundatoris, dictumque simplex perpetuum ecclesiasticum beneficium seu capellaniam de proprio dotavit et dotatam esse voluit et declaravit in valore scut. tercentorum monetae romanae in summa capitali etc.“

Petrus Sobrini hujus beneficii rector anno 1847 supplicem libellum Summo Pontifici obtulit, ut sibi facultas daretur percipiendi in statu laicali, subductis oneribus, dicti beneficii seu capellaniae fructus; ad decennium ab hac S. Congregatione indultum obtinuit; quo elapso supplex modo redit deprecans, ut ipsi, quoadusque vixerit etiam in statu conjugali, ejusdem beneficii administratio concedatur, vel rectoris nominatio suspendatur, donec aliquis de sua descendentia sacrae militiae nomen dederit, deputato interim ecclesiastico administratore, qui, adimpletis oneribus, superexstantes fructus eidem pensitet.

Requisivi de more Eminentissimum Archiepiscopum pro informatione et voto, qui haec ad rem habet: „Duas pius institutor habuit filias, quae binas constituerunt patronas familias, Domitiam scilicet cum Amico Massuccio matrimonio junctam, et Camillam uxorem Joannis Baptistae Fratoni; prima repraesentatur a Dominico Sobrini Oratoris patre; altera, quae olim fuerat repraesentata a Josepho, Xaverio sacerdote jam rectore capellaniae, et a Joanne Baptista germanis Fratoni vita functis, nunc repraesentatur a Petro dicti Josephi filio, et a fratribus Thoma ac Francisco memorati Joannis Baptistae filiis. Benedicta Vecchi uxor Petri Sobrini Oratoris avi fuit donataria pro altera vocum medietate fratrum Josephi, Xaverii, et Joannis Baptistae Fratoni; sed utrum hujusmodi donatio sit vel non attendenda, judicabit summa EE. VV. sapientia. Quoad factum adjungam, quod si hoc juspatronatus est haereditarium, omnes pro gratia faverent Oratori; favet enim genitor, ad quem accedit Maria vidua Palmarocchi, et filia Annuntiatae Fratoni, et Josephi Massimo; si gentilitium, omnes, excepto Petro Josephi Fratoni filio, de hac linea adversarentur; Franciscus nempe et Thomas Fratoni, cujus filius Joannes 13. annum agens tonsuram suscepit: Ursula pariter Fratoni acrius opponit affirmans etiam, quod Orator de simoniaca labe suspectam retulit vocem seu assensum a dicto Petro, utpote a suo colono, cui pecuniam reddiderat, atque eo devenit, ut de illius fama alio libello maxime detrahere non dubitet; verum non constat sane de accusationibus saltem in Oratorem, cui soli petita gratia, non familiae concederetur; praeterea adversatur precibus Maria vidua Palmarocchi, et filia Annuntiatae Fratoni et Josephi Massimo, illa eadem, quae supra pro gratia consensisse videtur. Insuper colligitur ex relatis in ipso municipii Collinae testimonio familiam Sobrini non amplo, sed tenui gaudere patrimonio, et ex habitis notitiis video capellaniae introitum, oneribus cujuscumque generis detractis, summam scutorum decem circiter annuatim conflare.“

„Postremo autem loco perpendendum puto, quod dictae familiae haberent utique juspatronatus activum, ut patet ex illis fundationis verbis nominare, praesentare, ast minime passivum saltem explicite.“

Ad naturam quod attinet jurispatronatus, ex testatoris verbis liquet jus activum reservatum fuisse ejus haeredibus, successoribus et descendentibus; ideoque habitam fuisse duplicem rationem, sanguinis nempe et qualitatis haereditariae. Tralatitium autem est talia adjuncta juspatronatus mixtum constituere, in quo, vigore clementinae Plures, de jure patronatus, successio defertur in stirpes, ita ut plures haeredes et descendentes unius patroni pro uno simul patrono habeantur; ad monitum Rotae recent. part 13. dec. 183. num. 2. et part. 17. dec. 99. n. 8; Fargna de jure patron. part. 2. can. 1 et 2. num. 28. Duae autem in casu exstant fami-

liae patronae, illa nempe Oratoris, cujus genitor a Domitia descendens medietate vocum gaudet, et altera fratrum Francisci, Thomae, et Petri Fratoni, qui a Camilla orti altera vocum medietate fruuntur. Oratoris autem precibus omnimode suffragantur et ejus pater et Petrus Fratoni; vehementer obsistunt Franciscus et Thomas Fratoni, cujus filius in aetate quatuordecim annorum constitutus ecclesiastico ministerio per tonsuram sese mancipavit. Hinc consequitur pro gratia assequenda Petrum Sobrini ultra medietatem vocum retulisse.

Perpendendum tamen, num Dominicus Sobrini utpote filius Benedictae Vecchi donatariae fratrum Josephi, Xaverii, et Joannis Baptistae Fratoni, hujus lineae voces acquisierit. De validitate hujus donationis, quamvis nulla accedente auctoritate ecclesiastica peractae, dubitandum non esse sustinet Orator, quia Episcopi consensus necessarius minime reputatur in donatione, qua patronus alteri compatrono jus suum donat, remittit, seu renuntiat. Haec namque est vera translatio, cum juspatronatus non in novam personam, sed in compatronum transferatur, qui jam talis juris capax effectus erat, Rota recent. part. 1 dec. 707 num. 4., part. 10 dec. 238 num. 8. Pyrrhi Corradi prax. benef. lib. 4 cap. 5 num. 7 Reiffenst. lib. 3. decret. tit. 38 num. 26. Effectus autem donationis est, ut in donatarium res donata omnimode et perpetuo transferatur. Istiusmodi vero vocum perpetua translatio, quae in jure patronatus haereditario obtineret, videant EE. PP., an adamussim conveniat juri patronatus mixto, ita ut ambigi non possit donationis ope juspatronatus in donatarii compatroni linea perpetuo manere, vel potius donantis vitam non excedere, sicut de donatione vocum in patronatu gentilitio tradit Pitonius de controv. patron. alleg. 100. num. 55.

Sed missa etiam donationis perpetuitate, redire perpendit Orator, majorem patronorum partem suis precibus assentiri, et ubi prorogatio indulti ad aliud decennium coerceatur, recurrere etiam in praesenti ea rerum adjuncta, ob quae anno 1848 Sacra haec Congreg. indultum suspensionis nominationis ejusdem favore concessit. Inter causas quippe aderat rei familiaris angustia, tenuitas redituum capellaniae, et conjunctio sanguinis cum familia fundatoris.

Ceterum praetereundum non est, nec Oratorem passive ac praelative esse vocatum, et aliunde Petrum Nuccium capellaniam ecclesiasticam, seu verum beneficium instituisse, a quo retinendo sacrorum canonum censura arcentur, qui clericali militiae sese minime mancipaverint, vel eidem nuntium miserint.

Lectum.

178. Romana seu Cingulana. — Capellaniae.

Die 18. Aprilis 1863.

Baltassar canonicus Fonseca ultimis, quibus decessit, testamentariis et codicillaribus tabulis an. 1682 quasdam erexit in Liberiana patriarchali basilica capellanias ad nutum amovibiles, quae ad quatuor redactae hodie inveniuntur, quaeque onus prae se ferunt omnibus choralibus officiis interessendi pro annuo octo super quadraginta scutatorum emolumento, et juri activo nominandi subsunt, quod alternatim competit capitulo Liberiano et patronis marchionibus Zucconi Fonseca, tamquam mediatis institutoris haeredibus. Alteram ex praefatis capellaniis anno 1818 obtinuerat marchio Venantius Zucconi Fonseca, quam ad annum usque 1837 retinuit ex apostolico indulto, licet in laicali statu et procul ab Urbe moraretur. Hodie vero eamdem possidet quidam Pacificus Manganelli, qui ex Apostolica pariter venia numquam

choro adfuit, jamque clericalem habitum dimisit, et quam cito capellaniae nuntium missurus videtur.

Intuitu igitur instantis capellaniae vacationis Joseph Zucconi Fonseca praefati marchionis Venantii et Hippolytae marchionissae Raffaelli filius, qui in tenera septem annorum aetate versatur, et brevi temporis intervallo utroque parente orbatus unicam nominis claritatem et ditissimi olim patrimonii memoriam haereditavit, supplex uti patronus et ab institutore descendens Beatissimum Patrem rogavit „ut benigne ipsi concederet illo gaudere usque ad annum aetatis 24 completum, ut ex reditu capellaniae, qui est 48 scutatorum annuorum, in Cingulano vel alio provinciae seminario sustentari posset.“ De insigni autem Oratoris inopia testimonium perhibet parochus, qui refert illum ab amita Ermelinda Zucconi Pasqualini hospitio receptum fuisse, nec non quoad omnes vitae necessitates ab eadem succurri. Vicarius vero capitularis Cingulanus perspecta egregia pueri indole, ejusque indubia ad pietatem religionemque inclinatione, amplissimis verbis eumdem commendat, utpote qui a miserrimo, in quem decidit, statu sublevari quovis meliori modo mereatur.

Eminentissimus Liberianae basilicae archipresbyter, ad quem preces de more remissae fuerunt pro informatione et voto, haec retulit: „Liberianum capitulum super precibus audivi, quod petitionem rejiciendam esse censuit, ut patet ex adjuncto epistolio canonici secretrarii. Contendit enim capitulum, quod si Oratoris votis fieret satis, expressa testatoris voluntas fraudaretur, qui capellanis onus imposuit choro et divinis officiis in praefata basilica interessendi: chori servitio praejudicium inferetur, et capitulo ipsi, ad quod hac vice capellaniae praedictae collatio pertineret, jus nominandi adimeretur. Causae, quibus capituli votum innititur, certe fundamento destitutae non videntur, praesertim quia hic non agitur de simplici capellania, sed potius de beneficio chorali. Attamen inficiari non potest, aequitatis rationes etiam adesse, quae pro Oratore pugnant: ipse enim ex pii institutoris familia descendit, est capellaniae patronus, et in magna, ut exponitur, paupertate versatur.“

Habent itaque EE. PP. ex allatis Eminentissimi Archipresbyteri verbis ea rationum momenta, quibus capitulares Liberianae basilicae expetitam gratiam praepedire autumant, ne scilicet, ut ipsi ajunt, derogatio institutoris voluntati, quae per successionem fere non interruptam favore marchionis Venantii et actualis capellani contigit, diutius adhuc protrahatur; neve chorali servitio detrimentum obveniat. Et re vera nihil unquam sanctius legibus visum est, quam supremas morientium voluntates sarctas tectasque servare can. Ult. voluntas caus. 13. quaest. 2. et l. 1. Cod. de ss. eccles. Quod rigidius Ecclesia constanter firmavit quoad ultimas dispositiones legata pia et jura patronata respicientes, ne alioquin fideles a donationibus erga pias causas abalienarentur. Eodemque pariter rigore reprobavit, quidquid ad imminutionem tenderet divini cultus, qui ceteroquin eo magis obtinetur, quo plures divinae psalmodiae in choro operam navant, cap. 12. de constit. et S. Congreg. in Signina Servitii chori 16. Decembr. 1837. §. Ast. Neque tandem Romanus Pontifex, qui ex plenitudine potestatis potest omnibus gratificari, id praestare solet cum juris alteri quaesiti detrimento.

Nihilominus favore Oratoris observandum in primis videtur, heic agi de capellania ad nutum amovibili, neque parum quoad hujusmodi amovibiles capellanias remitti consuevit ex rigore juris, quod circa proprie dicta beneficia sancitum est, ceu refert Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. 24. num. 14. Animadvertendum deinde est, Apostolicam Sedem nedum posse, sed imo supremas defunctorum voluntates toties commutare so-

lere, quoties justa et necessaria praesto sit causa, quae commutationem suadere videatur ex sanctione Concil. Trident. sess. 22. de reform. cap. 6, nec non S. Congregat. in Faventina Commutationis voluntatis 22. Februarii et 22. Mart. 1823, aliisque passim. Atqui justa et necessaria hujusmodi causa intercedere revera videtur, quoties subsidium suppeditari valeat adolescenti, qui optimae spei sit, bonisque moribus imbutus, ceu traditur in Nucerina Capellaniae 26. April. 1828. §. Oratrix. Quin imo cum Orator sit etiam capellaniae patronus, et ipsius fundatoris descendens, illiusmodi commutatio non tam derogationem, quam potius benignam voluntatis interpretationem prae se ferret. Semper enim praesumitur defunctum iis favere voluisse, qui sibi sanguine conjuncti forent, et in quos ipsa jura patronalia conferre non dubitavit, Card. de Luca de testam. disc. 72. num. 15. S. Congr. in Ripana Commutationis voluntatis 27. Julii 1822, et in Sorana reductionis onerum 18. Septembr. 1824. §. Extremum.

Hanc porro doctrinam practice tradens H. S. C. patronis ac fundatorum descendentibus perpetuo opitulari consuevit, modo dispensando super defectu aetatis puerorum, modo missarum reductionem elargiendo, ac modo pensionem aliquam super piis relictis ipsorum favore praelevando, prouti testantur innumera exempla, quae prostant in thesauro resolutionum. Sed illud etiam saepius peractum ex aequitate S. C. reperitur, ut nominatio beneficiorum vel etiam canonicatuum cathedralium suspenderetur, et eorumdem reditus expletis oneribus pro alimentis et educatione alicujus patroni impenderentur, quin aliquid obstaret patronorum aut capituli dissensus vel quaedam divini cultus imminutio, quae in respectivis casibus adesse videbatur. Sic in Asculana Dispensationis 20. Maji 1786; Nucerina Capellaniae 26. Aprilis 1828; praesertim vero in Sutrina Canonicatus 27. Junii 1819 et Hortana Canonicatus 30. Januar. et 20. Martii 1830, licet non de capellania vel simplici beneficio ageretur, sed de canonicatu ecclesiae cathedralis, et in utroque casu capitulum choralis servitii jacturam in medium proferre adniteretur.

Minime autem praetercundum hujusmodi praxim S. C. ex ea potissimum ss. canonum aequitate profluere, qua sancitum est, patrono indigenti ex fructibus beneficii subveniendum esse, can. Contra 26. et can. Quicumque 31. quaest. 7. et cap. Nobis de jurepatron. Siquidem Ecclesia ex grati animi sensu, quo erga suos benefactores afficitur, patronos ceteris omnibus praeferre consuevit, utpote qui anteriorem potioremque causam habere videntur, ita ut etiam ex beneficio pleno iis alimenta suppeditentur, Piton. de controv. patron. alleg. 44. num. 20, Sac. Congregatio in Nullius S. Michaelis de Clusa 20. Januarii 1776. et in Nucerina 5. Septembr. 1778. Quae quidem juris dispositio haud pios tantummodo institutores respicit, sed ad eorum quoque porrigitur descendentes sive per mas culos sive per feminas provenientes, ceu S. Congregatio docuit in Anconitana Subsidii dotalis 28. Januarii 1837. et in Urbinaten. Suspensionis nominationis 18. Decembr. 1841. §. Quod.

Ceterum ad propitiam in Oratore spem conservandam haud parum conferre videtur benignitas S. Sedis, qua eamdem, de qua agitur, capellaniam in statu laicali retinendam concessit per annos fere viginti marchioni Venantio, qui tamen in ea deterrima Oratoris conditione minime versabatur; qua immo eamdem hucusque concessit Pacifico Manganelli, qui eo sanguinis vinculo, quo Orator, cum fundatore minime jungitur.

Habebitur ratio post vacationem capellaniae.

Die 6. Junii 1863.

Statim, idest die 24. ejusdem mensis, Pacificus Manganelli capellaniae possessor formalem renunciationem emisit, quae in actis H. S. O. prostat, quaeque Eminentissimo Basilicae Archipresbytero, ceu relatum mihi est, exhibita fuit, ut eam capitularibus notam redderet. Hinc a Josepho et a patriarchalis capituli secretario rogatus fui, ut petitio iterum coram H. S. O. proponeretur.

Attamen Orator novo etiam supplici libello, quo super decretum est: „Habebitur ratio et uniatur“ plurimas addidit resolutiones a S. Congregatione alias datas, quibus humane subvenit filiis patronorum suspensione beneficiorum, quamvis patroni activi suspensionem impugnarent, prout factum esse perhibet praesertim in Asculana Dispensationis 20. Maji 1786 et in Forolivien. Capellaniae 25. Junii 1791. Exponit denique miseram suam conditionem, quae amitae tantum caritate sublevatur.

His ergo iteratis precibus praesenti hoc in folio expositis, rogo EE. PP., ut alterum folium in anteactis comitiis distributum recolere dignentur et decernere, utrum implorata gratia Oratori concedenda videatur.

Pro gratia suspensionis nominationis ad effectum erogandi reditus in ecclesiasticam pueri educationem in seminario ad septennium, facto verbo cum Sanctissimo.

179. Melevitana. — Beneficii super alimentis vel institutione.

Die 22. Decembris 1866.

Vacato beneficio ta l'Altier ob mortem Aloysii Borg Olivier in ecclesia Melevitana fundato a quadam Caecilia Debono ea lege, ut jus passivum ad „filium natu majorem suorum haeredum universalium in infinitum usquequo exstiterint filii nepotes et succcessores testatricis pertineret, „quidam Cajetanus Bonavita can. thesaurarius seu potius loco Cajetani, qui miserrime in amentiam incidit, curator et frater ipsius Joannes Bonavita, quinto consanguinitatis gradu distans a fundatrice, supplicem Sanctissimo porrexit libellum, quo petiit, „ut dignetur suspendere nominationem beneficii, ut ejus reditus erogentur in necessitates dementis.“

Rogatus Ordinarius, ut doceret de annuo reditu et oneribus beneficii, de legitima suspensionis causa et an alicui praejudicium inferatur, retulit quemdam Salvatorem Scifo Petit sexto consanguinitatis gradu a fundatrice descendentem beneficium expostulare, eumdemque adversari Cajetano Bonavita duplici de causa, attenta scil. ejusdem amentia, quae eumdem reddit inhabilem ad beneficium obtinendum, et satis commoda rei familiaris conditione, quae media ei praebet ad honestam sustentationem etiam in statu dementiae. Monet praeterea Episcopus reditus beneficii ascendere ad scutata annua triginta circiter Melitensis monetae; obnoxia tamen quibusdam missarum oneribus: aperiens deinde animi sui sensum ita se habet: „Cum nulla adsit legitima suspensionis causa et dispensatio praejudicium inferat vocatis, exoptatam gratiam denegandam esse censerem.“

Novis praeterea literis laudatus Archiepiscopus addidit reditus praebendae thesaurarii ascendere ad scutata annua tercenta quinquaginta praedictae Melitensis monetae (quae fere 135 scutatis Rom. respondent), sub onere tamen scutatorum Melitensium sexaginta, (seu scutator. circiter 23 mon. Rom.), praetereaque nullum aliud beneficium possideri ab Oratore.

Transmissae vero fuerunt quaedam deductiones exhibitae a sacerdote Petit, ex quibus eruitur eumdem passivo jure ad beneficium gaudere aeque

ac canonicum dementem; reditus praebendae thesaurarii reapse adsurgere ad summam ab Archiepiscopo relatam, canonicum tamen Bonavita pluribus potiri fortunae bonis, quae conflant summam 23236 scutat. Meliten., petitam propterea gratiam, si concedatur, damno sibi futuram, qui aetate gravis tenuique censu praeditus fratris sororisque sustentandae onere gravatur.

Hujusmodi deductiones testimonio Episcopi innituntur, et praeterea ex particula authentica instrumenti divisionis patrimonii inter can. Bonavita et duos ipsius fratres eruitur, ex divisis bonis contigisse canonico scutata Melit. 17427, praeter quandam aliorum bonorum partem, quae indivisa adhuc superest. Contra tamen canonici frater denegat tot eumdem possidere bona, quot praedicantur, et ob adversam valetudinem quammultis necessitatibus esse obnoxium; dum sacerdos Petit etsi senex juvenili vigore praeditus est, et praeter alia plura bona septem etiam beneficia possidet.

Si tantum de concedenda institutione agendum foret, res conclamata esset, cum amenti beneficium conferri nequeat; at petitum est, ut suspensa collatione beneficii favore canonici dementis alimenta decernantur. Novum sane haud est, ut ex canonica aequitate defunctorum voluntates vel suspendantur vel commutentur ad succurrendum eorum necessitatibus, qui cum fundatore propinquitate nec non patroni qualitate pollent, Lambert, de jure patron. lib. 3. quaest. 2. art. 3. n. 8, Pirhing lib. 3. decr. tit. 38. n. 37, Reiffenst. ibid. n. 115, adeoque per suspensionem etiam nominationis novi rectoris in beneficio; Sacr. Congr. in una S. Michaelis de Clusa 2. Dec. 1775 et 20. Jan. 1776, in Taurinen. 30. Martii ejusd. anni; in Aquen. Capellaniae 20. Januar. et 3. Febr. 1787, in Montis Regalis Capellaniarum 7. Sept. et 23. Nov. 1793 et in Montis Alti Capellaniar. 16. Febr. 1805. At alimenta parentibus et patronis praestanda utique sunt, sed in eum tantum finem, ne egeant, Gloss. in leg. Ejus rei 2. C. Quod cum eo qui in alien. pot. Cum ea propterea ex necessitate tantum decernantur, ceu eruitur ex toto tit. C. de alen. lib. ac parent. gravis patroni egestas ad succurrendum patronis indigentibus in pretio haberi consuevit a Sacro Ordine, ut in Ferrarien. Reduction. missar. 19. Jan. et 23. Febr. 1793. Ravennaten. Capellaniae 15. Apr. 1820. et in Novarien. Reductionis et absolutionis 18. Sept. et 20. Nov. 1824. Favet enim juris praesumptio, quod fundatores beneficiorum subsidium denegaturi non fuissent consanguineis, quibus juspatronatus reliquerunt, si eorum infortunia, aerumnas et inopiam praevidissent, Sacr. Congr. in Januen. Capellaniarum 31. Julii 1819. §. Nonnulla et seq., in Ripana Commutat. volunt. 27. Julii 1822 et in Sorana Reductionis et abs. 18. Septembr. 1824. §. Extremam. Statuant itaque Eminentissimi Patres, utrum in casu gravi egestate prematur can. Bonavita, ut alimenta quaerere debeat ex beneficio pro modo purae necessitatis, ut docuit Sacer Ordo in una Romana 1762 12. Junii. §. Ratione, maxime cum petita alimenta in praejudicium recidant alterius ex vocatis ad beneficium, sacerdotis nempe Petit, qui proinde, amoto proximiori, jus quaesitum haberet ex directa fundatricis ipsius vocatione. Nemo enim praeter can. Bonavita et sacerdotem Petit intra praefinitum tempus a curia comparuit, qui beneficium postulaverit.

Relatum quidem est a curatore canonici Bonavita, sacerdot. Petit septem possidere beneficia, Episcopus vero nihil hac super re docuit, etsi sub oculis habuerit, quae eidem sacerdoti opponit praedictus canonici curator.

Lectum ad instantiam canonici Bonavita.

180. Brictinorien. — Indulti.

Die 13. Junii 1868.

In parochiali ecclesia S. Mariae de Urano Brictinorii exstat beneficium ecclesiasticum sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis. Ejus erectio adhuc incerta manet, quum tabulae fundationis nullimode reperiri potuerint; verumtamen ex cancellariae actis jure patronatus gavisam fuisse familiam Barisani certum est. Porro postremus dictae familiae superstes et beneficii possessor reverendus Caesar Barisani anno 1665 per actum inter vivos canonice factum juspatronatus hoc transtulit ad quemdam Timotheum et agnatos Fabi Brictinorienses. In agnatione autem familiae Fabi ultima exstitit quaedam Caecilia innupta. Haec anno 1775 non solum Episcopo illius temporis instituendum in beneficio praesentavit Antonium clericum Rota, sed anno 1784 voluit per ultimam voluntatem, ut vir nobili genere natus Sanctes dux Rota suus haeres universalis foret etiam in dicti beneficii jurepatronatus, et ipso mortuo ejusdem filii masculi idem jus acquirerent.

Porro ex nobili illo viro Sancte Rota tres filii masculi procreati sunt Joseph nempe, Joannes et Antonius, qui ecclesiasticae militiae nomen dedit. Primus sine prole ac intestatus decessit; ex Joanne Nicolaus et Petrus nati sunt. Antonius moriturus haeredem nepotem ex fratre Nicolaum sibi instituit, et ei expresse juspatronatus hujusce beneficii reliquit.

Antonio mortuo, Nicolaus anno 1848 supplicem libellum Sanctae Sedi obtulit, ut etsi laicus per septennium fructibus beneficii frueretur. His precibus Summus Pontifex benigne annuit, quamvis Petrus frater acriter obstaret. Gratia haec iterum renovata fuit favore Nicolai anno 1857 absque ulla fratris oppositione. Expletis nunc gratiae temporibus iterum Summo Pontifici supplicem obtulit libellum Nicolaus ad prorogationem indulti obtinendum. Hoc cum pervenerit ad Petri aures, et ipse postulavit, ut per septennium fructibus beneficii frueretur, quum alter frater per bina septennia sibi illos habuerit.

Episcopus informationem et votum rogatus relationem separatam transmisit, quae rebus expositis concinit, deinde admonet. „Ex addita relatione curiae E. V. conditionem beneficii et jura, quibus duo interesse habentes nituntur, cognoscet. Pro vacatione proroganda favore alterius petentis stat temporum conditio. Orator muliere et filiis gravatus nunc in tali conditione versatur, ut non minus subsidio egeat, quam eo tempore quo prius indultum obtinuit. Alter petens chirurgus est et viduus cum tribus filiabus nuptis.

Nicolai precibus annuendum videtur. Ex tabulis enim testamenti manifestum apparet juspatronatus hoc relictum fuisse „filiis masculis“ Sanctis Rota. Jamvero ultimum filium Sanctis Rota fuisse Antonium in discrimen haud vocatur: neque filiorum appellatio ad nepotes aliosque descendentes porrigitur, ceu tradit Ulp. lege 6 ff. de testamentaria tutela: „Quid sint nepotes? An appellatione filiorum et ipsis tutores dati sint videndum. Et magis est, ut ipsis quoque dati videantur, si modo liberos dixit: ceterum si filios, non continebuntur: aliter enim filii, aliter nepotes appellantur.“ Quod si quandoque filiorum appellationes etiam ad nepotes productae sunt, id non nisi per extensionem vel impropriationem verborum factum fuit, nam ea non est germana verbi significatio, aliter enim filios, aliter nepotes appellamus. In specie autem nulla pretiosa ratio praesto est, quare filiorum nomine nepotes venire valeant, tum quia testatrix non suos posteros ac descendentes ad juspatronatus invitabat, sed extraneos, tum quia patet testatricem de filiis tantum Sanctis, quos noverat, fuisse sollicitam, nec filios nascituros vocasse. Quare de illo Antonius disponere potuisse videtur, ceu revera disposuit favore Nicolai.

Verumtamen pro Petro facere videtur doctrina notissima, quod sub nomine filiorum veniant etiam nepotes, pronepotesque ac descendentes ab eo, de cujus filiis in dispositione invenitur; ita Paulus in leg. 84 de verb. signif. „Filii appellatione omnes liberos intelligimus“ cui concinit lex 201 et 220 §. ult. ejusdem tit. Pernotum principium exornat Pitonius de controv. patron. alleg. 51. num. 3. tradens: „Praemittere oportet pro regula certa et indubitata, quod vocabulum filiorum est vacabulum aequivocum, quod in sua latitudine comprehendit ipsos nepotes, et in num. 4. ejusdem allegat. adjungit: „Per hos textus clarissimos dicunt doctores, quod in significatu largo vocabulum filiorum intelligitur etiam de nepotibus ita et taliter, quod accipiendo et intelligendo filios pro nepotibus non dicitur fieri extensio vel impropriatio verborum, sed dicitur comprehensio ac praecipue id tenet in materia favorabili, in qua omnia jura clamant, ut sub nomine filiorum veniant nepotes.“ Idem statuit Altograd. in consil. 65. num. 29, Fagnanus quaest. 320. num. 73, ac Rota in decis. 206. num. 28 et 29 coram Merlin, Card. de Luc. de fideicom. disc. 71. n. 14.

Quare patet Antonium disponere haud potuisse de hoc jurepatronatus ideoque pari jure gaudere videntur tam Petrus, quam Nicolaus. Cum vero Nicolaus per bina septennia fructibus hujusce beneficii gavisus fuerit, recta ratio et aequitas postulare videtur, ut et Petrus his fructibus gaudeat saltem spatio septem annorum; nemo enim ad imparia judicari debet. Ceterum animadvertendum est, Petrum etsi virum viduum et sexagenarium et chirurgicum sese paratum exhibere ad sumendas clericales vestes, quatenus bono jure sustineatur ad beneficium assequendum.

Hisce praenotatis videant EE. VV., uter eorum praeferendus sit, cum nemo alius praeter eos interesse habere videatur. Animadvertant tamen hujusce beneficii reditus annua scutata 60 vel 70 attingere cum onere dumtaxat octo missas celebrandi die festo recurrente Assumptionis Beatae Mariae Virginis.

Praevia sanatione a die exspirati indulti pro gratia prorogationis ad quinquennium favore utriusque fratris, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 29. Augusti 1868.

Ex hujusmodi responso rem male cessisse reputans Petrus novae audientiae veniam impetravit rogans, ut EE. VV. „melius expensis ipsius rationibus, et praesertim misera conditione in qua versatur, dum ejus frater Nicolaus pensione gaudet et familiae bona haereditavit commodeque vivit,“ dignentur ejus tantum favore indulti gratiam elargiri.

Documenta, quae attulit ad suam protuendam thesim, sunt testimonia de ejus paupertate a proprio parocho atque a syndico Brictinoriensi data, quibus patet, Oratorem nihil aliud possidere praeter honorarium ex officio chirurgi scil. libell. 850, quod si ex aetatis infirmitate (62 annos habet) exercere non poterit dodrante diminuetur.“

Videant igitur EE. VV., utrum hujusmodi documenta tanti sint facienda, ut favore Petri solum indultum sit concedendum.

In decisis.

4. De subreptione et obreptione in commutationibus obtinendis.

181. Recanaten. — Fructuum beneficii.

Die 29. Martii 1862.

Extra praesentem controversiam positum est, quamdam familiam Vitali aliasque simul familias sive ex primaeva institutione, sive ex praescriptione

aliove titulo, activo gaudere jurepatronatus beneficii sub invocatione S. Jacobi in cathedrali basilica Recanatensis dioecesis erecti. Sicut extra quaestionem etiam versatur, Petrum Vitali anno 1850, maxima egestate laborantem Sanctissimum Patrem rogavisse, ut suspensa nominatione proxime vacaturi beneficii ob renuntiationem filii Constantini, ipse una cum filio in statu laicali frui posset reditibus beneficii. Quam gratiam eum reapse obtinuisse constat; die siquidem 22. Julii 1850, auditis antea Episcopo Recanaten., et per Episcopum interesse habentibus, iisque omnibus petitioni plene suffragantibus, rescriptum ab hac S. Congregatione prodiit: „Dimisso prius titulo beneficii pro gratia suspensionis nominationis ad decennium, deputato ecclesiastico-administratore, impletis oneribus, docto per Breve, et notificetur ministris Datariae apostolicae".

Praeterlapso decennio, ac Petro Vitali defuncto, Federicus alter Petri filius, vidua matre superstite, uxore et tribus filiis gravatus, prorogationem ejusdem rescripti petiit, eamque, auditis pariter per Episcopum patronis, obtinuit, ope rescripti 17. Sept. 1860 ad quinquennium duraturi; in quo expresse habebatur, ut impletis oneribus residuales reditus Oratori traderentur in sui et genetricis alimoniam.

Rebus vero in hoc statu permanentibus, quidam Benvenutus Vitali, in memorato beneficio compatronus nuper H. S. O. adiit, et adversus praefata rescripta consurgens tum ob substantialia in precibus reticita, tum ob circumstantias exaggerate narratas, addensque se prorsus inscio eadem rescripta exsecutioni mandata fuisse per Episcopum, rogavit, ut orbatus et ipse parentibus, uxorem filiumque octavum tantum annum agentem habens, nec non mediis ad suam sustentationem necessariis destitutus, titulo saltem alimentorum 30 scutata ex reditibus beneficii sibi constituerentur.

Injuncto, ex more, mandato vicario capitulari, ut super porrectis precibus, omnibus interesse habentibus auditis, referret super bono Oratoris jure; sequentia vicarius retulit: „Interpellavi omnes patronos, et praeter unum omnes responderunt favorabili sententia . . . Veritate non nititur assertio, auditas non esse partes interesse habentes, cum priora rescripta obtinerentur. Omnes interrogavi, at neque post perquisitiones peractas unquam apparuit, adesse istum Benvenutum Vitali, qui Constantinopoli commorabatur, et nunquam literas misit . . . Dubitari non potest Benvenutum ex familia patrona esse et quatuor uncias patronatus inter eum et filios Constantini Vitali esse dividendas. At si in ipso verificatur conditio patroni, haud pariter ac in vidua adest paupertas, cum ab uxore, quae Romae remansit, separatus typographi officium Anconae exerceat. Non denego, ob incertitudinem hujus officii et filii sustentationem eum dignum esse, cum quo benigne agatur. Censerem itaque, ipsi concedi posse pensionem scutat. 15 a vidua praestanda reliquis annis. . . . Reditus beneficii sunt scut. 57: 20, onera vero 30 missae fundatae, et taxa extraordinaria „manus mortuae" ad normam quatuor libellarum pro centenis. Alius compatronus Corradini obtinuit alium canonem scutat. 40 ex dote beneficii."

Acriter vero precibus ejusdem Benvenuti adversatur vidua Vitali, partes simul agens filii sui Federici. Animadvertit siquidem Benvenutum asseruisse tantum, et quidem indeterminate, substantialia facta fuisse reticita in primis et secundis precibus, et circumstantias exaggerate fuisse narratas; e contrario manifestissimam et notoriam esse paupertatem Oratorum, dum Benvenutus uxorem quidem habeat et filium, qui tamen separati ab ipso suo labore et industria vivant.

Neminem latet vitium obreptionis et subreptionis luculentissime esse demonstrandum, cum in jure sancitum sit, in dubio viribus pollere rescriptum, S. haec Congregatio in Forosempronien. 16. Sept. 1820 §. Primum; in Faventina 24. Januarii 1829 §. Nec mendacii; et in Pinnen. 1. Junii superioris anni §. Propterea. In casu vero neque dubium exoriri videtur, cum contra Benvenuti assertiones plurimi valere debeant Episcopi et vicarii capitularis relationes super maxima egestate familiae Federici Vitali, quae causa fuit gratiae suspensionis nominationis obtinendae.

Attamen firmo etiam permanente ultimo rescripto, non diversa videretur Benvenuti conditio a conditione Federici, qui reditus beneficii ex causa egestatis in sui et suae genitricis alimoniam obtinuit. Licet ergo Benvenuti paupertas nonnisi relativa judicanda sit, nihil obstare videretur, quin voti compos etiam ex hac tantum causa fieret, cum paupertas relativa sufficiat, ut de reditibus beneficii patronis subveniatur Fargna de jur. patr. p. I. c. 3. can. 1. n. 8. S. Congr. in Bugellen. 16. Decemb. 1716, Aretina Suspensionis nominationis 14. Junii 1817 et Ravennaten. Capellaniae 15. Apr. 1820. Iis vero positis, EE. VV. sapientiae dijudicandum superest, utrum in casu, praeter paupertatem Oratoris, hujusmodi circumstantiae concurrant, ut concessis jam ad quinquennium reditibus beneficii Federico Vitali ipsiusque matri et familiae sustentationis titulo, nondum elapso quinquennio in suis precibus Orator audiri mereatur.

Lectum.

182. Viterbien. — Rescripti.

Die 5. Maji 1866.

Exstat in paroeciali ecclesia S. Leonardi civitatis Viterbiensis simplex beneficium sub titulo ejusdem sancti fundatum anno 1730 a quodam Laurentio del Signore de activo jurepatronatus olim Christophori Costantini ejusque haeredum et stirpis in perpetuum, nunc vero familiae Parri, in quam bona Costantini devenerunt. Onera beneficii sunt triginta missae quolibet anno celebrandae in suffragium animae fundatoris et suorum in praefata ecclesia, reditus vero scutata circiter 43 et obol. 17, qui deductis expensis ad scutata 21 et obol. 17 contrahuntur. Cum anno 1855 praedictum beneficium vacavisset, Aloysii Parri filii, Ignatius nempe, Hyacinthus, Joseph et Leopoldus attenta rei familiaris angustia, Sanctissimum rogarunt, ut suspensa novi rectoris nominatione beneficiales reditus interim cederent favore Leopoldi, qui prae aliis pauperior in statu laicali et coelibi vitam agebat cum matre, Aloysii vidua. Et ad porrectas preces sequens rescriptum prodiit: „Ex aud. Sanctissimi die 9. Julii 1855. Pro gratia suspensionis nominationis ad decennium, deputato idoneo administratore ecclesiastico viro, qui impletis oneribus, residuales reditus consignet Leopoldo titulo alimentorum arb. et consc. Eminentissimi Episcopi, per rescriptum.“

Mortuo vero Leopoldo, decennio nondum expleto, iterum Ignatius aliique fratres Parri enixis precibus expostularunt, ut beneficiales reditus in eamdem causam concederentur Petro Parri, et auditis interesse habentibus, rursus rescriptum est: „Ex aud. Sanctissimi 8. Apr. 1861. Pro gratia susp. nominationis ad decennium computandum a die obitus Leopoldi, deputato administratore qui impletis oneribus residuales reditus tradat Petro Parri in familiae sustentationem.“

Accidit deinde, ut Petrus obtentis favoribus minime contentus, novo supplici libello instaret pro saecularisatione beneficii; et illico porrectae preces

rejectae fuerunt sequenti responso: Gaudeat impetratis. Tunc vero alter ex Parriis fratribus, Alexander, memoria revolvens se precibus favore Petri minime subscripisse, easque vitio obreptionis et subreptionis insimulari posse autumans, cum filium suum annorum 12, obtenta nominatione ab eis, qui jus nominandi habent, ignarus, ut ait, rescripti prorogationis cum fraude et dolo a fratre Petro impetrati tonsura insigniri curaverit, suplex SS. Patrem exoravit, ut beneficium, de quo agitur, filio suo addicere dignaretur.

Ita vero comprobare adnisus est fraudem vitiumque, quo infectum fuisse redarguit rescriptum prorogationis a Petro impetratum. Ait enim: „Defuncto Leopoldo Parri coelibe, Petrus similes preces obtulit ita conceptas, velutsi Leopoldus viduam cum familia reliquisset. Deinde reditus beneficii non accurate indicavit, allegans tantummodo fundum scut. 20 circiter reddentem, dum alii fundi ad beneficium pertinentes reditus producunt supra indicatis multo majores. Preces denique eo facilius effectum consecutae sunt, quod defuncto Eminentissimo Episcopo Pianetti ei, qui dioecesi praeerant, veri rerum status ignari precibus obsecundaverunt.

Acceptis his precibus Episcopus, quem super his audivi, haec retulit: „Leopoldo demortuo .... superstites fratres .... postularunt, ut in locum defuncti alter eorum sufficeretur Petrus nomine, qui fructibus beneficii familiae necessitatibus prospiceret. Res ad S. Congregationem delata, inde ad Viterbiensem curiam pro informatione et voto. Mirum, quod haec curia in suo relatu, haec inter cetera addiderit: „Leopoldum prolem una cum vidua reliquisse“, cum tamen certum sit, ipsum ad mortem usque coelibem exstitisse. Hinc ad instar informationis reformatae preces, et ad istarum normam pro gratia rescriptum editum die 8. April. 1861: hinc etiam per hanc curiam exsecutioni mandatum rescriptum ipsum.

„His fundamenti loco praejactis, venio ad supplicem libellum ab Alexandro exhibitum, in quo nonnulla vero conformia, nonnulla a veritate aliena continentur. Veritati conforme est, quod originales preces pro obtinenda gratia in favorem Petri porrectae, non omni, qua opus erat, perspicuitate et forsan ingenuitate exaratae fuerint. Nam quae de Leopoldo defuncto, qui primus indultarius fuit, dicuntur, ambigua sunt; asseritur enim ipsum gravatum fuisse familia, quae verba tum ad ejus matrem, fratres, et sororem referri poterant, tum ad ejus uxorem et filios, si umquam illam et hos habuisset. At supra dictum est, ipsum Leopoldum nec uxorem, nec filios habuisse, et nescio quomodo Episcopalis haec curia affirmare potuerit, ipsum Leopoldum prolem una cum vidua superstites reliquisse. Verum insuper est ipsum Alexandrum Parri filium habere clericum, cujus institutioni praefati beneficii fructibus prospicere cuperet.

„At a veritate prorsus alienum est, quod ipse subjungit, fratres suos nempe, qui tunc in favorem Petri supplicarunt, arripuisse occasionem mortis Eminentissimi Pianetti ad gratiam assequendam; nam idem ipse Eminentissimus mense Februarii 1861; antequam scilicet huic episcopali sedi renuntiaret, quod mense sequenti accidit, quoad hanc rem instructam reddidit Sacr. Congregationem, ut constat ex actis hujus curiae. Item falsum est, quod ipse affirmat de fructibus beneficii, nam etsi reditus annui aestimentur scut. 43 et obol. 17 tamen subductis oneribus, nonnisi scut. 21 et obol. 17 supersunt, quae certe amplum censum non constituunt. Habet quidem familia Parri fundum alium, at hujusmodi non est, ut sufficere queat ad ejus commodam sustentationem, uti videtur innuere Alexander Orator, si onera quibus premitur fundus inspiciantur, et ejusdem familiae necessitatum ratio

habeatur, quod ex attestatione parochi alteriusque personae fide dignae cognoscere mihi datum est.

„Pauca nunc de nominationibus ab ipso Alexandro in favore filii sui obtentis. Has revera ipse obtinuit a nonnullis ex patronis, et forsan ex majori eorum parte, die 25. Januarii 1865; at ea conditione, ut suum sortirentur effectum cum gratia suspensionis et administrationis beneficii exspiraverit. Ex quibus infertur, nominationes illas absolutas non esse, nec Oratorem Alexandrum praeexistentem gratiam Petro ejus fratri collatam ignorasse, quod tamen ipse asserit. Et quoniam S. Congregatio postulat, ut animi mei sensus circa hanc rem promam, dicam quod facta remissione vitii, si quo laborat gratia Petro actuali indultario largita, indulgeri eidem possit, ut percepta et percipienda licite retinere valeat. Quoad nominationes vero ab Oratore favore filii obtentas, eae decerni possent validae, dummodo major pars patronorum in dicto clerico nominando consenserit: imo hac proposita conditione, ipse clericus nunc pro tunc poterit in beneficium institui. Hoc enim, si ipse in vocatione permanserit, et ad prosequenda studia subsidium, et ad sacr. ordines suscipiendos titulum suppeditabit.“

Ita singula ab Alexandro enarrata percurrendo Episcopus rem omnem absolvisse videbatur: attamen cum adhuc desiderari posset, utrum ipse Alexander auditus nec ne fuisset super precibus anno 1861 a Petro huic S. Ordini porrectis, eumdem praesulem super hac peculiari circumstantia rogandum etiam censui, isque illico rescripsit, inspectis curiae actis minime datum esse reperire aliquid in specie de Alexandri consensu adnotatum; certum tamen esse interesse habentes interrogatos fuisse super precibus tunc temporis a fratribus Parriis exhibitis, eosque facile suum assensum praestitisse, ut Oratores voti compotes fierent; ex quo retinendum esse ait, Alexandrum ipsum, sicut ceteros patronos, assensisse.

His perpensis, tota fere quaestio cohibetur in eo, ut reor, utrum scilicet in precibus anni 1861 vel veritas reticita, vel falsitas narrata fuerit, ut vitio obreptionis et subreptionis easdem infectas fuisse retinendum sit. Qua super re juvat in primis animadvertere, perlectis precibus reputatum quidem fuisse Leopoldum uxorem prolemque reliquisse, quod verum haud erat; id tamen minime assertum fuisse ab Oratoribus Parriis, etsi aequivoce familiae nomen ipsi usurpaverint. Itaque non ipsi de falsitate expositorum nec de fraude et malitia facile redarguendi sunt, si preces juxta curiae informationem reformatae fuerint. Idque satis esse videretur ad odiosum obreptionis et subreptionis vitium repellendum.

Propius secundo loco accedendo ad vim asserti vitii in themate de quo agitur investigandam, non magni ea facienda esse videtur, ratione habita justissimae illius discretionis traditae in cap. 20 de rescriptis, qua docemur, in hujusmodi adjunctis probe perpendendum esse, quae falsitas suggesta fuerit, vel quae veritas sit occultata; nam, seposita fraude vel malitia, si talis expressa sit falsitas vel veritas occultata, quae quamvis fuisset tacita vel expressa, Summus Pontifex gratiam contulisset, rescriptum nullitate non laboraret. Jam vero ad hujus discretionis normam, perpensis precibus Parriorum favore Petri exhibitis, nullatenus dubitandum esse videretur de gratiae concessione, si Oratores manifesto matrem Leopoldi superstitem expressissent. Nonne eadem gratia concessa jam fuerat Leopoldo, qui beneficii reditus expostulaverat titulo alimentorum in sui et matris istiusque familiae favorem?

Ex his, quae Episcopus administrator retulit de quantitate redituum beneficii, facile colligitur, hac super re non alienas a veritate fuisse Parriorum

preces. Utrum vero iisdem precibus assensum suum praebuerit nec ne Alexander, certo non constat; cum tamen ex actis curiae episcopalis appareat, auditos fuisse interesse habentes, dijudicent Eminentissimi Patres, utrum inde arguendus sit cum Ordinario assensus etiam Alexandri, cujus tamen defectus, ceteris consentientibus patronis, rescripto forsan obstare non potuisset.

Servandum esse rescriptum diei 8. Aprilis 1861.

D. Exempla perfectae exonerationis ab obligatione.

183. Forosempronien. — Condonationis.

Die 18. Februarii 1854.

Testamento diei 20. Octobris 1849 sacerdos Aloysius Franciscus Menchetti disposuit, ut omnia quae ipsi pertinebant bona et jura venderentur, et ex pretio eorum varii efformarentur census activi, quorum fructibus perpetuum pium opus institueretur, ad effectum celebrandi quotannis octodecim officia (quorum singula saltem tribus missis lectis, et quarta cum cantu constarent) in suffragium animae suae, quam proinde universalem haeredem instituebat. Pro praedictis autem officiis annua scut. 11. 46 eroganda statuit testator, addens, quod si forte reditus haereditatis eam summam excederent, numerus missarum in singulis officiis celebrandarum proportionabiliter augeretur.

Jam vero cum testamentarius exsecutor piae dispositionis exsecutioni operam daret, Ursula Menghetti testatoris neptis supplicem S. H. O. obtulit libellum in quo exponens, se ab amita Lucia Menghetti usufructuariam haeredem institutam fuisse tenuis patrimonii, quod aere alieno scut. 415. 73. 6 erga haereditatem Aloysii Francisci gravatur, postulat, ut attenta ejus paupertate „absolvatur haereditas amitae suae a debito scut. 415. quo versus illam causam piam tenetur; et pro eo gravari posset haereditas ab Oratrice percepta annuo legato decem vel duodecim missarum in suffragium animae defuncti Aloysii, et ex superexstantibus provideri posset honestae suae sustentationi.“

Episcopus rogatus informationem ac votum, quoad statum haereditatis Aloysii Francisci refert, activum ascendere ad scut. 1106. 46. 8. passivum ad scut. 634. 78, proinde superesse in activo scut. 471. 68. 8, ex qua ultima summa constitui debet dos pii legati. Patrimonii vero, quo utitur fruitur Ursula, activum pertingere ad scut. 681. 38. 5. passivum ad scut. 515. 46., superesse in activo scut. 165. 92. 5. Animadvertit autem in summa passiva scut. 515. 46. contineri summam scut. 415. 73. 6, quae ab Ursula pro tribus partibus, et a Josepho Menchetti altero ejusdem patruo pro quarta parte debetur haereditati patrui Aloysii Francisci.

Testimonium insuper reddit de vera Oratricis paupertate, quippe quae e monasterio, ubi per duodecim annos vitam egit, nuper causa valetudinis egressa, nullis a defunctis parentibus fortunae bonis ditata, nisi a patruo suo Josepho, a quo hospitio recepta est, aleretur, necesse esset, ut stipem ad vivendum mendicando sibi compararet.

Deinde votum suum per haec verba pandit: „Cum ex una parte vere indigens sit Oratrix Ursula talique versetur in statu, in quo, si viveret, ei certe succurreret et praesto esset patruus Aloysius Franciscus, cumque ex altera idem patruus protestatus sit, nihil se ulli ex conjunctis velle donare

eo quod jam satis multa vivens donaverit; putarem nec nimis rigido nec nimis laxo hac in re esse utendum judicio; ac proinde Ursulae preces nec plene excipiendas nec plene rejiciendas. Hinc, quando EE. VV. non abs re videretur, summa scutatorum 415. 73. 6 posset pro interim ita dividi, ut scutata 200 haereditati defuncti patrui Aloysii Francisci statim restituerentur, vel ex iis census activus favore haereditatis ipsius ad rationem scutatorum 6 pro quolibet centenario formaretur super bonis Ursulae: reliqua vero scut. 215. 73. 6. remanerent penes ipsam Ursulam ejusque patruum Josephum (capta super eorum stabilibus conveniente hypothecaria inscriptione) durante vita ipsius Ursulae, quae interim loco suffragii certam precum quantitatem qualibet hebdomada persolvere deberet, post obitum vero ipsius, haereditati supradictae restitui omnino deberent.

„Ex hac autem S. Sedis erga Oratricem Ursulam benignitate sequeretur tantum, quod, celebratis annuis officiis octodecim a patruo praescriptis, (ad quae celebranda sufficeret fructus annuus ejusdem haereditatis, etsi scutatis biscentum decurtatae; remaneret enim ei summa scutatorum 286. 68. 8.) non posset ante mortem praedictae Ursulae augeri missarum numerus, juxta testatoris mentem. Haec tamen augmentis omissis satis compensata videri posset tam merito eleemosynae, quam ipsa Ursula consequeretur, quam precibus, ad quas pro anima patrui ab eadem S. Sede obligaretur."

Cum ex juris rigore petita condonatio fieri nequeat, praesertim in casu, ubi de pio legato adimplendo res est, arg. Clement. 5. Quia contingit de relig. domib. videndum utrum aequitatis ratio eam suadeat. Aequitas autem in themate resultare videtur ex paupertate Oratricis cum consanguinitate conjuncta, quibus concurrentibus extremis S. C. indulgentem ac benignam semper se praebuit, ut innumera testantur in thesauro resolutionum exempla, idque ex praesumpta testatoris voluntate De Luca de testam. disc. 72. num. 15. Quocirca Oratricis preces saltem juxta Episcopi votum excipiendae viderentur, praesertim quia non omnino ac perpetuo testatoris voluntas exinde frustrata maneret.

Pro gratia juxta votum Episcopi, impositis Ursulae piis precibus prudenti ejusdem Episcopi arbitrio praefiniendis, facto verbo cum Sanctissimo.

184. Firmana. — Commutationis voluntatis.

Die 24. Aprilis 1858.

Sacerdos Franciscus Denti ab oppido Montis Fortini Firmanae dioecesis supremis, quibus anno 1802 decessit, tabulis fideicommissarium opulenti patrimonii suum nepotem Paschalem scripsit haeredem, quo vita functo descendentes masculos, hisque deficientibus, feminas vocavit. Eisque autem legem dixit, ut statis diebus in singulis hebdomadis tria sacra, addita recitatione quindecim decadum rosarii Beatissimae Virginis, ad altare majus ecclesiae parochialis litari curarent.

Quo autem tempore Pontificia ditio ab extero exercitu occupatione tenebatur, haeres Paschalis ob fideicommissorum abrogationem sua pleno jure fecit patrui bona. Hinc volventibus annis plurimam hujus patrimonii partem in praeceps ruisse constat, quin praedium ullum pii legati vinculo obstrictum maneret. Quae cum ita sint Aloysius Denti Paschalis filius, et Aloysius Prosperi hospitalis dicti oppidi administrator supplices S. hanc Congregationem modo adeunt, ut missarum onus ac sanctissimi rosarii recitatio suppri-

matur ea lege, ut haeres Denti aliquam pecuniae vim infirmorum hospitali persolvat.

Super hisce precibus informationem ac votum rogatus Eminentissimus Archiepiscopus haec habet: „Nemo super petitione interesse habet praeter parochum, in cujus ecclesia missae essent celebrandae, qui tamen Oratorum votis omni ex parte suffragatur. Patrimonii vero Denti exigua, quae remanet, pars censuarium valorem attingit scutorum 1938: 18. 5, quae satis superque esset ad legati adimplementum. Ceterum loci hospitale nuper erectum tenuissimo pollet censu, et ni piae offerentium mentes excitentur, fere nullum pauperibus infirmis afferre potest levamen. Non me quidem latet, supremas testatorum voluntates religiose esse servandas; nihilominus justa intercedente causa immutari posse compertum est. Justam, ni fallor, praebet causam pii loci egestas et hospitalis praesertim, cujus causa favorabilior est. In quam sententiam si EE. VV. descendere dignentur, erit decernendum, quam pecuniae vim persolvere debeat Aloysius Denti, ut ab onere legati sese perpetuo eximat. In supplici libello scutata septuaginta quinque se daturum spopondit, at in literis ad me nuper datis addit scuta viginti quinque, quae tamen labente anno 1862 se persoluturum pollicetur. Vestrum igitur erit EE. PP. definire, quid de Oratorum precibus sit sentiendum, et praesertim an exigua pecuniae summa, quam haeres Denti obtulit, perpetui oneris exstinctioni respondeat."

Agitur in themate de perpetua liberatione ab onere missarum, quae generatim improbatur a jure, tum quia ecclesiae bono adversatur, tum quia piae testatorum voluntates inde violantur, quas religiose servandas esse omnia jura clamant. Quod eo vel magis denegandum, si fundi exsistant, quorum reditus pares sint ferendis oneribus, quo quidem in casu nec reductio concedi solet. Deinde animadvertendum est, ex Sacri Ordinis disciplina alia potius onera immutari vel reduci solere, quam missas, ceu traditur in Thelesina Reductionis onerum 23. Junii 1832. §. Compertum, ne scilicet testatorum animae debitis priventur suffragiis.

Haec porro petitionem rejiciendam suaderent. Nihilominus ubi aliter sentiendum EE. VV. putaverint ob rationum momenta, quae exponit Eminentissimus Archiepiscopus, viderint an non nimis exigua censeri debeat pecuniae vis, quam in implorati beneficii compensationem obtulit Orator Denti, habita praesertim ratione valoris censuarii fundorum, qui pii legati vinculo hactenus obstricti manerent. Perpendant praeterea an expediret, ut oblatae vel augendae pecuniae pars saltem impendatur in annuam aliquarum missarum celebrationem, ut et hospitalis utilitati consultum sit, et sarta tectaque quoad fieri potest pii testatoris dispositio servetur.

Lectum ad instantiam et Eminentissimus Archiepiscopus curet capi inscriptionem hypothecariam pro securitate causae piae.

185. Callien. — Condonationis.

Die 26. Septembris 1863.

Clemens Tinti canonicus poenitentiarius cathedralis Calliensis ad Appeninas singulari pietatis affectu ductus sui suorumque veluti immemor tria pia legata constituit. Alterum scilicet scutatorum 100 favore sodalitii sanctissimi Cordis Jesu, alterum scut. 135 ecclesiae S. Andreae reliquit, tertium denique, quo de agitur in praesenti petitione, assignavit in

scut. 500, quae in tot missarum onera ratione viginti obolorum pro unaquaque missa in praefata cathedrali forent distribuenda, ceu patet ex publico instrumento diei 22. Septembris anni 1857; quae piae donationes respective fuerunt ab ecclesia receptae.

Ceterum ex usufructu canonicalis praebendae atque ex diligentiori parsimonia pius ille canonicus sperabat sibi aliquid remansurum pro duabus neptibus, quas jam tunc aequis partibus ad suam haereditatem vocaverat. Imo in nuptiali instrumento, quo altera nomine Theodolinda nupta cum Francisco Buroni (ceu patet ex syngrapha die 1. Novemb. 1856 Romam transmissa) aperte Clemens adpromisit, se eidem nepti summam sc. 500 non inferiorem certo relicturum.

Spem sed fefellit eventus; cum enim in gravissimum morbum aerumnasque inciderit, necesse habuit, ut ipsi subsidio veniret Theodolindae maritus, quod ille ita praestitit, ut vel ipsemet pius institutor praevidens sibi nihil superesse, quo suam promissionem adimplere valeret, pium 500 scut. legatum revocavit, simulque petiit a Summo Pontifice absolutionem a jurisjurandi vinculo, quo suam conscientiam obligaverat, atque in hoc voto perseverans diem obiit supremum.

Haeredes vero, praesertim Franciscus Buroni, ad Apostolicam Sedem confugerunt, humili libello expostulantes, ut illud legatum cedat Oratoribus ad reficiendas expensas, (quas se revera sustinuisse exhibita notula ipsi ostendunt) et ut habeant aliquam remunerationem pro assistentia defuncto exhibita, qui suis pronepotibus pro nuptiis donum promiserat non minus quam 500 scutata. et preces hujusmodi sponte sua insimul commendavit Calliensis Antistes, qui nuper inopina morte praereptus est.

Quare de more ad vicarium capitularem scribendum curavi, qui auditis in scripto canonicis ecclesiae cathedralis, aliisque interesse habentibus, de viribus haereditatis referret. Ipse itaque nec non canonici formiter convocati in omnibus Oratoribus annuendum esse censent, adjunctaque singula in libello exposita, statum haereditatis deficientem confirmantes, veritati inniti contestantur, atque in hanc omnes devenerunt sententiam: „ut supplici libello annuerent non solum quia justitiae debitum est versus haeredes Oratores, sed multo magis, ut votis et desideriis poenitentiarii obsecundarent, qui ad conscientiae tranquillitatem comparandam necessarias facultates et absolutiones imploravit.“

Pro gratia concedenda millena prostant S. hujus Congregationis exempla, quot existunt in summariis precum quae titulos condonationis, reductionis et absolutionis prae se ferunt, ceu videre est in Taurinen. 30. Martii 1776 et nuperrime in Veliterna Reductionis onerum missarum et subsidii diei 21. Martii huj. anni, ex quibus eruitur, Ecclesiam justa concurrente causa gratias hujusmodi elargiri consuevisse praesertim, ne videatur ipsa cum aliena jactura ditari. In themate vero justa causa non deesset, cum nemo praesumatur suum ita improvide profundere voluisse, ut nihil inde sanguini suo relinquatur. Imo cum Oratores pio institutori egenti opem auxiliumque praestiterint, aequum est ut Ecclesia, quae justitiae et pietatis mater est et cultrix, unius legati pii obligationem ultro remittat, secus ea summa in haereditate deficeret, scutata nempe 500, quae nuptiali instrumento erat praelevanda. Res alioquin integra est, et si vigore civilis juris quilibet contractus, rebus in eodem statu non permanen-

tibus, rescinditur, a fortiori aequitas canonica non patitur, ut donatio licet accepto habita cum aliena jactura subsistat, ceu ostendit in re simili Card. de Luca de haered. disc. 23. n. 3. et seqq.

Pro gratia deneganda videtur valere illud principium utroque jure admisso, nempe quod semel placuit, amplius displicare non debet; praesertim cum acceptione rei donatae, multoque magis interveniente jure jurando irrevocabilis donatio inter vivos est dicenda, licet ejus exsecutio post obitum sit collata, Decis. 280. num. 1. p. 13. recent., alioquin sibi imputent haeredes, si considerate et improvide res suas profuderunt.

Haec autem quanti valeant, videant Eminentissimi Patres; quandoquidem Ecclesia, ut suis benefactoribus succurrat, etiam de iis bonis, quorum pleno fruitur dominio, disponit.

Celebratis decem missis, pro gratia juxta preces et votum Ordinarii, facto verbo cum Sanctissimo.

186. Hieracen. — Exonerationis ab obligatione.

Die 24. Septembris 1864.

Dominicus Codispoti propriae devotionis impulsu, et ruricolarum spiritualis utilitatis studio, ruralem ecclesiam in quodam praedio suo non multis abhinc annis aedificarat, ibique impensa sua singulis festis diebus sacrum celebrandum curabat. Verum ut numerosae familiae suae jam ad aliqualem egestatem vergenti consuleret, supradictum praedium cum alio minoris pretii commutare coactus est, ut ex superexstanti pecunia familiae suae necessitati occurrere posset. Cum vero ut hunc commutationis contractum inire valeret, curiae episcopalis assensum expetiisset, haec annuit quidem, sed sub ea conditione, ut in novo fundo aliam ecclesiam exstrueret, ibique onus missae festivae litandae susciperet, quae conditio ab Oratore minime detrectata est.

Verum cum propriae familiae conditio eidem amplius non sinat susceptum onus ecclesiae aedificandae et sacri ibidem peragendi adimplere, Sanctissimi D. N. benignitatem adprecatur, ut ab hac eum obligatione absolvere dignetur, ea praecipue de causa, quia eadem non ex aliquo legato, sed ex mera ipsius devotione profecta est.

Optimum quidem hac super re factu fuisset, si curia episcopalis non novam ecclesiam aedificandam Oratori mandasset, sed novum dominum fundi, in quo jam ecclesia exstabat, inducere curasset, ut onus missae festivae sibi sumeret. Sed quoniam ex relatione vicarii capitularis ratio haud apparet, quare ita factum non fuerit, erit EE. Vestrarum judicare, an et quomodo Oratoris precibus annuendum esse videatur.

Certe si attendatur conditio, qua Orator facultatem obtinuit a curia episcopali praedii commutandi, nulla ratio appareret, cur ab obligatione suscepta esset liberandus: cum hac in re quidam veluti contractus (do ut facias) intercessisse videatur, cujus cum conditionem suam impleverit ecclesia, a sua exsequenda Orator eximi non posset.

Verum, si hac in re contractum reperire placeat, illud profecto dissimulare non licet, partem contrahentem esse ecclesiam, a cujus benignitate non alienum videtur remittere Oratori obligationem, qua ei sese obstrinxit. Facere hoc solet pia mater Ecclesia in casibus etiam durioribus, quando sci-

licet obligatio alicui imminet ex gravi titulo legati: dummodo tamen ea concurrant extrema, quibus misericordia ita necessaria videatur, ut ea absque crudelitatis nota denegari nequeat. Id praesertim locum habet, quando familia postulantis ad egestatem redacta est, quia supponi non potest, eam fuisse mentem fundatoris, ut dum Ecclesiae gratificari studuit, in proprium sanguinem crudelis evadere voluerit. Pari itaque atque etiam validiore ratione Orator, qui ex mera devotione sua et caritate erga ruricolas ecclesiam exstruxit, sacrumque in ea faciendum propriis sumptibus promisit, non usque eo devotionem suam et caritatem impulisse censendus est, ut eam ob causam propriae familiae (quae numerosis filiis constat, inter quos plures nubiles puellae reperiuntur, ut refert vicarius capitularis) necessitates despiciendas putaverit, atque ita opus supererogatorium, vel caritativum si placet, operi justitiae anteponere voluerit, nec aequitas canonica patitur, ut ipsa donatio licet accepto habita cum aliena jactura subsistat: Card. de Luca de haered. disc. 23. num. 3. et seq., Sacra haec Congregatio in una Callien. Condonationis 26. Septembr. 1863 per summ. precum, in qua Eminentiae Vetrae rescripserunt pro gratia condonationis ab onere, quod sibi cum juramento imposuerat poenitentiarius cathedralis Calliensis.

Pro gratia juxta preces, facto verbo cum Sanctissimo.

SECTIO SECUNDA.

DE SINGULIS CAUSIS PIIS.

I. DE MISSARUM FUNDATIONIBUS.

A. De fundationibus missarum quaestiones juris.

1. An exsistat obligatio missarum.

187. Aesina. — Pii Legati.

Die 3. Martii 1860.

Franciscus Zucchi ex Castroplanio dioeceseos Aesinae testamento confecto die 19. Martii 1845 instituit „beneficium perpetuum mere laicale, quo etiam laici suae familiae gaudere possint, cum obligatione capellani, ut celebret vel celebrari curet in ecclesia S. Mariae Lauretanae in perpetuum missam omnibus diebus festis; et pro dote sit possessio sua divisa in duas partes, signatas sub num. etc.“

Idem Franciscus die 8. Maji ejusdem anni illud ipsum praedium assignabat nepoti Andreae Zucchi in titulum patrimonii sacri, quin ullam faceret superioris oneris mentionem, imo illud adscribebat tradebatque liberum et exemptum a quocumque onere, uti videre est ex instrumento, cujus haec sunt verba: „Franciscus Zucchi assignavit in titulum patrimonii sacri suo nepoti hos fundos, quos declaravit et declarat esse suos, nulla hypotheca aut alio onere gravatos.“

Sacerdos Andreas, vita functo anno 1846 avo Francisco, licet nullum ei onus in sacri patrimoii institutione fuerit impositum, attamen sponte testamentariam dispositionem quoad sacrum peragendum cunctis diebus festis in sacello vulgo „Osteria di Castelplanio“ ad annum usque 1852 fideliter explevit. Quo tempore, cum ad munia capellani obeunda se contulerit Campellum, oppidum in archidioecesi Spoletana situm, praedictam missarum celebrationem praetermisit. Qua de re curia episcopalis Aesina in illius reditus patrimoniales manus apposuit, curans ex ipsis reditibus implementum supremae voluntatis testatoris, de qua superius. Id aegre ferens sacerdos Andreas conquestus est apud illam curiam, obtendens se nullimode eo legato obstringi, quippe quod nonnisi post ejus obitum locum habere potest, cum tunc primum ea praedia libera evadant; exinde institit, ut sibi restituerentur percepti fructus, nec imposterum aliquod obtruderetur impedimentum, quominus pacifice eos ipse percipere valeat, quoadusque vixerit. Sed cum perperam id diu efflagitaverit ab episcopali curia, recursum ad S. hanc Congregationem habuit.

Requisitus Eminentissimus Episcopus informationem et votum, plurium testium documenta remisit, ex quibus confici posse sibi videtur, sacerdotem Andream revera gravari onere sacrum faciendi in praedicto rurali sacello. Ante omnia expendit, satis superque compertam Andreae fuisse mentem avi Francisci de capellania ex bonis ei adscriptis instituenda, quamvis in instrumento constitutionis sacri patrimonii nullum verbum factum de ea fuerit; insuper nec ipsum latebat, Episcopum Aesinatem renitentem in adsciscendis ex regularibus suo clero, pro Oratore accensendo, qui claustrum deserebat, tantum consensisse ea de causa, quod avus instituta in perpetuum missa festis diebus, maximam spiritualem utilitatem hujus loci populo frequenti attulisset. Et hujusmodi pium missarum legatum testamento Francisci relictum nullimode pugnat cum assignatione sacri patrimonii; adeoque sartum tectumque semper exstitit, factoque ipsius Oratoris fuit comprobatum. Affert deinde Eminentissimus Episcopus testimonium sacerdotis Jacobi Capomagi tunc temporis Castroplanii parochi, qui ait: „Cum ex meo aliorumque ecclesiasticorum suasu Franciscus Zucchi in commodum plebis praedicti pagi pium reliquerit legatum, priusquam oculos clauderet, nominavit ipse capellanum in persona nepotis R. P. Andreae Zucchi ex Minoribus observantibus, tunc in provincia seraphica commorantis; et ex mandato praefati Francisci, qui ad hoc in meam domum venit, procuratorem me feci pro saecularisatione Andreae obtinenda.“

Affert praeterea declarationem Aloysii, Joannis, ac Joannis Baptistae Zucchi, quos ut interesse habentes est sciscitatus, qui uno ore haec referunt: „Certum est post publicationem illius testamenti, mense Majo 1845 testatorem in patrimonium sacrum Andreae constituisse fundos, qui assignati erant pro dote beneficii dicti, cum omnibus oneribus et obligationibus, quae ex testamento apparent, quamvis non habeantur clare expressa in instrumento, quia voluntas et mens testatoris pluries expressa in eo erat, ut etiam vitae suae tempore hoc legatum adimpleretur. Certum pariter est, quod ad sanandam omissionem obligationum, quae nonnisi ex errore in illo instrumento evenerat, vocatus Andreas ad curiam episcopalem formalem emisit obligationem satisfaciendi oneribus omnibus in testamento praescriptis; haec autem obligatio dicitur non inveniri in actibus hujus curiae. Si ipse revera non assumpsisset hanc obligationem, cur sua manu inscripsisset in libro satisfactiones missarum, die 19. Maji 1845, et postea applicasset eas vita testatoris durante (qui decessit die 31. Maji 1846) atque etiam usque ad finem anni 1852, scilicet tamdiu quoad ipse vixit in hoc municipio? Antequam enim proficisceretur in provinciam Spoletanam, rogavit sacerdotem Antonium Montalboddi, ut pro se hanc obligationem applicandi vel applicare faciendi missam assumeret diebus a testatore praescriptis; et pro eleemosyna illi tradendo omnes reditus fundi in dotem beneficii constituti, prout ex syngrapha inter eos stipulata apparet. Tunc igitur plene se credidit obligatum illo missarum onere; nunc autem cur tam inconvenienter reclamat? Ob omnia haec facta non possumus adhaerere precibus Andreae, ne ipsi contra conscientiam cooperemur defraudationi voluntatis testatoris.“

Affert tandem aliud testimonium moderni parochi Castriplanii Joannis Cardinali, sacerdotis Montalboddi, ac plurimorum hominum in vico „Osteria di Castroplanio“ degentium. Sacerdos Joannes Cardinali parochus luculentissimam fidem facit de institutione pii legati, nec non de ejusdem satisfactione peracta a sacerdote Andrea Zucchi, usquedum ibi permansit. Sacerdos Antonius Montalboddi confirmans a Cardinali deposita, addit: „Cum Andreas Zucchi hic commoraretur, pluries ita mecum conquerendo

loquebatur: „Vir bonus fui, qui promiserim satisfactionem legati post constitutionem patrimonii“. His verbis ad illam obligationem alludebat, quem in scriptis emiserat in curia episcopali de legati adimplemento; cum cancellarii memoriae excidisset inserere actui constitutionis patrimonii obligationes praefatas, prout ista omnia mihi relata sunt ab ipso Andrea.“ Sequitur testimonium Aloysii ac Joannis Zucchi, qui asserunt: „A morte patris nostri Francisci usque nunc nunquam a nobis expetita fuit et nunquam dedimus eleemosynam missarum, quas celebravit vel celebrari fecit Andreas.“ Tandem Dominicus et Philippus Zucchi fratres Andreae una cum Constantino Bastari, Constantino Scaloni, Angelo Sbaffi ac Vincentio Sartarelli haec deponunt: „Franciscus Zucchi facto legato, de quo agitur, saepe dicebat: Nunc contentus sum, quod in hac mea ecclesia semper erit missa diebus festis; omnes erunt contenti et missam audire poterunt pauperes senes; et ad hunc finem efficiam, quamvis id non placeat filiis meis, ut ad saeculum redeat nepos meus P. Andreas Zucchi ex Minoribus observantibus provinciae seraphicae, ipsique in patrimonium assignabo fundos jam pro dote legati constitutos, ut ab ipso illud impleatur.“ Haec sunt, quae Eminentissimus Episcopus ad pii legati satisfactionem etiam quoad sacerdotem Zucchi adstruendam in medium profert.

E contra vero perpendendum occurrit, posse testatorem per dispositionem inter vivos non modo expresse, verum etiam tacite auferre vel in totum vel pro parte tantum, prout ipsi videbitur, ea quae supremo elogio alicui liberaliter tribuerat, ne his quidem exceptis, quae in Ecclesiam collata fuerant; ambulatoria est enim suprema hominum voluntas usque ad mortem, l. 4. ff. de adimen. vel transf. legat. vel fideicomm.; quo dicitur „Rem legatam si testator vivus alii donaverit, omnimodo exstinguitur legatum“. Atque in l. Lucius Titius 22. ff. de legat 2., l. Filia 11. C. de legat. traditur, praestationem seu dationem rei legatae per ipsum testatorem vivum factam, exactionem legati impedire, idque quatenus praestita est; in reliquum enim, quod necdum legatario a testatore donatum fuerat, salva ei ex testamento actio est. Itaque testator in casu, quo de agitur, sacrum constituendo nepoti patrimonium eisdem in bonis, quae in dotem pii legati adscripserat, quin ullum ejusdem oneris translationis in eum verbum faciat, tacite abstulisse videretur legatum, vel potius satisfactionem legati distulisse, usque dum viveret sacerdos Andreas illorum praediorum usufructuarius; quo defuncto suas vires legatum exserere incipiat. Ceterum an haec jura, iis probe expensis, quae in facto exposita sunt, aptari in themate valeant, erit EE. VV. decernere.

Oratorem teneri ad celebrationem missarum ad formam testamenti.

188. Anconitana.

Die 22. Novembris 1834.

Franciscus et Dominicus fratres Paggiotti Anconitani cives exponunt EE. VV., Marianum eorum patrem testamentariis tabulis, quibus, usufructu uxori relicto, eosdem instituit haeredes, jussisse, ut intra decem annos celebrarentur 240 missae in ecclesia PP. Minorum observantium. Marianus obiit die 13. Novembris 1806, ejusque haereditas constabat scut. 1200. Oratorum mater usufructuaria post annos tredecim decessit, scilicet anno 1819 et die 2. Octobris elapsi anni 1833 fratres Paggiotti bonorum patris divisionem absolverunt. Tunc primum se novisse dicunt, celebrationem missarum 240

intra decennium demandatam ac se investigasse, num ea fuerit per matrem adimpleta. Sed cum ob anteacti temporis calamitates in conventu PP. Minorum Observantium commentarii periissent, in quibus describi solent missae pro benefactoribus celebratae; solum exstat memoria quaedam, in qua adnotatum legitur, sacra 32 celebrata esse ea die, qua Mariani cadaver in eorum ecclesia conditum fuit. - Fratres Paggiotti pro certo habent, eorum matrem consuevisse demandare praefatis patribus, ut missas celebrarent atque ob id aliquam rem mobilem etiam non levis momenti alienasse, quamvis nullum hujus rei monumentum exstet. Credere autem se posse existimant non neglectum a matre implementum missarum, quas illius vir jusserat testamento. Hinc omni probatione destituti supplices exorant, ut ab hoc onere absolvantur, praesertim cum paterna haereditas tenuis fuerit gravata onere scutatorum 500 jam solutorum sorori nuptui collocatae ac ipsi in paupertate versentur.

Eminentissimus Episcopus rogatus respondet: „Coenobii superior a me per literas rogatus rescripsit, in die depositionis Mariani Paggiotti praeter assuetas piaculares caeremonias triginta duas missas in ejusdem animae suffragium celebratas fuisse, addens nullum aliud hac super re monumentum exstare; animadvertendum tamen est, missarum codices, quae in ecclesia dicti coenobii celebratae fuere ab anno 1784 ad annum 1816 veluti ex custodis monumento patet, prorsus deesse. Neque id mirum, cum Pontificio regimine in Piceni provincia et ordinibus regularium deletis, statutus in ecclesiis praesertim rerum ordo deturbatus fuerit. Inutilis autem esset testium postulatio, cum ne religiosa quidem familia aliquid certi suppeditet. Aliunde exploratum perspectumque est, Paggiottorum gentem religionis argumenta semper exhibuisse. Servant hi, ut asserunt, traditionem juxta quam superstes defuncti uxor hujus bonis fruens plures missas celebrandas memorati coenobii fratribus mandavit. Cum autem nullus in dubio putandus sit malus, jure meritoque censeri potest statuto in tabulis testamentariis pio legato per Paggiottos congruo tempore satisfactum esse, quamvis id ex defectu codicum missarum demonstrari nequeat. Attamen hac de re dubium superest, ad quod prorsus depellendum impar videtur praesumptio et Pagiottorum pietas, quorum aliunde census brevis est. — Hinc omnibus perpensis (concludit Eminentissimus Episcopus) mea esset animi sententia, ut Sacra Congregatio delatas Oratorum preces benigne exciperet et simul ad conscientias sedandas onus eisdem injungeret viginti missarum, quae a Minoribus S. Francisci in propria ecclesia celebrentur.

Celebratis missis viginti intra tres menses pro gratia condonationis, quatenus opus sit, facto verbo cum Sanctissimo.

189. Camerinen.

Die 20. Martii 1830.

Sacerdos Joannes Campana Camerinensis dioecesis quoddam a Francisca Ginevri Pergulensi emit praedium annui reditus scut. 25. Si fides adhibenda est publicis venditionis tabulis diei 19. Januarii 1817 antequam eaedem tabulae obsignarentur, conventum pretium in scut. 800. jam pluribus pensionibus receperat mulier: verum ex familiae Campana traditione fertur emptorem sibi onus sumpsisse celebrandi quotannis missas 30 secundum intentionem venditricis. Cum tamen hujus rei nullum exstet monumentum, ac penitus lateat, utrum onus missarum perpetuum fuerit, vel potius ad vitam memorati Joannis, ideo canonicus Benedictus Campana, frater ac haeres demortui Jo-

annis, ut suae consulat conscientiae ab EE. VV. absolutionem efflagitat de incerto missarum onere, promptum paratumque se exhibens ad illum offerendum sacrorum numerum, quem EE. VV. statuendum putaverint.

Camers Archiepiscopus quem rogavi de informatione et voto, audiendum censuit exsecutorem testamentarium defunctae Franciscae Pergulae commorantem, a quo responsum accepit: Bene memini me ex mandato canonici Campana pluries defunctam Franciscam Ginevri interrogasse, quamdiu durare deberet onus assumptum a defuncto D. Joanne Campana applicandi scilicet 30 missas ad illius intentionem, et semper responsum tuli, cessasse omnem obligationem versus haeredes Campana illamque esse omnino exstinctam.“ Quare subdit Archiepiscopus: „Per quantum rerum obscuritas nos sinit, ideo instantis germanus frater celebrandarum missarum 30 per aliquot annos in se onus suscepit, quia ab ipsa venditrice conventi pretii quaedam ei facta fuit remissio, cujus tamen quantitatem minime novimus. Certum tamen videtur omnem celebrandarum missarum obligationem fuisse exstinctam, si plena archidiacono Prosperi exsecutori testamentario Franciscae sit praestanda fides, quam sibi vindicat personae dignitas. Hinc putarem, ut ipse meticulosae conscientiae Orator prorsus acquiescat.“

Orator acquiescat, cum nullo modo constet de onere missarum.

2. De subjecto obligationis missarum.

a) Quis possit satisfacere obligationi.

190. Mediolanen. — Legati pii.

Die 30. Julii 1859.

Aemilia comitissa Sangiuliani Conarisi ultimo quo decessit elogio diei 5. Maji 1832 jussit: „Parocho pro tempore S. Blasii suburbii Monzae quovis anno in perpetuum tradentur libellae 600 Mediolanenses, ut in illa ecclesia duae missae in hebdomada celebrentur, comprehensa festiva, quas celebrabit sacerdos, quem ipse elegerit; praeterea pro manutentione sacristiae solventur 30 libellae.“ Hujusce legati implementum tam antecessor, quam modernus parochus Carolus Biffi ea ratione ad haec usque tempora curarunt, ut nimirum missam ferialem per seipsos, festivam vero per sacerdotem sibi benevisum celebraverint. Cum autem nulla a testatrice praefinita fuerit eleemosyna pro missa vel feriali vel festiva, inde fas sibi esse duxerunt praefati parochi partem redituum ad libitum pro missis ferialibus sibi adscribere.

Porro haud quidem arrisit curiae archiepiscopali hujusmodi methodus ubi primum sibi innotuit, quae proinde moderno parocho significavit non posse praedictum legatum neque in totum neque in partem per ipsum adimpleri, quin piae testatricis mens violaretur, juxta quam alteri sacerdoti implementum esset omnino committendum.

Haud restitit parochus curiae praescriptioni: veruntamen autumans ipse, quod testamenti verba sibi potius faveant quoad celebrationem missae ferialis; perpendens, insuper ejus antecessorem plures annos per se illas adimplevisse, supplex coram S. Ordine adstitit postulans, ut definitive declaretur, cui et quomodo competat jus adimplendi legatum. Et quoties de rigore juris parochus a celebratione missarum etiam ferialium exclusus censeatur, postulat id sibi suisque successoribus ex gratia et aequitate, praevia super anteactis celebrationibus benigna sanatione, indulgeri ob sequentes rationes:

1° Quia agitur de simplici legato cujus onus haud apparet cum parochiali munere incompatibile; 2° quia admodum tenues dicit reditus illius paroeciae; 3° demum quia exclusio scandalum pareret, quasi parochus ob aliquam culpam fidem adimplendi legati demeritus fuerit.

Ordinarius sententiam rogatus admittit quidem facta superius relata; verumtamen ita concludit: „Aut non concedenda est parocho pro tempore s. Blasii divisio onerum legati in sui favorem, scilicet celebratio missae ferialis, aut si credatur ipsam gratiose concedendam esse, non omnino ejus arbitrio relinquenda est divisio eleemosynae, sed definiendum est, pro missa feriali assignandam esse eleemosynam in proportione praescripta a taxa dioecesana, et non alio modo.“ Atque utrumque assumptum per haec tuetur, nimirum, deprehendi omnimodam parochi exclusionem a satisfactione legati ex verbis et mente a testatrice adhibitis; verbum enim d'adempirsi (adimplendam) ambas missas ferialem et festivam complecti pro certo tenet. Ex mente autem, quia cum in archidioecesi Mediolanensi multis ab hinc annis beneficia praesertim coadjutoralia esse desierint, quorum defectui occurritur cumulando pia relicta ac legata, si quae sint, non esse ambigendum comiti sam Sangiuliani per suum legatum in animo habuisse suppetias ferri posse coadjutori parochiali.

Addit ipsam comitissam alterum reliquisse legatum pro paroecia Canevago iisdem pene conceptum verbis oneribus et conditionibus, quod pariter contradicente parocho favore unius ex coadjutoribus, eo prorsus excluso, adjudicatum fuit ab auctoritate civili, ad quam partes recursum habuerant. Praeterea nihili faciendam esse observantiam circa legatum, quod est recentissimae institutionis: paupertatem autem a parocho exaggerari, cum paroeciae reditus ad annua scut. 400 evehantur. Quatenus vero ex gratia missae ferialis implementum parocho tribuatur, urget assignari debere eleemosynam, quae viget pro missis ferialibus ceterorum legatorum. Animadvertit siquidem: „Si hoc modo restringatur eleemosyna hujus missae ferialis, parochus etiam operam dabit, ut eleemosyna festiva utilitatem sentiat, quae ita aliquantulum major fiat, ut aliquo modo perpetuae satisfactioni prospici possit, scilicet si sacerdos praeferatur, qui in loco resideat et semper praesto sit. Et quamvis parocho non videantur competere expensarum administrationis compensationes, quia testatrix eis suam gravavit haereditatem, tamen nemo ei obstaret, si eas a summa totali pro missa festiva designanda detraheret.“

Hactenus exposita satis videntur ad id consilii ineundum, quod EE. VV. themati convenire judicaverint. Certe obvius sensus verborum fundationis cohibet ministerium parochi ad unam sacerdotis designationem. Quidquid autem sit de compatibilitate quoad missam ferialem, erit tamen perpendendum, an rerum adjuncta ab Ordinario exposita, praesertim necessitas coadjutoris parochialis, suadeant potius integre legatum esse relinquendum favore alterius sacerdotis. In contraria hypothesi, sententia Ordinarii quoad eleemosynae taxationem consonat juris dispositioni, quo sancitur eam esse ab Ordinario determinandam, quando a fundatoribus statuta non fuit, S. C. in Massen. 24. Aprilis 1858. Sanationi super anteacta celebratione favere videtur bona fides, quam ipse Ordinarius admittit.

Missam ferialem celebrari posse a parocho, missam vero die festo ab alio sacerdote parocho beneviso, taxata in utroque casu eleemosyna prudenti arbitrio Ordinarii, quo vero ad praeteritum pro gratia sanationis, facto verbo cum Sanctissimo.

191. Senogallien. — Oneris missarum.

Die 27. Julii 1861.

Testamento condito die 6. Martii anni 1832 Joannes Baptista Mencucci domo Mondolfo, Senogalliensis dioecesis, perpetuum septem missarum legatum instituit in ecclesia Patrum S. Augustini ejusdem loci ad S. Nicolai honorem quotannis celebrandarum. Ita se habent testamenti verba: „Item ratione legati praefatus testator vult, ut quotannis et in perpetuum, incipiendo ab anno post mortem suam a filio suo Josepho Mencucci suis expensis et ab ejus haeredibus in infinitum, expleri curetur solitum septenarium septem missarum in honorem S. Nicolai solitis expensis 14 paulorum (monetae) in hac ecclesia S. Augustini, ut his sacrificiis ipsius anima sublevetur etc.“

Parentis voluntati obsequens ejus filius Joseph a mense Decembris anni 1832 (quo tempore ejus mors intercidit) oblata viginti obolorum eleemosyna in singulas missas Patribus iisdem S. Augustini Mundulphi degentibus legati satisfactionem demandavit.

Deinde anno 1852 praedictus Joseph praedium quoddam paterna haereditate acceptum vendidit sacerdoti Aloysio Fabri, atque in emptionis venditionis contractu eidem pure et simpliciter collatum fuit legatum, qui proinde quotam pecuniae conventam in summa scut. 34 retinuit, ut ejusdem adimplementum curaret. Emptor autem non intermisso octo annorum spatio diligenter solvit Patribus Augustinianis eleemosynam missarum septem ab testatore taxatam; ast nuper iisdem indixit, ut ab satisfactione hujus legati desisterent; velle enim per se hoc munere defungi, vel per alium quemlibet sacerdotem a se delegatum. Quod quidem aegre ferens coenobii S. Augustini Prior ad S. Congregationem confugit, ut declaretur, non esse in libero emptoris Fabri arbitrio per se aut per alios sacerdotes missas legati, de quo agitur, in coenobii ecclesia celebrare, sed ejusdem religiosos eligi ac praeferri debere, ac manuteneri in quasi-possessione eidem satisfaciendi.

Eminentissimus Episcopus, audito in scriptis sacerdote Fabri, qui in sua sententia manet, ac transmissa particula fundationis et instrumenti venditionis, ab promenda sententia abstinet.

Pro sacerdote Fabri perpendi potest, testatorem nullam religiosorum S. Augustini habuisse rationem quoad missas celebrandas; nec legatum in eorum esse collatum ecclesiam, sed haeredi fuisse impositum onus et curam, ut celebratio ibidem fieret, proindeque integrum eidem fuisse haeredi, eligendi quos maluerit ad celebrationem missarum in ea ecclesia peragendam, juxta distinctionem, quam profert Card. de Luca de legat. disc. 25. per tot.

Cui quidem sententiae adstipulari videntur resolutiones S. Congregationis, praesertim in Romana 13. Januarii 1639 in qua prodiit rescriptum: „Regulares teneri patientiam praestare, ut in earum ecclesiis sacerdotes saeculares missas relictas celebrent, eisdem tamen regularibus fieri debere contributionem pro cera, vino, hostiis, et usu paramentorum“, ut in lib. 16. decret. pag. 139, nec non in Maceraten. 15. Martii 1692, in qua S. Congregatio respondit: „Deputationem capellani spectare ad haeredem, subministrata congrua Patribus pro supellectilibus sacristiae“ ut in lib. 42. decret. pag. 158. Quibus accedit resolutio in Tiburtina celebrationis missarum 24. Sept. 1735.

Quamobrem, ubi jure hujusmodi privativo vel praelativo PP. S. Augustini destituti forent, profecto haud iisdem opitulari videretur quasi-possessio,

quam in medium proferunt; siquidem cum res tota ab haeredis penderet arbitrio, nullus legitimus titulus illorum favore oriri, nullum acquiri jus potuit, quod plane ab actibus mere facultativis, utcumque observantia longius protrahatur, non constituitur, nisi accesserit contradictio et secuta acquiescentia.

E contra pro religiosis S. Augustini observandum est, in hujusmodi legatis, quae adimplenda praecipiuntur in ecclesiis regularium, verosimile esse, non eligi ecclesiam solum ratione sui, sed potissimum ratione pertinentiae ad personas, seu regulares, ita ut cum pii testatores reliquerint missas celebrandas in ecclesiis regularium, videantur etiam voluisse illorum indigentiae prospicere, et sic uberius suffragium assequi, obtinendo scilicet non solum fructum sacrificii, sed etiam remunerationem charitatis in pauperes religiosos exercitae, ceu monet Ferraris bibl. canon. v. Missae sacrificium art. 4. n. 20. et seqq.

Ac reapse pluries S. Congregatio quadam aequitatis ratione innixa decrevit in missarum celebratione praeferendos esse rectores ceterosque sacerdotes, in quorum ecclesiis ea peragi debet, et signanter in Romana eleemosynae missarum 5. Septembris 1716, ubi ad dubium „An archiconfraternitas possit celebrationem missae, de qua agitur, committere sacerdotibus saecularibus, seu illam potius teneatur celebrari facere per Patres s. Francisci“ responsum fuit „Negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam“ ut in lib. 66. decretor. pag. 390; in Romana oneris missarum 13. Januarii 1732, nec non in Mediolanen. celebrationis missarum 12. Maji 1736, in qua circumstantia quoque longaevae observantiae concurrebat, proposito dubio: „An pro celebratione missarum in ecclesia S. Mariae Paradisi debeant eligi religiosi ejusdem ecclesiae, vel potius sit in arbitrio haeredis deputare alios sacerdotes“ S. Congregatio respondit: „Affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam.“ In relatis autem aliisque resolutionibus ita decrevisse constat S. Congregationem, quamvis ageretur de legatis in haeredem directis, in quibus scilicet onus curandae celebrationis haeredi ipsi commissum fuerat.

Quod si privativam celebrationem ob peculiaria adjuncta rerum aliquando exclusit S. Congregatio, praelationem tamen numquam denegasse videtur, nisi clara contrariae voluntatis fundatorum argumenta suppeterent. Revera in Taurinen. celebr. missae quotid. 20. Maji 1752, quamvis ad dubium „An celebratio missae quotidianae relictae a quod. Laurentio Gallerio spectet privative ad PP. Praedicatores civitatis Cherii, seu potius sit in arbitrio hospitalis majoris d. civitatis ejus haeredis testamentarii ad eligendum capellanum ad nutum amovibilem, qui celebret d. missam quotidianam ad altare s. Vincentii, solutis tamen utensilibus PP. Praedicatoribus“ S. Congregatio responderit: „Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam;“ attamen addidit „et ad mentem, et mens est, quod praeferantur Oratores Dominicani in casu de quo agitur“. Idemque statuit S. Congregatio nuperrime in Tiburtina legati missarum proposita per summaria precum die 28. Martii 1857, rescribens contra haeredem pro libertate eligendi capellanum pugnantem: „Celebrandas esse missas ... praelative a fratribus Minoribus de observantia.“

In themate demum observantiam sane diuturnam accedere observant Oratores, ita ut si haeres haud asserto arbitrio uti sibi fas esse censuerit, quin religiosos pro legati satisfactione praeferret, eo minus id liceret emptori extraneo, qui idem suscepit onus, quamvis per se adimplere illud posset.

Missas legati, de quo agitur, celebrandas esse praelative a Patribus S. Augustini.

192. Firmana. — Capellaniae.

Die 23. Maji 1857.

Leonardus Castracani oppidi Montis Rainaldi supremo quo decessit elogio diei 21. Julii 1716 ex omnibus bonis suis capellaniam institui jussit in paroeciali ejusdem oppidi ecclesia, injuncto tot missarum onere, quot reditus ferrent, haec quoad jus illas celebrandi praescribens: „Quoad celebrationem dictarum missarum voluit, ut si adsint sacerdotes ex consanguineis propinquioribus, hi semper praeferantur aliis sacerdotibus loci, et deinde vult ut etiam celebrentur a Fortunato Morelli et aliis sacerdotibus illius terrae et patriae."

Exeunte anno 1850 cum nullus adesset testatoris consanguineus, sacerdotes oppidi capellaniam, seu jus celebrandi missas ejusque fruendi reditibus consecuti sunt. Hos inter admitti petiit sacerdos Albinus Polini, qui hoc tantum nomine inter sacerdotes Montis Rainaldi adnumeratur, quia unicam ejus loci regit paroeciam; extraneus enim origine ac nativitate est: sed repulsam a ceteris passus, continuo acquiescere visus fuit. Nunc vero rem hanc animo reputans, ratus est se a capellaniae participatione fuisse injuria exclusum; quamobrem supplex adstat coram S. Ordine, haec duo declarari postulans: 1. Utrum parochus haberi debeat uti presbyter loci, seu comprehendi possit inter sacerdotes Montis Rainaldi „sacerdotes illius terrae et patriae" juxta formulam a testatore adhibitam. Et in casu affirmativo 2. Utrum jus habeat repetendi virilem partem fructuum capellaniae, qui superioribus annis ab aliis presbyteris Montis Rainaldi exclusive percepti sunt. Missae enim labente saeculo proxime elapso ad numerum praefinitum legitime reductae fuere; unde fit ut dempta synodali eleemosyna et utensilium expensis, triginta circiter scuta libera quotannis e reditibus capellaniae supersint.

Eminentissimus Archiepiscopus, transmissis deductionibus sacerdotum oppidi, animadvertit quaestionis definitionem a particulae testamenti relatae interpretatione unice pendere, cum ex consuetudine tantummodo habeatur, presbyterum Joannem Feliciani, qui licet originem duceret ab oppido Montis Rainaldi, ortus tamen erat per accidens in civitate Camerini, ab aliis tamen presbyteris ad celebrationem missarum capellaniae nulla controversia esse admissum; quod quidem an satis sit ad bonum comprobandum Oratoris jus dubitat, qui neque oriundus est a patria testatoris, neque in ea editus in lucem.

Favore parochi perpendi potest, in themate non satis constare, an testator cives nativos ac originarios tantum post consanguineos vocaverit, an etiam domiciliarios; inquit enim „sacerdotes illius terrae et patriae". Compertum autem in jure est, in favorabilibus civium nomine comprehendi nedum in civitate natos sed eamdem civitatem incolentes, adeo ut ad lucra et beneficia civibus relicta et isti admittantur, Lotte de re benef. lib. 1 quaest. 25 num. 78 et seq., Pignattell. tom. 7 consult. 1 num. 1. 2. 3. per textum in leg. Adoptivum §. Patronum cum duab. leg. seq. ff. de in jus vocando, Rota part. 9 recent. decis. 127 num. 9. Hinc vel ipsi adversarii rem non in diversum interpretari visi sunt, quippe sacerdotem Feliciani, originarium licet, sed non nativum Montis Rainaldi, capellaniae participem fieri non denegarunt. Cum vero jus civitatis acquiratur per assecutionem beneficii obligantis ad residentiam, ceu monet Rota decis. 9 n. 4 part. 5 t. 1 et dec. 429 n. 9 p. 5 t. 2 recent., patet, curionem jure merito inter veri nominis cives recenseri, ac omnibus ideo quae ad originarios ac nativos pertinent privilegiis et juribus perfrui oportere. Ceterum

cum in testamentis universa ab testatoris voluntate pendeant, hanc sedulo singulis perpensis rerum adjunctis investigandam esse monet in simili specie S. Congregatio in Ariminen. Capellaniae 28. Augusti 1841 §. In eo. Porro inverosimile videtur, testatorem qui in paroeciali ecclesia hanc instituit capellaniam, unum, cum ceteros omnes vocaverit loci sacerdotes, exclusum voluisse parochum a celebratione missarum; eum e contra eumdem potius praeprimis spectasse ipsa ratio suadet.

Sed ex alia parte favere videtur capellanis contraria praesumptio, quod vere et naturaliter cives dumtaxat fundator comprehendere voluerit, quando ipse quoque erat civis naturalis et verus, uti traditur in mantissa ad ornat. Card. de Luca lib. 3 dec. 80 vol. 4 num. 19, praesertim cum vocabulum patria adhibuerit, quod originem ac nativitatem in loco proprius secum ferre videtur. Et speciatim de particula „di, della“ saepe disputatum est apud doctores ac tribunalia, an ea alicui loco apposita originem tantum importet, vel domicilium etiam includat, et quamvis admissum fuerit aliquando eam significare posse causam remotam secundum subjectam materiam, quando ita constaret de mente disponentis, ut in leg. Si finita §. Deinde ff. de damn. infect., generatim tamen causam significare immediatam traditur apud Sabellium sum. divers. §. Dictiones n. 26 et Barbosam tract. de diction. dictio 16; atque ex hac particula originem, non domicilium demonstrari tradit expresse Bartol. in leg. Provinciales 190 num. 2 de verb. signif.: „Quum dico Perusinum, intelligo origine, vel qui habeat domicilium; sed si non dico Perusinum, sed dico, quod talis de Perusio, quid significat? An qui habeat ibi domicilium, vel habeat originem? et credo quod significet secundum communem usum loquendi originem et non domicilium.“ Idem repetit in leg. Si possessor §. Ait ff. de petit. haered. Et hanc doctrinam sequuta est S. Rota coram Caprara decis. 650 num. 6 et in decis. 982 num. 7 coram Molines; nec non S. Congregatio in Viterbien. Subsidii dotalis 19. Julii 1766, in Spoletana Subsidii dotalis 25. Aprilis 1761, in Tiburtina Nominationis 27. Junii 1829, et in cit. Ariminen. Capellaniae 28. Augusti 1841 ad 6. dubium. Denique ubi civium nomine tam veri quam ficti nominis cives comprehendi debeant, ex praesumpta tamen testatoris mente semper veros praeferendos esse fictis adnotatur in mantissa ad ornat. Card. de Luca loc. cit. num. 22.

Nec difficultatem videtur facessere admissio sacerdotis Feliciani; nam recte civis alicujus loci is censetur, ac sane est, qui a patre eodem in loco domicilium habente licet alibi per accidens natus est, juxta ea quae docet S. Rota decis. 261. et decis. 535. num. 4. et 5. part. 13. recen., Constant. vot. decis. 279. num. 61. et 62. Hinc hujusmodi exemplum quin faveat, nocere parocho videtur, qui nec originem, nec nativitatem in oppido Montis Rainaldi, sed solum domicilium habet.

Postremo loco monent capellani, parochum tot jam praegravari missarum oneribus sive quae praebendae parochiali inhaerent, sive quae ab aliis legatis, quibus ipse fruitur, dimanant, ut impossibile ei foret celebrare per seipsum missas, quae ad capellaniam de qua agitur pertinent. Praeterea congruam parochialem satis divitem esse, ut adeo nova hac accessione redituum parochus ipse nullo pacto indigeat, quibus ceteri loci sacerdotes contra fas ac fundatoris voluntatem exspoliandi forent.

Quatenus vero de bono parochi jure constare videatur, decernent EE. VV., an redituum detractis oneribus superexstans quota, quam ab anno 1850 lucratus ipse fuisset, a loci sacerdotibus eidem restituenda sit; fructus enim

indebite perceptos restituendos esse tradit S. Congregatio in Faventina Legati 19. Novembris 1825. §. Parochi. Nihilominus bona fides suffragari posset capellanis, in qua plane versati videntur usque in praesens, praesertim cum parochus antea capellanorum quodammodo acquieverit facto, ac nunc primum sui praetensi juris vindicias assumpserit; juxta id quod saepe S. Congregatio resolvit.

Esse locum favore parochi comparticipationi pii legati missarum quoad futurum tantum.

193. Firmana. — Capellaniae.

Die 21. Martii 1868.

Leonardus Castracani oppidi Montis Rinaldi Firmanae archidioecesis supremis nuncupativis tabulis anni 1716 jussit, ut post mortem uxoris suae, quam haeredem universalem instituit, omnibus suae haereditatis bonis erigeretur „locus pius aut capellania perpetua in ecclesia ad altare s. Leonardi, in castro Montis Rinaldi cum onere tot missarum quot dici poterunt ex fructu annuo et libero omnium bonorum .. et praefatum altare et capellania succedat nominatae haereditati.“ Post haec vero statuit, ut pro satisfactione missarum praeferendi essent, si qui adessent presbyteri sibi sanguinis vinculo conjuncti, secus celebrandae forent „ab aliis sacerdotibus istius terrae et patriae.“

Juxta testatoris mentem post mortem uxoris capellania erecta et instituta fuit, ejusdemque onera usque nunc adimpleta fuerunt. Solum successu temporis numerus missarum per Eminentissimum Paracciani Archiepiscopum Firmanum redactus et determinatus fuit ad octo supra sexaginta, non habito amplius respectu ad capellaniae reditus.

Anno 1862 quidam Antonius Scarafoni ordinis Eremitarum S Augustini a Subalpino gubernio e religiosa domo expulsus, oppidum Montis-Rinaldi suam patriam petiit, ibique commorans virilem partem capellaniae Castracani uti sacerdos loci expostulavit, et, quemadmodum ipse affirmat, „servatis omnibus formis a legibus ecclesiasticis praescriptis ... immissus sum in possessionem capellaniae.“ Aegre id tulerunt caeteri sacerdotes loci, et praesertim Paschalis Agostini ejusdem oppidi parochus; qui propterea unanimi consensu supplicem mense Junio 1864 Summo Pontifici obtulere libellum „ut per S. Congregationem Concilii declarare dignetur fratri Scarafonio nullum jus competere, ut immittatur in bona capellaniae Castracani et admittatur ad celebrationem 68 missarum.“ Itemque aliis precibus idem parochus rogabat, ut Sacer Ordo injungere dignaretur praefato religioso „etiam obligationem reficiendi damna ab exponente illata ob fructuum illicitam perceptionem“

Cum preces a Beatissimo Patre ad hanc Sacr. Congregationem, prout Oratores optabant, ablegatae fuerint, et pl ura scitu necessaria quaesierim ab Eminentissimo Firmanorum Antistite, de ejusdem praesulis mandato provicarius generalis, postquam superius narrata veritati apprime consona monuerit, audito etiam in scriptis Scarafonio, haec subdit: „Supputata synodali eleemosyna aliisque omnibus expensis, e fundis rusticis ceterisque capellaniae bonis scutata triginta plus minusve libere quotannis habentur, ceu ipse testatur Scarafoni hodiernus administrator. Quod parochus quoque veniat nomine sacerdotis loci ab H. S. O. fuit declaratum sub die vigesima tertia Maji 1857: nuperrime autem sacerdos Scarafoni e claustro temporum acerbitate expulsus

ad patriam reversus, virilem partem fructuum capellaniae, uti sacerdos loci petiit, et in possessione manet... et scripta dedit, quibus sui juris argumenta profert."

Praecipuum quaestionis caput in eo versari videtur, utrum scilicet sacerdos Scarafoni religiosus professus ordinis Eremitarum S. Augustini ad patriam reversus possit in genere ullo possidendi jure gaudere, et in specie utrum removeri necne debeat a participatione capellaniae Castracani, quam ipse ab anno 1862 administrat et possidet.

Cum ad essentiam status religiosi notissima requirantur vota obedientiae, castitatis, et paupertatis; adeo ut sine illis religio aliqua proprie dicta nullatenus consistere possit: S. Thom. p. 2. q. 188. artic. 1., arg. ex cap. Cum ad monasterium 6. de statu monachor. et Extravag. Joan. XXII. Quorumdam; hinc sequitur, ut regularis quidquam veluti proprium habere nequeat, ad cap. Non dicatis 11. caus. 12. q. 1. cap. Monach. 2. cap. Super quodam 4. cap. Cum ad monaster. 6. de statu monachor. et ad Concil. Trident., a quo sess. 25. cap. 2. de refor. regular.; quin ambigi liceat posse summum Pontificem peculiaribus de causis hac in re dispensare, et religioso concedere nedum facultatem ad saeculum redeundi, verum etiam aliquid ut proprium habendi: cap. Non dicatis 12. q. 1. Garcias de beneficiis part. 7. cap. 10. n. 60 et 91.

Triplici itaque argumento parochus Augustinius cum ceteris sacerdotibus Montis Rinaldi studet evincere, nullum Scarafonio jus competere ad virilem partem fructuum consequendam memoratae capellaniae. Primo enim animadvertit eumdem nec esse testatori sanguine conjunctum, nec inter sacerdotes loci posse adnumerari. Quoad primum nemo dubium movit; ad alterum vero observat, quod licet Scarafonius nativitatis diem viderit in oppido Montis Rinaldi, tamen ad ss. ordines promotus fuit, dum eremita jam erat s. Augustini, et quamvis nunc extra claustra degat, nihilominus ab Ecclesia, quae ejus religiosa vota minime relaxavit, uti verus religiosus adhuc nunc habetur: alterutra itaque caret conditione, ut capellaniae emolumentis frui valeat. Neque, addit secundo, per sacerdotes loci possunt intelligi sacerdotes regulares in oppido Montis Rinaldi morantes. Etenim nec pii fundatoris tempore, nec in posterum ulla religiosa familia apud praefatum oppidum unquam exstitit: ideoque si testator ad capellaniam vocavit sacerdotes loci, mens ipsius erat, ut sacerdotes tantum saeculares participes essent ejusdem fructuum. Scarafonius ergo capellaniam de facto retinens nullo bono jure innititur, et praejudicium inferre non potest juri sacerdotum saecularium, praesertim cum pensione annua libellar. 500 gaudeat tanquam religiosus, quem civilis potestas e conventu expulit. Et ad rem adducit exemplum P. Michaelangeli Scarafoni hodierno Scarafonio patrui, qui tempore prioris gallicae perturbationis etiam ipse coactus fuit suum monasterium deserere, numquam tamen jus participationis fructuum capellaniae in medium protulit, et numquam capellaniam possedit. Tandem haec omnia magis confirmari contendit ex voto paupertatis, et generatim ex vi professionis religiosae solemniter a Scarafonio emissae. Sane voto paupertatis jus quidquam possidendi amisit, per validam autem professionem amisit etiam quaelibet alia civilia jura, ita ut nec patriam nec familiam amplius habeat praeter religionem, quam professus est. Notissimum siquidem est religiosam professionem communiter per doctores aequiparari morti, quae omnia solvit: Reiffenst. Pirhing, Pichler aliique in tit. 31 decret. lib. 3.

Contrarium vero Scarafonius transmisso libello ad hunc Sacr. Ordinem demonstrare se posse haud diffidit. Per professionem religiosam, ait, minime

amittuntur jura naturalia, quale est jus originis, cum hujusmodi jura natura sua sint inalienabilia, satis proinde sibi esse subdit factum nativitatis suae in oppido Montis Rinaldi, ut ex illo jus ad capellaniam adstruat. Nec oggerendum quod religiosam professionem nuncupaverit, et religiosus adhuc usque sit; replicat enim nullam proferri posse ecclesiasticam legem, quae ipsum ab iis juribus excludat, quibus gaudet uti concivis testatoris.

Inficiatur deinde ex mente pii fundatoris excludi a capellania sacerdotes regulares communem patriam cum ipso habentes. Namque, ait, voluntas testatoris hac in re clara nullatenus est; proinde cum hic agatur de favorabilibus, ampliari eadem potest et debet. Reponens vero contra peculiare factum Michaelangeli patrui sui, qui si virilem partem hujus capellaniae non expostulavit, repetendum solummodo id asserit tum ex eo quod moram constanter retinens in oppido Montelparo tamquam custos ecclesiae et conventus religiosorum s. Augustini, numquam ad patrios lares reversus est; tum ex eo quod pontificium aderat rescriptum, quo capellanis tunc temporis exclusiva perceptio fructuum capellaniae reservata fuerat, ad compensandas expensas, quas capellani sustinuerant in causa contra quemdam patritium Feliciani, qui sanguine cum testatore conjunctum sese asseverans, capellaniam sibi exclusive vindicabat: postremus vero ex dictis capellanis die 31. Decembr. 1850 decessit. Non omittit insuper animadvertere, in casu non agi nisi de capellania cum onere missarum, quae naturam legati pii induit. At communem esse monet inter doctores sententiam, incapaces minime esse religiosos has capellanias adimplendas suscipere, quin immo ex superiorum auctoritate religiosos eas consequi posse nedum in propriis ecclesiis, sed etiam in ecclesiis saecularibus; ceu decrevit Sacra Congregatio in Mileten. 23. Nov. 1694 et 11. Jun. 1695 et 1. Dec. 1696.

Sua denique argumenta corroborat ex pontificio generali rescripto, cujus virtute facta est facultas religiosis e claustro dejectis in iisce temporum calamitatibus sibi procurandi, qua ratione licite valent, media ad vitam necessaria etiam per aliquod ecclesiasticum beneficium seu capellaniam. Et licet hujusmodi rescriptum non exhibuerit, attulit tamen testimonium procuratoris generalis sui ordinis, qui deponit Sanctissimum Dominum Nostrum rescripto suo facultatem fecisse religiosis ordinis s. Augustini, qui in provinciis supressis commorantur, ut remaneant extra claustra habita permissione Generalis atque etiam ut sibi provideant aliquo beneficio ecclesiastico, ut capellania etc.

Dilata.

b. Quis debeat satisfacere obligationi.

194. Signina. — Onerum missarum.

Die 24. Aprilis 1858.

Cl. me. Praesul Laurentius Valenzi anni 1852 vi beneplaciti apostolici acquisivit, ex cessione sibi facta a patrono Lauri, juspatronatus quatuor beneficiorum simplicium in ecclesia cathedrali Signina erectorum, et ex facultatibus eidem a S. Sede concessis, praemissa horum beneficiorum suppressione unam tantum capellaniam ecclesiasticam sub invocatione S. Joannis Baptistae, novis constitutis legibus, conditionibus et oneribus fundavit ac erexit. In sua primaeva institutione dictis quatuor beneficiis, praeter 299 missas lectas, quatuor etiam cum cantu in titularibus festis eorumdem beneficiorum celebrandae inhaerebant, quod onus ad missas 131 lectas, et qua-

tuor cum cantu reductum fuit apostolico indulto diei 17. Decembri 1808, quam reductionem haec S. Congregatio rescripto diei 5. Decembris 1848 confirmavit. Onus missarum lectarum per sacerdotem a respectivis patronis electum fuit semper adimpletum, et missae cum cantu a cathedralis ecclesiae canonicis per turnum absque ministris cum assistentia totius capituli fuerunt celebratae, recepta a patrono pro singulis missis eleemosyna quinque juliorum.

In nova fundatione, firma missa celebranda in festo S. Joannis Baptistae, et mutatis tantum diebus, qui pro celebratione aliarum trium missarum erant in primaeva fundatione statuti, patronus Valenzi alias quinque missas pariter cum cantu per capitulum celebrandas addidit, eadem eleemosyna juliorum quinque in syngrapha fundationis ipsis assignata: statuens: „Istae novem missae cantatae, tres festivo ritu, sex pro defunctis, juxta usum cathedralis persolventur a reverendissimo capitulo et pro unaquaque dabitur consueta eleemosyna 50 obolorum, et ut perpetua rei sit memoria, inscribentur in tabella obligationum capitularium in onus patroni et capellae Valenzi.“ Episcopus ex facultatibus ab hac S. Congregatione in enuntiato rescripto diei 5. Decembris 1848 sibi tributis fundationem, haud tamen requisito capituli consensu, cum omnibus suis legibus ac oneribus approbavit.

Quandoquidem vero additarum quinque missarum oneris satisfactio quoad duas tantum missas initium a die novae fundationis sumere debebat, nam reliquas tres post mortem Clementinae fundatoris matris, ipsius fundatoris Laurentii, et Ferdinandi ejus germani fratris, celebrandas fore statuebatur; hinc factum est, ut canonici ad illas duas missas celebrandas invitati, liberaliter annuerent, quod iterum fecerunt post obitum dictae Clementinae Valenzi, qui contigit anno 1855; quin imo in capitulo legitime congregato die 18. Octobris 1854 cum propositum fuisset num anniversaria adnexa capellaniae, de qua agitur, celebrari deberent, quamvis congruum emolumentum pro iisdem assignatum non esset, huic propositioni canonici congregati ob plura quae recensebant ejusdem patroni erga cathedralem ecclesiam promerita oretenus annuerunt, nulla tamen capta legitima resolutione, quam nonnisi per suffragia secreta haberi posse in constitutionibus ejusdem ecclesiae cautum est.

Itaque cum in tabella in sacrario exposita cura et diligentia patroni Valenzi adnotati fuissent juxta fundationis praescriptum dies, quibus praefatae missae cum cantu erant celebrandae, accidit ut mense Octobris anni 1856 tabella ipsa clam erepta fuerit. Quod quidem aegre ferens Ferdinandus Valenzi superstes jam defuncti Praesulis Laurentii germanus frater suas ob id ad episcopalem curiam querelas detulit, simulque hanc S. Congregationem supplici oblato libello adiit, postulans commutationem oneris missarum cum cantu in missas lectas ea proportione, ut singulis missis cum cantu sex missae lectae respondeant; quam quidem commutationis veniam eo tantum in casu petere intendit, quo capitulum ad adimplendum dictum onus, prout in fundatione statutum fuit, adstringi non posse ab eadem S. Congregatione declaretur.

In Episcopi relatione, ad quem preces remissae fuerunt, habentur momenta rationum quibus innixum capitulum, legitime ab eodem Episcopo indictum et congregatum, novum hujusmodi missarum onus suscipere recusat, quae nimirum sunt 1) quia missae cum cantu ceteris capellis in cathedrali erectis adnexae, quae eleemosyna juliorum quinque celebrantur, ad exemplum sumi non possunt, tum quia usque ad annum 1818 manuale missae stipendium in obolis decem taxatum erat, quod modo in obol. quindecim aut viginti constitutum est; tum etiam quia et horum, quae suppressa fuerunt, benefi-

ciorum aliarumque capellaniarum in ecclesia cathedrali erectarum fundatores vel mensae capitulari, vel ecclesiae sacrario fundum aliquem attribuerunt; quo tenuitatem stipendii juliorum quinque rependerent; 2) quia onera missarum cum cantu a piis benefactoribus ecclesiae cathedrali relicta, iis tantum exceptis, quae dictis capellis ex antiquissima institutione inhaerent, cuncta et singula, ea praesertim de Requiem, cum ministris celebrantur, dato stipendio juliorum duodecim cum dimidio, nec illo modo constat alium evenisse casum, praeter praesentem, in quo capitulo proponeretur approbatio oneris alicujus missae cum cantu sine ministris, et cum eleemosyna juliorum quinque; 3) quia acceptatio hujusmodi oneris sacrario ecclesiae pauperrimo detrimento esset; nam in missis sine ministris celebratis sacrarium duos tantum obolos percipit, et in aliis cum ministris viginti quatuor obolorum lucrum habet; 4) quia si capitulum accepto haberet praefatum onus, non posset sine injuria aliis similibus petitionibus non favere, quod quantis dissidiis ac molestiis occasionem praeberet nemo non videt; 5) tandem quia argumenta, quae pro oneris acceptatione canonici dederunt vel in comitiis diei 18. Octobris 1851 vel canendo, antequam legitimam hac super re in capitulari conventu resolutionem susciperent, tres ex illis quinque missis, quae actu juxta novam fundationem canendae erant, nullius roboris profecto sunt, utpote quae capituli voluntatem rite continere aut exprimere nequeunt.

Episcopus hisce enarratis quae exposita sunt, de decreto ab se pro nova hac fundatione interposito verba deinde faciens, monet, haud necessarium visum sibi fuisse capituli consensum exquirere: „Cum enim, inquit, de satisfactione hujus oneris non capitulum, sed capellanus vel capellania vacante patronus rationem reddere debeat, hujus tantum profecto intererat rem ita disponere, ut oneris satisfactio tuta esset, neque ego meo capitulo poteram, ipso invito, onus imponere quod non habebat.“

Ita denique sui animi sententiam exponit: „Patet ex dictis nova missarum onera a fundatore Valenzi statuta numquam fuisse meae cathedralis capitulo ex suarum constitutionum legibus accepta et approbata; et patet etiam non levis esse momenti rationes, quibus in legitimo conventu ea onera sibi imponere detrectavit. Cum igitur nullum jus sit in fundatore imponendi onus capitulo invito, et approbatio fundationis etiam ex Sedis Apostolicae facultatibus nullam importet in capitulo obligationem, sed eos tantum constringat, quibus oneris adimplementum incumbit, idcirco ad hanc rem componendam submisse censerem expedire, ut ista S. Congregatio, firmo in capitulo onere celebrandi cum cantu et eleemosyna juliorum quinque quatuor missas ex primitiva institutione suppressis beneficiis inhaerentes, nempe tres in festis a fundatore statutis, et aliam de Requiem in uno ex diebus per Oratorem eligendo a fundatore assignatis, reliquas quinque commutaret in missas lectas, ea proportione et lege, ut singulis missis cum cantu sex lectae (prout Orator proponit) respondeant, assignatis tamen earum pro celebratione iisdem diebus, quibus illa missa cani debebat, et relicta etiam Oratori facultate celebrare faciendi quinque missas cum cantu, quoties conditionibus a capitulo propositis vel proponendis ipsi placuerit assentiri.“

Sedulo itaque perpendendum praeprimis an reapse capitulum praedictum missarum onus accepto habuerit vel non; onera enim in fundatione imposita religiose adimplenda esse compertum est semel ac fuerint acceptata. Orator Valenzi in acceptationis argumentum profert resolutionem capitularem 18. Octobris 1854, et ipsius capituli factum, quod onera haec nedum in tabella in sacrario exposita describi ac inter cetera capitularia onera recenseri permisit, sed eorumdem onerum partem sine querela adimplevit: nihil autem

interest an quis voce ac scriptis, vel re ipsa et factis suam voluntatem declaret. Eoque magis consistere susceptam a canonicis obligationem contendit, quod haec titulo oneroso quodammodo nitatur, quae causam scilicet habuit ab egregiis patroni erga ecclesiam Signinam promeritis, ceu canonici ipsi in resolutionis tenore fatentur. Nec officere autumat capitularium constitutionum legem, qua cautum, nullius esse roboris resolutiones capitulares quae per secreta suffragia susceptae non sint; quam quidem legem capitulares ipsos afficere contendit et actus, qui eorum interesse respiciunt, minime vero ad extraneos protendi, quorum damno verti nequit extrinsecae solemnitatis omissio, quae ex capituli culpa vel negligentia contigit.

Denique in eamdem causam profert testimonium decani capituli, quo constat „in omnibus missis cantatis sive de festo sive de Requiem singulis capellis jurispatronatus inhaerentibus, quae dicuntur incertae certae et adimplentur a capitulo, patroni eidem retribuunt eleemosynam obolorum 50 pro unaquaeque ex antiquissima consuetudine.“ Porro S. Congregatio in Romana 3. Februarii 1725 apud Benedictum XIV. de syn. dioeces. lib. 13 cap. 25 num. 20. censuit „Missas cantatas, quae habent reditus sufficientes ad rationem eleemosynae currentis pro missa cantata juxta morem regionis, et cujuscumque dioeceseos (in qua siti sunt conventus) esse omnino celebrandas et adimplendas juxta praescripta in legatis seu fundationibus.“

Quatenus vero capitulum ab hujusmodi onere solutum censendum sit, decernent EE. PP., an proposita commutatio juxta Episcopi votum probanda sit, seu potius expediat missas lectas reducere, ut anniversaria celebrari queant congruo aucto stipendio, quod ex actuali reditu haberi non posse videtur; id enim apprime consentaneum est fundatoris menti; statuit enim: „Si per casus fortuitos aut in totum aut pro parte pereant fundi beneficii, et impetranda sit reductio missarum, volo eam fieri in missis lectis, nec fiat innovatio in anniversariis ut supra determinatis.“

Juxta votum Episcopi.

195. Pisauren. — Legati missarum.

Die 24. Novembris 1860.

Sebastianus Carloni testamentariis tabulis conditis die 19. Octobris anni 1847 sui patrimonii usumfructum propriae uxori, proprietatem reliquit ecclesiae S. Cassiani Pisauri, quae suo tempore teneretur reditus impendere in celebrationem missarum pro anima testatoris juxta vires haereditatis, praelegata in favorem almae domus Lauretanae summa annua scut. trium eroganda in celebrationem decem missarum. Insuper autographa quadam declaratione idem testator a signavit alia scuta biscentum eidem almae domui pro annuo officio missarum quadraginta.

Obiit testator mense Septembris anni 1855, ac biennio post ejus uxor haeres usufructuaria pariter defuncta est Cum vero literis diei 7. Aprilis 1857 rever. commissarius almae domus Lauretanae notum fecisset tam Priori ecclesiae S. Cassiani, quam Episcopo Pisaurensi „mentem superioris cons. fuisse, ut sanctuarium his legatis renuntiaret“ hinc initum consilium ipsomet probante Episcopo fuit, ut legata hujusmodi juxta modum a testatore expressum implerentur in ecclesia S. Cassiani, ad quam utpote haeredem proprietariam jure accrescendi legata ipsa recusata pertinerent. Atque ita factum est ab eo temporis usque in praesens.

Nunc vero dubitatio orta est, an missae decem, quae in alma domo Lauretana celebrari debuissent cum eleemosyna obol. 30 pro qualibet possint cum eadem eleemosyna celebrari in ecclesia S. Cassiani, in qua taxa eleemosynae missarum statuta est in obolis viginti; item an scuta biscentum, ex quibus reditus habetur scut. duodecim, quaeque relicta fuerant almae domui cum onere missarum quadraginta, cum eodem onere ecclesiae S. Cassiani accreverint. Itaque Prior ejusdem ecclesiae praefata dubia proponens postulat, ut declaretur nihil hac super re esse innovandum.

Porro ejusdem est sententiae Episcopus, ad quem preces ablegatae fuere pro sueta informatione et voto, ita quaestionem in utramque partem expendens: „Si verum sit, accessorium naturam sui principalis sequi debere, quum pro implendis officiis missarum in ecclesia S. Cassiani statuta sit pro quolibet sacrificio eleemosyna obolorum viginti, clare patet ea legata, quae recusavit commissarius almae domus, adimplenda esse pro ipsamet eleemosyna.

„Hisce non obstantibus, cum numerus missarum statutus a testatore non imminuatur, etsi missae celebrentur in posterum in secunda ecclesia, potiusquam in prima, quumque missae istiusmodi celebrentur diebus festis et hora, quae fidelibus valde commoda esset, puto Oratoris preces admitti posse, si ita sapientiae Vestrae placitum fuerit."

Servetur in omnibus pia dispositio testatoris, salva tantum mutatione ecclesiae.

196. Faventina. — Erectionis capellaniae.

Die 14. Septembris 1867.

Pius sacerdos Joannes A. Falcioni anno 1814 confectis testamenti tabulis duos sibi elegit haeredes fiduciarios canonicum Fabium Naldi et Rinaldum e com. Conti, quibus mentem suam aperuit; eaque fuit, ceu praedicti haeredes fiduciarii declararunt die 8. Julii anni 1818, ut adimpletis nonnullis legatis favore cujusdam Fagnoli et Orselli, post mortem sororis suae, quam testator haeredem usufructuariam nuncupavit, „erigeretur perpetua officiatura mere laicalis unius missae in ecclesia parochiali S. Margaritae et nominatio activa et passiva pertineret ad familias Fagnoli et Orselli, et ut dos capellaniae esset fundus, quem emerent haeredes fiduciarii, quibus liberum esset aliam ecclesiam eligere pro arbitrio, si parochus pro tempore S. Margaritae exigere vellet solutionem compensationis pro usu utensilium a capellano praestandam.

Antequam decederet soror testatoris, defuncti sunt haeredes fiduciarii, quibus suffectus exstitit in bonorum administratione can. Joannes Baptista Campidori, et huic etiam mortuo successit ipsius nepos Antonius Campidori, parochus ecclesiae S. Laurentii. Defuncta tandem usufructuaria die 15. Januarii 1848, cum factus esset locus erectioni officiaturae, interpellatus fuit parochus S. Margaritae, an vellet accepto habere capellaniam in sua ecclesia juxta mentem testatoris instituendam. Diu anceps haesit parochus, donec tandem datis literis ad vicarium generalem declaravit, se non posse eamdem admittere, quia damnum, non utilitatem inferret praebendae parochiali, attenta subministratione utensilium sine compensatione. Tunc rector parochialis S. Laurentii propriam ecclesiam obtulit erigendo pio legato absque ulla utensilium obligatione, et publico confecto instrumento die 16. Octobris 1848, auctorante et praesente vicario generali

officiatura Falcioni in praefata ecclesia erecta fuit sub expressa renuntiatione utensilium.

Diuturno novendecim fere annorum spatio siluit parochus S. Margaritae: at sub initio currentis anni supplici transmisso libello ad hunc Sacr. Ordinem, clamare coepit contra peractam erectionem officiaturae in alia potius, quam in sua ecclesia a testatore praedilecta, et declarari petiit. 1° nullam esse erectionem et non attendendam conditionem aut si attendi debeat, reducendas esse missas ad solvenda utensilia; 2° si judicetur pro nullitate atque etiam pro injustitia factorum, cum damnum ex eo quis senserit, reducendas esse missas ad resarcienda damna."

His perlectis precibus, etsi valde mirum videretur potuisse parochum petere reductionem missarum etiam in hypothesi, quod conditio imposita a testatore attendenda omnino esset, et, quod majus etiam est, ut per reductionem missarum compensari deberet damnum ex facto ipsius parochi in suam ecclesiam derivatum; placuit tamen super porrecto libello audire Episcopum et per ipsum interesse habentes, eumdemque Praesulem rogare de bono jure reclamantis, transmissaeque fuere ad laudatum Praesulem parochi preces.

Quae Episcopus retulit in suis informationis literis, fere omnia respiciunt factorum seriem superius a nobis enarratam, ipse vero censet parochi libellum fore rejiciendum, et id ipsum sustinet rector ecclesiae S. Laurentii.

Si res esset in casu de haereditate vel legato pure et simpliciter relicto ecclesiae, expendendum hic assumerem, quid juris profecto obtinere deberet juxta ea, quae tradunt communiter doctores ad tit. de iis quae fiunt a praelatis, dato quod rector ecclesiae haereditatem vel legatum eidem relictum renuntiet. At in casu cum pium missarum legatum relictum fuerit conditionate, non absolute, et voluntas testatoris in suspenso adhuc esset, dum adhuc incertum erat, utrum conditio per parochum S. Margaritae adimpleri contingeret, ea per ipsum non impleta, impleta tamen per alium parochum juxta dispositionem ipsam testatoris, et ecclesiasticae auctoritatis interventum, actum esse videtur de quacumque legitima querela contra erectionem capellaniae in alia ecclesia potius, quam in ecclesia S. Margaritae. Quod si praejudicium aliquod in praedictam ecclesiam de jure quaerendo vel in lucro captando profectum fuerit ex facto parochi, salva quidem dici debent ecclesiae jura contra parochum, non vero contra ecclesiam, in qua capellania erecta fuit juxta mentem testatoris.

Praeterea si servandum est, quod bene constitutum fuit, sero nimis querelae parochi admotae fuisse videntur, nec ecclesia contra aliam ecclesiam ullo privilegiato jure pollet, ut extraordinario remedio tutanda sit.

Quidquid tandem objici valeat ex defectu facultatis in ultimo executore testamentario, ceu jus clamat nefas esse haeredi fiduciario moliri, ut declaratio voluntatis infirmetur et deleatur, ita quoad tempus executionis cautum est, pia relicta integre solvi debere ab haeredibus vel executoribus intra sex menses, cessante legitimo impedimento, secus jus devolvi ad episcopos, cap. Nos quidem de testam. et Conc. Trid. sess. 22. cap. 8. de refor. minime itaque admittendum esse videtur, ut in casu quod ad mentem testatoris episcopali auctoritate interveniente executioni commissum fuit, rescindatur.

Lectum et notificetur Ordinario.

3. Quid in missarum fundatione contineatur.

a. De onere applicandi.

197. Januen. — Applicationis missarum.

Die 28. Augusti 1847.

Sub anno 1808 administratores hospitii pauperum Januensis civitatis ab immort. mem. Pio VII. per Brevium Secretariam tum ut propriae conscientiae consulerent, tum meliori ac utiliori pii operis regimini et administrationi obtinuere quam plurium missarum reductionem eo pacto, ut variae ex reditibus superexstantibus erigerentur capellaniae, quarum altera in annua summa libellarum 532 cum onere missae quotidianae parocho pro tempore ejusdem pii operis perpetuo foret assignanda.

Hodiernus parochus anceps, utrum diebus festis, quibus pro populo applicare tenetur, debeat necne per alium oneri praefatae capellaniae satisfacere, ut propriae conscientiae consulat, supplex petit dispensationem a tali onere aut supposito aut vero, etiam propter tenuitatem redituum officii sui scutatorum 92.

Auditus Eminentissimus Archiepiscopus hactenus exposita confirmat, interesse habentium seu pii operis administratorum voluntatem parochi petitioni minime adversari subnectit, ac praeterea addit: „Proventus capellaniae esse libellarum monetae novae 443 cum onere missae quotidianae. Paroeciae vero reditus, incertis stolae, ut ajunt, comprehensis, esse libellarum 715 circiter dictae monetae. Quibus perpensis ac praesertim assignatione capellaniae dicto parocho facta de consensu S. Congregationis, in votis essem rescribi posse pro gratia, declarando Oratorem seu parochum pro tempore hujus hospitii pauperum liberum ab onere capellaniae diebus festis, in quibus missa pro populo applicare tenetur.“ Quid vero a die concessionis ad haec usque tempora fuerit observatum, opportunum dixi ab Eminentissimo Archiepiscopo percontari, qui ita respondit: „Prosperus Schiaffino, qui beneficium possedit, ab anno 1808 usque ad annum 1836 nunquam circa propositum dubium verba fecit, ut asserit fide dignus vir, qui illo familiarissime utebatur. Consequenter utrum per alium missis festivis satisfecerit vel non, ignoramus.“ — Aloysius Botto, qui in beneficio deinde successit illudque per triennium tenuit per annum celebrationem missarum capellaniae pro diebus festis omisit, sed anno sequenti exorto dubio, satisfacere curavit. — Huic successit Josephus de Albertis, qui beneficium possedit usque ad annum 1843 quique per alium celebrare fecit, datis interea precibus S. Sedi pro ejusdem dubii resolutione. Modernus demum parochus exemplum decessoris sui secutus missas capellaniae per alium celebravit, Sanctae Sedis oraculum praestolans.“

Capellanus, qui ad quotidianam adstringitur missae celebrationem, per alium supplere tenetur, si onus assumat cum capellania incompatibile: Pasqualig. de sacrif. nov. leg. tom. 2. qu. 1126 num. 10 idque confirmat Amostaz. de causis piis lib. 3. cap. 6. num. 2 et 3, nisi causam rationabilem vel honestatis et devotionis vel necessitatis subesse contingat. A qua obligatione parochos ipsos haud expediri, luculentissime patet ex celebratissima Bened. XIV. constit. „Cum semper“, in qua declarat, eos canonicos, qui aliis missarum oneribus obligantur, parochis non exclusis, qui pro populo applicare tenentur, qua die missam canunt conventualem, eam applicare debere pro benefactoribus in genere, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum eos debere substituere. Quia vero obli-

gatio applicandi conventualem pro benefactoribus in genere pari procedit gradu cum parochiali pro populo applicanda, consequens profecto videtur, ut parochus etiam quo die ad missam pro populo applicandam tenetur, aliis missarum oneribus per alium debeat satisfacere. — Haec, quamvis verissima sint, haud tamen casui aptanda videntur. Capellania enim, de qua agitur, licet quotidiana dicatur nihilominus stricte accipienda non est, sed accommodanda potius qualitati et obligationibus personae, cujus intuitu fuit instituta et cui perpetuo est assignanda.

Et sane, ubi administratores hospitii auctorante praesertim Pontifice Maximo, capellaniam perpetuo assignandam parocho pro tempore decreverunt, eundem ab applicatione diebus festis exemisse censendum est, cum eos latere non posset altera parochi obligatio applicandi pro populo. Secus enim onera eidem incompatibilia imposuissent, quod plane praesumendum non est.

Neque per alium satisfacere parochum teneri dicendum est ex eo, quod capellanus, qui quotidie celebrare debet cessante causa in jure praefinita, nisi ipse celebret, per alium suppiere tenetur. Aliud enim est onus voluntarie suscipere cum altero praeexistente incompatibile, quo casu non excusari a missae celebratione per alium putarem, cum tunc quis proprio facto sibi impedimentum imponit, ut inquit Pasqualig. loc. cit., aliud autem impedimentum legitimum praecedere, imo ex necessitate adnexum officio habere, quale profecto consurgit in themate, cum capellania sit natura sua adnexa paroeciae et unio tunc facta fuerit, cum ipsius paroeciae onera jam vigebant ac proinde ex contraria ratione parochum ab obligatione supplendi per alium immunem esse censerem, praesertim cum hujusmodi adnexio ideo facta videatur, ut congruae ipsius parochi sustentationi foret consultum, quod pro oneris exclusione quam maxime militat. Praeterea Oratoris instantia favorabili juvatur Eminentissimi Archiepiscopi voto; nullum hospitio, cui capellania aeque ac paroecia inhaerent, ex hoc detrimentum infertur, neque interesse habentes dissentiunt.

Pro gratia dispensationis ad cautelam juxta petita, facto verbo cum Sanctissimo.

198. Taurinen. — Applicationis missarum.

Die 26. Aprilis 1856.

Joannes Baptista Bajma testamento dici 6. Julii 1796 praeter alia plura legata pia capellaniam in oppido Nole nonnullis assignatis fundis cum hac lege instituit: „Praesenti erectione capellano onus imponitur missae quotidianae in ecclesia parochiali hujus loci, hora nona (Gallica) praesertim diebus festis de praecepto, et beneficiatus quoad fieri potest, excipiet confessiones in hac ecclesia ... et si reditus dotis non sufficiant pro missa quotidiana, cujus eleemosynam testator praefigit esse debere unius libellae, pro rata redituum solummodo dicantur.“ Universalem haeredem scripsit testator animam suam, et in exsecutorem testamentarium deputavit capellanum primo a se nominatum et hujus in perpetuum successores, data ipsis facultate in casu inadimplementi ceterorum legatorum, uniendi capellaniae bona cuilibet legato adscripta „cum obligatione ut ex fructu eorum pro rata fiat celebratio missae quotidianae.“

Die 6. Julii 1823 a loci syndico, cui haec facultas a testatore data est, ad vacantem capellaniam nominatus fuit sacerdos Mathias Banche. Qui

usque ad annum 1849 injunctis oneribus religiose satisfecit, et missas nedum, uti cautum in testamentaria lege, celebravit, sed etiam applicavit in suffragium animae testatoris. Ab eo temporis autem secum reputans unius celebrationis onus impositum esse, ab applicatione in posterum abstinuit. Nunc vero de hac sua agendi ratione dubitans, ut conscientiae suae tranquillitati consulat, S. Congregationem supplex rogat: „1° ut ipsum absolvat ab omissione missarum circiter 1700, si haec obligatio applicandi exsistat; 2° ut dispensetur ab applicatione in futurum ob expensarum augmentum firmo manente obligatione celebrationis et pro posse confessiones excipiendi, hora et loco designatis; 3° ut dispensetur in casu infirmitatis et ob provectam aetatem (63 annorum) et impossibilitatem celebrandi, ne teneatur sibi aliquem substituere, quia talis nonnisi difficillime inveniri posset.“

Vicarius generalis, ad quem absente Archiepiscopo preces pro informatione et voto ablegatae sunt, rationibus inferius exponendis censet ab onere applicationis solvendum non esse Oratorem, cui tamen in ceteris petitionibus favet; sed potius, attenta redituum tenuitate (quos ad libellas 550 deductis oneribus ascendere tradit, quamvis Orator exponat libell. 430 vix conficere) proponit missarum reductionem ad duas pro qualibet hebdomada, firmis manentibus reliquis oneribus; cui quidem reductioni assensum praebuit syndicus loci qua capellaniae patronus.

Ex tribus potissimum capitibus sustinet capellanus demandatam non fuisse missarum applicationem: 1° Ex verbis in testamento adhibitis; 2° ex assignato in fundatione capellaniae reditu; 3° ex adjectis oneribus. Monet enim, testatorem cum plura alia missarum legata instituit, onus applicationis voluisse, quas nimirum celebrari praecepit „in suffragium animae testatoris“. In erectione autem capellaniae, unam demandasse celebrationem, ut adeo ex regula discretivae conjiciendum sit, in hac applicationem noluisse, S. Rota in Tuden. servitiorum super bono jure 21. Martii 1757. §. 11. coram Frangipane. Accedit fundatorem id unum in votis habuisse, ut populi commoditati consultum foret, quo in casu applicatio exclusa videtur, Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 3. num. 46 et 52. S. Congregatio in Novarien. 22. Nov. 1727 et in Spoletana 18. Sept. 1751.

Quoad reditus perpendit eos nunc pertingere quidem ad libellas 530; accessio enim quaelibet mere fortuita est. „At haec summa non est reditus quem testator putavit se adnectere capellaniae, quia tempore institutionis valor seu reditus quarta parte minor erat quam nunc. Hinc testator disposuit, ut capellanus non celebraret nisi pro rata redituum.“ Unde concludit, tenues reditus in fundatione assignatos argumento esse, applicationem non fuisse demandatam.

Id magis magisque suadere imposita onera reditibus imparia celebrandi quotidie determinatis loco et hora, et excipiendi sacramentales confessiones; quae quidem cetera officia incompatibilia reddunt, et personalem residentiam requirunt. Haec autem rerum adjuncta in simili casu summo in pretio a S. Congregatione habita sunt in Fulginaten. Applicationis missae 7. Sept. 1737.

E contra perpendi posset cum s. m. Benedicto XIV. de sacrif. miss. lib. 3. cap. 9, quod demandata per fundatorem missae celebratione, injunctum quoque censeatur onus applicandi; maxime cum ex fundatione deprehendatur fundatorem una cum populi commoditate animae quoque suffragium respexisse. In themate id argui posse videretur, ex quo testator animam suam haeredem scripsit; hinc aliis in eodem testamento legatis missarum institutis, applicationem praecepit; et quamvis quoad duo legata solam cele-

brationem, uti in capellania, praescripserit, ex contextu tamen patet, in dubium revocari non posse, quin in hisce etiam applicationem voluerit, ceu perpendit vicarius generalis. Qui insuper sustinet, ex tenuitate redituum nullum contrariae praesumptionis argumentum inferri posse. Quamvis enim ob aucta nunc rerum pretia, vectigalia, et missarum etiam eleemosynas, tenues capellaniae reditus in praesens censendi sint; aliter tamen se res habebat institutionis tempore; quin imo, urget, „illud quod fundator missarum eleemosynam praefixit in valore unius libellae, scilicet duplo eleemosynae ordinariae, et quod in casu insufficientiae dotis pro rata redituum missas diei voluit, semper magis confirmat, fundatorem etiam applicationem missarum intendisse.“

Tota igitur quaestio ab interpretatione voluntatis pendet. Porro licet juxta regul. 45. in 6. „Inspicimus in occultis quod est verosimilius“, verosimilius autem est, eum qui capellaniam fundavit et onus celebrandi missam imposuit, applicationem etiam voluisse; attamen quia alia edocet regula, praesumptionem a validiori praesumptione vinci; hinc si ex rerum adjunctis conjicere liceat, unam missarum celebrationem absque onere applicationis testatorem intendisse, tunc regula superius exposita cessat, ab eaque receditur, quia applicatio demandata non praesumitur, ut ex variis hac in re S. Congregationis resolutionibus relatis in Tridentina Applic. miss. 27. Febr. 1768. Ceterum quamvis de eo quod ab antecessoribus capellanis observatum in casu fuerit altum servetur silentium, nihil id referre videtur; quippe S. Congregatio observantiam non applicandi rejecit, etiam in iis casibus, in quibus testatores nullum additamentum apposuerant, ex quo desumi posset ipsos applicationem voluisse, ceu notat folium S. Congregationis in cit. Tridentina iterum proposita die 26. Martii ejusdem anni pluribus ibi adductis resolutionibus.

Quatenus itaque de onere applicationis constare censuerint EE. VV., videant an praeter absolutionem quoad praeteritas omissiones, in quo favet Oratori bona fides, concedenda ei sit dispensatio ab onere applicationis pro futuro tempore, attenta nimirum redituum tenuitate, et ceteris queis gravatur oneribus; seu potius ob easdem rationes sit indulgenda missarum reductio juxta modum a vicario generali propositum, in qua convenit etiam patronus.

Denique quod spectat ad postremam petitionem, sentiunt communiter doctores, eum qui non potest fundationi satisfacere propter morbum, non teneri, si brevis sit, substituere alium; secus tamen si morbus sit diuturnus, nisi reditus sint nimis tenues, aut in morbum absumantur.

Celebratis decem missis pro gratia absolutionis et condonationis quoad praeteritas omissiones, necnon perpetuae reductionis quoad futurum juxta votum vicarii generalis, facto verbo cum Sanctissimo.

199. Brixien. — Legati pii.

Die 42. Julii 1858.

Nobilis femina comitissa Catharina Martinengo Villagana Brixiensis ultimo quo decessit suae voluntatis elogio die 9. Maji 1833 haec inter alia pia legata reliquit: „Lego hospitio infirmarum mulierum hujus civitatis 75000 libellas Mediolanenses cum obligatione celebrare faciendi in perpetuum 350 missas in ecclesia loci Meano in commodum populi. Pariter de lego hospitio mendicantium „Domus Dei,“ hujus civitatis libell. 82000 ... cum onere solvendi sequentia onera annua: Capellano, qui praesentabitur Ordinario a parocho loci Villachiara, eligetur vero ab Episcopo hujus urbis, solvantur

quotannis a die quo residere inceperit, mille libellae in quatuor aequis partibus, ut ipse parochum in cura animarum coadjuvet et in ecclesia parochiali quotannis applicet juxta meam intentionem.“

Porro ob diversam verborum conceptionem in duobus hisce legatis a testatrice adhibitam, in quorum altero unam missarum celebrationem, in altero applicationem etiam demandare visa est, rati sunt administratores hospitalis feminarum, quoad primum legatum haud impositum fuisse onus applicationis, ac reapse numquam illud capellano missas celebranti imposuerunt.

Itaque ad quamlibet hoc desuper negotio dubietatem de medio tollendam, vicarius capitularis Brixiensis supplex postulat ut declaretur, num quoad primum etiam legatum onus applicationis injunctum censendum sit nec ne; et quatenus affirmative, ulterius rogat „1⁰ ut benigne statuatur eleemosyna capellano tradenda in summa libellarum 900 austriacarum etiamsi retineatur eum ad applicationem non teneri, usque dum perdurent angustiae rei oeconomicae istius loci pii; 2⁰ ut benigne concedatur Ordinario facultas reducendi 350 missas imponendo capellano, si fieri possit, obligationem coadjuvandi parochum, cum alia ratio non adsit ut coadjutor in illa parochia habeatur, attenta insalubritate loci et paupertate ecclesiae; 3⁰ ut concedatur sanatoria pro omnibus missis non applicatis ab institutione capellaniae usque adhuc, attentis pii loci conditionibus. 4⁰ Cum parata sit summa libell. 2490, quia per aliquot annos vacavit capellania, et necesse sit providere habitationi capellani, petitur facultas ut ex illa pecunia domus ematur, vel investiatur, ut ex fructibus merces conductionis solvatur.“

Quamvis generatim demandata in testamentis missae celebratione, injunctum quoque censeatur onus applicandi, ceu observat Benedictus XIV. de sacrif. missae lib. 3. cap. 9., maxime cum deprehendatur testatorem vel fundatorem una cum populi commoditate, animae suae quoque suffragium respexisse; attamen regula hujusmodi cessat, ubi ex dispositionis contextu, aliisque rerum adjunctis conjicere liceat, unam missarum celebrationem absque onere applicationis testatorem praecepisse, ceu patet ab resolutionibus S. Congregationis hoc super articulo relatis in Tridentina Applic. miss. 27. Februarii 1768.

In themate tria sunt praecipue quae applicationis exclusionem suadere videntur. Primum est quod in uno eodemque testamento diversam adhibuit locutionem testatrix, unum et alterum legatum missarum relinquens; in primo enim usa est vocabulo „celebrare“, in altero vero praeter celebrationem, applicationem injunxit „eas applicet juxta meam intentionem.“ Hinc obtinet discretivae argumentum, ut in primo legato applicationem noluerit, S. Rota in Tuden. servitiorum super bono jure 21. Martii 1757 §. 11. coram Frangipane. Alterum est quod testatrix in primo legato id unum in votis habuisse videtur, ut populi commoditati prospiceret, ceu disertis verbis expressit „in commodum populi“, quo quidem in casu applicatio exclusa censetur, Amostaz. de causis piis lib. 3. cap. 3. n. 46 et 52. S. Congregatio in Novarien. 22. Nov. 1727 et in Spoletana 18. Sept. 1751. Postremum est observantia fundationi proxima; ex qua liquet non aliter testatricis mentem interpretatos fuisse pii loci administratores, quibus numquam venit in mentem capellano ad missarum celebrationem deputato onus etiam applicationis injungere.

Quoad propositas vero ceteras petitiones, perpensis adjunctis rerum quae a vicario recensentur, ac praesertim oeconomicae rei conditione in qua hospitale versatur, et publicae utilitatis ratione quam capellani coadjutoris

institutio prae se fert; erit EE. VV. decernere quid consilii capiendum sit, quamvis de injuncto onere applicationis etiam quoad primum missarum legatum revera constaret.

Non constare de onere applicationis missarum, et in reliquis provideat Episcopus.

b. De onere celebrationis personalis.

200. Brixien. — Capellaniae.

Die 25. Septembris 1858.

Ultimum condens, quocum obiit, elogium Caecilia Bellicini die 5. Augusti 1852, capellaniam instituit in parocciali ecclesia loci Artogne Brixiensis dioecesis „cum obligatione capellani, ut 100 missas quotannis applicet secundum meam intentionem in ecclesia parochiali loci Artogne, et ut parochum adjuvet in confessionibus diebus festis principalibus anni et ut saltem semel in mense visitet infirmos parochiae.“ Cum vero in prima capellani electione rem gratam facere vellet sacerdoti Bartolo Cotti, haec addidit: „ea conditione, ut si possit r. d. Bartolus Cotti, in ipsius arbitrio sit capellaniam assequi. Si non fiat capellanus vel esse desinat fabrica ecclesiae cum consensu parochi aut ejus vices gerentis nominet capellanum.“

Itaque defuncta pia testatrice sacerdos Cotti jure praelationis uti volens in fundatione sibi concesso, ad capellaniae possessionem immitti petiit. Obstitit tamen ejus petitioni deputatio fabriceriae ea de causa, quod ipsemet altero jamdiu frueretur beneficio simplici, cui titulus „Juspatronatus s. Mariae Elisabeth di Artogne“, iis sub legibus et conditionibus, ut incompatibile illud existimaverint cum capellania a pia femina Bellicini instituta. Onera autem praedicto beneficio inhaerentia sunt: celebratio quotidiana missae cum applicatione in designata ecclesia s. Mariae Elisabeth, et institutio literaria puerorum ejusdem loci.

Re ad curiam delata, e re sua censuit Episcopus S. hujus Congregationis oraculum percontari, postulans ut definiatur „an sacerdos Bartolus Cotti, investitus beneficio simplici nominato: „Juspatronatus s. Mariae Elisabeth“ assumere possit etiam capellaniam fundatam a Caecilia Bellicini.“ Admonet duos melioris notae theologos suae dioecesis hac super quaestione fuisse a se rogatos, eosque in sententia non convenisse. „Prior, inquit, censuit nihil obstare compatibilitati istarum fundationum neque ex earum natura neque ex annexis officiis, quamvis concederet capellaniae „Jurispatronatus s. Mariae Elisabeth di Artogne“ inesse obligationem personalis satisfactionis, sustinuit tamen missas fundationis Bellicini a substituto sacerdote dici posse. Alter econtra illis verbis innixus in fundatione capellaniae Bellicini: „ea conditione, ut si possit r. d. Bartolus Cotti, in ipsius arbitrio sit capellaniam assequi“ verbum conditionatum si possit, ita explicat, ut jus habeat ad capellaniam assequendam, si ipse celebrare possit missas impositas, quia aliter non posset appellari proprie capellanus, sed potius administrator capellaniae.“

Cum ad cetera implenda munera, nimirum excipiendi sacramentales confessiones ac visitandi infirmos, dubitandum non sit, quin sacerdos Cotti ex alterius beneficii possessione minime praepeditus existat, tota quae agitur quaestio ad celebrationem missarum pertinet. Admisso enim quod leges beneficii jurispatronatus officium personale imponant etiam quoad missarum litationem (quamvis id ex verbis fundationis haud certo inferri posse videatur,

cum ibi praecipiatur tantummodo quod rector teneatur continuis diebus celebrare missam in d. ecclesia pro anima etc.); evidens est, sacerdotem Cotti non posse per se centum injunctas missas celebrare in adimplementum fundationis alterius capellaniae Bellicini.

Nihilominus ubi juxta juris communis regulas res definienda foret, nulla incompatibilitatis ratio suppeteret, cum tralatitii juris sit, non censeri impositum onus personale celebrationis, nisi expresse in fundatione id cautum fuerit, testantibus Lotter de re benef. lib. 2 quaest. 47 num. 39. Piton. de contr. patr. alleg. 28. num. 1, et saepe traditum a S. Congregatione, ceu in Bononien. capellaniae 27. Febr. 1836. §. Transitum, in Firmana Commut. volunt. 29. Aprilis 1837. §. Ad assertam. Difficultatem vero ingerit in themate loquendi modus a testatrice adhibitus, unde ejus voluntas implicita argui posset, quod nimirum capellano non liceat missas celebrare per alium; secus enim casus impotentiae ab eadem testatrice in sacerdote Cotti praevisus numquam comprobaretur.

Aliunde vero perpendendum est, testatricem sibi propositum habuisse in animo gratificandi sacerdoti Cotti, adeoque expressam conditionem, latam ac benignam quamlibet ejus favore interpretationem recipere oportere, ac ita fortasse intelligi, ut testatrix haud impedimentum creare primo nominato voluerit ex alterius officii possessione, sed ejus arbitrio reliquerit retinendi capellaniam a se institutam, quatenus id absque incommodo ei liceret; eo vel magis quod praeter celebrationem missarum, addita sunt in fundatione onera visitandi infirmos, et coadjuvandi parochum in excipiendis sacramentalibus confessionibus. Demum nihil prohibet, quominus ad haec praecipue onera quae revera personalia reputantur (quaeque ceteroquin per se adimpleri posse a sacerdote Cotti non ambigitur), respexisse censeatur fundatrix, veluti vereretur ne sacerdos Cotti aliis distentus muneribus, ea adimplere minime posset.

Posse.

201. Ipporegien. — Applicationis missarum.

Die 21. Martii 1868.

Municipes oppidi vulgo Casulo Ipporegiensis dioecesis anno 1535 die 21. Februarii publico instrumento simplex beneficium seu capellaniam sub invocatione S. Spiritus fundarunt in ecclesia parochiali. Juxta onera in fundationis instrumento imposita tenetur beneficiatus „deservire in divinis in dicta ecclesia aut per se aut per alium idoneum ejus nomine, et quotidie in dicta ecclesia celebrare unam missam, videlicet diebus festivis in cantu, et aliis diebus sine cantu.“ Juspatronatus vero sibimet reservarunt, et dotem constituerunt in tot bonis stabilibus, quorum reditus, detractis publicis vectigalibus, nunc attingit quadringentas et triginta circiter libellas Italicas. Hi reditus cum impares omnino essent oneribus adimplendis, anno 1581 per sententiam curiae episcopalis Ipporegiensis injunctum fuit municipio, ut beneficii dotem augeret ad tertium pluris, ut sit dos magis sufficiens; cui decreto nisi communitas obtemperaret, statuebatur ut „intelligantur et sint dicti homines communitatis ipso facto exclusi et privati omni praetenso jure praesentandi.“

At quae curia decrevit numquam implementum obtinuerunt. Communitas tamen jus praesentandi constanter exercuit, re ut videtur composita per reductionem missae quotidianae ad duas missas in singulis

hebdomadis, ut ex documentis inferius afferendis, quamvis reductionis decretum non proferatur, non improbabiliter probatum iri diffiteri forsan non potest. Anno 1864 Pedemontanis legibus suffulti homines communitatis praefati loci hodiernum beneficii possessorem Caesarem Bretti, qui ab anno 1834 illud obtinuerat, coram civili tribunali Ipporegiensi rapuerunt eum in finem, ut declararetur eumdem teneri explere onera beneficii juxta primaevae institutionis instrumentum. Ajebant enim „se dolentes beneficii rectorem curam non habere ut exsequatur tabulas fundationis, cum duas tantummodo missas, non quotidie celebret neque confessiones excipiat, et maxime eo quod eodem tempore capellaniam obtineat in „Borgata dell' Aré", ex qua obligatus sit ibidem varias missas celebrare et confessiones audire, publicum contra ipsum judicium instituere. Actoris autem votis annuens judex laicalis die 12. Jan. 1865 decrevit: „Sacerdotem Bretti teneri ad exsequendum per se vel per alium omnia onera a lege beneficii imposita, scilicet in tabulis fundationis 21. Febr. 1535; sin minus ipsum a jure beneficii cadere et communitatem ad aliam nominationem procedere posse."

Hac edita sententia, sacerdos Bretti ne beneficio per vim privetur, missam quotidie in ecclesia sui beneficii celebrare cogitur; ratus tamen injuste sibi hujusmodi onus impositum fuisse, ad S. hunc Ordinem recursum habuit, et exponens „attenta tenuitate reditus, impositis oneribus celebrationis missae quotidianae et aliarum functionum dubium oriri, an ad applicationem teneatur ideoque se pluries applicationem omisisse. Ut conscientiae suae consulat et certam regulam pro futuro tempore habeat, petit se absolvi, si opus sit, ab omni omissione harum missarum pro praeterito et dispensari pro futuro super applicatione." Reverendissimus Episcopus, a quo informationem et votum exquisivi super memoratis precibus, enucleatam factorum expositionem transmisit, ex qua hucusque relata, et quaeque inferius addam deprompsi.

Tria sunt quae in quaestionem veniunt. Primum quanti facienda sit reductio missarum de qua superius. Alterum utrum juxta fundationis tabulas retinendum sit celebrationem tantum vel etiam applicationem fuisse impositam. Tertium denique quid de praeteritis omissionibus decernendum.

Quae antiquam missae reductionem revera locum habuisse suadere videntur, ea sunt quae sacerdos Bretti ad sui defensionem protulit coram tribunali civili Ipporegiensi, quaeque in expositione ab Episcopo transmissa continentur. Adest in primis quaedam declaratio de anno 1718, in quo quidam beneficiatus Farcito ait se possidere beneficium erectum ad altare S. Spiritus cum onere duarum missarum in hebdomada, non designatis diebus." Insuper afferuntur acta visitationum Praesulis Michaelis Victoris de Villa anni 1751, in quibus haec particula legitur „Beneficium simplex ecclesiasticum, sub titulo S. Spiritus de jure patronatus communitatis cum onere celebrationis duarum missarum qualibet hebdomada sive ad hoc altare, sive ad aliud ex altaribus hujus ecclesiae." Item alterius Episcopi Pochellini ad annum 1773, quae habent „Beneficium ecclesiasticum sub eodem titulo S. Spiritus annexum habens onus celebrationis duarum missarum qualibet hebdomada ad idem altare." Exhibetur denique declaratio archipresbyteri Joannis Guala edita die 18. Decembris anni 1854, in qua sequentia adnotantur: „Quamquam in tabulis fundationis dicitur ipsum debere servire ecclesiae et populo in divinis et quotidie missam celebrare, et in festis cum cantu, tamen ex multis indiciis fide dignis idprimis illis, quae a Priore Farcito, ab archipresbytero Genta habita sunt, eruitur missas reductas esse ad duas cum applicatione in dicto altari, prout attestatus est etiam Prior Dominicus Giuliano."

Ad secundam quod attinet quaestionem, animadvertendum est, communem DD. sententiam et S. O. praxim aperte docere semper onus applicationis intelligendum adnexum celebrationi, nisi contrarium clare demonstratur; ut in Cornetana 23. Junii 1725. In eo enim quod attinet ad hujus S. Congregationis resolutiones (prout ibidem legitur) certa esse videtur regula, quod missa est pro fundatore applicanda, licet ipse applicationem non expresserit, sed solam celebrationem, ceu colligebatur resolutum in causa Tinnen. Applicationis sacrificii diei 18. Augusti 1668. lib. 26. Decr. p. 61. Jam vero habetur in themate nullam fieri in beneficii institutione distinctionem inter applicationem et missarum celebrationem; deinde constat esse onus ab Episcopis impositum patrono augendi dotem beneficii, ut reditus responderent oneribus, in deficientia hujus augmenti reddi probabilem missarum reductionis existentiam; consuetudinem tandem non interruptam missas applicandi ad multos etiam annos per beneficiatum Oratorem esse observatam. Quae omnia sat validum prae se ferre videntur argumentum ad decernendum, onus applicationis reapse contineri in fundationis instrumento.

Quoad absolutionem denique super praeteritis omissionibus, (quae numerum exaequant octingent. missarum) animadvertam necesse est desiderari, ut videtur, in themate bonam fidem, quae constanter requiri solet a Sacro Ordine ad indulgentiae gratiam Sanctissimo commendandam. Hac tamen ex parte ita se habet Episcopus: „Quamvis graves causas condonationis non adduxit supplex sac. Bretti . . . si non in totum, ut saltem pro parte condonatio concedatur, considerari poterunt, ut ait, senescens aetas petentis, onera, quae in praeteritum adimplevit, quemadmodum testatus est parochus, et quae in posterum sustinere debet, nempe celebrationis quotidianae, administrandi sacr. poenitentiae et servitii praestandi in sacris functionibus parochialibus in cantu, quamvis reditus sint exigui.“

Celebratis missis 80 et injuncta per Episcopum aliqua salutari poenitentia pro gratia absolutionis ac condonationis super praeteritis omissionibus; de cetero capellanum teneri celebrare et applicare duas missas in qualibet hebdomada in ecclesia designata, facto verbo cum Sanctissimo.

c. De onere celebrandi certo loco vel die.

202. Romana. — Oneris missarum.

Die 27. Novembris 1852.

Henricus Greatti antequam e vita migraret quinque reliquit capellanias a R. P. Catenacci sacrorum custode ecclesiae ss. XII. Apostolorum, quem haeredem fiduciarium nuncupabat, erigendas. Juxta explicationis fiduciae instrumentum testator P. Catenacci facultatem fecit primam conferendi capellaniam, et quatenus seipsum nominaret, instante morte, successorem in hac ipsa capellania designandi. Liberum pariter eidem voluit missam in quacumque ecclesia et ad quodvis altare celebrandi; quin etiam si morbo aut alio legitimo impedimento detineretur ab celebratione et applicatione vacandi. Sub iisdem conditionibus et cum eadem ampliatione collatam voluit secundam capellaniam P. Magistro Boni parocho, Ad tertiam pariter capellaniam designavit P. Mondini, cum hoc tamen, quod privilegia celebrandi ubique atque vacandi exspirarent cum morte ejusdem Mondini, assignata ecclesia ss. XII. Apostolorum, et in ea altari, in quo successores in dicta capellania missam litarent. Idipsum de reliquis duabus capellaniis statutum est.

Mortuo jam P. Catenacci, qui nunc in sacristae locum memoratae ecclesiae suffectus est, anceps haerens, num privilegia a testatore concessa favore PP. Catenacci et Boni, celebrandi nimirum in qualibet ecclesia, et dispensatio ab onere per alium celebrandi, legitimo eveniente impedimento, transierint in successorem utriusque capellaniae, vel potius peremptа fuerint morte primi possessoris, supplex coram S. H. O. adstat ad dubii solutionem obtinendam.

Eminentissimus Urbis Vicarius, quem audivi, refert sententiam P. Custodis conventus ss. XII. Apost., qui existimat privilegia, de quibus quaeritur, fuisse tantum personalia, adeoque ad successores capellanos transire non debere. Innititur siquidem argumento peculiaris favoris seu amicitiae, quo testator prosequi voluit PP. Boni ac Catenacci; tum etiam ex eo quod eadem fuerit mens P. Boni, dum in fronte libri, ubi missas adnotabat, haec scripsit: „Capellania quotidiana pro anima D. Francisci Greatti erecta a filio suo Henr. Greatti in hac basilica ss. XII. Apost. Capellanus personalis a supradicto pro prima et ultima vice designatus Fr. Aloysius Boni etc.“

In contrariam vero sententiam abit Eminentissimus Vir per haec sane gravia rationum momenta. Primo quia in dispositione non legitur voluisse testatorem, ut prima et altera capellania in ecclesia ss. XII. Apost. erigeretur, ceu de reliquis capellaniis expresse legitur. Secundo quia dum quoad tertiam capellaniam nominavit P. Mondini, cui certe gratificari intendebat pro laboribus ab ipso exantlatis in munere parochi et confessoris totius familiae testatoris, privilegia tamen ad personam nominati omnino coercuit, designata de cetero quoad ejus successores ecclesia atque altari; proinde ex hac discretiva locutione perpetuitatem indultorum quoad primam et secundam capellaniam evincit. Quod evidentius patere censet ex eo quod respiciens inde testator ad casum quo ob politicas perturbationes seraphicus Ordo supprimetur, administratorem nominavit, eique imposuit „ut exigat fructus sortium earum, satisfaciatque obligationibus trium capellaniarum in ecclesia ss. Apostolorum assignatarum, et in ea nunc assignatarum, et satisfaciat aliis duobus capellanis nominatis . . .“

Huic sane sententiae adstipulari videntur jura, quae tradunt, privilegia quatenus non sint contra jus commune, sed solum praeter vel ultra jus, nec cedant in praejudicium alterius, cum sint merae gratiae, esse late interpretanda, cap. Quia circa 22. de privil. ac in favorabilibus plenissimam interpretationem adhibendam; quin ex privilegii perpetuitate suffragium testatoris animae imminuatur, cum illud idem sit sive in una, sive in alia ecclesia missae celebrentur, Pasqualig. de sacrif. nov. leg. quaest. 1149 num. 6. et S. Congr. in Ugentina 13. Januarii 1748.

In voto Eminentissimi Urbis Vicarii.

203. Sorana. — Absolutionis et interpretationis fundationis.

Die 27. Junii 1857.

In oppido Balsorani Soranae dioecesis usque ab anno 1754 duae institutae fuere capellaniae sub nomine canonicatuum, cum onere capellanis seu canonicis imposito residendi in eodem oppido, coadjuvandi abbatem curatum ecclesiae S. Mariae de Sassi in cura animarum, „et pro effectu praedicto,“ ut se habent fundationis tabulae, „alternatim et alternatis mensibus uni ipsorum per seipsum et personaliter accedendi in dicta ecclesia S. Mariae de Sassi omnibus diebus dominicis et festivis de praecepto, cum obligatione ibidem

celebrandi sanctissimum missae sacrificium cum applicatione pro benefactoribus, audiendi sacramentales confessiones etc.“ Adjecta insuper fuit lex, ut capellanus, qui non esset de servitio in ecclesia S. Mariae de Sassi, teneretur interim non solum residere in terra Balsorani, sed etiam servitium praestare alteri parochiali ecclesiae sanctissimae Trinitatis ejusdem terrae, et archipresbytero curato in cura animarum aeque suppetias ferre; ac alterum demum impositum onus „perpetuo ipsis canonicis sive capellanis curatis manutentionis ecclesiae S. Mariae de Cruce, existentis prope restrictum terrae Balsorani, et in ea ecclesia S. Mariae de Cruce ss. missae sacrificium celebrandi cum applicatione pro benefactoribus in omnibus diebus infra annum festivis de praecepto in honorem B. M. V.“

In sacra visitatione ab Episcopo nuper habita constitit, hujusmodi onera non adamussim impleri. Scilicet hodierni capellaniarum seu canonicatuum possessores, sacerdotes Dominicus Medici et Vincentius Cianfarani, a tempore quo quisque beneficia haec adepti sunt, prior anno 1838, alter anno 1848, quamvis diebus festis sacrosanctum missae sacrificium in ecclesia s. Mariae de Sassi celebraverint, nunquam tamen pro benefactoribus applicarunt; et in ecclesia S. Mariae de Cruce celebrationem etiam penitus omiserunt; adhaerentes hac in re antecessorum capellanorum exemplo, non fundationis legi, quam quidem antea se ignorasse profitentur, quamque ut primum ab Episcopo edocti sunt, religiose adimplere curarunt, ac in futurum sese impleturos spondent. Interim vero propriae conscientiae consulere cupientes, supplices adstant coram S. Ordine, ac attenta eorum bona fide postulant absolutionem et condonationem pro praeteritis omnibus omissionibus; et cum dubia ipsis videatur dispositio quoad celebrationem missarum demandatam in ecclesia s. Mariae de Cruce, exposcunt etiam declarari, an missae in praedicta ecclesia celebrari et applicari debeant in solis festis de praecepto B. M. V. infra annum occurrentibus, an vero omnibus diebus festivis anni cum applicatione pro benefactoribus in honorem B. M. V.

Episcopus informationem ac votum rogatus, suam super precibus sententiam reticens, satis habuit remittere particulam fundationis supra relatam, actum declarationis capellanorum, quo suam bonam fidem iterum obtestantur, ac notulam redituum utriusque capellaniae seu canonicatus ad calculum triennalem exactam; ex qua patet, reditus capellaniae, quam possidet sacerdos Medici, pertingere ad annua ducata 63, quorum fere dimidium onera absumunt; alterius capellaniae, qua fruitur Cianfaranius, ad ducata 135. 90. ascendere, ex quibus quinquaginta circiter ducata pro oneribus, non comprehensis missarum eleemosynis, detrahenda pariter sunt.

Bonam fidem justam concedendae absolutionis et condonationis pro praeteritis omissionibus causam perpetuo reputavit S. Congregatio, ut in Tudertina reductionis et absolutionis 27. Aprilis 1805 et in Bononien. 24. Maji 1823. De hujusmodi bona fide in casu, licet in rebus ad proprium officium pertinentibus non facile excusanda, constare satis videretur ex iterata Oratorum obtestatione, quod nimirum de injuncto applicationis ac in ecclesia S. Mariae de Cruce celebrationis onere numquam ipsis in mentem suspicio venerit; cujus quidem rei illud etiam argumento est, quod vix ab Episcopo de hujusmodi obligatione certiores facti sunt, illico satis ei facere non omiserunt. Altera indulgentiae ratio desumitur ab impotentia supplendi, uti docet S. Congregatio in Senogallien. 16. Decembris 1854. §. Quod attinet; quae in themate deesse non videtur ob redituum tenuitatem quibus capellaniae constant, ratione praesertim inhaerentium onerum habita queis gravantur. Quae sane momenta ubi imploratam veniam suadeant, non abs re

erit congruam aliquam satisfactionem Oratoribus imponere juxta laudabilem S. Congregationis praxim, ut in Neapolitana 2. Junii 1838 ad 1. dubium, et in Venetiarum relata inter summaria precum 29. Januarii 1825.

Ad propositum verum dubium quod attinet, cum de anteriori observantia non constet, ipsa verborum conceptio pro interpretatione unice spectanda est. Quamvis itaque verba „in honorem Beatissimae Mariae Virginis“ referri commode possent ad celebrationem sacrosancti missae sacrificii, offerendi scilicet Deo in honorem B. M. V.; attamen nihil impedit quominus cum verbis immediate praecedentibus conjungantur, nimirum „in omnibus diebus infra annum festivis de praecepto“, ut adeo missa celebrari deberet diebus tantum, quos Ecclesia in honorem B. M. V. festos de praecepto indixit; quam quidem interpretationem nedum concepta orationis formula suadere videretur, sed discrimen etiam locutionis adhibitae in prima fundationis parte, in qua missae celebrandae praecipiuntur in ecclesia S. Mariae de Sassi; ibi enim dies dominici ac festivi absolute enunciantur. Ceterum ubi dubium aliquod supersit, cum agatur de onere plus minusve extendendo, juris principia obtinent: in dubiis benigniora praeferenda esse, leg. 9 et 57 ff. de reg. jur., et in obscuris minimum sequi oportere, cap. 30. de R. I. in 6.

Celebratis tribus missis ab unoquoque capellano, de quorum adimplemento quisque eorum coram Episcopo docere teneatur, pro gratia absolutionis et condonationis super praeteritis omissionibus, facto verbo cum Sanctissimo; et onus missarum celebrandarum S. Mariae de Cruce cohiberi ad dies festos de praecepto B. M. V. tantum.

204. Spoletana. — Interpretationis voluntatis.

Die 18. Decembris 1858.

Sacerdos Aloysius Schiacciadiavoli testamento condito die 6. Aprilis 1850 praebendam canonicalem in collegiata ecclesia civitatis Trebiae institui jussit his verbis: „Volo ut ex meis bonis erigatur canonicatus in insigni collegiata S. Aemiliani loci Trevi, in summa scut. 1200, cum obligatione missae omnibus diebus festis, praeter conventuales, et officii choralis, excepto eo tempore quo confessiones audiat. Volo ut capitulum nominet canonicum, et praeferat clericum mihi consanguineum, si adsit.“

Defuncto pio testatore, Spoletanus tunc temporis Antistes ut tenuem canonicalis praebendae dotem ab eodem testatore assignatam augeret, vigore facultatum, quibus erat praeditus, constituit suspensionem praefati canonicatus ad quinquennium, ut ita annuus reditus mansi originarii, oneribus supportatis, in capitalem sortem interim converteretur, quae fructum gigneret impositis obligationibus magis proportionatum. Porro tamquam administratores vacantis canonicatus nominavit canonicos Franciscum Manenti, qui a testatore designatus fuerat suae ultimae voluntatis exsecutor, et Ferdinandum Lepori. Qui in concrediti muneris exsecutionem missas celebrari curarunt diebus tantum festivis de praecepto. Sed ob genericam testatoris locutionem „cum obligatione missae omnibus diebus festis“ administratores praedicti modo ancipites sunt, utrum missa in omnibus festis praescripta coarctanda sit ad dies tantum festivos de praecepto, vel potius extendenda ad dies quoque suppressorum festorum; quamobrem S. hujus Congregationis oraculum hac desuper re percontari e re sua censuerunt, benignam etiam absolutionem et condonationem postulantes pro praeteritis omissionibus, quatenus opus sit.

Archiepiscopus super precibus hujusmodi auditus, refert, canonicos collegiatae a se requisitos, in capitulari sessione nuper habita, a proprii animi sensu pandendo abstinuisse. Ipse autem momenta rationum quae utrinque afferri possent, ita in sua relatione perstringit: „Observo, testatorem in fundando canonicatu videri animo magis habuisse cultum ecclesiae vel populi commoditatem, quam propriae animae suffragationem. Quo sub aspectu re considerata, missae celebratio restringi forsan posset ad dies festos de praecepto tantum; quia tunc et commoditati populi, qui sacrum sub gravi audire tenetur, et splendori ac decori ecclesiae et cultus divini pressius consulitur. Quae interpretatio majorem accipit firmitatem ex particulari circumstantia a multis Trebiae civibus, quos inter a reverendissimo domino Priore et prima dignitate memoratae collegiatae relata, videlicet nominati Aloysii Schiacciadiavoli intentionem fuisse, ante confectionem testamenti quocum obiit, canonicatum in eadem ecclesia instituere cum onere celebrationis festis diebus tantum de praecepto. Quae explicita et determinata voluntas antea in eadem materia manifestata, restringit verba indeterminata et ambigua, quibus idem Prior extensor schedae testamentariae usus est in exponenda testatoris voluntate.

„Aliunde vero cum testator in haeredis institutione dicat „Instituo haeredem animam meam, quam volo suffragia habere ex sequentibus legatis, eo modo prout exsecutori meo testamentario et confessario exponam", nec aliud praeter antedictum canonicatum in testamentaria dispositione pium legatum reperiatur ordinatum, patet suffragia ad eas missas perstringi, quae canonicatui sunt adnexa. Et hoc sub aspectu ad augenda suffragia in favorem animae testatoris, quae fuit instituta haeres universalis, et est causa privilegiatissima, videretur extendendum missarum onus etiam ad dies festos suppressos; eo vel maxime, quod dum testator canonico imponit obligationem missae singulis festis, adjunxit praeter conventuales, quae sicut celebrari et applicari debent non solum diebus de praecepto festivis, sed etiam suppressis; ita pari, et forsan potiori ratione, suppressis festis missa celebranda videtur.

„Quae cum ita sint, istius Sacri Ordinis erit, decretorie statuere, utrum in posterum missa a possessore canonicatus Schiacciadiavoli celebranda et applicanda sit singulis diebus festis, nullo instituto discrimine inter festos de praecepto et de simplici devotione.

„Quoad praeteritum tempus pendente scilicet quinquennali suspensione collationis canonicatus, censerem, fore approbandum factum administratorum, qui, ut ajunt in supplici libello, bona fide ac tuta conscientia missarum celebrationem ad sola festa de praecepto restrinxerunt."

Quibus perpensis, judicabunt EE. PP. quid consilii hac in re capiendum putent.

Applicationem missae cohibendam esse ad dies festos de praecepto tantum.

205. Mediolanen. — Celebrationis missarum.

Die 9. Decembris 1865.

In ecclesia parochiali Motta-Visconti oppidi Mediolanensis archidioecesis exstat beneficium sub invocatione ss. Antonii et Christophori, cui onus inest celebrationis quinque missarum in qualibet hebdomada, quod sequentibus verbis enuntiatum reperitur in fundiaria diei 14. Decembris anni 1412:

„Volumus quod beneficialis ipsius ecclesiae seu capellae omni die seu saltem quinquies in hebdomada missam in dicta ecclesia celebrare teneatur; justo tamen impedimento cessante, et si negligens fuerit vel renitens ad celebrandum ipsam missam, seu ipsam missam non celebraverit, quod ipse beneficialis incurrat poenam solidorum duorum pro qualibet vice, qua ipsam missam non celebravit, convertendam in utilitatem dictae ecclesiae.“

Hac praemissa fundationis lege, supplici libello H. S. O. exposuit Ordinarius, exortum esse dubium, utrum ad preces interesse habentium obligari possit capellanus „ut in numero quae ad minimum quavis hebdomada celebrandae sunt, computetur etiam missa festiva et si comprehendatur, rogavit dispensationem ab obligatione alicujus missae ferialis.“ Rogatus vero idem Ordinarius, ut iterum inspecta praedicta fundiaria ad H. S. Ordinem referret, si quid forte inveniret, quod magis praecise explicaret tum originem tum valorem praedictae obligationis, novis datis literis renuntiavit, se praeter allatam superius inscriptionem in fundiaria nil aliud reperisse quo magis clarum fiat, quomodo de obligatione missarum se res habeat.

Praeterea addidit, curiam archiepiscopalem usque ad annum 1854 nunquam excitasse aliquem e capellanis, ne hodiernum quidem, „ut oneribus beneficii satisfaceret rigorosius quam consuetudo antiqua (cujus indicia usque ad annum 1600 habentur) ferebat, ex qua capellano dabatur pro quinque missis in hebdomada eleemosyna taxae dioecesanae. Constare tandem ait, quod si nunc beneficium (quod anno 1854 computatum est habere reditum purum 1154. 80 libell.) gravatur onere lib. 1350 a beneficiato solvendarum secundum conventionem factam cum antecessore ab anno 1854, id evenit ex propositione ipsius beneficiati. Revera usque ad illum annum graviora documenta latebant, et cum praesenti beneficiato contigisset fundationem reperire, ad conscientiae suae tranquillitatem eam huic curiae proposuit. Parochus oppidi Motta-Visconti tunc insistebat, ut declararetur capellanum teneri ad residentiam et curam animarum, innitebatur vero simplici cuidam annotationi parochiali, qua in ephemeridibus beneficium ss. Antonii et Christophori nominabatur „missae quotidianae.“ Quamquam haec petitio non excepta fuit, imo declaratum, obligationem capellani in solis quinque missis consistere, attenta tamen fortasse necessitate concedendi sacerdotem populo, tum decisum est, inter quinque missas esse etiam missam festivam.

His ergo praenarratis, rogat iterum Ordinarius, ut in themate statuatur, qua praecise obligatione teneatur capellanus ad tramites fundiariae.

Notissimum cuique est juris principium, quo statuitur, ut onera beneficiorum juxta leges fundationis dimetienda sint, quo pariter inhibetur quominus ipsae fundationis leges, ne in melius quidem, immutentur leg. 7. C. de test., cap. Nos quidem de test. num. 35, Clement. Quia contingit de relig. dom., praesertim quando doceatur permutationem statutarum legum cedere in praejudicium juris, quod tertio quaesitum jam fuerit. Jam vero cum pro certo statui nequeat in casu, quod onus missarum in fundiaria injunctum dies festivos absolute comprehendat, consequens esse videtur, quod obligatio onerati haud extendenda sit ultra liberam in quolibet hebdomadae die celebrationem, Sacra Congregatio in Florentina Celebrationis missarum 18. Aprilis 1863 §§. Haec sunt, et Haec in genere, et Ad dub. Et revera quoties praeter fundationis legem injungi velit onus celebrationis in aliqua determinata die vel hora, novum onus imponi videtur, quod fieri posse in beneficiis vetatur, cap. Prohibemus de censibus, cap. Porro de privilegiis.

Animadvertit Ordinarius, praedictam obligationem festivae celebrationis injunctam forsan fuisse anno 1854 a curia archiepiscopali, ut ita consuleretur necessitati fidelium oppidi Motta-Visconti. Et reapse denegari non potest, quod fundatores ipsi plerumque ad hujusmodi utilitatem fidelium respiciant in piis legatis instituendis. Hinc visum est Ceccoper. lucubr. canon. lib. 3. n. 146. et seqq. non licere capellanis sacra mysteria temporibus et horis sibi benevisis peragere, sed teneri easdem celebrare juxta Episcopi ordinationem, cui munus esse dicit providere in sacrae visitationis actu, ut eaedem missae ad populi commodum celebrentur. Contra tamen sentiunt Pignatell. tom. 9. consult. 3. n. 14. et Piton. de contr. patr. all. 100 n. 29, ceu videre est in cit. Florentina celebrationis missarum 18. April. 1863, in qua, cum statuti quidem essent dies celebrationis missarum, non autem horae ad dubium: „An et quomodo rectores capellaniarum cogi valeant ad missas celebrandas vel celebrari faciendas certis horis in diebus festis in casu, rescriptum fuit: Negative in omnibus et Archiepiscopus adhibeat hortationes.

Si pro omnimoda libertate celebrationis in qualibet die rescribendum erit, tunc nullatenus disquirendum de reductione alicujus ferialis; si vera contra: tunc Eminentiae Vestrae judicabunt, utrum ex hac parte indulgentia dignus videatur capellanus.

Non teneri.

d. De numero missarum celebrandarum.

206. Bobbien. — Legata missarum.

Die 18. Decembris 1852.

Marchio Joseph Malaspina testamento anni 1749 bona nonnulla ad usufruendum, quousque viverent, reliquit Catharinae et Josepho Scarlazzati cum onere trium per hebdomadam missarum; quibus tamen elatis, eadem bona ad filium suum haeredem Antonium migrare voluit „cujus conscientiam onerat, ut celebrari faciat in perpetuum tres missas in hebdomada,“ ... Episcopum praeterea Bobbiensem rogavit, ut in legati exsecutionem vigilaret.

Missae ad hujusce dispositionis tramites litatae sunt usque ad annum 1775, quo primum dubium obortum est super ejusdem legati indole, utrum nimirum nec ne illud esset perpetuum, ita ut onus ad haeredes Antonii etiam migraverit; et praeeunte alicujus theologi voto, dictio illa testamenti „in perpetuum“ cohibita fuit ad personam ac vitam legatarii Antonii, ita ut missarum exinde implementum obliteratum omnino manserit.

Nunc autem marchio Antonius junior Malaspina, qui bona illa haereditario jure possidet, adstat coram S. Ordine, et exponens se a vicennio scrupulis exagitari super ejusmodi missarum onere, postulat ut declaretur, num legatum personale agnosci tuto possit, vel potius sit perpetuum. In hac autem altera hypothesi urget pro absolutione quoad praeteritum, et exoneratione quoad futurum, paratus de cetero congruam ratatim solvere summam pro totidem missis una vice litandis, perpensis tum notabili familiae depressione ab avito splendore ac divitiis, tum tenui eleemosyna quae testamenti tempore ad sexdecim solidos cohibita, vix impraesentiarum erogari posset.

Episcopus optimos Oratoris mores commendans, precibus indulget: insinuat tamen imponi posse celebrationem missarum trium millium plus minusve intra moderatum tempus absolvendam. Idque factum opportunum exsistimat,

tum respectu habito ad politicam illius loci conditionem, tum quia legata perpetua facilius impuniusque negliguntur, tum demum quia legatum, de quo res est, nullam prae se fert securitatem, cum nullo hypothecario nexu sit devinctum. Ex bonis autem legati titulo relictis haberi annuatim francos 460 compertum est.

Quoad legati indolem animadvertendum occurrit cum Card. de Luca de legat. discur. 34, num verba directa a testatore fuerint in personam haeredis, quia si primo haeredi sub nomine proprio ac appellativo onus injunctum est, tunc favor piae causae semper cedit, atque operatur, ut legatum personam legati non egrediatur. Item inquirendum num legatum in determinata ecclesia aut altari fuerit relictum; deficiente enim loci designatione, quae juxta Piton. de jurepatr. contr. 34. num. 5. perpetuitatis notam habet, facilius pro personalitate inclinatur.

Haec quidem optime quadrare themati videntur; siquidem testatur unum haeredem nominavit, et locum implementi arbitrio illius reliquit. At negotium facessit dictio illa „in perpetuum“ quae vix credibile est, quod ad vitam haeredis tantum referatur. Relevat etiam missas certis diebus ac hebdomadis fuisse designatas, quod cum reiterationem de sui natura importet juxta Lara de anniv. lib. 1. cap. 3. num. 9, Pasqualig. de sacrif. quaest. 1005. num. 2. perpetuitatis argumentum suppeditare solet. Quibus addendum, in dubio pro perpetuitate esse respondendum, ratione pietatis causae ac favore divini cultus, Card. de Luca de legat. discur. 19. num. 7.

S. Congregatio ubi in hujusmodi casibus deprehendit dictionem in perpetuum, vel aequipollentia rerum adjuncta, respondit plerumque pro perpetuitate, ut in Urbinaten. legati 14. Junii 1704, in Cervien. legator. 30. Julii 1785.

Quatenus in themate perpetuum agnoscatur legatum, quid sit sentiendum de absolutione quoad praeteritum et exoneratione a futuro implemento, deque conditionibus, sub quibus utraque gratia sit elargienda, facile est dijudicare. Unum monendum cum Episcopo, quod scilicet ubi postulationi indulgeatur, nemini exinde damnum obveniret.

Constare de perpetuitate legati, et quoad petitam exonerationem non expedire, et consulendum Sanctissimo pro gratia absolutionis et condonationis celebratis tantum decem missis, et Episcopus curet executionem legati ad formam testamenti et inscriptionem hypothecariam.

207. Tiburtina. — Legati missarum.

Die 28. Martii 1857.

Nobilis mulier Clementina ex marchionibus Origo Romana Tibure decedens absque liberis anno 1854 holographo testamento condito haeredem scripsit virum suum Nicolaum Tomei, injuncto ei onere „ut celebrari curet quotannis 50 missas lectas pro anima ipsius in ecclesia S. Francisci, et post mortem suam aliias 100 pro ambobus.“ Vita functo mense Septembris anni 1855 Nicolao Tomei, in hujus haereditatem successit ejusdem pater Aloysius, nunc Romae domicilium agens, quem inter et fratres minores de observantia, quorum in ecclesia missae celebrandae forent, cum aliqua exorta fuerit contentio quoad legati interpretationem, res ad S. hunc Ordinem definienda delata est ab eodem Aloysio, qui supplici oblato libello declarari postulat: primo quot numero missae ex praefato legato sint celebrandae; an centum scilicet, uti ipse censet, vel potius centum et quinquaginta, ceu Fratres

contendunt. Deinde an celebratio missarum spectet privative ad eosdem Fratres, seu potius sit in ejus arbitrio deputare alios sacerdotes, qui in illorum ecclesia celebrent. Ac tandem attenta rei familiaris angustia relativa saltem in qua versatur, cui quidem tuendae administrator deputatus ab anno 1855 fuit, ex gratia postulat, ut sibi liceat demandatas missas ubique celebrare facere, quae si in ecclesia S. Francisci celebrarentur, solvere pro unaquaque cogeretur eleemosynam obol. viginti, ad rationem scilicet manualis, praeter utensilia in obol. duobus cum dimidio.

Episcopus super hisce precibus informationem et votum rogatus, a sua promenda sententia abstinet, ac tantum Fratrum et Prosyndici conventus contrarias deductiones transmisit, nec non testimonia juramento firmata Alexandri Conti, qui testamenti typum condere rogatus fuit, et archipresbyteri Rinaldi, qui ipsi testatrici adfuit in scribendo testamento; qui utrique interpretationem Oratoris comprobant, eam scilicet fuisse testatricis mentem, ut centum dumtaxat missae post mortem haeredis celebrari deberent. Ipse demum refert, vires haereditatis summa scutat. quatuor mille contineri; et adjicit, corpora conjugum Tomei et Origo quiescere in sepulchro gentilitio, quod habet familia Oratoris in eadem ecclesia S. Francisci, ubi missae celebrandae sunt.

Itaque primo contendunt fratres minores celebrandas esse missas centum et quinquaginta, quod patere autumant ex ipsis testamenti verbis, et maxime ex illa particula „alias“ — quae vim augendi prae se fert, et ex qua omnis dubitatio eorum sententia prorsus removetur. Infirmare inde conantur testimonium Conti, cui, inquiunt, non ipsa testatrix mentem suam aperuit, sed ejus conjux Nicolaus significavit, qua ratione testamenti typum condere deberet; et alterum testimonium archipresbyteri Rinaldi, quem utpote Oratoris familiae administratorem deputatum minus faciendae hac in re fidei idoneum ac suspectum censent; quem praeterea praesumi nequit errorem non advertisse, si revera in scriptione irrepsisset. Demum perpendunt, inutiliter exquiri, qua mente esset testatrix, antequam scriberet testamentum; cum enim ambulatoria sit hominis voluntas, potuit velle postea, quod antea forte nolebat.

Sustinent praeterea non esse in arbitrio haeredis, quos mavult sacerdotes deputare pro missarum celebratione, quae ad ipsos religiosos privative spectat, quod confirmant pluribus S. Congregationis resolutionibus quas affert Ferraris bibl. jur. can. v. Missae sacrificium art. 4. n. 20. et seqq. ac praesertim in Romana oneris missarum 12. Januar. 1732 ad 1. dub. et in confirmatoria 22. Martii 1732 non obstantibus contrariis resolutionibus ejusdem S. Congregationis in folio allatis, nimirum in Romana 15. Januarii 1639 et in Maceraten. 15. Martii 1692. Idem censuit in Mediolanen. celebrationis missarum 12. Maji 1736 ex ea nimirum ratione, ut inquit cit. auctor „quia in similibus casibus non dicitur electa ecclesia solum ratione sui, sed potissimum ratione pertinentiae ad personas, seu regulares, ita ut potius videantur contemplatae personae, quam locus, et potius favore personarum electus sit locus, quam favore ipsius loci“ ex quo aliud infert conjecturae argumentum, „quod pii testatores relinquendo missas celebrandas in ecclesiis regularium, ultra sacrificii fructus, voluerint etiam consulere indigentiae eorumdem regularium, ut plurimum mendicantium, et sic ulterius suffragium assequi, obtinendo scilicet non solum fructus sacrificii, sed etiam remunerationem charitatis in pauperes religiosos exercitae.“

Hinc idem auctor posthabendam contendit distinctionem, quam sequitur Card. de Luca de legat. disc. 25. per tot., quod nimirum aut legatum celebrationis directum est in ecclesiam, et tunc haeres non possit extraneos deputare sacerdotes; aut directum est in haeredem, et hoc in casu liberum sit haeredi deputare sacerdotes benevisos; perpendens in cit. resolutionibus legatum directum fuisse in haeredem, quippe haeredi onus celebrationis injunctum fuerat, et nihilominus consentaneam auctoris sententiae fuisse S. Congregationis mentem. Nec satis constare an eadem S. Congregatio hanc distinctionem secuta fuerit in Taurinen. celebr. missae quotid. 20. Maji 1752 uti praetenditur in additionibus ad d. artic. 4. Bibliot. Nam licet ibi ad 1. dubium „An celebratio missae quotidianae relictae a quod. Laurentio Galliero spectet privative ad PP. Praedicatores civitatis Cherii, seu potius sit in arbitrio hospitalis majoris d. civitatis ejus haeredis testamentarii ad eligendum capellanum ad nutum amovibilem, qui celebret d. missam quotidianam ad altare S. Vincentii, solutis tamen utensilibus PP. Praedicatoribus“ S. Congregatio responderit: „Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam“ attamen addidit „et ad mentem; et mens est, quod praeferantur Oratores Dominicani in casu, de quo agitur.“

Denique acriter obsistunt fratres minores imploratae facultati ubique adimplendi legatum missarum, cum id et voluntati testatricis adversetur, praesertim quia ejus et conjugis corpora in ecclesia S. Francisci sepulta manent; ac non leve religiosae familiae detrimentum afferret. Commentitias vero affirmant esse jactatas ab Oratore rei familiaris angustias, quem adhuc satis conspicuo patrimonio potiri constat valoris scut. 13500, praeter alia bona quae Tibure possidet, ex quibus biscentum annua scutata percipit; ac praeter haereditatem testatricis in capitali scut. quatuor mille.

E contra Orator censet legatum cohiberi ad missas centum dumtaxat, ceu eruit ex orationis contextu, qua testatrix usa est. Post verba enim alias 100, subdidit „dico centum, pro ambobus“, quae verba ultimo loco posita totius dispositionis veluti summam continent ac mentem disponentis paucis exprimunt ac declarant, nimirum missas in posterum celebrandas non excedere debere numerum centum. Addit relata testimonia, ex quibus magis magisque in propatulo ponitur testatricis voluntas, ut adeo censendum sit per errorem prolapsam fuisse particulam alias. Adhaerendum enim non est cortici verborum, sed praeprimis spectanda voluntas testatricis quid in dispositione intellexerit ac voluerit. Ceterum, cum aliquod dubium superesse posset, interpretatio facienda est, ut minus gravetur haeres, et contra legatarium ex notissimo jure, in fin. et leg. 1. Si ita relictum 44. ff. de leg. 2, leg. Semper in obscuris 9. ff. de reg. jur., quamvis legatum relictum fuerit causae piae. Favor enim causae piae faciet, ut in dubio sustineatur legatum, non ut extendatur. Menoch. cons. 1748 et S. Rota dec. 77. num. 41. part. 10. recen.

Vindicat sibi deinde potestatem deputandi pro missarum celebratione sacerdotes quos maluerit, cum testatrix nullam de religiosis rationem habuerit, et legatum non contulit in eorum ecclesiam, sed haeredi onus imposuit et curam, ut celebratio ibidem fieret, juxta distinctionem Card. de Luca de leg. disc. 25, de qua superius actum est. Contrarias vero S. Congregationis resolutiones minime obesse putat, animadvertens, non eamdem semper in hac re fuisse Sacri Ordinis sententiam, ceu pandunt resolutiones ab eodem Ferrario cit. loco adductae; ut adeo censendum sit non pro regula generali aliquando aliter resolutum fuisse, sed pro casuum contingentia ac variis rerum adjunctis quae occurrere contigit. In themate ratio minorem solvendi eleemo-

synam, quae praesertim nunc, in deterius prolapsa Oratoris oeconomica conditione, in pretio haberi debet, et occasio quae brevi in promptu erit consulendi exhibitioni juvenis consanguinei familiae Oratoris ejusdem in sacris ordinibus jam constituti, odiosum hujusmodi vinculum, quo ab adversariis obstringi vellet, prorsus ejus sententia dissolvunt ac respuunt, ex praesumpta quoque testatricis voluntate.

Haec eadem momenta rationum affert Orator, ut facultas sibi fiat ubilibet adimplendi legatum missarum; quae quanti facienda sint judicabunt EE.VV.

Celebrandas esse quotannis missas 150 praelative a fratribus minoribus de observantia; quo vero ad translationem lectum.

208. Civitatis Castellanae. — Onerum.

Die 28. Aprilis 1860.

Testamento condito die 10. Maji anni 1638 Dionora Moranti legavit sacerdotibus Famiano Falcucci et Validoro Ronconi oppidi Soriano scuta quinquaginta pro quolibet, ea lege, ut unusquisque teneretur celebrare quolibet anno missas decem in suffragium animae testatricis, et post eorum, vel alicujus ex eis mortem, jussit ut instituta sua haeres alios deberet eligere ac deputare sacerdotes, qui praedicto missarum oneri satisfacerent.

Pro eo autem quod pertinet ad legatum relictum sacerdoti Falcuccio, ejus adimplemento obligati sunt in praesens Petrus et Franciscus fratres Gregori mediati haeredes praedicti sacerdotis, qui tamen cum novissent majores suos non decem tantum missas, ceu in vim hujusce legati praescriptum fuerat, sed viginti celebrare eo usque fecisse; hinc occasione s. visitationis anno 1851 ab Episcopo tunc temporis Suriani habita, decretum ab eo impetrarunt, quo sancitum fuit, ut fratres Gregori sacra annua decem tantummodo adimplerent in posterum, imposita satisfactione aliarum missarum decem haeredibus alterius sacerdotis legatarii Validori Ronconi. Sed cum actualis Episcopus primam s. visitationem in eodem oppido peregisset anno 1854 novum idemque contrarium edidit decretum, quo ad celebrationem ut antea viginti annuarum missarum curandam praedictos fratres Gregori obstrictos declaravit, imposito iisdem onere supplendi infra duos menses praeteritis omissionibus.

Ab hujusmodi itaque decreto cum se gravatos existiment fratres Gregori, supplices instant penes S. Congregationem, ut illud tamquam legi fundationis contrarium ideoque injustum revocetur.

Oratores praecipue innituntur verbis testamenti Moranti, in quo haec habentur: „Item jure legati et in suffragium animae ipsius testatricis reliquit RR. DD. Validorio Ronconio et Famiano Falcuccio presbyteris de Suriano scuta quinquaginta pro quolibet, in totum scuta centum, quae consequi asseruit a domino Augustino Porta ex causa venditionis unius petii terrae vallis, cum onere quod semper et in perpetuum unusquisque quolibet anno teneatur celebrare missas decem mortuorum in suffragium animarum ipsius testatricis, ejusque mortuorum, et post mortem ipsorum vel alicujus ex eis infrascripta sua haeres teneatur eligere alium seu alios presbyteros cum eodem onere in legato praedicto contento.“ Innituntur praeterea instrumento diei 21. Februarii 1639 per acta notarii Ferentilli, quo Armenia Ceccorelli haeres instituta a Dionora Moranti praedictis sacerdotibus dedit et consignavit scuta 50 pro quolibet, onere cuique imposito decem missarum ad formam testamenti celebrandarum.

Sed e contra Episcopus potius quam hujusmodi documentis adhaerendum putat cuidam declarationi emissae ab ipso sacerdote legatario Famiano Falcucci occasione s. visitationis habitae ab Episcopo Tenderini, de qua mentio occurrit in actis ss. visitationum ab anno 1720 ad annum 1722 pag. 278, ubi legitur: „Legata assignata a me infrascripto cum bonis stabilibus occasione visitationis factae Suriani ab ill. et rev. Joanni Francisco Tenderini Episcopo Hortano et Civitatis Castellanae.“ „Legatum unum Dionorae Moranti 20 missarum annuarum ad libitum, cum hypotheca pro 25 scut. super omnibus meis bonis et aliis scut. 25 in censu contra haeredes Alexandri Falcucci.“ Majus vero robur acquirere hujusmodi declarationem perpendit Episcopus ex subsecuta constanti observantia; cum constet, familiam Britti haeredem sacerdotis Falcucci, ac deinde ipsos Oratores haeredes familiae Britti, legatum hujusmodi usque ad postrema tempora celebratione viginti adamussim missarum adimplevisse, ceu non controvertitur. Praesumi autem nequit Falcuccium subjicere voluisse bona sua oneri, a quo soluta erant, vel haeredes ejus Brittios et Oratores ipsos praedictum sibi assumpsisse onus, ad quod obligati minime fuissent. Hinc justitiam decreti a se lati in propatulo esse concludit.

Sed vicissim perpendunt Oratores, nullo in pretio habendam esse praefatam sacerdotis Falcucci declarationem. Cum enim ea non novum onus praescribat, sed referatur ad testamentum Dionorae Morganti, in quo diserte eidem Falcuccio obligatio imponitur missarum decem dumtaxat pro legato scut. 50, patet hinc, ne habeatur referens sine relato, sacerdotem Falcucci errore facti inductum fuisse in hujusmodi edenda declaratione, quae alias aperte pugnat cum ipsa lege fundationis; cujus quidem erroris causa in eo forsan reponenda est, quod in eodem testamento ac sub eodem titulo una cum hoc legato, alterum quoque ejusdem summae et cum eodem onere decem missarum relictum fuerit alteri sacerdoti Ronconio. Quod autem ex errore facti gestum est, nullam exserit vim, nullamque parit obligationem, ceu tralatitii juris est. Eoque proinde minus officere autumant posterioris temporis consuetudinem, cujus origo vitiosa est quaeque nimirum ex errore processit, repugnante titulo claro et expresso fundationis. In dubio demum quod minimum est sequi oportere contendunt, adeoque revocandum episcopale decretum, quo gravius ipsis imponitur onus.

Servetur decretum Episcopi anni 1851 et Ordinarius curet celebrari per haeredes Ronconi alias decem missas.

209. Comaclen. — Celebrationis missarum et absolutionis.

Die 19. Decembris 1868.

Ultimo, quo decessit elogio Mariа Solaini Ciri inter caetera haec disposuit: „In suffragium animae suae jure legati vult, ut haeredes sui usque ad finem mundi curent celebrentur missae pro scutatis 30, quae prout voluerint dividentes, haeredes et descendentes solvant sacerdoti quem elegerint et nominaverint ad celebrationem missarum.“

Verum adhuc in vivis agens pia testatrix pro hujusmodi legati adimplemento sacerdotem nominavit, eique praecepisse fertur, ut in singulos annos centum missae ab eo applicarentur. Ipsa elata ejus haeredes testamentariis tabulis inhaerentes missarum numerum modo augere, modo minuere pro lubitu autumarunt, quin tamen scutata triginta a pia testatrice statuta in singulos annos persolvere unquam detrectaverint.

Utrum voluntati scriptae vel oretenus expressae adhaerendum sit, anxius et valde dubitans Dominicus Barillari Comaclensis sacerdos ad legati implementum deputatus supplici libello H. S. Congregationem adiit expostulans: 1° Quot missas debeat celebrare, utrum numerum impositum ab descendentibus scilicet 50 in anno, an prout declaraverat testatrix 100 quotannis? 2° Etsi praevaleret declaratio testatricis an possit in futurum celebrare missas 50 ob auctum in duplum stipendium? Hisce tandem expletis exponit Orator, quod spatio quindecim annorum celebratio missarum 1682 omissa ab eo fuit, quarum 750 bona fide, 932 vero ob rei familiaris angustias queis premitur familia ejus nummis olim dives et agris. Quamobrem enixa prece S. H. Ordinem adprecatur, ut diremptis dubiis absolutionem a missis haud celebratis benigne indulgeat.

Rogatus Episcopus pro informatione et voto utque referret de numero missarum non celebratarum, ac de legitima absolutionis causa respondit „nihil absonum esse a veritate de iis, quae in adnexo supplici libello narrat Dominicus Barillari. Numerum vero missarum haud celebratarum pendere ait a solutione dubii a Barillari propositi in supplici libello. Scribit enim „ab hujusmodi dubii solutione, ni fallor, pendet missarum omissio. Namque si obtineret testatricis oretenus expressa voluntas, major earum non celebratarum esset numerus, scilicet 1500, e converso cum annuatim centum non sint sacra celebranda, facile patet ad medietatem esse restringenda, idest ad 750.“ Praeterea monet familiam Barillariam inter eas censeri, quae in pauperiem prolapsae sunt, ideoque absolutionis gratiam denegandam haud esse existimat Oratori, qui in posterum legati onus adamussim se impleturum promisit. Tandem opinionem suam sincere aperiens putat arbitrium haeredibus in testamento datum, posteriori voluntate ademptum fuisse.

Et sane indubium est piam feminam Mariam Solaini Ciri facultatem testamento tribuisse haeredibus suis eleemosynam, quam vellent tribuendi sacerdoti, qui satis legato faceret. Indubium pariter est ipsam cum adhuc lucis usura frueretur eleemosynam praescripsisse. Siquidem sacerdoti ab ipsa deputato certum sacrificiorum numerum, videlicet centum decrevit. Quare sponte veluti sua fluit determinandae quantitatis arbitrium haeredibus ab ea ademptum fuisse. Et merito, nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut a priori (voluntate) ei recedere non liceat, leg. 22. ff. de legatis 3. Et ratio est quia ambulatoria est voluntas hominis usque ad supremum vitae exitum leg. 4. ff. de adimend. legat.

Econverso dubitandum haud leviter foret, utrum ea quae solemni testamento disposita sunt, nuda voluntate oretenus expressa mutari possint et valeant. Eo vel fortius, si prout in themate mutatae voluntatis legitima probatio deficiat. Neque negotium facessit quod pia femina sacerdoti ab ipsa deputato numerum 100 missarum praescribendo satis aperte mutatae voluntatis argumentum praebuerit. Siquidem omisso quod de hac praescriptione legitimae probationes praesto haud sint, illud observandum occurrit, quod poterat aliqua peculiaris ratio in promptu esse, quae ad ita peragendum piam feminam impulerit, quin tamen legi in testamento scriptae animum derogandi haberet. Accedit quod hujusmodi derogationes in jure haud facile admittuntur, nisi argumenta clara, et concludentia id suaserint.

Caeterum sive major, sive minor fuerit numerus missarum haud celebratarum, absolutionis gratia deneganda videtur. Quandoquidem ex praxi S. H. O. tunc plena vel partialis absolutio conceditur, cum bona fides in omissionibus intercedere visa fuerit. Jamvero nullum hujusmodi bonae fidei argumentum in themate occurrit, siquidem onere missarum celebrandarum

premi haud latere poterat, praesertim pro numero 50 ab haeredibus demandato. Accedit exemplo perniciosam esse hujusmodi absolutionem, siquidem et caeteri hac spe illecti similibus omissionibus locum dare possent evidenti animarum praejudicio. Neque paupertatis ratio in pretio admodum habenda videtur; quandoquidem omnes si non absolutae, certe relativae paupertatis praetextum in medium afferre possent.

Verumtamen legitimae causae ad absolutionem obtinendam in themate deesse haud videntur. Sane adest praeprimis bona fides. Siquidem etsi missarum celebrandarum onere gravari persentiret Dominicus, numerus vero determinatus earum ab eo ignorabatur. Neque praegravat minor missarum numerus ab haeredibus determinatus. Nam huic difficultati occurrere poterat animadversio duplicis eleemosynae taxae. Hoc posito certum, exploratumque est, bonam fidem plurimum semper valuisse, ut pro omissionibus absolutio concederetur, ceu passim docet S. H. Congregatio, et praesertim in Tudertina reduct. et absolut. 27. Aprilis 1805. Neque paupertatis ratio contemnenda videtur; quandoquidem S. H. Congregatio hujusmodi causae intuitu absolutionem saepe saepius indulsit, ceu passim videri potest in hujus S. Ordinis resolutionibus, praesertim quando, prout in themate, nullus in omissione fuit oratorum dolus, et grave nimis foret omissiones supplere.

His tandem accedit et praesumpta testatricis voluntas, siquidem Oratoris familia ab ipsa derivat. Utrum vero absolute vel imposita aliqua poenitentia gratia sit concedenda, id sapientia, justitia et religio EE. VV. judicabit.

Exquirantur ab Episcopo ulteriores informationes auditis haeredibus.

4. Quaestiones accessoriae.

210. Tuscanen. — Utensilium.

Die 28. Augusti 1858.

Joannes Thomas Silvestrelli ultimis quibus, paucis ab hinc annis, decessit tabulis perpetuam capellaniam in ecclesia cathedrali Tuscanensi erigi jussit per haec verba: „Volo ut ex mea haereditate praecipiantur sex schedulae redituum publicorum in valore scut. 20 pro unaquaque, quae constituunt sortem scut. 2400 in erectionem capellaniae in cathedrali Tuscanen. pro celebratione unius missae quotidie ad auroram, in suffragium animae meae, et pro commodiori devotione operantium in agris, quae capellania conferatur illi sacerdoti qui omnes praecellat et pietate et paupertate. Nominatio spectet ad majorem ex filiis meis superstitibus.“

Post testatoris obitum, Aloysius ejus filius natu major et capellaniae patronus, constituta ejus dote, curiae Tuscanensi praesentavit Carolum Casisi cathedralis canonicum tamquam capellanum, instans pro canonica erectione capellaniae ejusdem. Quae antequam perficeretur, requisitus a curia fuit et habitus capituli cathedralis consensus; cautum tamen voluere canonici in capitulari deliberatione mensis Aprilis 1856: „Cum capitulum, dum accepit in suam ecclesiam hanc capellaniam praeter utensilium sacrificii praestationem alias expensas ferre debeat, ut capellanus omnia parata inveniat ad auroram, ad illas compensandas vult ut capellanus quotidie capitulo solvat quinque obolos.“ Decreto itaque episcopalis curiae canonice erecta fuit capellania, in quo haec quoad expensas pro sacris supellectilibus sancita habentur: „Praecipimus autem et mandamus, ut titulo supellectilium, cerae etc.

capellanus pro tempore praedictus scutata novem perpetuo solvat quotannis reverendissimo capitulo nostrae cathedralis ecclesiae."

Cum vero ex hujusmodi decreto ad dimidium reducta fuisset summa, quam pro expensis sacrorum utensilium postulaverat capitulum, in scutis nimirum 28 annuis; id causae fuit, cur capitulum ipsum in jus raperet capellanum pro condicenda sibi praedicta summa scut. 18. Sed judicio vix incepto, satius duxerunt partes contendentes rem definiendam subjicere S. huic Congregationi, a qua supplices declarari postulant: 1° An capitulum jus habeat ad poscendum a capellano hanc summam; quamvis in synodo dioecesana imponatur solutio unius oboli pro missa; 2° An post hanc legem synodalem curia decernere potuerit solutionem scutat. novem titulo supellectilium; 3° Si capellaniam possideat canonicus de gremio ejusdem capituli, qui jus habeat ad massam capitularem, magis quam sacerdos a capitulo extraneus; an iste solvere quid debeat ex dictis titulis, cum jus habeat ad celebrandum in propria ecclesia, et ista obligetur ad praestandum necessaria pro celebratione, quae comparantur ex massa communi capituli?"

Remissis precibus Eminentissimo Episcopo pro informatione et voto, audito capitulo, una cum sua elucubrata relatione, in qua res absolutissime pertractatur, capitularem deliberationem transmisit Eminentissimus Vir, quae ita se habet: „Cum peteretur permissis pro erectione legati Silvestrelli in hac ecclesia cathedrali, capitulum consideravit: 1° quod praeter usum cerae, supellectilium etc. aedituis imposita est obligatio aperiendi ecclesiam ibique inserviendi una hora et dimidia antea quam solitum erat, ex quo necessario eorum emolumenta erant augenda 2° quod in tenebris matutinis lumina in ecclesia accendi debent, ne quid inconvenienter fieret. His rationibus motum capitulum postulavit 18 scut. annua, mediocrem sane summam prae novis expensis ferendis. Si ista summa non solvatur, capitulum erectioni hujus legati in sua ecclesia consentire nequit, cum ob redituum tenuitatem illa onera ferre non possit."

In eadem manet sententia capitulum quamvis canonicus de ejus gremio ad capellaniam assumatur, uti integrum esse negat capellano, sive inservientibus uti quos maluerit, sive ecclesiae lumina per se curare.

Sed e contra haec perpendit Eminentissimus Episcopus in suis literis, quas praestat heic ex integro exscribere: „Non erit abs re animadvertere a Pontificibus et synodalibus constitutionibus cautum esse, ut in instituendis piis legatis seu perpetuis missarum oneribus, pauperibus ecclesiarum sacrariis praestetur congrua contributio pro usu sacrorum indumentorum, et pro aliis ad celebrationem missarum necessariis, non ut aditus pateret avaritiae, ac turpi lucro, ut scite ait Benedictus XIV. Instit. 56. num. 8. Qua quidem praestita congrua contributione, omnes ecclesiarum rectores, etiamsi regulares ipsi sint, tenentur praestare patientiam, ut perpetua missarum onera in eorum ecclesiis celebrentur, dummodo non habeant rationabilem causam id denegandi, uti statutum fuit in causa S. Miniatis proposita die 17. Nov. 1687, et consonat cum his Card. de Luca de legat. disc. 25. A qua contributione pro utensilibus sacristiae persolvenda neminem eximendum esse decretum fuit in Auximana 27. Febr. 1776, quod decretum ad exsufflandum tertium quaesitum in supplici libello positum hic referre juvat: „Rectores beneficiorum, capellanos perpetuos, canonicos obtinentes ultra canonicatum capellanias perpetuas, et ipsum capitulum pro rata onerum perpetuorum teneri ad solutionem utensilium sacristiae ad rationem unius oboli pro qualibet missa, exceptis tantum a solutione utensilium missis adventitiis." Hinc in synodo hujus dioecesis sic statuitur: „Propter eamdem paupertatis eccle-

siarum rationem decernimus, pro oneribus missarum fixis et perpetuis persolvendum a capellanis vel beneficiatis obolum unum pro qualibet missa in compensationem expensarum pro manutentione paramentorum, luminum, vini, hostiae, atque inservientium.“ Synod. dioec. tit. 3. cap. 3. n. 6. pag. 117.

Hisce generatim praemissis, quoad contributionem a capitulo petitam prosequitur Eminentissimus Episcopus: „Hujusmodi contributio incongrua est, ut consideranti patet, praesertim cum cathedralis sacrarium non sit pauper, et cum nimium distet a synodali taxa pro utensilibus unius nempe oboli pro qualibet missa, turpis lucri suspicionem ingerere potest.

„Nec juvat reponere, ut faciunt canonici cathedralis, horam in qua missa isthaec celebranda est, incongruam esse, atque adeo majus incommodum ac damnum afferre; siquidem ex synodali praescriptione ad auroram majora praesertim templa omnibus patere debent, ac proinde non novum ac non ferendum pondus ecclesiae cathedrali hac capellaniae institutione imponebatur. Nae insolens non est, ut hujusmodi missa ad auroram celebretur. Antiquitus celebrabatur a possessore legati Castelli; hoc obsoleto hominum vel temporum injuria, a canonico Anguillara non ita pridem vita functo, ac denique usque ad erectionem capellaniae, de qua quaestio est, ab ipso Carolo canonico Casisi; imo duobus abhinc annis celebratur missa pro hac capellania, nec ullum dispendium cathedralis ecclesia passa est, nec pro luminibus, nec pro aedituo, cujus honorarium ne asse quidem auctum unquam fuit, praeter dispendium consuetum. Quapropter contributio, quam exigunt canonici cathedralis, incongrua prorsus est; adeoque causa, ob quam ipsi ajunt ejusmodi missarum onus in aliam ecclesiam transferendum esse, est omnino irrationabilis; ideoque tenentur praestare patientiam, ut ejusmodi perpetuae missae, persoluta congrua contributione, in eorum ecclesia celebrentur, ceu decretum fuit in causa S. Miniatis, uti supra innuimus.

„E contra Tuscanensi curiae nimis exigua visa est taxa, quam statuit synodus dioecesana unius scilicet oboli pro qualibet missa, siquidem anno 1763 habita fuit synodus eadem; at nostra aetate omnia utensilia ad missae sacrificium necessaria, ne exceptis quidem aedituis, permagni emuntur. Qua ratione inducta Tuscanensis curia in decreto erectionis capellaniae Silvestrelli recedendum esse censuit a taxa pro missarum utensilibus in synodo praescripta, et moderandam esse eam, quam exposcunt canonici cathedralis, ac proinde statuit, ut modernus capellanus quolibet anno solveret capitulo cathedralis, seu ejus sacristiae scutata novem pro utensilibus et aliis ad missae sacrificium necessariis.

„Haec curiae Tuscanensis ratio mihi arridet, ac proinde ut sensum meum promam, putarem capellanum, etiamsi canonicus ipse sit, quolibet anno persolvere debere sacristiae cathedralis scutata novem pro utensilibus ut supra, ea tamen conditione, ut dictum capitulum omnia capellano praestet, quae ad sacrificium missae celebrandum requiruntur.“

Hisce utrinque perpensis, quibus nihil addendum superesse videtur, proposita postulata definire rogantur EE. VV.

Servetur decretum curiae episcopalis.

211. Colonien. — Eleemosynae missarum.

Die 18. Julii 1868.

Libello H. S. Ordini oblato Coloniensis Archiepiscopus expostulat solutionem dubii, quod sic se habet:

„In archidioecesi Coloniensi permultae exsistunt fundationes missarum, pro quibus certa stipendia ordinario majora constituta sunt. Hae missae beneficio non inhaerent, sed tum ab Ordinario, tum a fundatoribus vel provisoribus ecclesiarum, certis sacerdotibus persolvendae assignantur. Haud raro evenit ut ii, quibus hae missae modo praedicto assignatae sunt, impediantur, quominus ipsi eadem porsolvant, tum propter exequias habendas, tum propter stipendia manualia, quae a fidelibus oblata, attentis circumstantiis peculiaribus, rejici non possunt, vel alias ob causas legitime excusantes . . . Quaeritur utrum sacerdotes supranominati, si legitime impediti fuerint, quominus missas modo supra exposito sibi assignatas ipsi celebrent, celebrationem harum missarum alteri sacerdoti sic tradere debeant, ut totum stipendium fundatione constitutum, pro celebratione missarum solvendum sit; an potius sufficiat ordinarium, ita ut quae supersunt, a sacerdotibus quibus hae missae assignatae sunt, tuta conscientia retineri possint.

„Atque si in priorem partem, prosequitur Archiepiscopus, quaestio sit affirmanda, supplicare audeo, ut mihi gratiose concedatur facultas singulis sacerdotibus licentiam, quae in quaestionis altera parte continetur, impertiendi, si eadem indigere videantur.“

Ut disquisitio recto, quo par est, ordine procedat, delibanda in antecessu sunt quae tradita vel constituta fuere circa doctrinam de missarum eleemosynis, deque vetito earum mercimonio, ac ea quae certa sunt ab incertis secernenda.

Nemini non notum est decretum S. H. O. editum die 21. Junii 1625 atque ab Urbano VIII. confirmatum, quod incipit „Cum saepe contingat“. Per illud plures abusus circa missarum celebrationem proscribuntur ac inter caetera id edicitur: „Omne damnabile lucrum ab ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti qui missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.“ Verumtamen haec dispositio locum non habet, quando agitur de missis, quae inhaerent beneficiis et capellaniis veris et propriis. Innocentius enim XII, qui Urbani decretum confirmavit, in bulla Nuper, hujus pariter S. Congregationis responsum approbavit, quo statuebatur circa beneficiatos, decretum Urbani „non habere locum, sed satis esse ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, nisi fundatione beneficii aliud cautum fuerit.“ Ex communi insuper DD. sententia pariter certum videtur, exceptionem hanc ad capellanos sese protendere, qui capellanias possident etiam amovibiles, non collativas ac mere laicales, S. Ligorius lib. 4. tract. 3. de euch. dub. 1. n. 321., Layman tract. 5. cap. 1. de sacr. missae, Scotus, lib. 9. quaest. 3. art. 1., Navarr. cap. 25. num. 91. aliique.

E contra certum est decretum Urbani, quoties de missis manualibus agatur, toties locum habere, ita ut non possit a sacerdote qui pinguiorem eleemosynam accepit, alteri, ut loquitur Bened. XIV. in bulla „Quanta cura“, stipendium minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti et consentienti se majoris pretii eleemosynam accepisse indicasset. Pariter ex hujus S. O. decreto ab Inn. XII. confirmato vetitum est ecclesiis, locis piis, seu illorum administratoribus retinere ex eleemosynis missarum, ratione expensarum, portionem ullam utcumque minimam, nisi cum ecclesiae vel loca pia alios non habeant reditus, quos licite possint in earumdem expensarum usum erogare. Tantum exceptionem DD. admittunt in casu, quo major manualis eleemosyna alicui detur non tam missae intuitu, quam amicitiae, paupertatis,

gratitudinis, propinquitatis: similiter quando sacerdos, cui committitur celebratio, liberaliter et omnino sponte condonet stipendii excessum, S. Ligorius loco cit., in quo plurium DD. auctoritatem affert.

Ex his omnibus, quae ut certa et explorata haberi merito possunt, colligitur missarum manualium stipendium integrum omnino ei deberi, qui missam revera celebrat: pro missis vero quae beneficio vel capellaniae inhaereant, posse si alteri sacerdoti a beneficiato vel capellano celebrandae tradantur, eam solvi eleemosynam, quae congrua sit ratione vel legis synodalis vel locorum consuetudinis, non autem ratione fructuum beneficii vel capellaniae. Solutio ergo quaestionis, de qua in themate, unice pendet ex hoc nempe utrum missarum fundationes de quibus Coloniensis Archiepiscopus loquitur, habendae sint ut missae manuales, vel potius assimilandae beneficiis vel capellaniis.

Quod fundationes illae reputari debeant uti missarum manualium cumulus, deduci posse videtur ex eo, quod quilibet alius titulus in illis deficiat a celebratione distinctus cujus intuitu eleemosynarum dominium possit acquiri: in hoc enim manualitatis ratio precise reposita est, ut unice eleemosyna tradatur titulo celebrationis.

Neque argui fortasse potest ex pinguiori constituto stipendio, voluntatem fuisse fundatorum missarum, ut eae ad modum capellaniae erigerentur. Recte enim praesumi potest institutores per stipendii assignationem solito majoris, voluisse tantum sibi comparare correspondens augmentum fructus accidentalis sacrificii, Passerinus de statu hom. tr. 2. art. 4. 0. num. 1094, vel etiam consulere perpetuitati ipsius institutionis. Dici denique ad summum posset, missas perpetuas manuales non esse ratione ecclesiarum, quibus cura committitur procurandae celebrationis, sed relate ad sacerdotes quibus a provisoribus assignantur. Illis enim revera stipendium traditur pro qualibet missa celebranda determinatum. Cui doctrinae cohaerere videtur decisio S. H. O. diei 15. Martii 1745, qua statuitur licere capellano amovibili retinere partem stipendii, „modo pro capellania certi reditus sint annuatim constituti et perpetuo capellano assignati, secus vero si hujusmodi capellano pro qualibet missa celebranda certa detur eleemosyna.

Quod vero assimilari aliquomodo possint beneficiis et capellaniis propriis ex eo probari posse videtur, quod hujusmodi missae perpetuo fundatae existunt. Jamvero reditus, qui assignantur in fundatione missae perpetuae non referuntur tantum ad rationem celebrationis, sed etiam ad munus quo gravatur sacerdos qui missas celebrandas suscipit, non secus ac accidit in veris ac proprie dictis capellaniis; adeoque pari ratione ac de his provisus, efficitur dominus fructuum et ad nihil aliud tenetur nisi ut, si ipse impediatur, curet missas celebrari ab aliis sacerdotibus, eisque tradat emolumentum juxta loci morem. Id in primis tradit S. Ligorius, qui loco cit. expostiis rationibus quibus demonstratur praeter beneficiatos et capellanos etiam amovibiles minime teneri universos reditus tradere ei qui missas applicat, ita prosequitur: „Idem licet illi cui commissa est celebratio missarum perpetuarum, ut docent Viva num. 9, Croix num. 131. cum Gob.“ Pasqualigo tom. 2. quaest. 973 casum exponit nostro identicum, et ait posse illum resolvi ex iis quae traduntur de capellaniis non collativis, quia missae perpetuae non sunt missae manuales, sed se habent ad modum hujus generis capellaniarum Proinde statuit dicendum: „Eos, quibus commissa est celebratio missarum perpetuarum, si per alios celebrare faciant, non teneri dare, nisi consuetum stipendium. Ita sentire debent qui hoc ipsum tradunt de

capellaniis non collativis, ut Card. Lugo disp. 21. de euch. sect. 2. num. 30. Aversa 9. 11. de euch. sect. 17.

Immo Card. de Lugo, loco cit. non tantum de capellaniis non collativis loquitur, sed etiam contendit Urbani decretum haud extendi posse ad casum quo certa summa sacerdoti legata sit pro celebratione missarum, nec ad alios casus similes, sed in eo loqui tantum de missis proprie dictis manualibus.

Concludi ergo merito posse videtur casum de quo in themate, ex iis esse, quorum supremum Ecclesiae tribunal definitivam haud tulit sententiam.

Videant itaque EE. VV., utrum magis expediat, ut quaestio praesens absolute dirimatur, vel potius ut Coloniensi Archiepiscopo facultas quam exoptat, concedatur, elargiendae scilicet dispensationis in singulis occurrentibus casibus pro ejus prudentia et arbitrio.

Juxta exposita solvendum esse integrum stipendium; quoad expetitas facultates non expedire.

B. Causae immutationis obligationum missarum.

1. De translatione oneris missarum.

212. Aretina.

Die 16. Septembris 1826.

Eques Laurentius et alii fratres Libri Florentini gaudent jurepatronatus cujusdam publici oratorii sub titulo S. Mariae Gratiarum positi in loco vulgo Poggitazzi penes oppidum Montis Alti dioec. Aretinae atque in eodem oratorio sumptibus familiae Libri quatuor missae singulis hebdomadis ab antiquissimo tempore celebrantur. Cum autem hujus fundationis piae nulla exstet memoria, nullum inveniatur testamentum nec ullus fundus huic missarum oneri fuerit unquam assignatus, Oratores hoc fuisse merae devotionis exercitium opinantur. Nihilominus tranquillitati propriae conscientiae consulere cupientes ab EE. VV. postulant, ut onus quatuor missarum ad duas solummodo in qualibet hebdomada reducatur pro augenda eleemosyna atque ut earundem missarum implementum transferatur in alias ecclesias existentes in praediis ad eos pertinentibus. — Rogatus de more Ordinarius haec retulit: „Ex actis curiae episcopalis patet legatum quatuor missarum in hebdomada jam diu exstare; de eo sermo fit in variis visitationibus pastoralibus incipiendo ab illa R. D. Episcopi Salviati anno 1651. Familiam Libri in praeterito se obligatum existimasse ad implementum oneris istarum missarum, elucescere et ex consuetudine nunquam interrupta et ex ipsis expressionibus, quibus pater Oratorum in supplici libello ad SS. Patrem anno 1797 directo utitur. Revera ex hujus tenore Maximilianus Libri facultatem accepit, ut annuum istum numerum missarum, qui post debitam diligentiam propter penuriam sacerdotum in loco Poggitazzi applicari non posset, in aliis oratoriis celebrari curaret, quod ab illo accurate exsecutioni mandatum est. Hoc solum addere possum, hodiernam plerumque majorem penuriam sacerdotum necessarium reddere augmentum stipendii pro missis celebrandis.“

Pro gratia translationis tantum missarum juxta petita pro ea quantitate, quae adhibitis diligentiis ex defectu sacerdotum in publico oratorio S. Mariae Gratiarum satisfieri nequeunt ad decennium, docto et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

213. Patavina. — Commutationis voluntatis.

Die 23. Aprilis 1861.

Testamento die 24. Aprilis 1843 nobilis femina Theresia Lazzara Ajaccio Patavina suis haeredibus demandavit, ut in oppido Selvazzano Patavinae dioecesis erigerent oratorium et domum pro mansionario, huicque injunxit quotidianam in eodem oratorio sacrosancti sacrificii celebrationem. Per sexdecim et amplius annos ob lites inter haeredes agitatas pia haec dispositio suspensa remansit; cumque anno 1862 aedificandum jam esset praedictum oratorium prope parochialem ecclesiam S. Michaelis Selvazzani, supplici libello sub die 20. Junii ejusdem anni Episcopus Patavinus animadvertens „locum a pia institutrice designatum pro erectione oratorii ecclesiae parochiali esse tam vicinum, ut populo nullum commodum proveniat, quinimo periculum adsit, ne, si ibi missa celebretur diebus festis, ecclesia parochialis deseratur et multo plures concurrant, quam quos parvissimum oratorium excipere possit, cum detrimento necessariae devotionis;“ Sanctissimum Dominum Nostrum rogavit, ut benigne sibi concedat facultatem mutandi aliquantulum dispositionem piam, obligando scilicet mansionarium, ut diebus festis celebret in ecclesia parochiali, ad evitanda scandala in oratorio et majus commodum populi procurandum.“ Et his precibus parochus S. Michaelis proprio et parochianorum nomine, idem orans, accessit.

Die 14. Julii rogatus est Episcopus, ut auditis, si qui forent, interesse habentibus, referret, cur potius commoditati consuli posse non videretur praefiendo horam distinctam pro celebratione missae in enuntiato oratorio diebus festis ab ea, qua parochialis officiatura haberi solet; et Patavinus Antistes literis diei 16. Septembris 1862 praeallatis rationibus insistens retulit: „Unica ratio ob quam imploravi facultatem mutandi dispositionem testamenti quoad missam diebus festis in ecclesia parochiali, non in oratorio celebrandam, fuit ea, quod oratorium nonnisi paucos passus distat ab ecclesia. Praeterea cum ejus area nonnisi 24 metra quadrata cum altari contineat, ad summum 50 homines ibi esse possunt. At populus illius loci ad 1800 capita ascendit. Haud absonum igitur est, ut ponatur, cum in ecclesia parochiali non sint nisi duae missae, plus quam centum homines missae in oratorio assistere velle, quod fieri non poterit nisi ad portam stipati devotionem necessariam negligant; hinc minus malum esset, si missae in oratorio et in ecclesia eodem celebrarentur tempore. Addendum est, his 16 annis postquam e vivis excessit pia testatrix, res ita mutatae sunt quoad eos, qui interesse habere possint, ut sustineatur illa dispositio, ut nonnisi archipresbyter et fabrica loci Selvazzano ingerere se possint, atque hi insistunt jam a fundatione mansionariae, ut evitentur ista, quae timent, scandala.“

Edoctus praeterea Episcopus de difficultate, quam apud S. Congregationem supplex libellus inventurus foret, aliis literis diei 21. Febr. 1863 iteratas preces instantius renovans et parochum S. Michaelis summo opere commendans addidit: „Optimus iste sacerdos, qui ab annis 44 ibidem animarum curam exercet, affirmat piam testatricem, cujus sensus ille optime noverat, ideo praetulisse parochiam illam, ut ejus populo provideret in bonis spiritualibus, et sine dubio excepisse dies festos, si illa mala praevidisset.“

Certum est divina officia ea in ecclesia esse peragenda, in qua testator demandavit, Pasqualig. de sac. nov. leg. quaest. 1139, a quo jure ut discedatur justa et necessaria causa requiritur, quemadmodum exigitur pro quacumque testamentaria dispositione commutanda, Trid. sess. 22. cap. 6.

de refor. Benigne tamen in harum causarum inquisitione Sacra Congregatio procedere consuevit, quoties testator de suae suorumque animarum suffragio directe sollicitus, indirecte etiam aliqua pia fundatione missarum ad circumjacentis populi utilitatem commoditatemque respexerit: Sacr. Congr. in Comen. 15. Septembris 1764 Lucana 28. Julii 1781, Firmana 3, Augusti 1782, Interamnen. 19. Julii 1777, Urbinaten 3. Februarii 1787. Quare perpenso parochi testimonio non ita rigide forsan in themate inquirenda videretur commutationis causa, ut nonnisi vehementissima et quasi vim faciens expostulanda foret. Idque eo minus exigendum, cum nonnisi de modica commutatione agatur, firma ceteroquin in omnibus defunctae mulieris voluntate. Praeterea non sine vero fundamento adnotare videtur Episcopus incommoda superius allata, cum facile praesumendum, parochianos Selvazzani arctissimo in spatio sese urgentes, absque debito interioris devotionis sensu missam audituros, aut extra sacelli septa, vel in ejus limine consistentes profanis confabulationibus indulturos. Aliunde testatrix ipsa, ut parochus monet, si memorata incommoda praevidisset, sese majori fidelium utilitati, vel etiam necessitati accomodasset. Videant igitur EE. VV., utrum in casu merito fieri valeat locus regulae, quae de voto traditur, et ad ultimas voluntates extenditur ad tradita per Monet. de comm. ult. volunt. cap. 6. num. 92; quod scilicet commutari possit dispositio, quae licet utilis et undequaque possibilis a testatore reputabatur, post ipsius mortem tamen vel inutilis vel etiam aliqua sub ratione impossibilis reperta est. Commutatio enim his in circumstantiis non sine quadam tacita ipsius disponentis voluntate obtineret, cum adjuvari potius quam abrogari censeatur defuncti voluntas, quoties alter adhibeatur modus, qui sit aptior ad assequendum pii operis effectum; Sacr. Congreg. in Romana commutationis voluntatis 12. Febr. 1735; Rota Dec. 14 n. 22. cor. Falconerio.

Haec quidem animadvertenda erant juxta Episcopi Patavini, nec non parochi et fidelium Selvazzani vota; Eminentiis tamen Vestris dijudicandum relinquitur, utrum ipso in limine fundationis (quando scilicet praesentes fere omnes circumstantiae facile testatrici innotescere potuerunt) Oratorum preces adductis rationibus satis tuto sustineantur ad expetitam voluntatis commutationem consequendam.

Pro gratia translationis juxta votum Episcopi excepto die sancti titularis oratorii, facto verbo cum Sanctissimo.

214. Camerinen. — Translationis missarum.

Die 27. Novembris 1847.

Ex pluribus ecclesiasticis beneficiis, quibus potiebatur ecclesia monialium S. Clarae loci Sarnano in Camerinensi dioecesi, unum tantummodo in eadem ecclesia servatum est, cum cetera capitulis vel collegiis fuerint per Sedem Apostolicam praevia illorum suppressione ac exstinctione incorporata. Ex his duo concessa sunt Patribus Oratorii ibidem degentibus, unum scilicet sub invocatione S. Mariae Magdalenae per literas apostolicas s. m. Pii VII. die 19. Februarii 1820 expeditas, alterum vero S. Antonii abbatis sub iisdem forma et terminis concessionis die 27. Novembris 1830 ex indulgentia Pii Papae VIII. Et quoniam unicuique ex duobus postremis beneficiis onus inerat unius missae pro qualibet hebdomada, Oratoriani Patres a concessionis die usque ad totum mensem Augusti anni 1845 onus hujusmodi in monialium ecclesia fideliter impleverunt; quo tempore, cum sacram visitationem Sarnani

Archiepiscopus obiret, suppliciter petiit ab eodem Archipraesule Neriana familia dictarum missarum translationem ad propriam ecclesiam, utpote majore populi frequentia decoratam, asserens „ex translatione ecclesiae beneficiorum nullum damnum ingeri, eo quod ageretur plerumque de celebratione diebus ferialibus“; quam adamussim obtinuit per rescriptum diei 3. Septembris 1845.

De hoc translationis decreto apud H. S. C. continuo moniales conquestae sunt. Sed cum Archiepiscopus referret duo praefata beneficia donationis titulo praedictis patribus fuisse concessa ac praeterea non monialium intuitu fuisse a testatoribus relicta, cum ipsis data fuerit post Concilium Tridentinum parochialis ecclesia S. Petri (nunc autem S. Clarae titulum obtinet ex reaedificatione ipsius a fundamentis peracta anno 1773), in qua jam antea erecta erant memorata beneficia; necnon, dum uberius commodum populus persentiebat ex illarum celebratione in ecclesia P. Oratorii, nullum econtra monialibus obvenire detrimentum, quia praeter quotidianam confessarii, alteram quovis festo die capellani missam habebant, ideo ipsarum monialium preces sub die 28. Februarii anni superioris rejiciendas putavi.

At vero, novis datis precibus, moniales plura adduxerunt, quibus rerum aspectus immutari videbatur ac praesertim actum translationis paroeciae a dicta ecclesia, quo cavebatur, ut parochus „seu Prior S. Petri teneatur satisfacere obligationibus missarum in eadem ecclesia antiqua S. Petri, et eodem modo, quo celebrare tenebatur ante translationem, et hoc pro monialium commoditate.“

Quibus acceptis denuo Archiepiscopum rogavi, ut fundationis particulam cum actis ss. visitationum transmitteret et copiam literarum apostolicarum favore Patrum Oratorii. Hic tamen omnia periisse referens in incendio secuto 16. saeculo, unicum actum translationis paroeciae, anno 1747, de quo supra, et copiam indultorum favore Nerianae congregationis transmisit; ex quibus eruitur, duo praefata beneficia praevia suppressione fuisse quidem praefatae familiae titulo donationis assignata, sed hac expressa conditione: „supportatis tamen prius per dictae congregationis Patres nunc et pro tempore existentes omnibus et singulis, si quae sint, illorum respective oneribus“; ipsemet autem Archiepiscopus nihil praecedenti relationi addendum putavit, animadvertens solummodo, e tributa translatione monialium spirituali solatio nullum esse detrimentum obventurum.

Obligatio patrum congregationis Oratorii celebrandi missas suppressis beneficiis inhaerentes in ecclesia S. Petri, quae hodie ut dictum est, gaudet titulo S. Clarae, in dubium revocari nequit tum ex patentissima conditione supportatis oneribus etc. in Brevi concessionis apposita, tum ex subsecuta constantissima observantia. Oritur hinc dubium, num potuerit Archiepiscopus in sacra licet visitatione praefata missarum onera inauditis monialibus transferre. Liberam esse Episcoporum facultatem missarum translationem concedendi, quoties ignoratur an ex veteri institutione, an ex legato, seu potius ex contractu illud onus proficiscatur, ceu contingere videtur in casu ob documentorum jacturam, clarissime eruitur in Comen. Translat. missarum 15. Septembris 1764 §. Maxime; eoque magis, si justa ac legitima interveniat causa, qualis profecto censenda est in themate majus populi commodum in ecclesia congregationis Oratorii, nullumque detrimentum ecclesiae, a qua facta est translatio; maxime etiam facienda videtur circumstantia, quod non apparet, an in ipsa S. Petri ecclesia humatum fuerit fundatoris cadaver, qua in hypothesi difficillime missarum translationes conceduntur.

Contra tamen est perpendendum, missas, de quibus est sermo, in ipsa paroeciae translatione anni 1747 praeservatas expresse fuisse monialium ecclesiae pro ipsarum commoditate, quod maxime relevat favore sanctimonialium, illudque documentum ceteris deperditis stare debere fundationis loco. Praeterea non solum ipsis inauditis, sed acriter etiam dissentientibus factam fuisse patet translationem. At in aperto interesse habentium dissensu saepissime, ne dicam semper, S. C. missarum translationes denegavit, quamvis in ecclesia, a qua petebantur translationes, sepultus non fuisset fundator, ut in Lauden. 23. Aug. 1738 et in Panormitana 26. Septembris 1739, in quibus ipso fundatore petenti translatio fuit denegata ex dissensu rectoris ecclesiae in Neapolitana 24. Januarii 1733, in Ariminen. 20. Decembris 1732, in Romana Translat. oneris missar. 28. Julii 1731 et in Placentina Legati 23. Novemb. 1781 aliisque sexcentis. Stylus insuper S. Congregationis est, in concedendis hujusmodi translationibus semper prae oculis habere interesse habentium consensum, sub qua unica conditione conceduntur. Moniales praeterea ex alterius missae privatione, die praesertim veneris litandae, magnum praejudicium repetunt, cum illa die ad sacram synaxim soleant accedere.

Archiepiscopi decretum diei 3. Septembris 1845 non esse sustinendum, et missas, de quibus in casu, in ecclesia monialium esse celebrandas ad formam institutionis et consuetudinis.

215. Reatina. — Translationis.

Die 28. Aprilis 1860.

Plurimo ab hinc tempore illustris et vetusta familia Staffa Reatina per numquam fere interruptam multarum generationum seriem apostolico privati oratorii indulto gavisa est. Hinc factum ut oratorium ipsum, ad quod per exteriorem etiam aditum ex domus atrio conscendi potest non modo affabre instructum et magnifice ornatum, sed multis quoque iisque insignibus sanctorum reliquiis ditatum, pieque et rite fuerit excultum.

Ultimus masculus hujus familiae Joseph Staffa volvente anno 1855 defunctus, testamento condito, hujus domestici oratorii intuitu sequens reliquit legatum: „Titulo legati do capellae domus meae scut. 300 cum obligatione, ut ista capella conservetur, et ibi diebus festis in perpetuum celebrentur missae 20 in suffragium animae meae. Si hoc legatum negligatur vel rejiciatur, aut ex quavis causa quovis tempore capella pereat et infra annum ad pristinum usum et cultum non restituatur, legatum devolutum sit ad orphanotrophium S. David hujus civitatis.“

Testator autem licet universa uteretur frueretur domo, jure autem dominii tertia tantum ejus parte (quam legato devinxit) potiebatur, reliquis duabus partibus jam antea extraneis addictis. Cum vero domus ista, ceu fertur, commodam non patiatur divisionem, hinc haeredes Staffa, aliique in ea jus habentes, in consilium venerunt eamdem sub hasta vendendi, quod ut facilius perficiant, supplici oblato libello postulant facultatem transferendi praefatam capellam seu ejus titulum ad aliam ecclesiam vel ad ipsam cathedralem Reatinam, una cum reliquiis, aliisque rebus ejus usui addictis, retento nomine capellae Staffa, praestitaque dote a testatore constituta, impendenda juxta ejus voluntatem, quin ob hanc translationem fiat substitutioni locus.

Episcopus Reatinus informationem ac votum de more rogatus hujusmodi petitioni omnino adversatur, perpendens, hujus domestici oratorii piique cul-

tus in eo perpetuitatem prae oculis habuisse Josephum Staffa, ad quem effectum praedictum reliquit legatum, declarans nihil sibi magis cordi esse, quam jugem conservationem et manutentionem dictae capellae seu oratorii domus suae, ceu ex verbis in testamento adhibitis ac supra relatis manifesto colligitur. „Nunc vero (prosequitur Episcopus) juxta haeredum preces capella domus Staffa minime servatur ac manutenetur, quin imo ipsa depereat necesse est, si prout testatoris voluntas fert, locus prisco usui non relinquitur, et pristinus in ea cultus non exhibetur. Neque dicendum capellam alio transferri et constitui posse, eodem sanctorum reliquiis, sacris supellectilibus, ceterisque quae ad ornamentum pertinent exportatis. Nam alibi constituta capella, haec quidem nomine, et fortasse etiam jure capella Staffa dici poterit, num vero eadem ipsa erit et identica, ut ita loquar, ac ea quae in praesentiarum in domo Staffa exstat, quamque testator intendit, quamque jugiter servandam et manutenendam jussit, et ad priscum usum et cultum perpetuo destinandam? Nonne id sub caducitatis poena praecepit? Nonne edixit, quod si quacumque causa id praestari non posset, legatum supradictum scut. 300 ad puellarum S. Davidis orphanotrophium deferretur?

„Usuvenit apud omnes, homini super suis rebus disponenti obsequendum, voluntatemque ejus esse legem, Nov. 22. cap. 2, nec sine rationabili causa immutandam, Synodus Trid. sess. 23. cap. 6. de reform. Reiff. lib. 3. tit. 26. de testam. n. 809. Quodnam vero bonum jus Oratoribus, aut quaenam causa legitima translationis esse possit non liquet. Quaecumque tamen esset causa, nisi capella perpetuo servetur ex testatoris voluntate, legatum orphanotrophio S. Davidis erit tribuendum, ceu ex verbis ipsius testatoris desumitur.“

In eamdem vero sententiam moderatores orphanotrophii a se auditos convenire admonet; qui in folio ad id exhibito inter cetera admonent „veritati non esse consentaneum, quod ob manutentionem capella domus dividi aut vendi non amplius possit, capella enim scalam habet omnino separatam, ad quam pervenitur aream domus transgrediendo; hinc servitutem itineris areae huic imponendo pro illis raris casibus, in quibus ad capellam accedendum est, in reliquis liber usus domus non impeditur.“

Sed haeredes Staffa, dum ex una parte justam translationis causam in eo esse propugnant, ut domus scilicet facilius venire possit, contendunt ex alia, translatione concessa haud locum fieri substitutioni ad legatum scut. 300 favore orphanotrophii. In casu enim non rejicitur legatum, nec deperit oratorium, sed imo, ope translationis ad publicam ecclesiam, splendidius restituitur, et melius consulitur ejusdem manutentioni et cultui. Ac proinde non comprobatur casus substitutionis indictae, sed voluntas testatoris hac ratione impletur, qui rem potius, quam locum materialem, quem demonstrationis gratia adjecit, respexisse censendus est. Nam probe ipse noverat, oratorium haud exstare amplius posse in domo, in qua plures erant domini, quos inter jam divisa, iterum dividi in posterum debuisset; eo vel magis quod cum ejus, ultimi de familia Staffa, morte cessaret indultum a S. Sede concessum, ut adeo locus ibi fieri non posset injunctae missarum celebrationi. Hinc consequi legatum ab eo capellae relictum fuisse, non ut materialiter ea pristino in loco consisteret, sed ne deperiret, ac alibi restitueretur.

Omnino vero utriusque juris sanctionibus consentaneum edicunt, ut cum opus pium exsecutioni committi nequeat in loco a testatore designato, haud inde caducum fiat favore substitorum a lege vel ab homine, sed integrum manere debeat, quousque alio in loco adimpleri queat; quia loci adjectio accessoria est, nec legatum cessare debet, quousque ejus finalis causa non defi-

ciat, juxta ea quae habentur in cap. Nos quidem §. Quod infra, de testam. Pignatell. t. 10. consult. 46. num. 34, qui ad hujus doctrinae tramites casum non absimilem a se propositum ita resolvit n. 20.: „Non obstaret quod monasterium non fuerit fundatum in loco designato a testatore. Quando enim monasterium non potest construi in loco, ubi testator mandavit, potest construi in alio“ et num. 34 addit: „Hinc autem fit, quod quando obtinetur finis ex parte, non habet locum pactum resolutivum. Nam adhuc finis legati perseverans secundum aliquas reliquias manutenet legatum. Nec sinit subintrare pactum resolutivum, quod ex dispositione solum subintrare potest, quando deficiente finali causa, deberet deficere legatum, si esset successivum.“ Ac inde num. 40 concludit: „Quare manutenendi sunt regulares in legato, quando defectus adimplementi non potest refundi in eorum voluntatem, dum ipsi praestiterint quantum in se est, ut modus adimpleretur, ac proinde habetur pro impleto.“ Addunt auctoritatem S. Rotae in decis. 330. part. 19. tom. 2. recent. et S. Congregationis in Romana seu Pisauren. Translationis oneris 23. Junii 1753, in Romana seu Januen. 22. Martii 1823 §. At Petrus, et alibi.

Itaque perpendendum erit quid sibi praecipue voluerit testator; tum etiam an hujusmodi concurrant circumstantiae in proposita specie, ut ejus voluntatis exsecutionem, juxta modum ab eo volitum, impossibilem reddant; tum denique reliqua facti jurisque momenta hinc inde adducta ponderanda sunt, ut quid consilii capiendum sit, sive quoad translationem, sive quoad substitutionem, probe decernatur.

Lectum.

216. Asculana. — Translationis legati pii.

Die 28. Augusti 1858.

Usque ab anno 1825 institutum exstat in civitate Asculana pium exercitium quod vocant mensis pretiosissimi sanguinis Jesu Christi, quod nimirum mense Junio cujuslibet anni in paroeciali ecclesia S. Mariae inter vineas ad altare Sanctissimo Crucifixo dicatum ibidem celebrari suevit. Sacrae huic functioni praeerat quatuor virorum deputatio, quorum praecipuum munus erat eleemosynas colligere, ut necessariis expensis fieret satis. Anno autem 1851 cessavit deputationis necessitas et officium, ex quo sacerdos Petrus ex marchionibus Odoardi, qui ad eam pertinebat, onus sibi assumpsit celebrandi in posterum propriis sumptibus pium hujusmodi exercitium, ceu reapse perfecit reliquis quibus supervixit annis. Imo ne post ejus obitum illud praetermitteretur, testamento condito die 30. Julii 1857 legati titulo reliquit „parocho pro tempore S. Mariae inter vineas summam scut. 600 investiendam formatione unius vel plurium censuum activorum in fundis idoneis constituendorum, quorum fructus, erogentur ad peragendam functionem mensis pretiosissimi sanguinis modo usque nunc observato.“ Morti autem proximus die nempe 12. Januarii labentis anni (duodecim ante dies quam ex hac vita migraret) novum obsignavit testamentum, in quo praedictum confirmavit legatum, ejus dumtaxat imminuta summa ad scutata 500, relicta germano suo fratri marchioni Aloysio instituto haeredi facultate assumendi officium mensis pretiosissimi sanguinis, dum dicta scut. 500 solvere nollet, mandans demum, ut si haeres pium opus negligeret, Episcopus pro tempore summam scut. 500 exigeret ad implendam piam functionem.“

Defuncto sacerdote Petro, ejus frater Aloysius Odoardi supplicem huic Sacrae Congregationi obtulit libellum postulans facultatem, ut ipse suique descendentes in ecclesia S. Christophori, non in templo S. Mariae inter vineas supradictum legatum adimpleri curare possent. Rationum momenta, quibus petitio innititur, in eo sunt, quod in ecclesia S. Christophori sepulturam sibi elegerit defunctus sacerdos Petrus; quod ecclesia haec sita sit prope palatium nobilis familiae Odoardi, ut adeo magis commodus pateat ad eam accessus iis omnibus de eadem familia, qui pium hujusmodi exercitium celebrare cupiant, ceu in votis habet ipsemet Orator Aloysius; quod demum haec adamussim fuerit mens et voluntas pii testatoris, licet in testamento non expressa, satis tamen manifestata ejus confessario lectori s. theologiae in coenobio Cappuccinorum Asculi, qui eidem in extremis adstitit, cujus ex testimonio habetur, ipsi a sacerdote Petro Odoardi mandatum esse, ut per se vel per superstitem Ludovicum Odoardi a S. Congregatione facultatem peteret transferendi „mensis pretiosissimi sanguinis“ piam functionem ab ecclesia S. Mariae in ecclesiam S. Christophori. Testatorem ab intentione declarandi suam voluntatem in codicillo eam ob causam destitisse, quod talem translationem facili negotio obtineri audiisset.

Episcopus super oblatis precibus rogatus informationem et votum, retulit, se audivisse parochum S. Mariae inter vineas, unum hac in re interesse habentem, qui Oratoris petitioni acriter obstitit; cujus sententiae et ipse adhaerere videtur Episcopus, ob rationes a parocho eodem adductas et in libello circumferendo expositas.

Interim vero accidit, ut adventante mense Junio p. p. idem Aloysius Odoardi protestatione apud acta emissa parocho S. Mariae inter vineas significaverit se non praestare consensum neque expensas esse subiturum, si functio pretiosissimi sanguinis in ecclesia S. Mariae perageretur et id quidem propter litem apud S. Congreg. pendentem. Sed protestatione hujusmodi posthabita, cum integra maneret adhuc pia dispositio, consuetum celebratum fuit exercitium et ad exitum cum mense Junio perductum a parocho, qui ideo instat, ut ad rependendam summam ad id impensam Aloysius cogatur.

Qui partes agit parochi S. Mariae inter vineas, praecipue recolit, non concedi solere pii legati translationem de una ad aliam ecclesiam, nisi justa urgeat causa necessitatis vel utilitatis; praesertim si in designata ecclesia legatum impleri facile possit, et aliunde illorum quorum interest desit consensus, juxta doctrinam hujus S. Congregationis traditam in Lunen-Sarzanen. Commutationis voluntatis 18. Martii 1826 §. Praeterea, in Nolana Translationis 18. Augusti 1827 §. Neque, atque alibi passim.

Haud vero hujusmodi censeri posse adductas ex adverso causas; nimirum vel majoris commoditatis pro familia Odoardi, si pium exercitium peragatur in ecclesia S. Christophori, cum constet alteram etiam ecclesiam S. Mariae inter vineas non tam longe abesse a palatio ejusdem familiae, nec difficilem ad eam patere accessum, dum e contra non leve ob translationem pateretur detrimentum ecclesia S. Mariae, in qua ab initio hujusmodi exercitium institutum est, et pluribus ab hinc annis celebratur cum magno fidelium, praesertim ad eam paroeciam pertinentium, concursu; qui ea propter una cum parocho enixe postulant, ne Oratoris petitio excipiatur: vel electionis sepulturae a testatore factae in ecclesia S. Christophori; cum id non secum ferat, ut legatum quoque de quo quaeritur ad eam transferri debeat

ecclesiam, praesertim quia alterum eidem legatum testator ipse reliquit scut. centum pro annua celebratione missarum in animae suae suffragium.

Addit praeterea, controversum legatum non ex mero liberalitatis actu, sed potius ex justitia relictum deprehendi, si perpendatur, testatorem, deputatione, quae fidelium eleemosynas pro pii exercitii celebratione antea colligebat, dissoluta, onus suscepisse necessarias ad id suppeditandi expensas ex proprio aere, ac suam saepe pandisse voluntatem pio operi perpetuo providendi, ne post suum obitum intermitti contingeret, ceu testes perhibent; quod quidem facto comprobavit.

Post haec despiciendum censet testimonium in contrarium allatum confessarii testatoris quoad ejus mutatam hac in re voluntatem, tum quia unicus testis cum sit, legitimam constituere nequit probationem; tum quia inverosimile videtur, testatorem hanc voluntatem suam commutari voluisse, quam sospes verbis toties patefecerat, facto confirmaverat, ac duplici demum testamento morti proximus solemniter obsignavit; eo vel magis quod tempus ei non defuit ab ultimo condito testamento, ut dispositionem per semet commutaret ope alterius testamenti vel codicilli, ubi id in animo reapse habuisset.

Dilata.

Die 29. Januarii 1859.

Actum fuit de hoc supplici libello in comitiis habitis die 28. Augusti anni proxime elapsi. Sed instante procuratore marchionis Aloysii Odoardi, rescriptum prodiit „Dilata".

Ab eodem modo circumfertur allegatio in suae petitionis subsidium, cujus summa haec est. Contendit, supplicem libellum pro pii legati translatione a marchione oblatum, excipiendum esse, siquidem ratio habeatur sive ad testatoris voluntatem, sive ad publicam utilitatem. Exploratum enim est in jure leg. 3. ff. de adimen. legat., legata adimi posse nuda voluntate, quin nimirum solemnitatibus sit opus; quod quidem legatorum translationi, in qua revocatio implicite continetur, optime congruit. Consequitur proinde, duorum testimonio ita testatoris voluntatem comprobari, ut legati ademptio seu translatio perfici jure possit, ex S. Rota decis. 533. part. 4. tom. 3. recen. Atqui tum testatoris confessarius, tum ejus germanus frater affirmant, hanc fuisse ejusdem testatoris mentem et voluntatem (quae huic S. Congregationi manifestanda ejus jussu erat), ut pium exercitium, de quo agitur, in ecclesia S. Christophori, potius quam in altera S. Mariae perficeretur.

Quin regeratur, posthaberi oportere testem marchionem Aloysium Odoardi perinde ac si in proprium commodum deponeret. Non enim testimonium Aloysius tulit, ut ab onere praestandi legatum se eximeret, sed tantum ut legatum ipsum ecclesiae S. Christophori cederet; cujus quidem nomine petitio rite exhiberi potuisset. Nec falsae attestationis causam quaerendam ex majoris commoditatis ratione, qua ipsemet uteretur, si in ecclesia S. Christophori (quae ejus domui propinquior est) pium exercitium celebretur. Nam nulla lege obstrictus, sed ex solo devotionis ac pietatis impulsu, pio exercitio assisteret; ac proinde absurdum videtur, ut pietatis ac religionis causa mendacem in sua depositione sese praebere voluerit.

Nec objiciendum, integrum non fuisse testatori, legatum in ecclesiam S. Christophori per semet transferre, velut si ex justitia, et non liberalitatis causa legatum ecclesiae S. Mariae relictum ab eo fuerit, utpote qui deputationem ad eleemosynas colligendas pro pii exercitii celebratione destinatam dimiserit. Observat enim Orator, deputationem istam vel ex eo cessare necessario debuisse, quod testator, dum sospes fuit, pium exercitium propriis

sumptibus perpetuo celebrare suevit; ac deinde nihil impedimento esse, quominus deputatio hujusmodi iterum institui valeat.

Confirmari autem (pergit) voluntatem testatoris quoad imploratam translationem, ob electionem sepulturae ab eodem factam in ecclesia S. Christophori, unde ex celebratione pii exercitii in eadem ecclesia uberiora suffragia a fidelibus ad illam confluentibus sperare fas erat; praesertim quia argumento id est praedilectionis erga hujusmodi ecclesiam, in qua sepulchrum gentilitium familiae Odoardi exstat, et cujus favore alterum legatum scut. 100 testator idem reliquit.

Nec obstare quod in altera ecclesia S. Mariae testator pium exercitium perpetuo celebraverit, si perpendatur, hujus exercitii institutionem non a testatore invectam fuisse, ut mirum non sit quod illud celebrare perrexerit in eadem ecclesia, in qua jamdiu institutum reperiebatur. Nec demum officere quod duobus testamentis pium legatum favore ecclesiae S. Mariae confirmaverit, cum id egerit antequam familiae suae vota et desideria nosceret; quibus unice ad avertendam mobilitatis notam per se facere satis noluit, mallens ut S. Congregatio, a qua translatio impetranda erat, de hac sua voluntate certior fieret, ceu constat ex testimonio confessarii.

Ceterum etsi nulla fides adhibenda foret marchioni Aloysio, unum plane ejusdem confessarii testimonium tanti ponderis haberi debere concludit Orator, ut exinde in discrimen revocari nequeat manifestata testatoris voluntas quoad translationem legati pii. Nulla enim causa afferri potest, quae virum tam probum et religiosum ad rem falsam asserendam induxerit.

Atqui nedum voluntati testatoris consentaneam, sed utilissimam etiam ecclesiae S. Christophori impetratam translationem fore secundo loco sustinet Orator. Perpendit enim ex allegato testimonio, quod „ecclesia S. Christophori reditus non habet, et confraternitas orationis et mortis vix benefactorum et confratrum oblationibus ejus onera sustineret.“ Ubi itaque in eadem pium exercitium pretiosissimi sanguinis celebrari contingat, divinus ibidem cultus augeretur et populi frequentia; atque adeo incitamento id esset fidelibus ad liberalitatem erga eamdem exercendam, quod in votis est. Eo vel magis quia ecclesia S. Christophori in medio civitatis sita est, dum altera S. Mariae ad ejus fines existit, ac proinde magis commodus ad illam pateret accessus. Majorem autem populi commoditatem, unde cultus frequentia dimanat, summo in pretio habendam esse, et legitimam pro translatione concedenda causam constituere, nemo est qui nesciat.

Nec ab eadem translatione detrimentum ecclesiae S. Mariae obvenire ex eo probat, sive quod haec parochialis sit, reditibus satis abunde provisa, et in qua sacrae functiones frequentes explentur; sive quod facile sit parocho antiquam deputationem ad eleemosynas colligendas restituere; atque ita in utraque ecclesia pium exercitium celebrari continget. Ceterum cum omnis ferme legati reditus in sacrae hujus functionis expensas absumantur, vel minimum exinde lucrum parochus ipse captare poterit.

Denique haud praetereundum existimat, nobilem familiam Odoardi pluribus piis institutionibus adeo de ecclesia bene fuisse meritam, ut non levem ob exercitam perpetuo piam hanc liberalitatem in bonis suis jacturam passa fuerit, ceu testatur Episcopus. Hinc decere omnino ut sua vota in re non plane gravis momenti ne despiciantur. In quo quidem monet, haud consistere quod ex adverso asserebatur; nimirum absque gravi suo incommodo licere marchioni Aloysio ad unam vel alteram convenire ecclesiam, quae parum inter sese distant; cum constet distantiam inter duas hasce ecclesias

duplo majorem ea esse, quae intercedit inter ecclesiam S. Christophori et palatium ejusdem familiae Odoardi.

Ex parte parochi in confirmationem eorum quae in anteacta propositione exposita sunt, utque magis magisque pateat firma testatoris voluntas et propositum quoad pii exercitii celebrationem explendam in ecclesia S. Mariae ad vineas, exhibetur ejusdem testatoris epistola ad ipsum parochum missa mense antea quam obiret, die nempe 28. Novembris 1857 quae ita se habet: „Ut omnis quaestio inter te et meos evitetur de iis rebus meis, quae in ecclesia parochiali sunt, inter quas habentur ampullae, stola, reliquiae etc. etc., ex nunc ea omnia lego ipsi ecclesiae, ut adhibeantur die festo ss. sanguinis, pro quo eas coemi. Haec scripsi ut tibi sit documento. Res quae forsitan in ecclesia non sint, repetas, quia dedicatae sunt pretiosissimo sanguini."

Lectum.

Die 23. Januarii 1869.

Haud destitit incoepto marchio Aloysius Odoardi, et praetermisso jure supplex hanc S. Congregationem denuo adivit, ut saltem ex gratia hujusmodi translatio ei indulgeatur.

Rationes, quibus marchio innititur ad gratiam obtinendam, Episcopus requisitus super novis precibus exponit et confutare satagit monens: „Hac ultima petitione nobilis vir affirmat rationes plusquam sufficientes exsistere ab obtinendam translationem veluti gratiam: videamus, quae illae sint, et quanti ponderis. Ita ait: Ecclesiam divi Christophori, cum maxima indigentia laboret, esse pene sine cultu, si excipiatur s. missae celebratio diebus festivis. Quod attinet ad hanc partem non innititur veritati. Falsum est omnino, sit venia verbo, ecclesiam divi Christophori posse dici, ut asserit Orator, pene sine cultu, cum re probetur contrarium. Et ne gratis id proferri objiciatur recensentur functiones, quae ibi infra annum obtinent locum. Numerus vero missarum, quibus ecclesia illa afficitur, ejusmodi est, ut nulli cedat ecclesiae hujus civitatis. Est autem speciosa ratio, ne quid deterius dicam, quam pro gratia translationis obtinenda profert Orator, nempe si mensis pretiosissimi sanguinis in templo fieret divi Christophori, illud juvaretur fidelium auxiliis, quia sic ostenderetur ecclesiae indigentia, et necessario illi piae elargitiones provenirent. Insuper marchio affirmat hanc functionem detrimento futuram esse ecclesiae S. Mariae inter vineas, quae cum sit paroecia praedita est reditibus. Quid ille vult ostendere his verbis? An putat ob istam functionem augeri reditus vel parochi, vel ejus ecclesiae, quae sane inter miseras hujus civitatis paroecias miserrima est? Ast non fateturne Orator, demum summam scutorum 25 vix pro sacrae functionis expensis sufficere? Hoc igitur tantum concedi potest, scilicet sacram illam functionem augere cultum et decorem, quin ullum proventum afferat ecclesiae vel parocho. Dicit etiam Orator, si haec pia exercitatio transferretur, posset parochus sacram mensis functionem continuare piorum stipe, ut mos fuit tot annis antequam sacerdos marchio Petrus Odoardi sibi onus imponeret illius functionis peragendae. Sed cur parochus deserere debet fundum pro re tutum, qui sacram functionem in perpetuum statuit et roborat, ut alium quaerat maxime dubium et temporarium? Addit vir nobilis divi Christophori ecclesiam sitam esse in civitatis centro, sed non videtur id verum omnino, quin imo dici forsan posset, templum S. Mariae inter vineas esse proximius centro urbis quam templum S. Christophori. Non est inficiandum hoc distare minus a palatio Odoardi, quam S. Mariae, sed istud ad rem non facit, neque precibus Oratoris favere potest; nam cum

Petrus sacerdos Odoardi instituerit, ut perpetuam hanc pretiosissimi sanguinis functionem, pro qua fundum idoneum et aptum ad expensas ferendas assignatum voluit, dici non potest spectavisse privatum commodum et exclusivum familiae suae, sed sibi proposuisse praecipue utilitatem spiritualem hominum cultui pretiosissimi sanguinis addictorum. Unde hanc piam exercitationem apud sanctam Mariam inter vineas in perpetuum statui curavit, ubi initium sumpserat usque ab anno 1825, et ubi erectum est altare sanctissimi Crucifixi, cujus imago est antiquissima et multa veneratione colitur. Si vero familia Odoardi, ut supplici libello dicitur, vel ad rem melius exprimendam, si majores familiae praesentis semper in ecclesiam munifici fuerunt in diversis hujus urbis templis erigentes plura altaria, beneficia, et cappellanias, si Bernardina quondam Odoardi donavit ecclesiae divi Christophori pictam tabulam Virginis dolore transfixae, id non poterit unquam esse motivum et ratio ad exaudiendam marchionis Aloysii petitionem.

„Quod si sacerdos b. m. Petrus Odoardi elegit sibi sepulcrum in templo S. Christophori, hoc probat vel affectum ejus in illam ecclesiam et sodalitatem, quam valde adamavit ut confrater, atque etiam ut gubernator, vel praecipue probat et manifestat ejus devotionem in Virginem dolentem, cum vellet humari ante illius altare; denique nullius ponderis putanda est R. P. Gabrielis PP. Capulatorum lectoris declaratio, dum nihil ipsa valuit apud S. Congregationem, cui fuit exhibita primo tempore controversiae a marchione Odoardi. At e contra magni existimandum est jus, quod jam acquisivit Franciscus Antonucci S. Mariae inter vineas plebanus vi testamenti sacerdotis Petri, quod jus in eo consistit, ut plebanus a nobili viro Oratore pro expensis sacrarum functionum in mense pretiosissimi Sanguinis accipiat quotannis, ut mutuo consensu statutum est, scutata 22, quae marchio usque ab anno 1859 ad rem contulit. Insuper non est praetereundum instrumentum (ut patet ex actis Feriozzi 14. Aprilis 1859), quo Orator palatium suum hypothecae submisit pro scutatis 500 in favorem legati pii, quod in praefata ecclesia frater ejus Petrus ultimo testamento statuerat. Postremo mihi dignus consideratione videtur modus, quo ista functio semper peracta est et adhuc peragitur in templo S. Mariae inter vineas magna populi frequentia. Nam multus et religiosus decor in rebus omnibus servatur, quod fit in prima dominica Julii, quo mensi pretiossimi Sanguinis finis imponitur. Tunc enim ad honestandam magis sacram exercitationem pueri et puellae paroeciae, quae prima vice sacram synaxim recipiunt, in hunc finem pro illa die disponuntur. Quae functio multitudinem fidelium accurrentium semper commovit, eorumque animos affecit pietate et religione."

Utrum vero rationum momenta ab Episcopo allata tanti sint facienda ut sufficere posse videantur ad Oratoris petitionem rejiciendam, sapientia, justitia, et religio EE. VV. dijudicabit. Id unum mihi animadvertere liceat, quod Ecclesia gratam semper se praebuerit erga eos, quos bene de se meritos novit, quosque omni beneficiorum genere cumulare suevit. Jamvero nobilis Odoardi familia plurimis institutionibus piis adeo de Ecclesia benemerita fuit, ut non levem ob id in bonis suis jacturam tulerit, ceu Episcopus ipse testatur. Quamobrem expedire videretur, imo decere, ut ejus vota in re admodum levis momenti non despicerentur, eo vel magis quia ab hujus Ordinis praxi alienum haud est hujusmodi translationes concedere, si prout in themate divini cultus detrimentum et populi incommodum exinde haud sequatur uti videre est in plurimis H. S. Congregationis resolutionibus, et praesertim in Leodien. Reductionis, et translationis 24. Maji 1823.

Erit nihilominus EE. VV. perpendere, utrum expediat infligere vulnus juri ecclesiae S. Mariae inter vineas, ut Oratoris preces et vota excipiantur, tralatitium cum sit, quod gratiae et privilegia juri alterius quaesito detrimentum inferre non debeant ad textum in cap. Si quando, de rescriptis, S. Congregatio in Platien. Canonicatus 30. Maji 1829 §. Tandem.

In decretis sub die 29. Januarii 1859 et amplius.

2. De absolutionibus et reductionibus missarum.

a. Ob onus nimis grave.

217. Tricaricen. — Legati missarum.

Die 26. Februarii 1848.

Paschalis Materi Grassanensis oppidi in dioecesi Tricaricensi postremis, quibus excessit, tabulis a. 1820, quem universalem omnium bonorum scripsit haeredem hujusmodi inter cetera oneravit legato: „Jubeo, ut ex sorte . . . archipresbyter pro tempore sibi sumat duc. 72 pro una missa quotidiana in honorem B. M. Virginis dolorosae etc.“ Postea aliorum onerum facta injunctione prosequitur: „E ducat. 72 clero assignatis caroleni 30 desumendi sunt pro anniversario; quod celebrabitur quotannis in perpetuum et pro restantibus ducat. 69 tot missae cum duorum carolenorum eleemosyna pro una celebrandae sunt, ita tamen, ut nici haeredes ex integra sorte ducatorum 1034 segregare debeant duc. 720, quae sint separata cleri proprietas; ob anxietatem archipresbyteri pro tempore exsecutio et separatio praedicta fiat per familiam.“

Dilapso novenio a testatoris morte, quo tempore patefacta Materi voluntas est quoad legatum relictum, cum sese abstineret legatarius clerus Grassanensis a recipienda sorte ducat. 720, nisi et alia 720 ducatorum augerentur ad hoc, ut 72 duc. in tot missarum celebrationem annuatim erogarentur juxta testatoris voluntatem, haeredes Paschalis Materi supplices H. S. Ordinem adivere postulantes, ut onera missarum a testatore relicta sorti ab eodem testatore praesignatae responderent, quoad cetera reductionis venia concederetur.

Rogato de more Tricaricensi Episcopo, ita se habet: „Supplicatio, de qua agitur, veritate nititur, quia consonat testamento defuncti Paschalis Materi; sed clerus sorte oblata ducatorum 720 non contentus est, quia secundum censum, qui in ecclesiis in usu est (5 pro centum) tantum 36 ducata annua producit, dum testatoris voluntas erat, ut clerus enuntiatus recipiat duc. 72 pro uno anniversario et tot missis, quot ratione eleemosynae duorum carolenorum ex remanentibus reditibus celebrari possent. Testator uti mercator 10 pro 100 ex sorte sua lucrari consueverat et opinabatur etiam ecclesiam idem facere posse. Quoad petitam reductionem censeo eam esse denegandam, cum hodie haeredes in conditione multo meliori versentur, quam tempore, quo vivebat testator etc.“

Legata missarum ex distinctione a doctoribus recepta vel taxative relicta dici aliquando possunt, vel demonstrative. Ad hoc dignoscendum, quando videlicet taxative et quando demonstrative sint scripta legata, utuntur canonistae hac regula: observant scilicet, an dispositio exordiatur ab oneris impositione vel potius fundi, seu dotis designatione; priori casu (ita de Vecchio relatus a Bened. XIV. de syn. dioec. l. 13. c. ult. n. 32 i. f.) „illa legata erunt taxative concepta, si fundatores legando aut alio modo disponendo

orationem prius inchoaverint ab assignatione fundi et subinde missarum onus adjecerint ... Secus vero, si fundatores orationem suam inceperint ab impositione oneris et subinde fundum assignaverint; tunc enim onus dicitur demonstrative conceptum etc.“

Et hanc methodum tradi solere pergit Pontifex praestantissimus in instructione per Congregationem Episcopis transmitti solita instar juris regulae, quae proinde semper interposita censeri debet, quamvis literis expressa non legatur. Eandemque prorsus distinctionem insinuat Amostazo de caus. piis part. 1. lib. 2. c. 6 n. 14 sqq. et magistraliter tradit Card. de Luca de fideicomm. disc. 167 n. 9 sqq., ubi observat nihil operari favorem piae causae, ut potius pro demonstrativa quam pro taxativa sumenda sit dispositio, quia haec non est juris, sed voluntatis et facti quaestio: eamque praesumptionem pro demonstrativa tunc solum habere locum, quando versamur in dubiis, latissime docet etiam de legat. disc. 14. n. 6 et 9; disc. 11 a num. 3; disc. 61 a num. 5; disc. 66 a n. 7, et de credit. disc. 7. n. 8.

Nunc autem in pia dispositione testator Materi a fundi designatione sermonem incipit. Nec obest, quod expressi reditus ducator. 72 taxative designati longe majorem sortem, quam duc. 720 requirant; nam testatoris voluntas ea fuit, ut relinqueret reditus ducatorum 720 erogandos in tot missarum celebrationem; quoad reditus vero, cum hos more suo computaverit posse investiri in rationem decem pro singulis centenariis, juris ignorantia deceptus est, nesciens impermissum ecclesiis locisve piis hac ratione investimento dare. Quamobrem expressa duc. 72 quoad materialem dispositionis ordinem taxativo modo sumenda sunt, quoad juris canonici interpretationem et erroneam in ducendo calculo testatoris voluntatem ad 36 sunt reducenda, quinque videlicet pro singulis centenariis respondentia.

Addendum insuper est, quod testator Materi, postquam more suo reditus in rationem 10 pro singulis centenariis computasset, quia, teste Episcopo, uti mercator pecuniam suam ratione 10 pro singulis centenariis investiebat, nil aliud de assignatis reditibus in dispositione sua verba faciens jubet: „ut haeredes ex integra sorte duc. 1034 debeant segregare duc. 720 etc.“ Quibus verbis aperte necessitatem imponit haeredibus separandi ab asse haereditario supradicta duc. 720, concredenda legatario. Quo in casu Bened. XIV. de syn. dioec. l. 13 c. ult. n. 33 i. pr. ait: „Si autem pius testator jubeat, ut accidit in casu, suum haeredem dare legatario non fundi reditus, sed fundum ipsum ... ad nihil aliud cogitur haeres, quam ad ipsum fundum, seu bona legata tradenda ... Haeres quippe id tantum praestare debet, quod ei demandatum est a testatore.“ Ita Pasqualigus de sacrific. novae legis qu. 1026 n. 3.

Cui consonat Card. de Luca de leg. disc. 20. n. 4, ubi casum expendit identicum cum hodierna quaestione: „Tertius est casus, ita ille, ubi testator dotat ecclesiam de certo annuo reditu praestando per haeredem, quem liberatum esse disponat cum solutione certae summae in sorte principali, ex qua investienda testator opinabatur eundem reditum percipi posse, et tunc si ex summa per haeredem soluta id non sequatur, intrat dubitatio, an teneatur supplere et de hoc punctualiter agitur in Camerinen. Dotis eccl. 22. Junii 1650 et 9. Maji 1653 coram Metio, quarum prima est dec. 62 part. 11 rec.: ubi deciditur ad favorem haeredis, quoniam huic ad liberationem obtinendam sufficit praestitisse summam a testatore sibi demandatam“ eandemque conclusionem jam tradiderat in praecedenti disc. 12 de legat. num. 3.

Pro gratia absolutionis ad cautelam quoad praeteritum et reductionis quoad futurum juxta modum, nempe tradito idoneo et libero fundo ducator. 720, vel eadem Episcopi cura investiendo favore ecclesiae designatae; annui reditus deductis carolenis 30 pro anniversario erogentur in tot missarum celebrationem cum eleemosyna duorum carolenorum pro unaquaqae ad formam testamenti, et ponatur in tabella.

218. Imolen. — Reductionis missarum.

Die 9. Junii 1855.

Jacobus Borzaghi oppidi Bagnariae dioecesis Imolen. capellaniam laicalem instituit cum onere missae perpetuae celebrandae singulis diebus festis de praecepto in archipresbyterali ecclesia ejusdem oppidi, assignata dote in fundo rustico cum domo annui reditus scutorum viginti circiter. Jus nominandi capellanum contulit archipresbytero pro tempore praefati oppidi ita tamen, ut hic eum inter Bagnariae clericos aut sacerdotes semper eligere deberet, quem pauperiorem judicasset; statuitque demum ut capellanus celebraret aut celebrare faceret injuncta missarum onera pro eleemosyna manuali et consueta missarum ordinariarum.

Anno 1797, post capellaniae institutionem, Eminentissimus Imolensis Episcopus eleemosynam missarum perpetuarum, quae tunc temporis erat obol. 10, ad obolos 15 lato decreto auxit, indulta reductione pro tertia parte missarum in singulis legatis, iis exceptis, qui habent fundum particularem destinatum simpliciter ad eorum manutentionem.

Sacerdos Paulus Liverani actualis capellaniae possessor per rescripta curiae episcopalis Imolensis plures reductiones ad missas diebus dominicis tantum celebrandas obtinuit, quorum rescriptorum novissimum finem habuit die 12. Januarii 1852. Insuper cum ineunte anno 1846 capellanus ecclesiae B. M. V. sub titulo auxilii, quae mille passuum a Bagnaria distat, electus fuerit, facultatem etiam obtinuit celebrandi missas ita reductas diebus ferialibus in praedicta archipresbyterali ecclesia, quae facultas modo viget, cum ipse sit adhuc ecclesiae B. M. V. de auxilio capellanus. Itaque exspirato reductionis indulto, existimavit Liveranius se novo reductionis rescripto non indigere, contendens, capellaniam qua fruitur comprehendi in memorato reductionis decreto anni 1797; id quod pro suae conscientiae tranquillitate ab S. Congregatione declarari supplex expostulat.

Archipresbyter Bagnariae ab Eminentissimo Episcopo auditus cum Oratore non convenit quoad applicationem praefati decreti ad capellaniam Borzaghi, quam censet sub exceptione esse ab eodem decreto facta pro legatis quae habent fundum particularem destinatum simpliciter ad eorum manutentionem. Addit tamen se imploratae reductioni assensurum quando Orator vel per se vel per alium missas celebrabit diebus dominicis, quum in his per usum in dioecesi diutius invectum eleemosyna obolorum 25 exigatur.

Ipse vero Eminentissimus Episcopus, quacumque in hypothesi, putat, Oratorem reductionem mereri sive celebret in diebus festis, sive in ferialibus, quum capellania non plus reddat ipsi Oratori quam scutata viginti per singulos annos, et testator per ipsam capellaniam aliquid utilitatis afferre voluerit. Ideoque ab EE. VV. declarari petit: 1. An decretum reductionis anni 1797 sit nec ne applicabile capellaniae Borzaghi. 2. An in casu, quo missae iterum celebrentur diebus festis, et Orator per se ipsum haud cele-

bret, eleemosynam synodali majorem alteri sacerdoti dare teneatur. 3. In casu quo dictum decretum applicabile capellaniae non esset, postulat, ut petita reductio Oratori benigne concedatur.

Liveranius ut suam tueatur sententiam animadvertit, in praefato reductionis decreto eas missas pro tertia parte reductas fuisse, quae eleemosyna obolorum decem celebrari debebant; hisce itaque accenseri oportere missas capellaniae Borzaghi, quarum eleemosyna ab eodem fundatore ad rationem taxae manualis constituta est, quae quidem fundationis tempore, quod fundatorem unice spectasse existimat, erat obolorum decem. Urget praeterea, testatorem fundatione hujus capellaniae pauperi sacerdoti praecipue opitulari voluisse; hinc, ubi per illa verba „possit et debeat (capellanus) celebrationem curare harum missarum a quo ipsi placuerit pro eleemosyna manuali et consueta missarum ordinariarum“ capellanum obligare voluisset ad eam tradendam eleemosynam, quae non solum tempore fundationis statuta erat, sed pro temporum diversitate in usu foret, profecto testator ipse nil quidem opis capellano tulisset. Exinde etiam planum esse, capellaniam Borzaghi sub exceptione decreti reductionis non comprehendi, quandoquidem ejus reditus non in tot missas erogari debeant, sed ipsa capellania instituta etiam sit ad pauperem sacerdotem sublevandum.

Nihilominus ambigi nequit, quin generalis illa ac indeterminata verborum conceptio eleemosyna manualis et consueta missarum ordinariarum, aliquam ambiguitatem prae se ferat; nec plane fundatoris menti repugnare videretur, quominus de eleemosyna etiam intelligatur, quae tractu temporis in usu, vel a synodo statuta fuisset; praesertim cum de legato perpetuo agatur, unde ad futurum etiam tempus fundatorem respexisse praesumendum fortasse erit.

Qua quidem admissa interpretatione, quamvis ab generali anni 1797 reductione excipi deberet capellania Borzaghi, attamen ex canonica aequitate ac ex praesumpta fundatoris mente implorata missarum reductio ad eamdem normam speciali indulto concedenda esset ob invectum eleemosynae augmentum, juxta constantem S. hujus Congregationis disciplinam, de qua exstant exempla in Florentina Reductionis onerum 2. Augusti 1823 in Senogallien. Reductionis onerum 28. Aprilis 1827. §. Et, et in Anconitana Reductionis missarum 26. Aprilis 1828. §. Si.

Major vero reductionis causa urgeret in casu ab Eminentissimo Episcopo proposito, cum nempe missae celebrari iterum deberent diebus festis, et capellanus per se ipsum haud celebret. Cum enim eleemosyna diebus festis in Imolensi dioecesi dari solita sit obol. 25, plane non indulta reductione vix ullum ex capellania lucrum persentiret capellanus, si a celebratione diu impeditus alteri sacerdoti praedictam eleemosynam praestare deberet.

Quin imo hoc in casu pleniorem etiam reductionem, habita nimirum ratione hujusmodi eleemosynae, concedi aequum esset, praesertim ubi capellanus nullum inveniret sacerdotem, qui pro minori eleemosyna sacrum ejus vice celebraret; quod quidem non abs re foret episcopi arbitrio committere, ceu definitum fuit ab S. Congregatione in Syracusana Reduct. miss. 10. Martii 1759 ad 1. dubium.

Quibus perpensis definient EE. VV., quid statuendum sit quoad quaesita ab Eminentissimo Episcopo proposita.

Pro gratia reductionis prudenti arbitrio Eminentissimi Episcopi, ita tamen, ut aliquid supersit capellano praeter missas celebrandas diebus festis juxta mentem fundatoris, facto verbo cum Sanctissimo.

219. Limburgen. — Absolutionis et reductionis.

Die 14. Februarii 1857.

Episcopus supplici oblato libello exponit, quod in ecclesia parochiali in Camberg, Limburgensis dioecesis oppido, institutum exstat quoddam simplex beneficium, cujus annui reditus summam 400 florenorum sive 160 scutatorum monetae Romanae vix attingunt, ac proinde praesentibus rerum et locorum circumstantiis sufficientem et plane necessariam sustentationem beneficiato eo quidem minus praebent, cum ille missarum oneribus tum ex ipso beneficio, tum ex diversis aliis piis fundationibus huic adnexis adeo sit gravatus, ut non nisi 80 dies per annum habeat, quibus eleemosynam manualem aliunde accipere possit. Quare tam aequum quam necessarium esse putat, ut praedicta missarum onera imminuantur.

Quo vero probe decernatur, quaenam praecise ex variis missarum oneribus licite reduci possint, distinguendum censet inter primariam fundationem, et rel qua pia legata, quae postmodum tractu temporis a diversis benefactoribus cum novo unumquodque onere in augmentum primaevi beneficii fundi relicta sunt.

„Fundatum (inquit) fuit praedictum beneficium a pio quodam memorati oppidi viro Remigio Jacobi, qui eum in finem 3300 florenos, sive scut. 1320, legavit cum hoc onere, ut beneficiatus in oppido Camberg personaliter resideret, singulis diebus dominicis et festis de praecepto per annum, sicut etiam binis feriis intra quamlibet hebdomadam ss. missae sacrificium juxta fundatoris intentionem Deo offerret, nec non quatuor anniversaria cum cantu in eadem intentione per annum celebraret; insuper autem parochum ibidem in administrando ss. poenitentiae sacramento, nec non in sacris functionibus assidue adjuvaret, semel quolibet mense ad beneplacitum parochi concionem haberet, ac denique singulis hebdomadibus pauperes semel fidei praecepta doceret. Haec fundatio cum adjecto onere anno 1757 ab Archiepiscopo Trevirensi tamquam loci Ordinario acceptata et in titulum beneficii ecclesiastici canonice erecta et confirmata fuit.

„Quod ejusdem annuos reditus attinet, tempore quidem fundationis, ut concludi potest ex aliquo documento, quinque pro centum ex praefatis capitalibus redibant, in praesenti vero quatuor tantum cum dimidio redeunt; quod certe valde parum est, si cum injuncto onere comparetur, praesertim nostris temporibus, cum non solum pretium pecuniae numeratae tantopere diminutum existat, sed omnia etiam quae ad vivendum sunt necessaria multo carius quam saeculo elapso emantur. Jam quidem anno 1815 vicariatus tunc Limburgi existens, eadem vel tunc, ut puto, insufficientiae redituum ratione permotus, integris manentibus reliquis beneficiati obligationibus, injunctas a fundatore missas ad unam tantum per singulas hebdomadas, et itidem unam singulis quatuor temporibus deinceps applicandam reduxit; at vix dubium mihi est, hanc reductionem absque necessario indulto apostolico, sola auctoritate ordinaria et vi male intellecti cap. 4. de reform. sess. 25. Conc. Tridentini factam fuisse, ac propterea nullius esse valoris.“

Quare suppliciter praeprimis postulat: „1. Ut omnes omissiones a tempore praefatae reductionis in quantum opus est apostolica auctoritate benigne condonentur; 2. ut attenta nimia exiguitate redituum hujus fundationis, vel eadem ipsa reductio anno 1815 invalide, ut praesumitur, facta confirmetur, vel si fortasse aequum justumque excedere videbitur, missae in fundatione dicti beneficii impositae saltem ita imminuantur, ut beneficiatus deinceps bis tantum in qualibet hebdomada pro fundatore applicare teneatur.

„Praeterea (prosequitur) inter reliqua pia legata, quae lapsu temporum in augmentum fundi memorati beneficii a variis piis fundatoribus relicta fuere, duo ex ultimis decenniis saeculi elapsi supersunt, quorum alterum 425 florenorum sive scut. 170, missas 25, alterum 365 florenorum sive scut. 146 missas 24 per annum beneficiato imposuit. Hae vero missae cum pariter a laudato vicariatu eodem anno eodemque decreto ac supra descriptae, ad numerum 12 pro unaquaque fundatione reductae reperiantur“ hinc enixe supplicat, „ut etiam inde secutae omissiones omnes, in quantum quidem opus esse videtur, clementer condonentur et absolvantur.“

Utrum autem ipsa reductio respectu harum duarum fundationum ut supra concessa, etiam in posterum confirmari, aut omnino imminutio praefatorum onerum, vel etiam minus ampla locum habere possit; an integer missarum numerus, qui a fundatoribus assignatus fuit, deinceps iterum persolvi debeat; supremo Apostolicae Sedis judicio relinquit. Id tamen praetereundum non censet „reditus annuos utriusque legati in praesenti eos esse, ut singulis missis (retento primario numero missarum) stipendium duorum circiter juliorum cum dimidio aut saltem duorum juliorum simpliciter respondeat, quod plus est eleemosyna manuali in dioecesi pro missa lecta dari solita; et propterea si omnino reductionem illarum concedere in Domino videbitur, justam concessionis ejusmodi causam, nullatenus ex insufficientia utriusque fundationis in se spectatae sumi posse, sed unice ex statu universo redituum beneficii, qui sicut jam supraindicavi, ad honeste vivendum vix ac ne vix quidem sufficiunt.“

Denique ad majorem conscientiae tranquillitatem, haec ad praedictum quod attinet beneficium addit: „In prima quae exstat missarum tabella anno 1788 exarata, quoddam legatum describitur florenorum 450 sive scut. 180 cum onere 26 missarum singulis annis pro quadam femina fundatrice applicandarum. In recentioribus vero tabellis onerum ejusdem beneficii, et in omnibus aliis documentis posterioribus hae missae penitus desiderantur, et certo constat, easdem saltem a primo hujus nostri saeculi decennio non amplius a beneficiato esse celebratas; simul autem, quod peculiaris momenti esse videtur, in ipso fundo beneficii, idest in capitalibus ad ipsum pertinentibus, deest quoque aliqua pecuniae summa, quae eadem fere praecise est, ac praedictum legatum, quin ulla ratione reperiri valeat, quidnam de ea factum sit. Concurrentibus hisce circumstantiis, summe probabile immo moraliter certum mihi esse videtur, memoratam fundationem, vel alium in locum translatam, vel deperdito fortasse inter illius temporis belli tumultus capitali pro implemento oneris assignato, etiam omnino exstinctam fuisse, neque actualem beneficii possessorem ullo modo obligatum existere, ut praefatas missas, quae jam per 50 saltem annos cessant, de novo persolvere incipiat. „Verumtamen ut omne dubium penitus eliminetur, humiliter petit declarari, utrum rem istam juxta opinionem suam modo expositam tuto decernere possit ac valeat.“

Hisce quae Episcopus in sua relatione satis luculenter exponit, nihil addendum superesse videtur, ut de ejus postulationibus judicium tuto feratur. Ad reductionem quod attinet missarum primaevae fundationis, hanc suadere videretur redituum diminutio, juxta ea quae docet Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 13 cap. ult. num. 28; eo vel magis quod in themate concurrente insuper hinc diminutione valoris pecuniae, illinc augmento pretii rerum quae ad vitae usum necessariae sunt, beneficii reditus impares evasere honestae beneficiati exhibitioni, cui ceteroquin praeter missarum onera non leves obligationes inhaerent. Beneficia enim nedum ad praescripta implenda onera

instituuntur, verum etiam ut ex iis ecclesiae ministri id percipiant, quo ad vitam honeste traducendam opus habent, ceu pluries docuit S. Congregatio, uti in Senogallien. 25. Aprilis 1827 §. Jam vero.

Quae quidem quamvis aliqua ex parte aptari valeant quoad alia legata missarum priori fundationi adjecta, si cumulate cum eadem fundatione spectentur, attamen ubi separatim de hisce habenda sit ratio, aliter judicandum videretur, quippe, ceu Episcopus ipse perpendit, integri horum manent reditus, ita ut missis omnibus cum eleemosyna ad rationem manualis expletis, aliquid lucri in beneficiati utilitatem supersit. Quemadmodum enim S. Congregatio reditibus imminutis onerum reductionem concedere facile assolet; ita e contra constanter reductionem denegavit, quando reditus pares sint oneribus, multoque magis quando lucrum, oneribus etiam impletis, supersit.

Ex iis vero quae perpendit Episcopus quoad postremum legatum a quadam pia femina relictum, satis tuto conjici potest, omissionem adimplementi onerum eidem inhaerentium legitima inniti causa, vel quia nimirum beneficium alio translatum sit, vel quia legati fundus omnino deperiit.

Denique, cum nullitas decreti a vicariatu editi ob apostolicae veniae defectum evidenter non probetur, et de bona saltem obligati fide satis constet, absolutio et condonatio quoad praeteritas omissiones, quatenus opus sit, deneganda non videretur.

Celebratis tribus missis pro gratia absolutionis et condonationis super praeteritis omissionibus. Quoad futurum missas beneficii Jacobi esse reducendas ad duas in qualibet hebdomada praeter alia onera a fundatore beneficiato imposita; quo vero ad alia duo legata posteriora non esse locum reductioni, et beneficiatum non teneri ad satisfactionem legati, de quo mentio fit in tabella anni 1788, facto verbo cum Sanctissimo.

220. Sorana. — Reductionis missarum.

Die 23. Maji 1857.

Publicis tabulis diei 8. Novembris anni 1643 monasterium S. Clarae civitatis Sorae cessit beneficiatis cathedralis ejusdem civitatis ecclesiae caput ducat. 127: 50 in tot collocandum censibus ad rationem decem ducat. pro quolibet centenario et anno, ea lege ut iidem beneficiati celebrarent per turnum in monasterii ecclesia unam missam lectam singulis diebus festis, aliisque quinque per annum festivitatibus ejusdem monasterii. Altero instrumento diei 2. Martii 1681 praedictae summae ex monialium elargitione, auctorante S. Congregatione EE. et RR., additum est caput ducat. 320 ad eamdem rationem collocandum, cum onere beneficiatis imposito celebrandi per turnum in eadem ecclesia alias quatuor missas lectas qualibet hebdomada, taxata eleemosyna ad rationem granorum quindecim pro singulis missis. Huic secundo instrumento accessit auctoritas episcopalis decreti, in quo, data beneficiatis praesentibus ac futuris facultate hanc institutionem accepto habendi, ac singulis oneribus et emolumentis ut supra praefinitis, declaratum fuit „quod deficiente tractu temporis annuo sufficienti reditu pro respectiva satisfactione dictarum missarum ad rationem granorum quindecim, et de facili non possit novum investimentum fieri, tunc et eo casu arbitrio et judicio ejusdem Illustrissimi et Reverendissimi Domini Episcopi pro tempore existentis numerus missarum diminuatur.“

Usque ad annum 1782 missas juxta praestitutum numerum beneficiati celebrarunt, quo anno cum reditus utriusque dotationis, qui antea ex censibus percipiebantur in summa ducat. 44. 77, in vim legum Neapolitani regni pro medietate decrevissent, iisdem postulantibus beneficiatis, congrua reductio, monialibus assentientibus, curiae decreto peracta fuit; statutum nimirum, ut beneficiati tenerentur in posterum celebrare per turnum tres missas lectas qualibet hebdomada; quarum unam omnibus diebus dominicis hora competenti in dicta ecclesia S. Clarae, et alias duas in eadem ecclesia diebus Mercurii et Veneris, ita tamen ut, si in aliqua anni hebdomada occurrissent duo dies festi vel unus, duae praedictae missae lectae hisce diebus festis forsan occurrentibus celebrari deberent.

Ab eo temporis novam ex regni legibus diminutionem habuerunt reditus, praesertim quod nonnulli census deperiere; et in praesens percipiunt beneficiati annua ducata 21. 38. tantum, ita ut deficiant ducata duo et grana duo pro eleemosyna missarum 156 quotannis celebrandarum ad rationem gran. 15 seu vigentis taxae synodalis quae in synodo anni 1828 aucta fuit. Quamobrem hodierni beneficiati perpendentes ob immutatas rerum ac temporum circumstantias haud amplius congruam hanc censeri posse eleemosynam, quae nec manuali in granis viginti constitutae respondet, praesertim quia missae celebrandae sunt designatis diebus et ecclesia, et pro tertia parte diebus festivis, quibus major etiam percipi assolet eleemosyna; hinc supplici huic S. Congregationi oblato libello postulant, ut missae ad duas reducantur qualibet hebdomada diebus ferialibus praedicta in ecclesia monasterii S. Clarae celebrandas.

Episcopus quae exposita sunt confirmat, a voto tamen suo super precibus promendo abstinet. Moniales capitulariter auditae in ea sunt sententia, quod beneficiati, ubi imposita onera adimplere nequeant vel nolint, restituant monasterio summam ducat. 447, 50, quae initio tradita est, ad hoc ut capellanus institui possit, qui missas celebret diebus et horis communitati religiosae magis opportunis, quod perficere nequeunt beneficiati ipsi utpote servitio chorali in ecclesia cathedrali addicti. Monialium sententiae libenter assentiuntur beneficiati, ita tamen ut non ad integrae summae in institutionibus constitutae ac modo absque ipsorum culpa pro parte deperditae restitutionem obligentur, sed ad tradenda tantum capita nunc exstantia, quae in totum attingunt summam ducat. 221. 10, praeter alia ducata 85, pretium domus ad beneficiatos nuper devolutae ob restitutionem alterius capitis, quod in ea hypothecatum erat. Quod si tamen integrae summae ducat. 447. 50. restitutioni locus esse S. Congregationi videatur, suppliciter postulant beneficiati, ut facultas ipsis concedatur efformandi censum passivum favore praedicti monasterii pro residualibus ducatis 141, 40. convento interusurio ad rationem quincuncem.

Beneficiatorum petitioni illud praeprimis adversari videtur, quod hic agitur de missarum onere per contractum assumpto; quamobrem licet juxta receptam regulam sit reductioni legatorum locus, si quando reditus deficiant, nihilominus notat Benedictus XIV. in synod. dioec. lib. 13. cap. 25. num. 25. ab hujusmodi recedi regula, ubi onera fuerint ex contractu accepto habita, juxta doctrinam Card. de Luca disc. 23. miscell. eccles. num. 5, Pignatell. consult. can. 69. num. 2. tom. 6, et S. Congregationis, uti in Faventina Oneris missarum 12. Februarii 1735, et in Faventina Reductionis missarum 18. Novembris 1747. Accedit mis as in casu alias jam fuisse reductas; reductio autem reductionis difficillime concedi solet. Item, satis ferme ex reditibus suppetere pro eleemosyna, quae in instrumentis

dotationis constituta est, quaeque taxae synodali respondet. Ac demum ubi aliqua reductio admittenda foret, haud propositus probandus modus ac ratio videretur, ut missae scilicet diebus tantum ferialibus celebrentur, cum id contrahentium monialium menti omnino repugnet, quarum praecipue intererat missas dominicis aliisque diebus festis in monasterii ecclesia litari.

At vero succurrere beneficiatis aequitatis ratio videtur, quae exigit ut contractus, qui initio justus, tractu temporis ad injustitiam vergit, officio judicis redigatur ad bonum et aequum, juxta regulam desumptam ex leg. Cum quidam ff. de usuris: „Praesidem provinciae adi, qui stipulationem, de cujus iniquitate questus est, ad modum justae exactionis rediget.“ In contractibus enim semper subintelligitur clausula „rebus sic stantibus“ ex can. In parochia causa 16. quaest. 1. Glossa in cap. 2. de rescript. leg. fin. Cod. de sponsal., leg. Quod Servius ff. de condictione causa data, quia in his causa supervenire potest, quae a contrahentibus praevideri nequibat. S. Congregatio in Syracusana Reductionis canonis et absolut. 25. Januarii 1845 §. Laesionem. Atque ideo ad rem de qua agitur addit Benedictus XIV. cit. loc. num. 24, Episcopum investigare debere, an redituum imminutio talis sit, ut juxta recepti juris regulas sufficiat ad rescindendum contractum, vel saltem illum ad justitiae et aequitatis mensuram redigendum. Hinc aequitate mota S. haec Congregatio pro reductione ad manualem missarum quarum onus per contractum fuerat assumptum definivit in Fanen. Reductionis missarum 27. Aprilis 1720, et aliquam reductionem quoque indulsit in Egitanien. Oneris missarum 14. Februarii 1778.

Jam vero ex iis quae beneficiati exponunt erit EE. VV. decernere an justae subsint pro reductione causae juxta modum in petitione propositum, ita ut irrationabilis ac adeo posthabendus videatur monialium dissensus; vel potius sit rescissioni locus, quod ipse moniales mallent, siquidem omnia missarum onera a beneficiatis impleri nequeant. Quo quidem in casu ex dispositione juris reintegratio ad summam in instrumentorum stipulatione traditam monasterio competeret ex leg. Si diversa Cod. de transact., leg. Praediorum Cod. de praediis minor., Menoch. cons. 644, num. 2, S. Rota decis. 557. num. 20, et decis. 573, num. 9. part. 19. tom. 2. recent., quamvis grave id nimis foret beneficiatis, et aequitate inspecta fortasse non probandum, cum nonnullorum capitum deperitio ipsorum culpae verti nequeat. Nihilominus ubi monialium voto adhaerendum sit, excipi forsan possent beneficiatorum preces pro necessariis facultatibus efformandi censum super bonis ad ipsos spectantibus favore monasterii, ut reliqua summa quae deest compensetur.

Pro gratia reductionis ad binas missas in qualibet hebdomada, quarum una celebrari debeat diebus festis, altera infra hebdomadam, facto verbo cum Sanctissimo.

221. Ferrarien. — Reductionis missarum.

Die 27. Junii 1857.

Joseph Zambardi die 15. Septembris anni 1845 inito emptionis contractu, et rogato etiam publico instrumento, domum Ferrariae sitam ab Alexandro Turchi acquisivit, ita tamen ut pro maxima pretii parte, quod in summa scut. 1054 fuerat constitutum, certa sibi assumeret onera, quae domum ipsam hypothecariis etiam inscriptionibus praegravabant. Haec inter illud quoque

adnumeratur, quod in parte praecitati instrumenti deprehenditur, qua memorata domus dicitur „subjecta legato 25 missarum (pro quibus ecclesiae S. Franciscae hujus civitatis solvuntur annua scut. 5) instituto ab Heliodoro Ciotti cum missa quotidiana, et ita nunc reducta a S. Congregatione Episcoporum et Regularium.“ Constat autem non a S. C. EE. et RR., sed ab hoc ipso sacro ordine reductionem concessam fuisse, ut apparet ex actis cancellariae archiepiscopalis, nullo quidem facto verbo, ex quo dignosceretur utrum reductionis gratia perpetua fuisset, an temporanea. Quibus sic stantibus memoratus Joseph Zambardi praedictam reductionis gratiam omnino perpetuam esse putavit. Ast aliud in facto esse cognovit, cum pro gratia compererit fuisse sub die 29. Aprilis 1837 ab hoc Sacro Ordine rescriptum ad decem dumtaxat annos, attenta Oratoris paupertate. Quapropter, hoc primo decennio jam ad finem vergente, Zambardius confestim, haec ipsa narrando, una cum Turchio venditore supplex adiit hanc Sacram Congregationem pro perpetua reductione consequenda, et quamvis penitus sui voti compos factus non fuerit, attamen ad aliud decennium gratiam reductionis obtinuit. Elapso modo hoc altero decennio, quo interim accidit, ut venditor Turchi obaeratissimus sibi mortem in Padi undis consciverit, supplex idem Zambardius pro perpetua reductione obtinenda iterum redit.

Datis de more literis Eminentissimo Archiepiscopo pro informatione et voto, ipse quae sunt modo narrata confirmans, censet haud posse tum notarium, cum ipsum Oratorem ab negligentia quadam excusari, „maxime cum (ejus sunt verba) vel ipsa hypothecaria inscriptio, assumpta ad jura legati in tuto collocanda, de temporaria reductione eos moneret“; et huic opinioni penitus accedere dicit rectorem etiam parochialis ecclesiae S. Franciscae, quem utpote interesse habentem audivit; nihilominus ab sua edenda sententia abstinet, concludens: „Cum laudatus parochus a litibus abhorrere videatur (posset enim Oratorem praedictum in jus vocare), tum quia de judicii exitu timet, tum quia impensis necessario sustinendis hodierni reditus legati prorsus impares sunt, num annuendum sit Oratoris precibus judicabit ista S. Congregatio.“ Parochus vero haec quoque addenda duxit: „Id solum desidero, ut si annuatur precibus Oratoris, saltem teneatur solvere sacristiae solitum emolumentum pro utensilibus, cum ecclesia reditus ad haec destinatos non habeat.“

Imploratae reductioni grave quidem juris momentum obstare videtur: etsi enim contra Oratorem nulla, uti contenditur, pro totius legati adimplemento actio personalis daretur, in promptu tamen semper esset actio realis, quae sane competit adversus quemcumque possessorem vel detentorem ex leg. 9. l. 27. §. 1. ff. de rei vindicatione; et maxime in casu quo Orator de onere ipso per hypothecariam inscriptionem, si modo eam inspicere non neglexisset, satis etiam monebatur. Cui alia additur difficultas ex eo, quod reductio petita esse deberet perpetua, et e contra reductio perpetua, quae jam alias ipsi Oratori denegata fuit, raro concedatur. Verumtamen si aequitate magis quam juris rigore rescribere libuerit, hodie praesertim cum venditor Turchi, de cujus mala fide merito fortasse dubitari poterat, jam decoctus obierit, haud deneganda videretur reductio saltem temporanea, ne oneris implementum in maximam vergat Oratoris perniciem: reditus enim emptae domus, monente Eminentissimo Archiepiscopo, impares in praesens sunt impensis necessario ferendis. Demum nec bona fides Oratori deesse videtur, quae quidem alteram indulgentiae adhibendae causam saepissime praebere solet.

Quatenus vero Oratoris precibus, sive pro perpetua sive etiam pro temporanea reductione, annuendum censuerint EE. PP.; excipienda videretur parochi quoque petitio quoad praestationem emolumenti pro utensilibus; quoties enim agitur de missarum legatis, expensas utensilium reservari oportere cautum in jure est, ceu monet De Albertis in suo tract. de utensilib. cap. 14. num. 74.

Pro gratia prorogationis ad aliud decennium tantum serrata forma praecedentis indulti, solutis tamen favore ecclesiae designatae utensilibus, facto verbo cum Sanctissimo.

222. Sorana. — Absolutionis et reductionis.

Die 31 Augusti 1861.

Volvente anno 1679 Andreas D'Emilia loci Fontana, Soranae dioecesis, rurali aediculae sub invocatione S. Salvatoris suis sumptibus exstructae, publicis exaratis tabulis cessit ac donavit nonnulla bona dotationis nomine, jubens ut curantibus suis haeredibus et successoribus, quibus patronatus super eadem aedicula et jus nominandi capellanum ad nutum amovibilem concessit, sacrum ibidem celebraretur singulis diebus festis de praecepto, et prima feria sexta cujuslibet mensis, taxata eleemosyna unius caroleni pro qualibet; voluit autem ut reditus, qui ex fundis aediculae donatis, satisfactis oneribus, superessent, suis iisdem haeredibus cederent.

Cum tractu temporis fundatoris haeredes duas distinctas efformarent familias, onera haec pro aequa parte utraque familia sibi adimplenda suscepit. Accidit vero, ut in altera ex hisce familiis deficientibus masculis ultima femina agnata in sacra familiae Parravano concedens, jura simul et onera ex fundatione derivantia in eamdem Parravano familiam secum transtulerit; haec tamen nedum missarum pro dimidia parte, quae sibi obtigerat, adimplementum neglexit, sed partem etiam bonorum capellaniae alienavit, quamvis a fundatore ipso inalienabilia declarata diserte fuerint.

Caput alterius familiae est in praesens Josephus D'Emilia, qui licet bona in fundatione designata ex jure haereditario non habuerit, ceu, nescitur quo jure, altera familia habuit; attamen onerum missarum satisfactionem pro altera dimidia parte suis sumptibus, aucta etiam eleemosyna ad carolenos duos, curare non destitit usque ad annum 1841, quo anno, defuncto capellano, a satisfactione in eadem aedicula cessavit. Nihilominus asseverat ipse se indultum impetrasse missas inadimpletas celebrare faciendi ubique, idque perfecisse, demandata celebratione missarum quingentum.

Ceterum dubitans utrum muneri suo plene satisfecerit, et omissiones omnes praeteritas suppleverit etiam quae ad majores suos referuntur, supplici oblato libello postulat absolutionem et condonationem quoad praeteritum; et attento quod augenda sit eleemosyna missarum ad quatuor carolenos pro qualibet, loco unius caroleni in fundatione praescripti, ut inveniri possit sacerdos, qui ad aediculam, duo millia passuum ab oppido distantem, se conferat missam statutis diebus celebraturus; hinc instat etiam, ut onera missarum, quorum adimplementum ad ipsum spectat, ad quartam partem, seu pro tribus partibus reducantur quoad futurum.

Episcopus datis loci parocho opportunis instructionibus, ut super hujusmodi negotio diligenter inquireret ac referret, hujus relationem transmisit, in qua haec parochus affirmat: „1° vindicationi fundorum capellae S. Salvatoris obstare 1° praescriptionem juris civilis, defectum facultatum et parvum emo-

lumentum quod haberetur post graves expensas litis ex evictione fundorum, qui non magni aestimandi sunt. 2° Reditum veterem ad duc. 33 ascendisse, novum esse fere eundem, d. 32. 60. 3° Revera adesse causam legitimam reductionis, cum majus stipendium dandum sit sacerdoti qui ad illam capellam, quae a domibus fere dua millia passuum distat, accedat. Quoad absolutionem pro praeterito opinor ut S. Congregatio ad tranquillandas animas omnes missas non celebratas vel alibi, usque ad annum 1841 condonet; et ab anno 1842 eas reducat ad rationem quatuor carolenorum pro missa; ab anno enim 1841 eas celebravit defunctus canonicus Aloysius Proja, ut ex tabellis apparet." 4° Huc usque semper retentum est, dimidia parte missarum gravari familiam D'Emilia, altera familiam Parravano. Documentum divisionis inter familias exhiberi nequit, quia omnia volventibus annis perierunt."

Ex deductionibus autem ab Oratore exhibitis habetur, bona capellaniae in catasto nomine familiae Parravano inscripta esse, minime vero ipsius capellaniae, cui donata fuerant, et in cujus pleno dominio voluit esse fundator, ceu se habent instrumenti verba. Quod quidem adnotandum censui, ut aliquam provisionem decernant EE. VV., ne superexstantia bona eamdem ac cetera subeant sortem.

Ad id demum quod Orator idem asserit de obtento indulto celebrandi ubique missas inadimpletas, se hujusce rei omnino ignarum profitetur Episcopus, qui subdit absolutionem se impetrasse super praeteritis omissionibus pro familia Parravani tantum. In omnibus demum ad ea se refert Episcopus, quae parochus de ejus mandato Sac. Congregationi retulit.

Ad absolutionem et condonationem quod refertur pro praeteritis omissionibus ante annum 1841, ideo eam postulat Orator, quia dubitat, a majoribus suis missarum oneri satisfactum fuisse; ad se vero quod attinet affirmat, numquam se muneri suo ante id temporis defuisse. De posteriori vero tempore haud inficiatur neglectam fuisse satisfactionem in aedicula, ob difficultatem capellanum inveniendi, qui hoc onus cum statuta eleemosyna assumeret, licet asserat missas ad numerum quingentum alibi suis sumptibus in omissarum defectum fuisse celebratas vi asserti indulti, cujus quidem exemplar deperditum narrat. Ceterum quae demum cumque fides hujusmodi assertionibus accommodanda videatur, certum est et Orator fatetur, non omnes remissas ab se fuisse omissiones, adeoque perpendendum, utrum et quibus sub conditionibus impetrata absolutio et condonatio impertienda ei sit.

Ad futuram quod spectat reductionem, quamvis ignoret Orator, quo titulo missarum adimplementum pro dimidia parte suae familiae impositum fuerit, quae capellaniae bonis numquam potita est, nec illorum reditus percepit; attamen non renuit huic oneri subjici etiam quoad futurum tempus. Sed ob necessarium augmentum eleemosynae perficiendum confidit fore, ut missarum numerus proportionabiliter reducatur, ceu similibus in casibus in more habet S. Congregatio.

Haec quoad Oratoris petitionem, quod reliquum est, dispicient EE. PP., utrum nuntius mittendus sit vindicationi bonorum ob expositas difficultates, quae quidem parochi adeoque Episcopi sententia est; nec non etiam quae provisio decernenda, ut quae supersunt bona piae causae favore in tuto posita sint, et missarum ad implementum ab altera familia Parravano non negligatur in posterum.

Celebratis decem missis pro gratia absolutionis et condonationis quoad praeteritas omissiones, necnon reductionis facto verbo cum Sanctissimo, et Episcopus curet inscribi nomine capellaniae in tabulis cen-

suariis fundos superexstantes, monita familia Parravano de obligatione, qua tenetur, redintegrandi capellam de fundis alienatis, necnon adimplendi onera capellaniae.

223. Compostellana. — Reductionis missarum.

Die 14. Junii 1862.

Vincentius Valderrama Compostellanae dioecesis et civitatis animadvertens, quam maxime imminutos esse reditus et onera excrevisse cujusdam capellaniae laicalis, quam ipse tanquam majoratum possidet ex testamento, quod Lupus de Losada et Theresia Gomez conjuges anno 1566 condiderunt, supplicem Beatissimo Patri libellum obtulit, missarum reductionem expostulans. Antequam hujusmodi reductionis conditiones EE. VV. exhibeam, totam factorum seriem magis quam ex Oratoris precibus ex relatione depromam, quam Eminentissimus Compostellanus Archiepiscopus, die 10. Februar. hujus anni ad hanc S. Congregationem transmittebat, rogatus „de informatione et voto, utque auditis omnibus interesse habentibus in scriptis, et inspecta fundatione referret de annuo reditu et oneribus pii relicti tam de tempore fundationis quam de praesenti, et de legitima reductionis causa.“

Diligenter adimpletis sui muneris partibus, Eminentissimus Archiepiscopus refert, se inspexisse testamentum, quod Lupus de Losada ejusque conjux Theresia Gomez anno 1566 condiderunt, ex quo eruit „eos sub advocatione Beatae Mariae Virginis et S. Josephi capellaniam laicalem instituisse in una ex ecclesiis parochialibus urbis Compostellae, cui omnia sua bona cesserunt, ab ipsorum posteris tamquam majoratus possidenda; cui majoratui praeter alia onera, missas 259 sine cantu, et 51 cum cantu celebrandas imposuerunt: ita ut in capella ecclesiae parochialis singulis anni diebus, exceptis dominicis, missae sacrificium pro fundatorum intentione offerretur.“ Stipendium assignarunt unius regalis cum dimidio pro singulis missis lectis, trium vero regalium pro cantatis, quod hodie aequipollens est duobus regalibus cum quarta alterius parte, et quatuor regalibus cum dimidio respective.

Iisdem fundationis inspectis tabulis, non obscure colligi refert Eminentissimus Archiepiscopus „omnes census, qui anno 1566 ex assignatis bonis redibant, minime superasse summam 4400 regalium hodiernae monetae. Quae quidem bona eorumque reditus licet ab illo tempore non parum quidem immutata sint, tamen regalia 10000 adhuc producere existimanda sunt. At si prae oculis habeatur, quantopere tam monetae pretium, quam omnium rerum quae pecunia comparantur, mirum in modum excreverit, et habita ratione tributorum, quae hodie in Hispania gravissima sunt, facile colligi poterit, censu 4400 regalium, qui a possessoribus majoratus initio percipiebatur, quinquies aut sexies a 10000 regalibus, qui nunc ex eodem redeunt, superari; sed quod idem est, reditum hodiernum quamquam specie majorem, quinquies aut sexies primaevo minorem esse.“ Hanc primam justamque causam missarum reducendarum arbitratur Archipraesul.

Alteram autem causam, quam aeque justam putat, ex aucto missarum stipendio repetit. Refert enim, in ea urbe missarum stipendium ita fuisse auctum, ut haud facile reperiatur sacerdos, qui missas lectas locales pro stipendio quinque regalium celebrare velit, et cantatas pro octo regalium eleemosyna. Quo posito ad onera fundationis implenda 2368 regalium summa eroganda foret. „Hinc praesumere licet, inquit, fundatores non voluisse posteros adeo gravare, ut plus quam quintam redituum partem insumere deberent. Quin et legibus Hispaniae nec tunc nec hodie tantum onus permittitur.

„Quare (concludit) mea quidem sententia aequum videtur, ut missarum reductio concedatur, ita ut in qualibet hebdomada una legatur missa, diebus vero assumptionis B. M. V. et S. Josephi praeter lectam alia cantetur.“ Contra Oratoris preces illud facere videtur, quod voluntas testatorum pro lege habenda sit, ac tunc praesertim religiose sit servanda, cum divinum cultum et animarum expiationem respiciat, ut statuitur can. ultima Voluntas causa 13 quaest. 2, l. 2. Cod. de sacros. eccles., Concil. Trid. sess. 22. cap. 6. de ref., Clement. Quae contingit. de religios. dom., Sac. Congregatio in Romana Commutationis voluntatis 14. Junii 1806. Compertum praeterea est in praesenti specie, ut monet etiam Archiepiscopus, fundationem, de qua agitur, earum naturam prae se ferre, quae demonstrativae dicuntur; cum in ea prius onera praescribantur a majoratus possessoribus implenda, quam ulla bonorum mentio fiat. Juxta vero doctrinam traditam a Benedicto XIV. de synodo dioeces. lib. 13. cap. ultim. n. 32. tunc ad reductionem missarum superioris cura converti debet, cum reditus imminuti et aucta stipendii taxa reperiantur in iis fundis dotalibus, quorum constitutio taxative facta fuerit; quod si demonstrative, tunc non modo nulla missarum reductio concedenda est, sed obstringi debent haeredes ad supplendum quod deest. In cujus doctrinae confirmationem Summus ille Pontifex refert instructionem ab H. S. Congregatione Episcopis transmitti solitam. Illud etiam occurreret contra majoratus possessores, quod S. Congregatio missarum reductionem assolet denegare, ubi reditus, sicut in themate, superant onera, ceu videre est in Bononien. 27. Aprilis 1822 §. Testatores, et in Mazzarien. Reductionis servitii chori et anniversariorum 20. Novemb. 1824, aliisque.

Contra tamen quoties sine ulla possessorum culpa contingat, ut reditus imminuantur, qui ad piae voluntatis implementum fuerunt relicti, onera quoque sunt imminuenda, siquidem fructus oneribus respondere debent, Fagnan. in cap. Ex parte n. 2. de constit., S. Congregatio in Vallisoletana 22. Maji 1784 §. Quamvis; in Nullius S. Martini 24. Augusti 1822 §. Jam vero, in Tudertina Reductionis onerum 27. Januar. 1827. Et merito quidem: nam, ut observatur in cit. Tudertina, si fundatores praevidissent, reditus esse imminuendos, haud tam gravia imposuissent onera, multoque minus congruam vetuissent reductionem. Atque hanc quidem missarum reducendarum causam justam agnoscit laudatus Pontifex Benedictus XIV. loc. cit. n. 28. inquiens: „Causas ob quas fas est reductionem aggredi, plerumque, imo fortasse semper suppeditat decrementum redituum, qui fuerant pro onerum implemento assignati.“

Altera vero reductionis causa, quae ab eodem Pontifice assignatur, ex aucta missarum eleemosyna procedit. Ait enim: „Aliquando adaucta per Episcopos in suis synodis missarum eleemosyna ... fit, ut quamvis initio id, quod constituit fundator in praescripti muneris supportationem, ad illius implementum satis haberetur, ... impar deprehendatur, nec ullus reperiri valeat sacerdos, qui oblata juxta veterem taxam eleemosyna, missam celebrare velit; proindeque is, cui onus est curandi hujusmodi missarum celebrationem, si velit imposito sibi oneri satisfacere, cogatur sacerdotibus celebraturis pinguiorem eleemosynam elargiri: et has quidem causas indigitavit quoque Trident. Conc. cap. 4. sess. 25 de reform.“ In themate ab Oratore Valderrama proposito, non modo imminutos reditus, sed et missarum eleemosynas adauctas esse et queritur Orator ipse et confirmat Archiepiscopus; ob auctas vero missarum eleemosynas S. Congregatio reductionem indulsit in Mediolanen. Reduct. missar. 9. April. 1718, in Florentina Reductionis

onerum 2. Aug. 1823, in Januen. Reductionis missar. 22. Aprilis 1826 §. Supremas, petitamque reductionem eo vel magis Orator ab EE. VV, se obtenturum sperat, quod vigentibus hodie in Hispania legibus legata pia sublata sunt, ac proinde bona a piis fundatoribus Oratori relicta, quae ex eorum voluntate unita semper servari debuissent, partienda hodie sunt inter ipsum ejusque fratres; quo fit, ut onera, quae bonis unitis jam gravia nimis sunt, divisis graviora etiam evadant. Ceterum Orator oneribus hucusque satisfecit, etsi magna difficultate, et ab Eminentissimo Archiepiscopo maxime commendatur.

Die 5. Julii 1862.

Pro gratia reductionis juxta votum Eminentissimi Archiepiscopi ad decennium in tuto posito fundo legati pii méliori quo fieri possit modo, cura ejusdem Eminentissimi Archiepiscopi, facto verbo cum Sanctissimo.

224. Pisauren. — Reductionis missarum.

Die 30. Januarii 1858.

Jacobus Muccioli patricius Pisaurensis anno 1698 die 30. Aprilis suis postremis tabulis capellae sub titulo B. M. Virginis Palmarum a sua familia erectae in ecclesia paroeciali S. Jacobi Pisaurensis civitatis, fundum pro dote ex aere proprio constituit cum onere missae quotidianae, declarans capellaniam esse mere laicalem, praecipiensque, ut capellanus eligeretur ab suis haeredibus ac descendentibus ad nutum amovibilis. Capellanus iste, prosequitur ipse testator, „percipiat fructus istius fundi a me assignati cum obligatione missam quotidie celebrandi et capellam de utensilibus et vestibus sacris providendi, et suis expensis ceram, vinum, hostias aliaque ad celebrationem necessaria comparandi, nisi parocho solvere malit scut. 4½, qui tunc ad illa subministranda tenebitur.“

Aucta anno 1798 synodali missarum eleemosyna, missae illae quotidianae, auctoritate apostolica probante, ad 20 in singulis mensibus redactae sunt. Sed ne huic quidem reductioni satisfieri posse praesenti tempore putat marchionissa Paolucci Gallucci, quae nunc haereditario jure, uti asseritur, fundum capellaniae possidet, his potissimum innixa rationum momentis: 1°. Quia hodierni fundi dotalis fructus ob frequentes pluviarum alluviones, et adjecta vectigalium onera sunt valde imminuti; 2°. quia difficile admodum est, ut sacerdotes inveniantur, qui assueta synodali 15 obol. eleemosyna missas celebrare velint. Quare supplicem Sanctissimo dedit libellum, quo petit, ut missae 20 unoquoque mense celebrandae, ad unam in singulis diebus festis majori assignato 25 obol. stipendio reducantur.

Rogatus de more Episcopus, debitis, ut ipse ait, instructionibus receptis, refert: „Annui reditus pii legati probabilius ad scut. 117 summam nunc assurgunt. Onera vero, quibus legatum ipsum gravatur summam constituunt scut. circiter 75, 15; scilicet pro missarum satisfactione et canone ecclesiae divi Jacobi solvendo scut. 39 15, pro publicis vectigalibus scut. 36.“ Deinde addit: „Sententia, quam interesse habentes hoc super negotio expostulati in medium protulerunt, haec est, quod nempe viginti missae, quas celebrandi quolibet in mense onus est capellaniae, reducantur: 1. Ad unam in singulis festis de praecepto. 2. Ad aliam in singulis festis dispensatis. 3. Ad alias novem in quindena paschali. 4. Ad unam in festis Ss. Jacobi et Blasii titularium ecclesiae parochialis, in qua praedicta capellania erecta est. 5. Ad unam in commemoratione omnium fidelium defunctorum. 6. Tandem ad aliam

per singulos quinque dies, quos in honorem quinque literarum, ex quibus conficitur nomen B. M. Virginis pia unio ss. nominis ejusdem B. M. Virginis sacros quotannis habent Hujumodi sententiae adhaerec et ego. Quae opinio rationibus nititur in adjuncto voto dioecesanae congregationis expositis.“ Hoc autem votum in eo consistit, ut diligenter supputatis capellaniae fructibus juxta superius allata, in difficultate reperiendi sacerdotem, qui missas ordinario stipendio celebret, unica et rationabilis reductionis causa agnoscatur.

Cum res ita sint, haud dubium in jure est, ob causam necessitatis missarum reductionem concedi posse, causamque putari sufficientem redituum fundi dotalis imminutionem, quae in themate comprobatur; uti ab hoc S. Ordine responsum est in Feretrana 3. Augusti 1823 §. Quamvis (?). Item ob deficientiam sacerdotum gratia reductionis concessa est in Bracharen. 11. Septembris 1717 et in Romana Reductionis 2. Maji 1818. Neque insuetum est, ut ad augendam eleemosynam missarum reductio concedatur, quemadmodum plura ostendunt exempla in Bononien. Reductionis missarum 29. Maji 1824, et in Ostunen. Commutationis voluntatis et reductionis 20. Novembris ejusdem anni §. Ne defunctorum.

Nunc autem videndum est, an in casu capellaniae reditus, quanti ab Episcopo recensentur, pii legati satisfactioni sufficiant, cum jam alias missae ad minorem quantitatem reductae sint. Reductio enim saepe saepius denegata est, si reditus quamvis imminuti, pares tamen fuerint ferendis oneribus, ita in Romana Reductionis 8. Augusti 1818, et alibi frequenter. Perpendendum pariter est, an ob difficultatem reperiendi sacerdotem celebrantem concedi possit reductio in themate, cum onera illa missarum imponenda forent capellano, qui a patrono electus pii legati fructus juxta testatoris voluntatem percipere deberet. Capellanus etenim ita constitutus postquam missas omnes celebrasset ad rationem taxae manualis juxta computationem ab Episcopo factam, sui ipsius favore alia retineret scut. 42 ab omni prorsus vinculo exempta, quae plus quam 16 scutis excederent summam in illa dioecesi necessariam ad patrimonium sacrum constituendum.

Lectum, et scribatur Episcopo, qui praefigat patronis terminum pro capellani nominatione ad formam testamenti.

Die 8. Augusti 1863.

Easdem preces iterum renovavit ob causam praesertim imminutionis redituum Joseph Gallucci ann. 1860, et sub die 11. Julii ejusdem anni responsum retulit: „In decretis sub die 30. Januarii an. 1858.

His vero minime obstantibus, rursus hoc anno supplex institit idem Gallucci pro perpetua reductione missarum ad dies festos tantum cum eleemosyna obol. 30 pro missa, urgens quam maxime imparem omnino ferendis oneribus factam esse dotem capellaniae assignatam. Quare audiendum putavi in precibus Pisaurensem Episcopum, eidem injungens, ut peritum ex officio deputare vellet, ut inde ducto per decennium calculo, de annuo reditu, oneribusque capellaniae una cum animi sui voto et plenissima in themate informatione referret.

Ex Episcopi relatione diei 14. Apr. 1863 patere satis videtur, „fundi reditus demptis expensis pro publicis vectigalibus, aliisque administrationis oneribus ad summam assurgere scutatorum viginti septem et obolorum quatuor“; onera vero reducta, ut supra, scutata attingere triginta novem, quorum 36 pro missis ad rationem eleemosynae ob. 15 juxta taxam synodalem, scuta vero tria pro canone ecclesiae divi Jacobi ratione utensiiium solvendo.

„Variae assignari possunt causae, prosequitur Episcopus, ex quibus praedicti reditus valde imminuti sunt; praecipue vero sequentes duae assignantur: 1.° Damna quae capellaniae fundo tum ex aquarum impetu, tum ex terrae quaquaversum motibus obvenerunt; 2° gravis vectigalium publicorum auctio, quae novissimis hisce annis est inducta.

„Insuper missarum eleemosyna, quae juxta taxam synodalem quindecim obolis constat, ad obolos viginti pro feriatis diebus, et triginta pro festis de praecepto excrevit, ex quo praesertim sacerdotes regulares summa injuria propria claustra deserere coacti sunt.

„Quibus omnibus consideratis, concludit Episcopus, auditoque voto rectoris ecclesiae, in qua capellania fundata est, mihi videtur Oratoris preces benigne esse excipiendas, ita tamen ut missarum numerus, qui ex viginti pro singulis mensibus nunc est constitutus, ita reducatur, ut Orator debeat unam missam celebrare facere in singulis diebus dominicis et aliis festis de praecepto, in feria secunda et tertia tam post dominicam Paschatis resurrectionis D. N. J. C., quam post dominicam Pentecostes, in die S. Stephani protomartyris, ac tandem in festis Ss. Jacobi et Blasii, in quorum honorem fundata est ecclesia, ubi capellania fuit erecta. Eleemosyna vero missarum, de quibus supra, inferior non sit obolorum triginta, ne possibilitas desit sacerdotem, qui eas statutis diebus celebret, habendi; et salvo manente jure, quod habet ecclesia ad consuetum canonem pro s. utensilibus.“

Hactenus Episcopus. Quamvis reductio onerum, quae a pia testatorum voluntate injuncta sunt, odiosa admodum sit; aliquando tamen legitimis de causis aequitatis plena est. Quas inter causas post Conc. Trid. sess. 25. c. 4. de reform. Benedictus XIV. de synd. dioec. lib. 13. c. ult. n. 28. enumerat vel redituum imminutionem vel eleemosynae tenuitatem dioecesanae taxae minime respondentem. Quare imminutis ob temporum vicissitudines et publicorum vectigalium augmentum reditibus ad piarum voluntatum implementum relictis, pro reductione missarum Sacra haec Congregatio respondit in Tudertina Reductionis onerum 17. Martii 1827; in Mazarien. Applicationis et reductionis missarum 11. Julii 1846, et in Compostellana 5. Julii ann. praet. inter supplices libellos relata. Attento vero eleemosynae augmento eadem missarum reductio concessa est in Imolen. Legati 17. Febr. 1821; in Florentina Reductionis missar. 2. Augusti 1823; et in Spoletana Reduct. missar. 19. Aprilis 1834. Causae tandem reductionis ob auctam eleemosynam manualem accedit plerumque et alia; nempe defectus sacerdotum, qui cum majus stipendium alibi habere valeant, malint in designata ecclesia onera cum minori eleemosyna adimplenda suscipere. Unde non semel concessa etiam est reductio ob hujusmodi causam, uti in Feretrana 3. Augusti 1823 per summ. precum apud Gamberini, et in cit. Compostellana.

Quod vero in themate fundi reditus valde imminuti fuerint, ut impares sint ferendis oneribus, dubitari non posse videtur ex superius allatis Episcopi literis. Equidem anno 1858 exhibitae preces a marchionissa Paolucci rejectae fuere, uti etiam accidit 11. Julii 1860. Damna vero, quae eodem anno fundo supervenere, a perito Ronconi ab Episcopo deputato ita describuntur: „Hic fundus rusticus quamvis multum inclinatus, ita planam tamen semper retinuit superficiem, ut bobus ager exerceri possit et symmetricae plantationes ejus pretium augebant. Verum his ultimis annis frequentioribus pluviis canales ingesti damna et impedimenta agro intulerunt. Quamquam industriae et expensis proprietarius non pepercit, ut his malis occurreret, nives ultimo hoc anno fundum superiorem ita destruxerunt, ut ... magna terrae mole irruente

arbores et plantae eradicatae in fundo capellaniae sint, et aquae ex fontibus surgentes ita omnia mirum in modum destruxerint, ut nullo modo iste ager bobus exarari possit.“

His de causis, ut superius innui, Oratoris precibus Episcopus favet; et rogat, ut missarum eleemosyna non minus quam triginta obolorum pro qualibet missa constituatur, ne iterum in posterum deficiat sacerdos, qui praesertim diebus festis de praecepto, aliisque juxta reductionem ab ipso propositam, onera missarum adimpleat. Videant ergo Eminentiae Vestrae, utrum adductae reductionis causae exhibitis precibus satis suffragari videantur, si non pro perpetua reductione, saltem pro temporanea, injuncto interim onere Oratori, ut fundi meliorationem sedulo curet et intra terminum ab Eminentiis Vestris praefiniendum celebrationi missarum hucusque praetermissae satisfaciat, et de peracta celebratione coram Episcopali curia suo tempore doceat.

Praevia suspensione nominationis capellani pro gratia reductionis missarum juxta votum Episcopi ad quinquennium, facto verbo cum Sanctissimo.

225. Anglonen. et Tursien. — Reductionis onerum.

Die 26. Novembris 1853.

Quidam de familia Cerabona terrae S. Archangeli dioecesis Anglonensis et Tursiensis, pluribus ab hinc annis, erecta propriis sumptibus capella sub titulo B. M. V. de Monte Carmelo et animarum in purgatorio degentium, ibidem duodecim capellanias, congrua assignata dote, instituit, cum onere capellanis pro tempore celebrandi annuatim tot missas quot redituum cumulus pateretur, statuta eleemosyna granorum duodecim pro unaquaque missa. Factum at vero est, ut progressu temporis capellaniarum bona imminuerentur; adeoque eae anno 1832 ad quinque reductae fuerunt cum quota pro singulis possessoribus annuorum ducatorum quadraginta et destinatae pro titulo sacri patrimonii favore clericorum S. Archangeli. Cum vero hodierni capellani sentiant, summam ducatorum quadraginta insufficientem esse honestae ipsorum sustentationi, supplici libello postulant ab H. S. O., ut missae celebrandae reducantur ad rationem eleemosynae granorum quadraginta pro unaquaque.

Episcopus de more requisitus porrectas preces veritati inniti testatur et refert, manualem eleemosynam juxta taxam synodalem esse quindecim obolorum pro unaquaque missa, cultum ecclesiae designatae et populi commodum neutiquam minui, si petita reductio concedatur; animique sui tandem sententiam pandit: „Mihi videtur dictas missas numero minuendas esse, ut unaquaeque quatuor carolenorum stipendium habeat, atque ita capellani habendo quod manducent, melius divinae gloriae animarumque saluti consulant.“

Cum agatur de novo infligendo vulnere piae fundatoris voluntati, de reducendo scilicet onere missarum capellaniis inhaerentium, et quidem ad eum numerum quo fundatoris suffragia plus quam pro duabus tertiis partibus minuerentur, caute admodum procedendum esse videtur, ne pereant legata missarum, quae diligenter servanda monet Benedictus XIV. de syn. dioeces. lib. 13. cap. ult. num. 23, et docuit S. C. in Florentina Reductionis onerum 26. Augusti 1820 et in Tolentina Commutationis voluntatis 22. Aprilis 1826.

Inter justas tamen causas reducendi missarum onera recensetur augmentum eleemosynae pro earum celebratione; ceu edisserit praelaudatus

Bened. XIV. loc. cit. num. 28, et plane ostendit H. S. C. praecipue in Bracharensi 11. Sept. 1717, et in lib. decret. 67. pag. 373. Compertum autem est id in themate verificari, cum hodierna manualis eleemosyna pro missae celebratione superet eam, quam constituit fundator capellaniarum, quaeque suo tempore superabundans forte putabatur.

Perpendendum etiam est, quod capellaniae, de quibus agitur, sacrum patrimonium ordinationis constituunt; et cautum in jure, ex patrimonio sacro tot percipi debere fructus, quot sufficiant honestae clericorum sustentationi. Ex Episcopi autem relatione colligitur, Oratoribus, si ex taxa fundationis missas celebrare teneantur, non suppetere satis pro victu quotidiano.

Pensandum sed vero erit, utrum Oratorum conditio ejusmodi sit, quae exigat omnino eleemosynae taxam probari, prout proponitur, ita ut per eam perpetua ac ingens missarum reductio inducatur; vel potius expediat eamdem taxam aliquantulum deprimere, et concessionem ad tempus concedere; a perpetuis namque et immoderatis reductionibus alienam plerumque se praebuit S. Congregatio.

Pro gratia reductionis missarum computata eleemosyna trium carolenorum pro unaquaque ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

226. Sabinen. — Absolutionis et reductionis missarum.

Die 8. Augusti 1863.

Petrus Venanzi canonicus archipresbyter collegiatae ecclesiae Eretinae, vulgo di Monterotondo Sabinensis dioecesis mense Julio anni elapsi Sanctissimo Domino Nostro supplicem obtulit libellum, quo exposuit se a die 10. Novembris ann. 1860 apoplectico morbo correptum, usuque membrorum destitutum, lectulo jacentem missarum oneribus, quae quinquaginta circiter partim conventuales, partim lectae annis 1861 et 1862 sibi spectabant, minime satisfecisse: attenta idcirco exiguitate redituum, qui pares vix erant propriae sustentationi et necessariae assistentiae pretio sibi comparandae absolutionem quoad praeteritum deprecatus est, et plenam quoad futurum exonerationem, donec morbus in eodem statu miserabiliter perseveraret.

Allegatis, prout opus erat, hujusmodi precibus ad Eminentissimum Episcopum Sabinensem, ut ipse una cum animi sui voto tum de annuo reditu et oneribus archipresbyteratus, comprehensis distributionibus, doceret, tum de legitima exonerationis causa ex jurata medici fide referret, rem omnem Eminentissimus Antistes explevit, literisque diei 9. Augusti 1862 rescripsit: „Nequit profecto in dubium revocari casus vere calamitosus archipresbyteri Petri Venanzi, qui unica est dignitas et insimul parochus ecclesiae collegiatae Eretinae. Ipse enim duobus circiter abhinc annis gravi correptus fuit apoplectico morbo, quo coactus fuit et cogitur etiam nunc decumbere, nec nisi alienis auxiliis loco moveri potest, usu membrorum ad motum necessario privatus ita, ut per se missae sacrificium nequeat offerre.

„Reditus praebendae archipresbyteralis et parochialis computatis distributionibus et incertis ad scutata quinquaginta circiter supra biscentum assurgunt. Onera vero, quae habet adnexa, praeter officiaturam choralem turnatim ad tramites constitutionum peragendam, quoties non est legitime impeditus, sunt exercitium curae animarum, cui satisfacit laudabiliter illius frater Generosus Venanzi canonicus ejusdem collegiatae, et celebratio missae pro populo.“

Cum vero laudatus Eminentissimus agnoverit eumdem archipresbyterum ab initio suae infirmitatis nedum supramemoratis oneribus, sed et celebrationi missarum pro populo prorsus defecisse, e munere suo duxit eumdem excitare, ut suae conscientiae quoad praeteritum et futurum consuleret, oraculum Sacr. hujus Congregationis exquirendo. Quod satis fuit, ut praefatus Venanzi Episcopo suo illico obtemperans, primis adhuc pendentibus precibus, novas etiam transmiserit, iisdem de causis expostulans a Sanctitate Sua et absolutionem quoad praeteritas omissiones. et dispensationem quoad futurum super celebratione missae pro populo.

Duo ergo ab hac Sacra Congregatione prodiere rescripta, quorum primum diei 1. Septemb. 1862 super missae pro populo celebratione hujuscemodi fuit: „Pro gratia absolutionis ac condonationis quoad praeteritum injunctis aliquibus precibus arbitrio Eminentissimi Episcopi; quoad futurum lectum.“ Alterum vero diei 22. Septbr. ejusdem anni sequens est: „Quoad missas conventuales relatum, quo vero ad missas lectas pro gratia reductionis ad annuas decem, durante infirmitate, arbitrio et prudentia Eminentissimi Episcopi.“

Nil novi post haec allatum est super onere missarum pro populo, attamen super missis conventualibus aliisque missis novas instauravit preces archipresbyter, quas Episcopus ipse Sabinensis una cum literis diei 4. Martii h. a. ad H. S. O. transmisit: „Sacerdos Petrus Venanzi, ita in dictis precibus, ad rem magis declarandam humiliter exponit gratiam imploratam cohiberi ad exemptionem ab applicatione sola missae conventualis, reductae ad dies festos, firmo manente onere repraesentationis pro celebratione juxta turnum, aut ad solvendam punctaturam secundum constitutiones collegiatae et consuetudinem. Et cum ejus infirmitas non solum sit insanabilis, ... atque etiam invaluerit morbus in corpore et facultatibus mentis, iterum humiliter supplicat pro condonatione missarum conventualium non applicatarum et missarum simplicium non celebratarum a tempore praedicto usque nunc, et pro exoneratione totali pro futuro in sensu exposito ...“ Quas preces Eminentissimus Episcopus peculiari studio Eminentiarum Vestrarum benignitati commendat, ajens: „Archipresbyter Venanzi in conditione vere infelicissima est ex morbo apoplectico, ex quo semper pejus se habet ... In hac tristi ejus statu mea quidem opinione omni benignitate dignus est. Censerem itaque eum absolvendum esse ab omissione missarum a tempore morbi; pro futuro autem missae praebendales reducantur ad solas tres annuas, et quoad conventuales exoneretur ab applicatione reducta per rescriptum rev. fabricae S. Petri ad solos dies festos, firma manente celebratione quotidiana et punctatura pro celebratione, si nemo suppleat; (quae punctatura est obol. 10 diebus ferialibus, obolor. 20 in festis, et obol. 30 in solemnioribus, a qua ex constitutionibus et consuetudine ne infirmi quidem eximuntur.) Hoc modo missa conventualis semper celebrabitur neque ullum damnum sentient ceteri capitulares, si suppleatur de thesauro Ecclesiae paucis applicationibus annuis sui turni, quae ei condonarentur ...“

Ex jure communi beneficium datur propter officium cap. ult. de rescript. in 6°, et neminem latet ex beneficio canonicatus canonicis onus incumbere turnatim celebrandi missam conventualem, quae utique inter chori munera post recitationem divini officii primum locum obtinet. Nec tantum ad celebrandam, sed et ad applicandam pro benefactoribus missam conventualem adiguntur canonici, idque ex justissima pietatis et gratitudinis obligatione erga benefactores, quae non facile remittitur juxta Benedicti XIV. doctrinam in celebri sua constitutione: Cum semper oblatas. Nec secus dicendum

de celebratione missarum praebendalium, cum onera in fundatione imposita caute custodienda et religiose adimplenda fore non tantum jus edoceat, sed et ipsa conscientia testetur, Piton. de contr. patr. alleg. 50. n. 22.

Haec tamen haud impediunt, quominus ex legitimis causis, praesertim gravi morbo laborantibus indulgentia sua pia mater Ecclesia succurrat, dispensationes elargiendo super missarum obligationibus, uti ipsis pariter permittit, ut praetermisso etiam officii exercitio fructus tamen beneficii percipiant: ad text. in cap. unico de cler. non resid. in 6°, Trid. Syn. sess. 24. cap. 12. de reform. nec non S. H. C. in Florentina 22. Mart. 1823 inter supplices libellos relata.

Quod si juxta praxim hujus Sacri Ordinis ex tenuitate redituum applicatio missae conventualis diu etiam neglecta remittitur, et reductio quandoque conceditur ut in Mazarien. 20. Dec. praet. anni; judicent Eminentiae Vestrae, utrum hac etiam de causa miseratione dignus archipresbyter videatur, cujus beneficii reditus, soluta eleemosyna pro applicatione missarum pro populo, et debita pariter concessa retributione iis, qui missas conventuales ipsius aegroti loco celebraturi sint, si ratio habeatur teterrimae calamitatis, in qua versatur Orator, non adeo pingues esse videantur, ut facile omnibus infirmi necessitatibus sufficiant. Eminentissimus tandem Episcopus animadvertit, nullum ex gratiae concessione praejudicium obventurum chorali servitio, nullumque inde detrimentum ceteros capitulares passuros, cum ipse Venanzi vel per alium conventualem missam celebrari sataget, vel congruas punctaturas persolvet.

Haec de applicatione missae conventualis; quoad missas vero praebendales lectas, quae jam ex decreto hujus S. C. diei 22. Sept. praeteriti anni ad annuas decem reductae fuere, animadverti juvat, idem in specie motivum quod jam hujus S. C. commiserationem movit, non tantum perseverare, sed et corroborari, in quantum morbus apoplecticus absque spe sanationis ingravescens facultates mentales jam invaserit, quas duos abhinc menses testante Eminentissimo Episcopo sanas integrasque reliquerat.

His vero perpensis, quoniam idem archipresbyter relate ad hujusmodi missas reductionis gratiam ab hoc Sacro Ordine jam obtinuit, Eminentiae Vestrae judicabunt quo rescripto dimittendae sint preces, ne saltem afflicto afflictio superaddi videatur.

Pro gratia absolutionis et reductionis juxta votum Eminentissimi Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

b. Ad alia onera commodius ferenda.

aa. Pro congrua sustentatione canonicorum et parochi.

227. Januen. — Reductionis missarum.

Die 1. Junii 1861.

Capitulum ecclesiae collegiatae sub invocatione S. Joannis Baptistae loci Chiavari dioecesis Januensis, quod tresdecim, comprehenso archipresbytero, canonicis constat, nonnullis abhinc annis gravissimam redituum jacturam pertulit, ob amissum praesertim canonem libell. sexcentum, cujus rependendi obligatione, qua tenebatur, municipium illud vacuum ac solutum judiciali sententia declaratum fuit, nec non ob aucta tributa quibus Subalpinum gubernium ecclesiae bona subjecit. Sed praeter massae communis reditus alios

percipiunt canonici ex capellaniis in collegiata erectis. Ex hisce altera onus habet adnexum missae conventualis quotidianae, reditusque prae se fert libell. 365, altera fundata in altari sanctissimi crucifixi in eadem ecclesia, cui onus etiam inest missae quotidianae, reditus praebet libell. 362, cui tertia accedit cum onere pariter missae quotidianae anno 1830 a Magdalena Daneri institura, cujus reditus attingunt libell. 395. Praeterea tenentur canonici ad satisfactionem missarum 74 in praedicto altari sanctissimi crucifixi cum eleemosyna in totum libell. 86, et aliarum missarum 97 certis ac determinatis anni diebus, pro quibus assignantur libellae 97.

Causa itaque passae diminutionis redituum, qui pares non sunt plane quotidiano servitio chorali quod praestant, reductionem capellaniarum et onerum missarum, de quibus supra, supplices petunt canonici „ad solam applicationem missae conventualis diebus festis, et ad celebrationem sine applicatione unius missae festivae in commodum populi, hora statuenda ab archipresbytero cum capitulo, retento onere missae quotidianae cantatae et omnium aliarum functionum infra annum juxta consuetudinem, ita ut nihil immutetur in perpetuo cultu ad aedificationem fidelium.“

Exposita a capitulo confirmat in sua relatione Archiepiscopus, monens, quod detractis reditibus ex capellaniis aliisque oneribus missarum provenientibus, universi collegiatae reditus ex libellis 2447 conflantur, quae inter canonicos divisae vix annuam praebendam 187 circiter libellarum singulis afferunt. Addit onera canonicorum eadem esse ac illa, quibus canonici cathedralium gravantur, quae onera canonicis Oratoribus gravissima accidunt, quippe soli totum servitium explere coguntur, cum omnino careant capellanis seu presbyteris massae; veritati convenire, quod Oratores exponunt de canone 600 libell. amisso, quem judicio tribunalium frustra vindicare tentarunt. Adnotat etiam enuntiatas 2447 libellas exsolvi a gubernio per nuncupatam Capsam ecclesiasticam, quae bona canonicorum occupavit, atque non raro contingere, ut, praetextu expensarum administrationis aut alicujus damni reparandi, summa non retribuatur integra; ex quibus infert, Oratorum conditionem vere miseram esse, eosque decori et praestito servitio minime congrua percipere emolumenta.

Post haec ita mentem suam pandit: „Attamen, quamvis Oratores apostolica benignitate digni mihi videantur, eorum petitionibus, utpote aliquantulum amplis, omnino favere nequeo, ac aequiori modo easdem moderari posse censerem: proindeque S. Sedi proponere auderem, ut missam conventualem in celebratione et applicatione intactam relinqui praeciperet; indulgeret autem, ut aliae duae capellaniae, quibus haeret onus quotidianae celebrationis reducantur distincte ad unam missam singulis diebus festis etiam de recens suppresso praecepto celebrandam; atque missas 74 et 97 duobus legatis inhaerentes, ad duo anniversaria quotannis celebranda reduceret, injungendo ut hora celebrationis duarum missarum reductarum assignetur de consensu parochi ad commoditatem populi.“ Tandem advertit quod „cum collegiata tantum, alio nemine interveniente, capellaniarum et legatorum administratrix semper fuerit, interesse habentes audiendi non fuere.“

Duo potissimum canonicorum petitioni adversari videntur. Alterum est quod reditus capellaniarum et legatorum, de quibus agitur, diminutioni obnoxii minime fuerunt, quae quidem ratio praecipua foret concedendae reductionis. Alterum est quod in casu res est de capellaniis et oneribus separatim a praebendis canonicalibus institutis, neque hisce ex sua institutione inhaerentibus, quamobrem pro reductione non suppetit ratio afferri solita ex praesumpta fundatorum collegiatae voluntate desumpta, quod scilicet chorali

officio et congruae canonicorum sustentationi prae primis consulere voluerint. Quin potius, uti in legatis ad varii generis pia opera relictis, facilius ceterorum potius onerum, quam missarum reductionem concedere solet S. Congregatio, ita potiori ratione deneganda omnino videretur reductio missarum, cum constet fundatores illarum satisfactioni unice vel praecipue animum intendisse.

Nihilominus justa intercedente publicae necessitatis aut utilitatis causa reductio missarum concedi assolet. Inter hasce causas recensetur etiam ratio consulendi servitio chori, quod praecipuum est canonicorum officium, ceu non raro haec S. Congregatio respondit, ut in Taurinen. Absol., suspens. et reduct. 1. Martii 1817 et in Civitatis Castellanae Reductionis et dispensat. 20. Nov. 1819 §. De reductione. Et profecto hujus etiam habuisse rationem capellaniarum et legatorum fundatores videntur, cum in collegiata et in canonicorum utilitatem hujusmodi pias institutiones perfecerint, quo nimirum illius ecclesiae decori et canonicorum congruae exhibitioni cumulatius provisum foret. Quamobrem cum reditus praebendarum valde imminuti fuerint absque canonicorum culpa, et gravissimum aliunde ipsi praestent suae ecclesiae servitium, ideo decernent EE. VV., an reductionis rite indulgendae sit locus in themate.

Viderint etiam, an omnino vel potius juxta modum ab Archiepiscopo propositum porrectis precibus annuendum sit; ac tandem ad quod tempus reductionis indultum sit cohibendum.

Pro gratia reductionis missarum juxta votum Archiepiscopi ad triennium, facto verbo cum Sanctissimo.

228. Praenestina. — Reductionis.

Die 28. Januarii 1854.

Canonici ecclesiae oppidi Zagaroli divo Petro dicatae ac nuper in collegiatam evectae, inspecto haud levi missarum numero quae eorum beneficiis ex fundatione inhaerent, nec non addito nuper onere vi collegialitatis celebrandi missam conventualem atque integram officiaturam quadragesimali tempore, supplices se praebent apud Sacratissimum Principem, „ut absolvantur ab onere veteri missarum, quando assumunt missam conventualem quotidianam et totum officium in quadragesima . . . etiam ob graves expensas quas ferunt in expeditione Brevis et aliis in his adjunctis necessariis.“

Auditus Eminentissimus Episcopus refert, septem esse beneficia, quae ad praebendas canonicales evehi debent; ac annuos deinde reditus recenset et missarum onera. Archipresbyter nempe percipit scut. 200, et praeter tresdecim solemnes missas et alias pro populo tenetur litare sacra 65. Ceteri autem canonici, tres nimirum habent scut. 80, duo 60, alter 40, quae simul sumpta conficiunt scut. 600, ac omnes, non aequa tamen ratione, plurium missarum onere gravantur, usque ad numerum 689. Post quod animi sui sententiam ita pandit: „Cum missa conventualis sit pars divini officii; cumque hoc non quotidie ab Oratoribus persolvatur in choro, sed solum festis diebus licet reductis, et toto tempore quadragesimae; hinc missa conventualis non quotidie a praefatis canonicis per turnum celebranda erit (nulla eleemosyna suscepta); sed solum quando serviendum choro est. Et quoniam id accidere poterit circiter ducentis vicibus per annum, ideo aequum videtur, ut praefatus numerus missarum 689 ad 489 aut melius 479 redigatur: ita ut quilibet ex eis reductione sacrorum 30 quotannis perfruatur; quin ulla in

hac communi postulatione habeatur ratio redituum et onerum singularum praebendarum.

Missarum reductionem uti per se odiosam et piarum voluntatem eversivam a ss. canonibus improbari palam est, nisi justae necessitatis atque utilitatis causae concurrant, S. Congr. in nuperrima Sabinen. Erect. colleg. et jurisp. 29. Jan. 1853 §. Duo. Porro has consistere in imminutione redituum atque eleemosynae augmento pro missarum celebratione eruitur ex S. Congr. in Feretrana 3. Aug. 1823 nec non in augendis tenuibus canonicorum reditibus, pro quibus S. Congregatio missarum reductionem indulgere suevit, uti in Nursina Onerum 19. Julii 1828, et in Montis Alti Reduct. oner 6. Junii 1840 §. Porro.

Nulla at vero in themate adest redituum imminutio, nisi implicita tantum quae ex missae conventualis assumptione promanat, ex qua successoribus beneficiatis novum onus adderetur. Cum autem petita reductio ad supplendos tenues praebendarum reditus tendat, excipiendae, saltem juxta Ordinarii votum, canonicorum preces viderentur. Quo quidem in casu aliqualis compensationis titulo certus anniversariorum numerus, integro adstante capitulo, vel pro una vice, vel quotannis celebrandorum Oratoribus imponi posset, juxta S. Congregationis praxim, de quo exemplum habetur in cit. Sabinen. ad 2. dubium.

Lectum.

229. Squillacen. — Absolutionis et reductionis missarum.

Die 26. Septembris 1857.

Raphael Spasari archipresbyter parochus ecclesiae SS. Apostolorum Petri et Pauli in oppido S. Andreae dioecesis Squillacen., exponit: ex lege fundationis, concordati, et ex decretis ss. visitationum sibi jus esse ad congruam 150 ducatorum percipiendam liberam ab omni onere, praeter missas pro populo. Congrua autem haec desumi assolet ex massa redituum ejusdem ecclesiae, cui inhaeret onus 1100 missarum; sed cum quadraginta ferme ab hinc annis hujusce massae reditus valde decreverint, inde fit, quod missae ut plurimum non celebrentur, ac congrua quam uti liberam ipse percipit, hujusmodi missarum onere gravata reipsa videatur. Exponit praeterea, congruam tamquam ab omni onere exemptam perceptam fuisse a suo antecessore ab anno 1835 usque ad annum 1845; et ab se, ab anno 1847 usque ad annum 1854. Quamobrem ut ab omni anxietate tam pro praeterito, quam pro futuro eximeretur recursum habuit ad S. Poenitentiariam, quae respondit, ut super praemissis ad S. H. O. sese verteret.

Episcopus informationem et votum rogatus haec habet: „Huic ecclesiae a gubernio addicta fuerunt bona plurium capellaniarum suppressarum, et reditus ascendebant ad 570 ducata cum 3000 circiter missis et 20 anniversariis. Pro praebenda parochiali praecipiebantur duc. 150, et archipresbyter ex reditu stolae et adventitiis percipere poterit duc. 25. Invenio reductionem factam ab Episcopo anni 1835 ut delegato S. Sedis ad 1100 missas et 12 funeralia cum officio defunctorum. At credere licet, missas simplices non fuisse celebratas, quia reditus diminuti praecipue quoad census, cum minori congrua archipresbyteri, subtractis vectigalibus et expensis cultus, vix ad 100 ducata ascendant, facto calculo per decennium. His praemissis, cum frustra monitiones adhibuerim ... haec propono: 1° Archipresbyter percipiat 110 duc. libera ab omni onere legatorum, cum obligatione tamen missarum 90

pro populo. 2° Ut clerus, qui cum archipresbytero ex 12 sacerdotibus constat, (communitas innumerata est), et ad coadjuvandum parochum in cura animarum et interveniendum functionibus omnibus ... adimpleat legata juxta modum in adjuncto folio expressum ...

.... Haec peto, ut pro praeterito sanentur omissiones et archipresbyterorum et aliorum sacerdotum, et pro futuro approbetur reductio in perpetuum."

Modus autem legata reducendi in adjuncto folio ab Episcopo propositus consistit in eo, quod in diebus dominicis ac festis solemnioribus celebraretur missa solemnis cum vel sine vesperis, ac in aliis festis solum missa cum cantu, adjunctis aliis missis simpliciter lectis ad varia altaria ibidem determinata; ita ut missis et anniversariis cum officio defunctorum legatis substituerentur annuae 47 missae solemnes cum eleemosyna unius ducati, 24 simpliciter cantatae ad carolenos sex, 36 vesperae solemnes ad carolenos quatuor, et 250 missae lectae ad grana quindecim juxta manualem eleemosynam; quae annuam conflant summam ducat. 113 et gran. 30.

Ex causa necessitatis vel utilitatis reduci posse missarum legata, explorati juris est. Id porro praestat in themate redituum diminutio, qui impares ad ea ferenda evaserint, ceu pluries respondit S. Congregatio, praesertim in Policastren. Reductionis et absolutionis 9. Augusti 1817 ad 1. dubium, in Taurinen. Absol. suspens. et reduct. 1. Martii 1817 ad 3. dubium, et in Florentina Reduct. onerum 2. Augusti 1823. Quamobrem non officere videtur, quod alias jam reductio concessa fuerit, anno scilicet 1825, cum ab eo temporis novam imminutionem reditus passi fuerint, unde novae etiam reductionis necessitas plane emergit. Praeterea altera ac peculiaris in themate reductionis causa in eo est, quod ex massa redituum legatorum detrahenda sit congrua pro parocho, quae secus percipi nequiret, nec alia praesto sunt media; quo quidem in casu S. Congregatio saepe missarum reductionem concessit, in Nucerina Paganorum Reductionis 5. Septembris 1778.

In specie autem perpendendum, utrum modus reductionis ab Episcopo propositus sit omnino probandus. Qua quidem in re duo praecipue adnotanda occurrunt: primum nempe quod si reductio ad propositam rationem fiat, integra juxta fundationem, ss. visitationum decreta, et concordatum congrua ducat. 150 parocho non superesset, cui ab Episcopo assignantur duc. 110 dumtaxat. Porro de parochi congrua docet Monacellius formul. leg. pract. lib. 1. tit. 10. form. 18. num. 15: „Congruam certam debet habere curatus ad formam constit. S. Pii V., 47, quamvis sit amovibilis, cujus quantitas ad praescriptum dictae bullae aut alterius provisionis jam taxata, non potest minui, quamvis curatus electus et deputatus diminutioni consentiat, et pro minori quantitate spondeat deservire;" et S. Rota decis. 218 num. 6. part. 18. t. 1. recen.: „Semel constituta congrua non potest regulariter immutari nisi ex causa"; quod consentaneum est tit. 12. lib. 3. decret.: „Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur" attamen ne redituum diminutio, quae absque possessorum culpa accidit in piorum legatorum detrimentum tota vertatur, aequum fortasse videbitur, ut proportionabiliter parochialem quoque congruam afficiat, cum una eademque sit massa bonorum tam pro legatis, quam pro congrua ipsa constitutorum. Ac ceteroquin congrua 110 ducat. sufficiens videretur, additis praesertim utriusque stolae incertis.

Alterum quod animadversione dignum occurrit, refertur ad ingentem diminutionem missarum lectarum, quibus nonnullae missae solemnes sufficiuntur,

et vesperae; dum e contra cautum ex Sacri Ordinis disciplina est, ut alia potius officia reducantur quam missae, ceu traditur in Thelesina Reduct. onerum 23. Junii 1832 §. Compertum; nec non ut potius anniversaria, quam missae lectae imminutioni subjiciantur, uti docetur in Albanen. 12. Martii 1774 §. In reducendis. Verumtamen ut Episcopi voto annuatur, illud favet quod hac ratione magis consuli videatur ecclesiae utilitati ac splendori divini cultus.

Celebrata unica missa cum cantu integro adstante capitulo pro gratia absolutionis et condonationis quoad praeteritas omissiones necnon quoad futurum juxta votum Episcopi ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

230. Asculana. — Absolutionis et reductionis missarum.

Die 24. Augusti 1867.

Anno 1817 ecclesiae parochiali S. Joannis Baptistae loci vulgo „in Pescolla“ Asculanae dioecesis, unitum seu incorporatum fuit in perpetuum simplex beneficium sub invocatione S. Benedicti martyris erectum in ecclesia S. Petri in Castello ejusdem dioecesis: idque ea ratione actum, ut parochialis ecclesiae reditus, qui impares omnino erant ad honestam parochi exhibitionem, augerentur. Accidit autem hac tempestate, ut ratione vectigalium, quae a gubernio Pedemontana super ecclesiae bonis imposita sunt, ita imminuti sint beneficii reditus, ut vix aut ne vix quidem ad onera dimittenda sufficiant. Quapropter Antonius Stipa, hodiernus S. Joannis Baptistae in Pescolla parochus, ut propriae consuleret sustentationi, ab mense Julio 1864 celebrationem omisit duarum missarum, quas in qualibet hebdomada vel per se, vel per alium litare debuisset in ecclesia S. Petri in Castello. Quarum missarum celebrationis obligatio (praeter aliam missam in parochiali ecclesia singulis hebdomadis applicandam) parocho inest, ut onus beneficii suae paroeciae adnexi. Hujus suspensionis celebrationis missarum parochus Stipa approbationem postulat tam pro praeterito, quam pro futuro, quousque praesentes rerum circumstantiae erunt perseveraturae.

De more preces Episcopo missae fuere, ut suam panderet in re de qua agitur sententiam, statum activum et passivum tum simplicis beneficii, tum paroeciae redigendum curaret; atque auditis interesse habentibus, eorum placitum scriptis mandatum ad S. Ordinem transmitteret. Commisso muneri satisfecit Episcopus; docuit enim: „Vera Orator in precibus exposuit. Reditus enim beneficii aestimantur scutata 63 circiter, expensae autem nunc sunt circiter scutata 62: unde habita ratione paupertatis paroeciae, cui beneficium sub invocatione S. Benedicti perpetuo fuit incorporatum ad honestam parochi sustentationem . . . frustranea modo videtur praefati beneficii unio ad paroeciam“. Retulit deinde sodalitatem septem dolorum B. V. M. erectam in ecclesia S. Petri in Castello, in qua missae, quarum suspensio postulatur, celebrandae forent, obsistere quominus petita suspensionis venia concedatur, ut patet ex generalis confraternitatis capituli resolutione edita die 29. Januarii anni 1865, cujus tenorem operae pretium est totidem verbis heic transcribere: „Vocatus ad consilium, ajunt sodales, frater Ernestus Principi, censuit parochi preces rejiciendas esse, cum notum sit ipsum non ob tributa reipublicae teneri ad illas magnas expensas, sed ob suam negligentiam (ita enim ipsi autumant) quia non satisfecit legi procurandi inscriptionem capellaniae intra tempus utile, unde multam dare debuit; censuit porro su-

spensionem missarum populo nocere atque magis etiam confraternitati ... Cum huic consilio a nemine opponeretur quidquam, habita sunt vota favorabilia 29, contraria 2.“ Post haec Episcopus prosequitur: „Cum itaque praefata pia sodalitas renuat assentiri precibus Oratoris, qui causa paupertatis non habet unde sumat pro eleemosynis missarum celebrandarum, Vos Eminentissimi et sapientissimi Patres, in re tanti ponderis, ut sententiam feratis exoro.“

Transmisit vero Episcopus parochi deductiones, quibus declaratur paroeciae reditus summam attingere scutator. 25: expensas vero, computatis missis pro populo, adscendere ad scutata 38, 39, habita tantum ratione vectigalium, nulla vero manutentionis ecclesiae et aedium parochialium, nec cerae et olei, aliarumque cultus expensarum. Quibus omnibus manifeste comprobatur, reditus paroeciae sejunctos a reditibus beneficii vix pertingere ad medietatem omnium expensarum parochialis ecclesiae. Notandum est, ait parochus, 1864 me solvisse 45 libellas pro fundis rusticis, anno 1865 lib. 89; item crevit tributum super divitiis mobilibus, aedibus, et quot his mensibus superventura sunt?“ Mentem itaque suam aperiens Ordinarius haec habet: „De missis non satisfactis ... usque ad praesentem diem oratori parocho indulgeri posse judicarem, levi onere imposito celebrandi missas sex pro animabus piorum institutorum in quacumque ecclesia infra sex menses. Legitimam causam suspensionis missarum ab expositis clare patet fuisse tantum paupertatem oratoris, et onera imposita beneficio. Justae autem oratoris querelae a gubernii ministris firmiter rejiciuntur, sicut adhuc rejectae fuere.“

Etsi caute procedendum in reductione missarum tum ratio ipsa, tum disciplina Sacri hujus Ordinis clare docent, perpensis tamen hucusque expositis non dubitandum esse videtur de legitima reductionis causa, quae necessaria demonstratur ad parochi sustentationem procurandam, ejusque veram indigentiam sublevandam Conc. Trid. sess. 24. cap. 15 et sess. 25. cap. 4 de reform. Nec alia de causa reapse Tridentini Patres sess. 21 cap. 5 et sess. 24 cap. 13 fieri permiserunt uniones beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis, nisi ut consulatur exiguitati fructuum, et rectores ipsi sustentationis emolumentum in exercitio ministerii parochialis obtineant. Quis tamen perpensis, quae hucusque relata sunt, perspectum non habet et evanidam factam esse in praesentiarum unionem beneficii de quo agitur, paroeciae, et parochum summa laborare inopia cui necessariis remediis consulendum sit? Obstant quidem petitae reductioni sodales B. M. Virginis a septem doloribus: judicent tamen Eminentiae Vestrae, utrum eorum dissensus rationabilis reputandus sit, quo manifeste perimitur finis peractae unionis beneficii, quam nisi aliqua reductio onerum concedatur, oneri potius quam utilitati nunc esse parocho animadvertit Episcopus. Quidquid vero statuendum de reductione putaverint Eminentiae Vestrae, non reor denegandam parocho absolutionem quoad praeteritum, celebratis saltem nonnullis missis juxta Ordinarii votum.

Pro gratia absolutionis quoad praeteritum juxta votum Episcopi; quoad futurum vero pro gratia reductionis omnium missarum firmo tamen onere unius missae celebrandae qualibet hebdomade in ecclesia S. Petri in Castello ad quinquennium, facto verbo cum Sanctissimo.

bb. Pro bono ecclesiae et parochiae.

231. Venusina. — Reductionis missarum.

Die 9. Junii 1855.

Exponit Episcopus quod in oppido Meschito suae dioecesis, quod 3700 animabus constat, una exstat parochialis ecclesia, cui unus pariter parochus praeficitur. Quinque praeterea adsunt in oppido sacerdotes, quorum cum tres in s. visitatione ipse compererit congruo s. ordinationis titulo carere, consilium iniit ex variis missarum legatis in praefata ecclesia implendis insimul unitis totidem s. ordinationis titulos constituere, ac paroecialem ecclesiam ad rationem componere apostolicae constitutionis Impensa s. m. Pii VII.

Hujusmodi consilium cum probatum et exsecutioni demandatum jam fuerit, sex constitutae sunt portiones ex universis legatorum reditibus in duc. 310; quarum altera duc. 60, reliquae singulae duc. 50 conflantur. Cum nulla unquam exstiterit tabella, hujusmodi legatorum missae celebrari et applicari a loci sacerdotibus consuevere pro benefactoribus in genere cum eleemosyna pro qualibet gran. 30 juxta reditus.

Nunc vero cum praefati reditus in titulos s. ordinationis commutati fuerint onus secum ferentes residendi et coadjuvandi parochum in curae exercitio, idem Episcopus animadvertit gravem nimis esse participantibus praescriptarum missarum celebrationem; quamobrem eorumdem nomine postulat „reductionem generalem circiter mille missarum quotannis celebrandarum, commutata hac obligatione in celebrationem missae ad auroram et meridiem applicandam omnibus diebus festis, praeter missam cantatam pro benefactoribus in genere, et recitationem totius officii divini diebus festis... Praeterea expedire videtur, ut statuantur 12 anniversaria prima die sub ritu semiduplici celebranda cum missa solemni et officio defunctorum, pro benefactoribus in genere applicanda, quibus totus clerus interveniat. Hoc modo simul consulitur cleri honestae sustentationi, legatorum implemento, cultus divini augmento, et inprimis animarum saluti propter obligationem residentiae et adjutorii parochi.“

Praeter generale principium, quod nulla, quoad fieri possit, concedenda sit missarum reductio, haec praeterea imploratae in casu reductioni praecipue obstare videntur: Primum, quod agitur de onere jam accepto habito a participantibus, nec ulla supervenit redituum imminutio; facile siquidem post acceptationem concedenda non est reductio juxta resolutiones S. Congregationis in Civitatis Castelli Reductionis onerum 23. Januarii 1790, et in Camerinen. Reductionis missarum 16. Junii 1792. Alterum, quod missarum reductio postulatur, quia nova imposita sunt onera participantibus, atque ita postulatur, ut loco missarum lectarum pro parte sufficiantur missae cum cantu, dum e contra ex S. Congregationis doctrina reliqua potius reduci deberent onera, quam missae, ut in Montis Falisci Reductionis missarum 17. Decembr. 1791, ac insuper magis expediat missas cum cantu et anniversaria ob tenues reditus ad missas lectas reduci juxta decretum S. Congregat. diei 4. Augusti 1723, cujus meminit Benedictus XIV. de syn. dioec. lib. 13 cap. ult. n. 34, in quo „S. Congregatio censuit, quando aliquod legatum est complexivum missae cantatae et missarum lectarum, tunc omnes legati reditus, si non sufficiant pro utroque onere adimplendo erogandos esse in celebrationem tot missarum lectarum, deleto onere missae cantatae,“ uti in lib. 75 decret. pag. 431 a terg. Cum enim sacrificia per modum suffragii prosint defunctis, fidelium animae

plus certe suffragii capiunt, si plures missae celebrentur, quam si cumulata eleemosyna, quae multis sacris congrua esset, unum fiat anniversarium.

Nihilominus ponderandum est, cum legitimam reductionis causam praebeat obligatorum in casu paupertas juxta mentem S. Congregationis in Isernien. 26. Novembris 1723 et in Aretina Suspensionis nominationis 14. Junii 1817, eo vel magis in casu, quo ex hujusmodi legatis tituli s. ordinationis constituti sunt, unde aequum est, ut aliquid etiam lucri obveniat participantibus, qui illis potiuntur, de quo exstant exempla in Tolentinaten. 13. Junii 1744 §. Urget, in Ripana Commutationis voluntatis 27. Junii 1822 et in Nucerina Capellaniae 17. Maji 1828. Quod quidem suadere videtur etiam nova onerum impositio queis pares respondeant reditus necesse est. Tandem prae oculis etiam habendum divini cultus augmentum, major populi commoditas, et in spiritualibus auxilium, quod ex invecta ratione promanat, quamobrem justa utilitatis publicae causa adesse videretur pro reductione indulgenda.

Ceterum onerum assumptio et acceptatio utpote necessaria, quia nempe participantibus gravi egestate laborantibus non alia spes erat sacrum patrimonium inveniendi, impedire non videtur quominus reductio peti valeat, S. Congregatio in Civitatis Castelli Reductionis onerum 23. Januarii 1790 et in Florentina Reductionis onerum 2. Augusti 1823.

Quatenus vero favendum sit precibus, videndum num ratio ab Episcopo proposita omni ex parte probanda sit, vel aliam expediat rationem inire, praesertim ut augeatur missarum lectarum numerus loco anniversariorum et missarum cum cantu celebrandarum.

Pro gratia reductionis juxta preces, facto verbo cum Sanctissimo.

232. Sorana. — Reaedificationis ecclesiae.

Die 22. Decembris 1855.

Ecclesiae collegiatae S. Restitutae civitatis Soranae anno 1520 auctoritate Ordinarii unitum fuit rurale sub eodem titulo oratorium prope pontem fluminis Carnelli eodem in loco aedificatum, quem s. virgo praecipua civitatis ac dioecesis patrona martyrio illustrasse traditur. Hoc porro quum abjectum prorsus ac decenti suppellectili carens comperiisset Episcopus in s. visitatione anni elapsi, sub interdicti poena decrevit, ut cujus intererat expensis intra sex mensium spatium necessariis reficeretur operibus, et congrua supellectili augeretur. Quod quidem decretum cum aequissimum novissent capitulares S. Restitutae, e re sua censuerunt operi manus illico admovere. At vero perpensis rerum adjunctis, nova potius aedificatione, quam restauratione opus esse judicarunt; sive nimirum ob aedificii angustiam imparis omnino excipiendis ruricolis, qui circumstans territorium cum suis familiis frequentiores in dies incolunt, et hanc ecclesiam diebus festis ad sacrum audiendum aliaque pietatis opera exercenda celebrant; sive ob ejus pavimentum quod circum elata ac aggesta humo adeo consedit, ut pluribus eo gradibus descendi debeat, ac saepe vicini fluminis aquis exundetur. Favebant praeterea consilio loci celebritas, pia populi vota, nec non inceptum jam alio tempore opus, et numquam pecunia deficiente absolutum. Deputatis hinc peritis qui de sumptibus necessariis tum ad ecclesiae reaedificationem, tum ad sacram supellectilem comparandam referrent, compertum est vim ducat. 931. 70 pro aedificio, ducat. 140 pro sacra supellectili requiri; in totum duc. 1081. 70.

Cum autem nulli sint rurali ecclesiae reditus, et graves pro ecclesia collegiata expensas capitulares recens, uti fertur, pertulerint, nil reliqui sibi esse duxerunt, quam missarum quae capitulari massae inhaerent, supplici H. S. C. oblato libello, reductionem exposcere, ad medietatem pro octo annis, unde haberent scutata 850. 50. Applicationem census duc. 100 praeterea postulant, et ipsi centum scutata se dare promittunt, ita ut haberetur summa scut. 1050. 50, quae oneribus ferendis haud nimis impar est.

Rogatus Episcopus informationem ac votum, exposita retulit; cum vero capituli proposito ecclesiam in ampliorem ac meliorem redigendi formam haud contradicere videatur, imploratam tamen missarum suspensionem denegandam censet: „Petitam suspensionem missarum, quorum legata ad capellam ruralem S. Restitutae nullo prorsus modo pertinent, injustam et non necessariam censeo. S. Congregatio facilis esse non solet in concedendis missarum suspensionibus, ne fundatorum animae suffragiis priventur. Casus necessitatis non adest; capitulum enim pingui reditu gaudet, et unusquisque ex canonicis deductis oneribus, etiam missarum, annua duc. 217 habet. Porro cum ecclesia collegiata S. Restitutae sub patronatu communitatis sit, ipsa ad restaurationis expensas tenetur, non capitulum. Grave nimis canonicis non esset si unusquisque per octo annos e praebendae suae reditibus solveret duc. 14 et gran. 25 (quae summa eadem esset, pro qua obtinenda missarum reductio petitur) nec animae precibus privarentur. Populus denique devotus oblationes et servitia ferre non detrectabit.“

Quam sedulo curandum sit, ut ecclesiae quae temporum injuria rerumque vicissitudine detrimentum patiuntur summa cura et diligentia reficiantur, vel si angustiores sint, quam quae populum capiant qui auctus est, amplientur, praesertim cum aliae ad quas conveniat ecclesiae in viciniis non exstent, saepe docuit S. Congregatio, uti in Viterbien. Cens. 4. Aprilis 1762 §. 2. Aeque nihilominus haec semper fuit ejusdem S. Ordinis sententia, novam ecclesiae aedificationem non esse permittendam, si vetus reparari possit; ceu in Fanen. Reaedificationis 12. Junii 1819 §. Cautum. Itaque iis probe perpensis quae capitulares exponunt, erit EE. PP. decernere, utrum novo ruralem ecclesiam reficiendi opere necessitas urgeat; seu expediat potius, pro nunc saltem, eas tantum reparationes peragi quae ad loci sacri divinique cultus decorem necessariae omnino videantur.

Posita vero novae constructionis necessitate, inquirendum est de mediis, nimirum an probanda sint quae capitulares, vel quae proponit Episcopus. Porro cautum in jure est non antea ad suppressionem vel suspensionem legatorum, alienationem bonorum ecclesiae, et ad alia hujusmodi extraordinaria remedia deveniendum esse, nisi ordinaria sint exhausta quae pro reparandis vel reaedificandis ecclesiis ss. canones quibusdam veluti gradibus constitutis proponunt ac recensent; primo nimirum si nulli sint ecclesiae reditus, deinde ubi non exstent qui statutis vel consuetudine ad id tenentur, vel qui ecclesiae fruuntur reditibus et beneficia in ea possident, dummodo salva decenti eorum sustentatione contribuere possint; praeterea ubi deficiant qui patronatus jure super ecclesia potiuntur, qui tamen cogendi forent, non praecise, ut ajunt, sed causative, quatenus jus patronatus retinere velint; ac denique si nulla sit spes contributionis ex parte populi, juxta ea quae tradit Benedictus XIV. Instit. eccles. 100. per totum.

Jam vero constat ex decreto unionis, ruralem ecclesiam omni caruisse reditu, quamvis unio ad capituli petitionem facta fuerit eo sub obtutu, ut si quos in posterum reditus ecclesia haberet, capitulo ipsi cederent; at numquam habuisse capitulares affirmant. Hinc judicent EE. PP. an proposita a

capitulo ratione consulere expediat; vel potius contributio super canonicalibus praebendis sane divitibus facienda probari debeat. Onus enim reparationis capitulo collegiatae praeprimis videretur incumbere vel ex consuetudine, cui potissimum hac in re adhaerendum est, vel in ejusdem unionis vim, qua quidem uti ad jura omnia, ita et ad onera unitae ecclesiae successit. Perpendant etiam, communitatem collegiatae ac ideo ecclesiae eidem subjective unitae patronam, ad contributionem vocari posse; tum denique spem facere Episcopum, fore ut populus, cui s. virginis patronae cultus cordi maxime est, suas in id oblationes conferre operamque impendere velit.

Lectum ad instantiam et Episcopus curet reaedificationem vel ampliationem oratorii juxta ss. canones.

233. Ferrarien. — Reductionis missarum.

Die 1. Junii 1861.

In parochiali ecclesia S. Stephani Ferrariae duo fundata exstant legata missarum, alterum a Christina Panziroli et Rosa Ricci, alterum a Fulvio Fabri relictum. Quoad haec legata rector ejusdem ecclesiae reductionem missarum ferialium postulat ad effectum augendi eleemosynam pro duabus missis diebus festivis hora populi commoditati magis opportuna post parochialem celebrandis, ad rationem obol. 60 vel 70 pro qualibet, prout rei necessitas expostulaverit; defectui enim missarum diebus festis, de quo valde parochiani conqueruntur, aliter occurri non posse exponit.

Ab accurata Eminentissimi Archiepiscopi relatione colligere fas erit, quidquid ad rem hanc pertinet. Haec porro habet vir Eminentissimus: „Ex ultimae voluntatis tabulis Christinae Panziroli receptis a Notario Aloysio Magnanini die 28. Augusti 1815 ad formam cap. Cum esses palam fit piam testatricem, post mortem Rosae Ricci (cui bonorum suorum usumfructum legaverat) mandasse ut reditus a praedictis bonis percipiendi et administrandi a reverendo rectore S. Stephani impenderentur in applicationem totidem missarum pro anima sua et enuntiatae Rosae Ricci stipe obol. 20 pro qualibet.

„Similiter ex testamento Rosae Ricci edito a notario Aloysio Pistoni die 27. Aprilis 1820 constat, piam testatricem bonorum suorum, pariter administrandorum per reverendum rectorem antedictum, haeredem fecisse animam suam et laudatae Christianae Panziroli, ac praecepisse fructus inde provenientes erogandos in celebrationem totidem missarum stipe pari obol. 20. Deinde vero subsequenti declaratione emissa die 27. Junii 1834 haec addidit: „ea conditione, ut in omnibus festis anni celebretur una ex dictis missis cum eleemosyna obolorum 50.“ Insuper jussit, ut infra octavam defunctorum quotannis pro ipsius anima et ejusdem Christinae Panziroli celebretur anniversarium.

„Porro reditus legati hujusce hodie constant ex scutis 95. 85. 8, ex quibus scuta 2. 04. sibi vindicat anniversarium, reliqua eroganda sunt in applicationem missae festivae stipe obol. 50. et aliarum missarum ferialibus diebus stipe obol. 20 demptis sacrificalibus.

„Rursum ex testamento Fulvii Fabri diei 6. Decembris 1815 et subsequentibus codicillis ac declaratione editis a notario Antonio Ferraguti die 14. Octobris 1816 omnino liquet 1. celebrandum esse festum annuntiationis B. M. V. ad altare S. Leonis in ecclesia S. Stephani, super quo exposita reperitur imago ejusdem B. M. V. a pio testatore relicta; 2. ad altare majus praedictae ecclesiae solemniter fidelium adorationi exponendum esse sanctissimum

Eucharistiae sacramentum tota die dominica sanctissimae Trinitatis singulis annis; 3. applicandam esse ad ejus mentem missam quovis die festo stipe obol. 35; ceteris vero feriatis diebus stipe obol. 20; 4. tribuenda esse sacrario annua scutata tria; 5. bona pii fundatoris administranda esse per commissarium laicum nominandum primo ab executoribus ultimae voluntatis pii testatoris, deinde vero a praefato commissario, eique sex annua scutata esse tribuenda; 6. tandem quidquid superest insumendum esse in pauperum mendicare erubescentium inopiam sublevandam tum die festo annuntiationis B.M.V., tum altero die sanctissimae Trinitatis.

„Hodierni autem reditus pro memoratis oneribus sustinendis pertingunt ad summam scutat. 175. 56. 4., quorum scuta 83: 20. circiter in missarum celebrationem, scuta 10. circiter in celebrationem festi Annuntiationis, scuta 20 circiter in solemnem expositionem sanctissimi sacramenti erogantur. Hinc in aperto est, demptis scutis 3 pro sacrario, et scutis 6 pro commissario, remanere impendenda in commodum pauperum annua scuta 53. 36. 4. circiter.

„Quod spectat ad legatum Fabri (ad alterum enim legatum quod attinet, ut ex dictis patet, nullus praeter rev. parochum Oratorem sciscitandus occurrit), hodiernus commissarius domin. Joseph Vaccari apposite interrogatus, respondit: „Ut parochianus meum desiderium illi parochianorum unio, ne unquam missa populo desit hora decima antemeridiana; ut commissarius laicus operis pii, ab adv. Fulvio Febri instituti declaro me nihil habere, quod opponam petitioni parochi, si augmentum eleemosynae missarum, et expensae pro assequendo beneplacito apostolico solum legatum missarum gravent, cum alii reditus ad certos usus destinati sint, et reductio duret tantummodo, quousque necessitas perduret.“

„Ex informationibus tandem desuper acceptis eruitur incolas laudatae parochialis ecclesiae valde exoptare celebrationem duarum missarum diebus festis de praecepto, ultra missam Oratoris, ut hoc modo caveantur incommoda, quae defectum hujusmodi consequuntur. Attenta vero sacerdotum penuria, et praesentibus rerum adjunctis, etiam oblata stipe non modo obol. 35 sed et obol. 50 haud facile inveniri poterint bini sacerdotes, qui onus desideratum suscipiant, et singulis diebus festis assidue compleant. Cum porro magni intersit querimonias contra parochum depellere, erit sapientiae sacri istius Ordinis judicare, num precibus, saltem hodiernis circumstantiis durantibus, annuendum sit.“

Quamvis reductiones omnes, quoad fieri possit, praecipue ubi de missis agitur, denegare soleat haec S. Congregatio, inhaerendo Concilii Tridentini sanctioni, attamen ubi opus sit augmento eleemosynae pro missarum celebratione, reductio conceditur; eoque certius, quia ob sacerdotum deficientiam, facile non sit invenire, qui legato cum eleemosyna in fundatione designata satisfacere velit diebus festis, quibus celebratio potissimum curanda est, ut populi commoditati et devotioni consulatur. Exinde enim publicae utilitatis ratio reductionem suadet, et in themate adamussim uberius ex reductione fundatorum voluntas impleri videtur, qui quidem augmentum eleemosynae praestituerunt, ne diebus festis missa deficeret.

Quodsi vero praeter missas alia pia opera injuncta in legatis, de quibus agitur, recensentur, haec ejusmodi momenti sunt, ut iisdem in expositam causam derogare, integris servatis missarum oneribus, opportunum non censeat parochus Orator, sive quia pertinent ad divini cultus decorem et pauperum levamen procurandum, sive quia illorum adimplementum piis fundatoribus cordi praeprimis fuisse videtur.

Itaque quoad modum et tempus petitae reductioni statuendum, erit EE. VV. decernere quid magis expediat.

Pro gratia reductionis missarum juxta petita ad triennium, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 26. Septembris 1863.

Quod rescriptum a Sanctissimo D. N. benigne approbatum et respective confirmatum, die 26. praedicti mensis Junii a curia archiepiscopali exsecutioni mandatum est, constituto pro qualibet missa stipendio obol. 60 a mense Novembr. ad mensem Aprilis et obol. 70 pro aliis mensibus anni.

Nondum sed vero secundo elapso anno a memoratae gratiae concessione, novas idem rector preces exhibuit, quibus declarat, se non habere facultates ad conservandam ecclesiam, ideoque adhuc ampliorem reductionem missarum expetere debere, ita ut ex reductione plurium legatorum et omissione missarum 400 ecclesiae provenirent scut. 80 annua; et cum ecclesiae necessitas esse videretur perpetua, postulavit reductionem perpetuam vel saltem ad decennium.

Eminentissimus Archiepiscopus super supplici libello rogatus fusius naturam et onera illorum legatorum exponit et prosequitur:

„Exploratum insuper habui, praeter commissarium legàti Fulvii Fabbri, neminem esse audiendum, quandoquidem administratio aliorum legatorum concredita sit reverendo rectori. Laudatus autem hodiernus commissarius apposite interrogatus die 22. labentis mensis respondit: „Si veritate nitantur, quae exposuit parochus vir probus et fide dignus, nihil oppono, quominus legatum reducatur usque ad annua scutata 30, si cetera legata operis pii intacta maneant.“

„Ad causam ulterioris reductionis quod attinet, praemittendum censeo reditus parochialis praebendae comprehensis incertis et annuis scut. 85: 99 pro capellano, cujus opera procul dubio indiget, pertingere ad annua scut. 377: 21. Cum Orator contendat impensas necessario sustinendas pro consuetis sacris functionibus peragendis, manutentione fabricae ecclesiae et domus parochialis, taxis gubernio hodie persolvendis, et omnibus mercenariis servitio ecclesiae addictis longe superare praedictam summam; cumque e contra querimonias incolarum suae paroeciae vitare nequeat ullo modo, si quae antiquo in more posita sunt, quaeque ab aliis parochis custodiuntur sollicite desiderari facile sinat, hinc est quod hujusmodi remedium excogitare non dubitaverit. Tabulam dati et accepti mihi exhibitam ab Oratore equidem reformandam judico; nihil enim pro suo victu remanere ex ea colligitur, quod sane non mihi videtur. Attamen perpensis praesertim annonae caritate, aliisque rerum adjunctis, in quibus dioecesis haec miserrime versatur, et attentis praemissis, annua summa scut. 80, quam petit ex reductione missarum praescriptarum, necessaria quodammodo ad ejus conditionem meliorem reddendam, maxime cum missarum reductio ecclesiae suae nullum afferat nocumentum, per aliquod tempus dicenda est. Ceterum an Oratoris preces admittendae sint, erit istius S. Congr. judicare.“

Causa reductionis missarum quoad legata Panziroli-Ricci et Fabbri anno 1861 a parocho afferebatur ex necessitate augendae eleemosynae pro missarum celebratione in festivis diebus et hora populo magis opportuna. Quare cum legatarum missarum celebratio pro festivis diebus potissimum curanda esset, vel ipsa fundatorum voluntas petitae reductioni suffragari potius quam adversari videbatur. Hujusmodi ergo seposita causa reductionis, cui satis

consultum jam est, novae porrectae nonnisi ex tenuitate redituum parochialis ecclesiae commendari posse videntur.

Ignotum equidem haud est, onera missarum ex causa necessitatis vel urgentis utilitatis ecclesiae reduci posse, ut reductarum missarum stipendia impendantur sive ad divini cultus majestatem augendam, sive ad ecclesiae restaurationem procurandam, sive ad parochorum inopiam sublevandam, Conc. Trid. sess. 24 c. 15; sess. 25 c. 4. de reform., Sacr. Congr. in Calaritana Reductionis missarum. 13. Septembr. 1834; in Senogallien. Fabricae ecclesiae 20. Febr. 1796 ad II. dub.; in Eugubina 20. Nov. 1824 per. summ. precum apud Gamberini; in Ferrarien. 26. Junii 1824 ap. eumd.; in alia Senogallien. Reductionis missarum 30. Maji 1829; et in Brugnalen. Reductionis 27. Augusti et 17. Septembr. 1831; nec rarum etiam est justam reductionis causam praebuisse vel aucta rerum pretia vel publica in dies ingravescentia vectigalia, cum in hujusmodi circumstantiis reditus beneficiorum non parum, ut patet, imminuantur. Exploratum tamen est extraordinario huic remedio locum haud fieri nisi aliis deficientibus mediis, et nisi certo doceatur reditus beneficiales ita ex adductis causis imminutos esse, ut pares amplius non sint oneribus sustinendis.

Attentis publicis calamitatibus, et gravioribus in dies impositis tributis praesertim super bonis ecclesiasticis a Pedemontano gubernio, dubitare non licet de misera conditione ecclesiarum et beneficiatorum in iis regionibus, quas a tribus annis armata vi Subalpini milites invaserunt. Porrectas idcirco preces, in genere saltem, non injustis undequaque rationibus inniti visum est Ferrariensi Archiepiscopo. Utrum vero in specie jam satis adductum sit a parocho S. Stephani ad petitam reductionis gratiam obtinendam, inspectis his, quae superius relata sunt, judicabunt Eminentiae Vestrae. Ex dati et accepti tabulis a parocho exhibitis in curia archiepiscopali, nec unde viveret, si omnia ad unguem adimpleri deberent onera, eidem superesset. Id tamen minime verum sibi videri Eminentissimus Praesul renuntiavit.

Recolendum hinc tandem redit, quod jam in comitiis diei 1. Junii 1861 animadvertebatur; minime videlicet opportunum censeri, ut in expositam causam prae missarum legatis cetera pia opera reducantur; id enim absque divini cultus diminutione et pauperum damno fieri non posset, et vehementer fundatorum voluntati adversaretur, quibus eorumdem operum adimplementum praecipue cordi fuisse parochus referebat.

Gaudeat impetratis.

234. Brixien. — Onerum missarum.

Die 25. Januarii 1862.

Ecclesia parochialis oppidi Lavenone Brixiensis dioecesis pluribus ditatur legatis missarum, quae tamen ob temporis vicissitudines ita inter sese permixta et confusa sunt, ut de singulorum fundis, reditibus et oneribus nihil pro certo statui queat, si unum excipiatur recentioris fundationis legatum quod ab auctore suo Bontempelli nuncupant, cujusque reditus ad annuas libellas 101. 08, onera ad missas centum computantur. Episcopus in distincta notula legata haec enumerat ac describit. In tanta itaque redituum et respondentium onerum incertitudine, quae ad memorata legata pertinent, Episcopus idem ita pro recta ecclesiae parochialis administratione et cultu rem componendam proponit: „Praemitto, totum nunc patrimonium

ecclesiae Lavenone, ex cujus reditibus providendum est expensis cultus et legatis missarum, ad libellas 19046: 44 ascendere cum reditu lib. 952. 32, reditu legati Bontempelli in summa libell. 101: 08 non computato. Consideratis igitur tenuitate congruae parochialis (lib. 486 inclusis incertis) et defectu omnis reditus coadjutoris praeter capellanias Zaccioli, Bertoletti et Callegari, imploro facultatem statuendi: 1° ut ex omnibus legatis, excepto legato Bontempelli, fiat una capellania pro testatoribus paroeciae Lavenone; 2° ut ejus patrimonium constituatur in lib. 670; reliqua in expensas cultus et administrationis erogentur; 3° ut ex his libellis 670 dentur parocho lib. 105 cum onere missarum 25; coadjutori lib. 390 cum obligatione applicandi diebus festis et coadjuvandi parochum in cura; libellae 175 dentur tertio capellano cum onere applicandi missas 100, et lib. 95 ex legato Bontempelli, ut celebrentur ejus missae 70, et capellanus excipiat confessiones et assistat functionibus ecclesiae; 4° cum fabrica quasdam summas debeat nec habeat unde solvat, imploro facultatem concedendi, ut pro exstinctione debitorum erogentur lib. 303, quae summa provenit ex omissa celebratione missarum, pro qua petitur absolutio."

Tria itaque continet petitio Episcopi: primum est, ut ex variis hisce legatis una constituatur capellania; alterum, ut respondentia onera missarum congrue reducantur, quo cultui ecclesiae parochialis, nec non parochi, coadjutoris ejusdem, et alterius capellani decenti exhibitioni satis provisum sit; postremum, ut condonatio et absolutio impertiatur super praeteritis omissionibus ad effectum erogandi reditus exstantes pro dimissione aeris alieni, quo fabrica ecclesiae parochialis gravatur.

Ad primum quod attinet pro unione legatorum obtinenda profertur in medium onerum et redituum ad illa pertinentium incertitudo et maxima confusio, ita ut pro illorum adimplemento certa norma ex respectivis fundationibus haberi ac definiri nequeat. Quamobrem nisi satius duxerint EE. VV. ex notitiis ab Episcopo haustis, unde cujusque legati status et conditio approximative saltem eruitur, aliquam praestituere legem, ut singulis iisdem legatis, prout in praesens sese habent, fiat satis; haud plane incongruum, prudens imo et utilissimum videri posset consilium Episcopi, ut varii reditus ex tot legatis provenientes in unam veluti massam coacervati unam constituant capellaniam, indicta missarum celebratione pro omnibus cumulative fundatoribus, ne debitis privari suffragiis eos praesertim contingat, quorum fundationes, vel pro maxima parte, vel omnino temporum injuria perierunt, aut cum aliis permixtae sunt.

Porro in specie non absimili hanc eamdem rationem adhibendam censuit S. Congregatio in Marturanen. Reductionis et Translationis 1. Martii et 29. Novembris 1817. Cum enim de pluribus ageretur legatis piis, quorum onera missarum utpote incognita et incerta a pluribus antea annis neglecta fuerant, neque facile quoad futurum adimplementum determinari possent, S. Congregatio rescripsit, ut celebraretur unica missa omnibus diebus festis etiam reductis collective applicanda pro omnibus legatis.

Quaeritur praeterea de reductione. Jam vero caute in reductionibus concedendis se gerere solet S. Congregatio, nec enim facile volitis fraudari debent suffragiis animae defunctorum juxta monitum Concilii Tridentini sess. 25. cap. 4. de reform.; hinc veteri instituto receptum est, ut si reditus legatorum decreverint, vel eleemosynae taxa aucta fuerit, tot offerri mandentur sacra, quot ex superexstantibus reditibus litari queunt ad rationem manualis, ceu in Senogallien. Reductionis onerum 16. Junii 1827 ad 1. dubium,

et alibi passim. Nihilominus justa concurrente causa publicae praesertim necessitatis vel utilitatis, reductio deneganda non erit. In themate referuntur causae ad cultum ecclesiae procurandum, et decentem exhibendam sustentationem parocho, parochi coadjutori, ac demum capellano, qui sacris ecclesiae functionibus ac ministeriis adesse deberet. Justas vero ac legitimas hujusmodi causas reputare assuevit S. Congregatio, praesertim cum alia non suppeterent providendi media, ceu habetur in Albinganen. 12. Decembris 1778. in Anconitana Missarum 20. Aprilis 1782, in Spoletana 18. Decembris 1790 et in Novarien. Reductionis missarum 23. Novembris 1793.

Quatenus itaque in reductionem conveniant EE. VV., dispiciendum utrum quoad modum cum Episcopo convenire expediat. Quidquid autem quoad cetera legata, quae in unam reducuntur capellaniam, censendum sit, videant an excipiendum ab reductione sit legatum Bontempelli, quod integrum mansit. Atqui in petitione Episcopi reductio inducta videretur etiam quoad hujusmodi legatum, quod non septuaginta, sed centum missarum onus adnexum habet. Item cum nonnullae missae legatorum reducendorum celebrari deberent in aliis ecclesiis seu oratoriis juxta legem fundationum, decernent etiam, utrum reductione concessa praescribendum sit, ut in designatis ecclesiis partialis saltem celebratio fiat, de qua re silet omnino Episcopus.

Denique condonatio et absolutio pro praeteritis omissionibus fundamentum habet in necessitate qua versatur ecclesiae fabrica aes alienum dimittendi, cui quidem rei aliter provideri nequit, testante Episcopo. Non semel autem S. Congregatio ob praefatam causam precibus propitiam sese praebuit, imposita tantummodo nonnullorum sacrorum celebratione pro praeteritis omnibus omissionibus.

Pro gratia juxta petita ad decentium prudenti arbitrio Episcopi excepto tantum legato Bontempelli et celebratis triginta missis in satisfactionem praeteritarum omissionum, facto verbo cum Sanctissimo.

c. De validitate reductionis factae.

235. Asculana.

Die 17. Martii 1827.

Beneficium simplex sub titulo „del buon Gesu“ anno 1640 erectum in ecclesia S. Joannis oppidi Appineani Asculanae dioecesis cum onere missae quotidianae et postea reducto ad tria sacra in qualibet hebdomada ob diminutionem redituum die 15. Maji 1802 ex decreto hujus S. Congregationis translatum fuit in ecclesiam ruralem S. Petri loci Collecchio Jacconi, ne ejus incolae longe dissiti ab ecclesia parochiali oppidi Lamae carerent divino sacrificio diebus festis. Cumque reditus beneficii vix summam scut. 27: 20 quotannis attingerent, atque rectori injunctum fuerit munus explicationis evangelii et instructionis puerorum in rudimentis fidei, idcirco hic Sacer Ordo missarum reductionem ad dies festos etiam reductos impertiendam esse censuit.

Cum vero hujusmodi exigui reditus subinde decreverint, et sacerdos Joannes Jonni beneficii rector qui translationi consensum praestitit, Appineani adhuc commoretur ideoque alium sacerdotem interdum subrogare teneatur, qui diebus festis locum Collecchio Jacconi petat ad onera implenda; hodiernus Episcopus Asculanus Apostolicis facultatibus praeditus die 29. Maji 1824, dum sacram peragebat visitationem, missarum onera reduxit ad sacra 65 diebus festis de praecepto celebranda. At idem sacerdos Jonni timens, ne

aliquid subreptionis vitium irrepserit in hac reductione ex eo quod in supplici libello Episcopo porrecto inconsulto reticuit, beneficiato ex fundatione incubuisse onus missae quotidianae, propterea ab hoc Sacro Congressu sanationem postulat reductionis missarum ab Episcopo concessae. — Quae Orator exposuit, veritati esse consona confirmat Episcopus ac praeterea subdit: „Inito calculo redituum beneficii, si expensae pro oneribus realibus detrahantur, vix rector percipit quotannis scutata 24 et obolos 50; jam vero eleemosynae missarum ob ecclesiae S. Petri distantiam ab Oratoris residentia summam exaequant scutorum 24, proindeque nihil pene beneficii rectori remanet, nisi reductio a me facta approbetur.

Pro gratia sanationis, quatenus opus sit, indulti reductionis missarum ab Episcopo concessi servato in reliquis rescripto S. Congregationis diei 15. Maji 1802, facto verbo cum Sanctissimo.

236. Spoletana. — Reductionis missarum.

Die 28. Augusti 1847.

Sacerdos Joseph Subbioni huic S. C. exposuit capellaniam, quam obtinet in ecclesia collegii Soc. Jesu institutam onere gravari tum celebrandi quotidie missam eamque ad meridiem diebus festis, tum confessiones excipiendi, licet hujusmodi obligationis loco, cui per ipsos sodales illius Societatis abunde consultum est, vespertinis ecclesiae functionibus, quae centum circiter in anno recensentur, ipse satisfaciat; ac proinde cum ejusdem capellaniae reditus ita fuissent imminuti, ut ad annua scut. 56 vix ascenderent, supplex missarum reductionem obsecrabat. S. Congr. itaque per rescriptum diei 13. Jan. 1845 annuit, ut missarum onus ad quatuor in hebdomada, comprehensis diebus festis per decennium proximum tantum reduceretur.

Cum vero anno insequenti veterem quandam urnam in capellaniae praedio effodi forte contigisset, eaque vendita pretium in census emptionem collocatum fuisset, inde factum est, ut adaucto reditu ad scuta 76 merito dubitaretur, num impetrata reductio per inopinum hujusmodi augmentum irrita ac nullius roboris evasisset, adeoque res a Vestra sapientia declaranda postulatur.

Memorati sodales, quibus capellaniae juspatronatus et administratio competit, declaraverunt non posse amplius capellanum hoc frui rescripto, quia nempe reductionis causa defecit ac proinde votum suum contrarium pandiderunt. At vero Archiepiscopus ob peculiares rei, de qua agitur, circumstantias Oratori suffragatur; primo quia patroni „qui capellaniae administrationem nolunt dimittere, recusant tutum reddere capellanum de eleemosynarum seu redituum capellaniae solutione decursu cujuslibet anni sed solutionem facere dicunt, si et quo tempore eleemosynas seu reditus exegerint,“ secundo quia habita ratione exigui sacerdotum numeri reditus non respondent oneribus, „quoniam licet verum sit, manualem eleemosynam obol. 15 diebus profestis et ob. 20 diebus festis, de facto tamen est, quod pro missa quotidiana ad commoditatem ecclesiae celebranda et ad nutum rectorum non reperiretur sacerdos, qui hoc onus assumeret, nisi pro eleemosyna duorum juliorum diebus profestis et trium aut quatuor diebus festis et sic annuatim necessaria foret summa scut. circiter 85,“ quibus accedit congruum stipendium, quod pro sacrarum functionum obligatione deberet assignari; tandem quia „Orator magna in

egestate versatur et multa servitia praestare tenetur in aliis ecclesiis ad inopiam sublevandam propriam et suae familiae.“

Doctores ex communi sententia tradunt, cessante causa finali, quae Pontificem impulit ad elargiendum privilegium (quo nomine quodcunque beneficium seu gratiam a principe concessam intelligunt, Pirhing, de privil. tit. 33 n. 1) cessare privilegium ipsum ex regula in cap. 60 de appell.: „Cum cessante causa cesset effectus.“ — At vero ut haec regula locum habeat, requirunt, primo ut privilegium tale sit, quot deroget juri communi aut alterius tertii; si enim meram gratiam continet, suam vim non amittit ex alia regula de reg. jur. in 6: „beneficium principis decet esse mansurum“ (Ferraris v. Privilegium n. 17); secundo ut privilegium juri communi aut alterius tertii derogans habeat tractum successivum (Suarez de legib. l. 8. c. 30. n. 4.) neque datum sit per modum unius actionis, ut dispensatio ad matrimonium contrahendum; tum enim gratia suum jam habuit effectum, uti vocant, consummatum (Bonac. de legib. in genere disp. 1. qu. 2. p. 10. num. 11. cum aliis ab eo citatis); tertio ut causa cesset in perpetuum et quidem contrarie, non negative (S. Congr. Conc. in Spiren. 18. Julii 1761 §. Minimeque) cessat negative, cum privilegii usus, cessante causa, non redditur injustus et illicitus; cessat contrarie, cum usus fieret injustus aut illicitus, „ita ut vere incidat in grave detrimentum aliorum vel communitatis,“ Pirhing l. cit. num. 169 in fine. Itaque S. Congr. in S. Miniatis 19. Maji 1832 coercendum censuit indultum, quo per rescriptum S. Congregationis anni 1586 fruebantur curati illius civitatis, nimirum parochialem insimul ac canonicalem obtinendi praebendam, quia causam tenuitatis redituum parochialium, quae potissimum indulto occasionem dederat omnino defecisse deprehensum est.

In casu, de quo disceptatur, gratia tractum habet successivum et cederet in praejudicium alterius, scilicet animae fundatoris, quae tribus in hebdomada suffragiis fraudaretur. Quod eo majoris momenti reputandum videtur, quia in gratia reductionis non derogatur dispositioni legis, quae pendet a principis arbitrio, sed dispositioni testatoris, cujus praesumptae voluntati inniti solet S. Congr. in hujusmodi gratiis elargiendis (S. C. in Ventimilien. Reductionis missarum 9. Sept. 1797 §. 4; Pasqual. de sacr. etc. qu. 1118 n. 1.) — Neque enim praesumi potest testatorem suffragiis in suam utilitatem renuntiare velle absque legitima causa, licet id non in perpetuum sed in decem annos extendatur. Praeterea animadvertendum est reditus hodiernos quam longe excedere proventus tempore fundationis capellaniae ad scut. 54 circiter limitatos, non detractis oneribus, intra quae expresse erat injunctum tum celebrandi diebus festis ad ecclesiae populique commodum, tum excipiendi fidelium confessiones. — Videant tamen EE. VV., num sive ob auctam missarum eleemosynam sive ex aliis adjunctis, quae enumerat Archiepiscopus, canonica subsistat hactenus causa impertitae reductionis, ex qua annuendum sit Oratori, ut concesso perfruatur indulto; vel potius an missae sint ad formam fundationis celebrandae, cum annuus 20 scutatorum reditus sufficientem praestare videatur eleemosynam pro missis reductis numero 158 ac ideo deterior non evadat Oratoris conditio, si reductio revocetur.

Firmo remanente rescripto diei 13. Januarii 1845 celebrentur quotannis a capellano aliae missae quadraginta.

237. Sorana. — Oneris missarum.

Die 2. Maji 1857.

Sacerdos Franciscus Ciaralli ultimo voluntatis elogio exeunte anno 1749 condito suam universalem haeredem scripsit ven. capellam S. Pauli in paroeciali ecclesia oppidi Pescosolidi exstantem, jubens ut post mortem sororis suae ejusque viri, quos haeredes usufructuarios constituit, duo ibi ecclesiastica beneficia erigerentur, quorum juspatronatus suis proximioribus consanguineis reservavit. Singulis beneficiorum rectoribus dotem attribuit annuorum ducat. 40 ab haereditate percipiendorum „cum onere perpetuo missarum 100, quas uterque rector persolvat quotannis in dicta ecclesia et capella, juxta taxationem faciendam ab illustrissimo Episcopo Sorano, cum reductione, quominus etc. et quo meliori modo ipsi placuerit.“

Non semel impositum hoc missarum onus reductionem subiit. Primo enim in erectionis decreto Episcopus animadvertens ab haereditariis bonis cuique beneficiatorum obvenire posse annuos ducatus $30^1/_2$ tantum, minime vero 40 uti testator disposuerat, missas numero centum praefinitas reducendas esse censuit ad sexaginta, reservato tamen sibi jure hunc augendi numerum, si deinceps ex bonorum mobilium venditione, super quibus lis pendebat, novi reditus comparari potuissent; quod tamen numquam contigisse videtur. Imo decrescentibus postea tractu temporis primaevis reditibus utriusque beneficii, vicarius generalis usus, ut ait, facultate delegata decreto lato anno 1807 missas sexaginta ad triginta duas pro singulis reduxit.

Alterum ex hisce beneficiis ab anno 1851 possidet subdiaconus Antonius Maria Giovanetti, qui ad sui praedecessoris exemplum missas triginta duas quotannis celebrari hactenus curavit. Cum nuper vero comperisset, in fundationis tabulis numerum missarum cuique beneficio inhaerentium ad centum evehi, conscientiae suae consulere cupiens, S. hanc Congregationem supplex adiit expostulans, ut praevia, quatenus opus sit, absolutione et condonatione quoad sacra usque in praesens bona fide omissa, quot in posterum litanda sint, eadem S. Congregatio declarare dignetur.

Episcopus, qui hasce preces remisit, a voto suo super hisce promendo abstinet, ac exhibet solum una cum ceteris documentis exemplar peritiae bonorum ad beneficium ab Oratore possessum spectantium, ex qua apparet horum reditus in praesens pertingere ad annuos duc. 50. 65. haud detractis duc. 4. 15. pro vectigali, ut vocant, fondiario solvendis.

Explorati juris est, integrum non esse Episcopis reducere missarum onera in fundationibus imposita, nisi ipsis haec facultas a fundatoribus attributa diserte fuerit, ceu habetur ex constitutione Innocentii XII. diei 23. Decembris 1697, quae incipit: „Nuper“ confirmatoria decreti Urbani VIII., ac docet Benedictus XIV. de synod. dioec. lib. 13. cap. ult. num. 19. Porro juxta hanc distinctionem videant EE. VV., quid sentiendum putent de duabus reductionibus, quae in praesenti specie peractae sunt. Plane prioris reductionis validitas in discrimen revocari non posse videtur, quam quidem Episcopus in limine erectionis peregit facultatibus usus eidem a testatore attributis; nec secus de altera reductione fortasse censendum, siquidem facultate delegata, ceu in decreto asseritur, vicarius generalis ab Episcopo auctus revera fuerit; ex testamento enim uni Episcopo id juris datum legitur. Quod si vero aliqua hac in re dubitatio supersit, implorata absolutio et condonatio quoad praeteritas omissiones Oratori deneganda non videretur, cui bona fides absque dubio favet, uti in similibus casibus constans est S. Congr. praxis.

Ad futurum vero tempus quod attinet, praestituendus superest missarum numerus ab Oratore adimplendus. Jam vero cum valde nunc aucti fuerint reditus ita, ut assignatam a fundatore dotem non exaequent solum, sed excedant, missae etiam ad numerum centum ab eodem testatore praefixum, salvo manente Episcopo jure ad novam deveniendi reductione, si quando ita expedire censuerit, statuendae viderentur; nisi potius malint EE. VV. ad numerum tantum sexaginta ab Episcopo primum designatum illas iterum evehere, ob oculos habentes mutatas temporum rerumque circumstantias, ac praesumptam quoque testatoris mentem, qui horum beneficiorum erectione honestae etiam clericorum, praesertim qui e sua familia descenderent, uti in casu Orator, exhibitioni consulere voluit.

Celebrata una missa pro gratia absolutionis ac condonationis super praeteritis omissionibus necnon reductionis quoad futurum ad annuas missas sexaginta ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

238. Civitatis Castellanae. — Visitationis sacrorum liminum.

Die 28. Aprilis 1860.

In postrema relatione status ecclesiae suae haec habet Episcopus:

„Episcopus De Dominicis praedecessor meus recolendae memoriae supplicem porrexit libellum, ut sibi fas esset augere eleemosynam missarum tum manualium tum perpetuarum beneficiis seu ecclesiis locisve piis ex legato aut alia dispositione inhaerentium. Et en rescriptum: „Ex audientia Sanctissimi die 19. Augusti 1801. Sanctissimus attentis expositis circumstantiis remisit preces ad eumdem Episcopum Oratorem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ut eleemosynas missarum tam manuales quam alias, quae ecclesiasticorum beneficiorum seu quorumcumque piorum legatorum oneribus sunt adnexae, pro suo arbitrio et conscientia augere possit et valeat. Quibuscumque contrariis non obstantibus. J. B. Quarantotti. S. C. Visitationis apostolicae Prosecretarius."

„His utendo facultatibus praefatus Episcopus decernebat, ut stipendia sive eleemosynae pro missarum celebratione, quae manuales dicuntur ad obolos quindecim Romanos, et quae pro missis perpetuis adnexis beneficiis sive quibuscumque piis legatis ad obolos viginti augerentur. Ne vero hac eleemosynarum auctione beneficiati vel legatarii nimium gravarentur, permisit, sunt verba decreti „ut missae sive pro beneficiis sive pro legatis piis minuantur, adeo ut interim tot relictae sive impositae habeantur, quot solum earumdem exceperit medietatem. Atque hinc declaramus ipsam eleemosynarum auctionem et missarum reductionem ad medietatem ut supra, quoad manuales a die prima Octobris currentis anni solummodo esse exordiendam, quoad vero onera perpetua, nisi postquam a beneficiatis, capellanis et legatariis fuerint exhibita in nostris cancellariis generalibus nova jurata inventaria legalia . . . Quae omnia tamdiu servari volumus quamdiu decretum hoc nostrum sive per nos, sive per successores nostros expresse fuerit revocatum. Datum in Civitate Castellanae die 1. Septembris 1801. Laurentius Episcopus."

„Hoc suffultae decreto innumerae fere reductiones ad medietatem exierunt, nedum in longo praesulatu ejusdem Episcopi De Dominicis, verum etiam successorum usque ad haec tempora. Putant enim, quod sufficiat exhibere juratum inventarium ad hoc, ut missarum numerus a testatoribus praestitutus ad medietatem redigatur, quia tunc unius julii stipendium erat, nunc duplicatum appareat. An valeant hujusmodi reductiones, vel saltem nunc fieri

possint ex praedicto decreto, a sapientia Vestra, Eminentissimi Patres, enixe rogo, pro meae aliorumque conscientiae tranquillitate, ut resolvatur."

Quum ex apostolica concessione facultas data fuerit Episcopo De Dominicis augendi eleemosynas missarum tam manualium quam beneficiis et piis legatis perpetuo inhaerentium, et ratio augmenti ejus arbitrio et prudentiae tota permissa exstiterit, haud inficiandum videtur, quin ipse jure sibi delegato usus rite sit augendo eleemosynas missarum ad quindecim obolos pro manualibus, et duplo ejus quod antea percipi consueverat pro missis inhaerentibus vel beneficiis vel piis legatis quibuscumque, atque insuper praescribendo modum, quo beneficiati vel legatarii hujusmodi indulto uti valerent, exhibito scilicet legali jurato inventario apud acta episcopalis cancellariae. Ex quo vero augmentum eleemosynae concessum fuerat, necesse plane erat ut proportionabiliter reducerentur etiam onera missarum, ne scilicet beneficiati vel legatarii nimium gravarentur, quibus hujusmodi onerum satisfactio incumberet. Itaque, ubi haec consistant, consequitur rite peractas fuisse hucusque reductiones, ac rite in posterum fieri posse pro iis legatis ac beneficiis, in quibus hactenus reductio secuta non fuerit, ad rationem scilicet augmenti eleemosynae in episcopali decreto praescripti.

Ceterum utrum Episcopus excesserit in usu concessae facultatis, vel alia praescribenda sit norma in futuris perficiendis reductionibus quoad antiqua legata et onera missarum, super quibus quaestio moveri unice potest, judicabunt EE. VV.

Servandum esse decretum diei 1. Septembris 1801 tam pro reductionibus peractis quam pro peragendis; dummodo agatur de beneficiis seu legatis existentibus ante ejusdem decreti promulgationem.

d. Casus mixti commutationum onerum missarum.

239. Spoletana. — Reductionis et translationis missarum.

Die 3. Julii 1852.

Possidet sacerdos Joseph Toni-Venturini canonicus collegiatae Trebiensis simplex ecclesiasticum beneficium in altari ejusdem collegiatae erectum, quod est jurispatronatus suae familiae; habetque ex fundatione onus sacra quatuor per hebdomadam diebus statutis litandi. Porro supplex nunc memoratus sacerdos exponit ejusmodi missarum onus ob infirmam valetudinem, quam physici testimonio probat, gravosum nimis sibi evasisse, adeo ut plures missas ad numerum nimirum septem ultra centum omittere fuerit coactus, super quo benignam implorat absolutionem. Ne autem ulterius idipsum praeter vota ipsi contingat, postulat, ut congrua earumdem missarum reductio, nec non translatio decernatur, ita ut liceat ipsi ubique eas litare.

Archiepiscopi votum, quem de more requisivi, undique refragatur Oratoris petitioni; nec melius eidem favet capitulum. Prior vero ejusdem collegiatae, mitiorem quodammodo sententiam sectatus, respuendam et ipse putat petitam reductionem, at aequam nihilominus translationem censet intuitu infirmae Oratoris valetudinis, ob quam incommodum nimis esse existimat, hiberno potissimum tempore ad collegiatam accedere, quae in eminentiori illius civitatis loco sita reperitur; illud insuper addens ex petita translatione nullum ecclesiae cultui, populive commoditati detrimentum obvenire, propterea-quod ecclesia abundat legatis diebus ferialibus adimplendis.

Obvium in jure est missarum reductionem tunc tantum admitti, quum vel impares evaserint reditus oneri ferendo designati; quandoque etiam ad

sublevandam paupertatem rectoris, maxime si qualitate patronali polleat. Hisce autem exulantibus circumstantiis denegatur; quippe religio, pietas et debita defunctis fides haud patitur, ut legata praesertim missarum temere imminuantur, S. Congreg. in Civitat. Castellanae Absolution. et reduction. 22. Januarii 1842.

Translationem autem ejusmodi rem esse, ut nonnisi gravibus urgentibus necessitatis vel utilitatis causis ea concedatur. In themate ex fundationis contextu deprehenditur enixa testatoris voluntas pro celebratione missarum in ecclesia ab ipso designata, eo quod non modo ecclesiam, sed altare etiam determinatum voluit, quo in casu difficilius translationem concedi tradit Ricc. in prax. part. 4 resolut. 69 per tot., March. de sac. ordin. tract. 3. par. 2. cap. 24. num. 2., Pax Jord. tom. I. variar. resolution. lib. 4. tract. I. de sacrif. miss. num. 540.

Quibus positis, videtur legitima extrema pro utraque petitione deficere. Nam ab exhibito statu redituum beneficialium colligitur, eos satis pingues beneficiato obvenire, nec Archiepiscopus ambigit referre, ad annua scutata centum pertingere, a quibus supputata eleemosyna pro missis aliisque oneribus, quinquaginta pro rectore remanent; cui insuper accedunt reditus canonicalis praebendae. Quod vero Orator aliquando infirmetur, id quidem esset attendendum si incumberet onus celebrandi per se ipsum. Ast, uti animadvertit idem Archiepiscopus „missae adimpleri possunt etiam per alium; et si Oratori concedenda esset gratia translationis, alii beneficiati conquererentur, cum eorum reditus saepe sint impares ad onera sustinenda.“ S. haec Congregatio in casibus etiam gravioribus translationem denegavit, licet nimirum ageretur de consulendo rectori et habitantibus, quibus hiemali tempore difficillimum erat ecclesiam adire a testatore designatam, ceu in Ariminen. Transl. capellaniae 19. Julii et 20. Decembr. 1732 ac 17. April. 1734. Et in una Auximana Translat. 15. Febr. 1772 denegata fuit translatio petita ab alumnis seminarii, qui quotidiana missae celebratione destituebantur.

Nihilominus si lubeat Eminentissimis Patribus minus rigide cum Oratore sese agere, posset quodammodo opitulari Prioris votum, quo traditur, rectorem nonnisi cum salutis detrimento ad ecclesiam accedere posse, et ex translatione nullum damnum divino cultui afferri. Hinc posset ad tempus petitioni aliquatenus indulgeri, ne secus videatur afflicto afflictionem addi.

Absolutioni refragatur etiam Archiepiscopi votum eo quia „si ad alium sacerdotem committendae forent (missae inadimpletae) cum eleemosyna obolor. viginti, nullum praejudicium recurrenti afferretur.“ Verum non est praetereundum, S. Congregationem liberalius hac in re agere solere, ut nimirum discreta imposita poena, reliquis omissionibus de ecclesiae spiritualibus thesauris supplere quandoque non dedignetur.

Quoad reductionem et absolutionem nihil, quo vero ad translationem affirmative, a mense Novembri ad mensem Aprilis inclusive, durante mala valetudine, onerata. (scil. Oratoris conscientia super necessitate utendi indulto.)

240. Fanen. — Praestationis legati.

Die 18. Februarii 1854.

Lidia Agosti Giacomini, supremis queis decessit tabulis diei 23. Julii 1841 jussit haeredem suum, ejusque successores: „Subministrent ceram, prout

ipsa vivens feci, ut die Martis impertiatur benedictio ad altare S. Antonii PP. Conventualium hujus civitatis, et dent eleemosynam manualem, ut unaquaque die Martis dicatur missa. Et si PP. Conventuales nollent aut non possent dare hanc benedictionem, haeredes mei ad eadem teneantur ad altare S. Antonii in ecclesia PP. Minorum observantium hujus civitatis."

Contigit autem, ut non modo Fratres conventuales, sed et Minores de observantia hujusmodi legatum, utpote eorumdem ecclesiae rationibus damnosum repudiarent; quamobrem usque in praesens inadimpletum remansit. Nunc vero Antonius ex comitibus Giacomini, hodiernus Lidiae haeres supplicem obtulit libellum, in quo S. H. O. rogat „ut benignam absolutionem concedat, quatenus opus sit, eo quod huic legato a tempore institutionis nunquam satisfecit ob illas renuntiationes, et ut declaretur facta exhibitione legati duobus conventibus religiosorum et eorum negativis responsis finita sit omnis obligatio, an vero teneatur ad eam explendam et quomodo."

Requisitus de more fuit Episcopus, qui auditis in scriptis rectoribus Fratrum conventualium et Minorum de observantia civitatis Fanensis, eorum transmisit epistolas, una cum sua informatione et voto. Itaque Fratrum conventualium moderator non solum narrat legatum Giacomini utpote onerosum olim a Fratribus conventualibus fuisse recusatum, sed addit etiam eosdem Fratres nec in praesens illud accepto habere posse, quoniam ex cujusdam benefactoris largitione idem pii operis exercitium hodie susceperint. E contra rector Minorum de observantia, licet asserat praedictum legatum ob eamdem rationem olim fuisse repudiatum, et nunc etiam repudiari, nihilominus innuit, quod Fratres minores „parati sunt ad acceptandum legatum, si haeredes statim persolvant sacristiae libras 60 cerae in qualitate a patre sacellario determinanda et deinde sexto quovis mense anticipando solvant 10 scutata, quibus satisfiat eleemosynis missarum, cerae, incenso etc. pro benedictione."

Ita vero mentem suam aperit Episcopus: „Opinor non esse Oratorem a legati satisfactione omnino liberandum, ne testatricis voluntas undequaque frustretur: sed si EE. VV. videbitur, arbitror ipsum Oratorem de praeterito inadimplemento legati esse absolvendum: deinceps vero omissis benedictionibus unaquaque tertia feria populo impertiendis (eo magis, quia hujusmodi benedictiones ope cujusdam benefactoris Fratres conventualium solent elargiri) praecipiendum esse, ut futuris temporibus missarum onus adimpleatur, quod onus tamen libenti animo indulgerem, ut ad medietatem tantummodo coerceatur; ad quam restrictionem missarum nempe 26 in hac cathedrali ecclesia celebrandarum, circumstantiae rerum temporumque vicissitudines me facile adducunt. Nam Lidia Agosti cum legatum instituebat, non solvebantur tot tributa, contributiones et vectigalia, quibus hac nostra aetate tam stabilia, quam se moventia bona onerata conspiciuntur; praetereaque missarum eleemosynae, quae tunc modicae erant, modo ubique ultra medietatem auctae sunt. Hisce ergo de causis ad hanc opinionem promendam adductus sum; verum EE. VV. sapientissimo judicio eam omnimode subjectam volo, quae tamen si Vobis arriserit, de sumenda hypotheca in bonis haereditariis Lidiae ad legati tutelam ut in rescripto addatur lex, optimum esse arbitrarer."

Ex facti expositione constat, comites Giacomini nulla fraude vel dolo usos fuisse, ne pii legati oneribus satisfacerent, fortasse etiam cum per legati oblationem id adamussim pro sua parte impleverint, quod testatrix jusserat, omni se obligatione exinde vacuos ac solutos bona fide judicarunt. Ceteroquin grave nimis Oratori accideret praeteritas omnes omissiones supplere, praesertim cum familia Giacomini a pristino fortunae statu, ceu fertur, ali-

quantum deciderit. Hisce autem concurrentibus extremis S. Congregatio absolutionem pro praeteritis omissionibus, aliqua salutari poena imposita numquam denegare suevit, ceu in Faventina Reductionis servitii chori, et missarum 15. Jan. 1780 in altera Faventina Missae conventualis 3. Junii ejusdem anni ad 4. dub., in Clodien. Visit. SS. LL. 22. Junii 1839 atque alibi passim.

Ad futurum vero quod attinet, praenotandum est, legatum ad piam causam relictum, non effici caducum, si voluntas testatoris commode impleri nequeat, sed reduci, vel in alium pium usum, qui legantis voluntati magis consentaneus sit, converti debere, ceu tradit S. Congregatio in Fanen. Legatorum et transact. 21. Junii 1828, ac docent Fagnan. in cap. Nos quidem de testam. num. 14, Barbosa de offic. et potest. episc. alleg. 83. num. 7., Amostaz de causis piis lib. 1. cap. 14. num. 32. et lib. 4. cap. 2. num. 4. ac Reiffenst. lib. 3. decretal. tit. 26. num. 810. Quod quidem obtinet etiam cum pium legatum ab iis repudiatur, in quorum favorem relictum fuit, ceu eruitur ex resolutionibus S. Congregationis in Cremonen. Commut. volunt. 23. Julii 1702 ad 1. dub. penes Zamboni in collect. declarat. S. Congreg. et in cit. Fanen. Legator. et transact. 19. Julii 1828. ad 2. dub. Quin opponi possit centenaria praescriptio, quae nullius roboris habenda est, cum certa et clara est lex fundationis, accedente etiam piae causae favore, ceu saepe S. Congregatio decrevit, uti in Lucana 18. Decembr. 1802. apud Monacel. tom. 4. supplem. ad tom. 2. num. 53. in Aquilana Capellaniae 16. Maji 1733. Civitatis Plebis 11. Maji 1793. ad 1. dub.

Quae cum ita sint, haud videtur declarari posse familiam Giacomini solutam esse a legati praestatione, quod idem legatum nondum accepto habitum fuerit, sed aliqua potius ineunda est via, qua nisi ex integro, saltem ex parte pia testatricis dispositio adimpleatur. Hinc videant EE. PP., utrum probanda sit Fratrum minorum de observantia propositio, quae licet Oratori non faveat, attamen legatum acceptabile reddit, vel potius, ne plus aequo haeres gravetur, expediat onerum (praesertim benedictionis hebdomadalis) reductionem indulgere, ut iidem ad legatum acceptandum inducantur, nisi melius censuerint Episcopi voto adhaerere, ut scilicet omissis benedictionibus, missae ad medietatem reductae, in cathedrali ecclesia celebrentur. Interea vero optimum erit, ut ad legati securitatem praecipiatur hypothecam super fundis haereditariis inscribi, quod idem Episcopus ad calcem suae relationis insinuat, ac saepe decretum fuit ab H. S. C., uti in Reatina Capellaniae 24. Martii 1832.

Die 7. Julii 1855.

Ad supplicem libellum comitis Antonii Giacomini, benigne recolendum, propositum per summaria precum in congregatione diei 18. Februarii anni superiosis rescriprit S. Congregatio: „Quoad praeteritum pro gratia absolutionis ac condonationis, celebratis decem missis, supplendo etc. docto etc.; quo vero ad futurum, firmo manente onere missarum ad manualem juxta legem fundationis in altari Deo in honorem S. Antonii dicato apud PP. Minores observantes, pro gratia commutationis legati benedictionum in totidem missas, juxta numerum prudenti Episcopi arbitrio praefiniendum, oneratis vinculo hypothecae bonis haereditariis, facto verbo cum Sanctissimo.“ Quod quidem rescriptum Sanctissimus in audientia die 20. Februarii in omnibus benigne approbavit et respective confirmavit.

At vero ubi rescripti notitiam accepit, minime in eo sibi acquiescendum duxit comes Giacomini, sive quia commutatio inducta est legati benedictionum, quod peremptum potius existimat; sive quia nulla sibi indulta est missarum reductio, ceu in votis etiam erat Episcopi; sive demum quia missarum celebratio demandata fuit in ecclesia fratrum Minorum de observantia, quas in ecclesia fratrum Conventualium ex testamenti lege celebrari oportere contendit.

Novo itaque supplici oblato libello postulat, ut praevia hujus rescripti reportatione quoad exposita capita, S. Congregatio decernere velit omnimodam legati benedictionum exstinctionem, reductionem missarum juxta Episcopi votum, nec non facultatem adimplendi missarum onera in ecclesia PP. Conventualium.

Ad primam quod attinet petitionem, iterum animadvertendum occurrit, legatorum piorum deletionem a jure canonico prorsus improbari, tum quia id bono ecclesiae adversatur, tum quia testatorum voluntates inde violantur, quas sancte servandas esse praecipit can. Ultima voluntas cap. 13 quaest. 2. Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 4. Hinc ubi legatum pium impleri nequit prout voluit testator ob juris vel facti impedimentum, vel quia deficiunt personae quibus praestari debet, caducum nequaquam fieri, sed implendam semper esse testatoris voluntatem vel eodem, vel alio simili modo, aut opere pio tradunt Gonzalez ad cap. Nos quidem 3. de testam. Gratian. disc. foren. 339. num. 29. Amostaz. de causis piis lib. 1. cap. 14. num. 35.

Verumtamen perpendi potest, Oratori favere praesumptam testatricis voluntatem, quae dumtaxat respexisse videtur sacram functionem determinatis die, ecclesia et altari in S. Antonii honorem et populi utilitatem peragendam, vel etiam fratres Minores Conventuales, et Observantes, quibus hujusce legati pii praestatione aliquid opis afferre voluit. Quum autem hujusmodi functionem ope cujusdam benefactoris fratres Conventuales nunc soleant in sua ecclesia peragere, et ambo religiosi ordines a testatrice vocati pium hoc legatum ipsis saepe oblatum recusaverint, plane qua ratione, et cui praestandum adhuc idem foret legatum Orator non videt. Nam legatum quod habet adnexam causam finalem, hac cessante sive ex facto legatarii, sive ex impedimento alieno irritum fieri statuit S. Rota in dec. 1309. num. 6. coram Motines, et S. Congregatio in Bosanen. Applicationis legati 12. Martii 1762.

Quoad alteram petitionem duplici Orator fundamento nititur pro reductione missarum ad medietatem obtinendam; redituum nimirum imminutione ob auctam in praesens vectigalium et contributionum praestationem, et eleemosynae augmento, quae tempore institutionis modica erat, nunc vero ultra medietatem ab eo temporis ubique aucta est, ceu monet Episcopus. Sane, quamvis testatrix non taxative, sed demonstrative tantum eleemosynam statuerit, ad rationem scilicet manualis quoad futurum quoque tempus pensitandam, ita ut ex stricta juris censura haeres a satisfactione praescripti missarum numeri ob eleemosynae augmentum minime absolvendus foret; attamen innixa aequitatis ratione, et praesumpta testatorum voluntate Sacra Congregatio generatim ob invectum eleemosynae augmentum, ac praesertim cum reditus diminuti fuerint congruam reductionem denegare numquam suevit, ceu pandunt exempla allegata in Imolen. Reductionis missarum proposita per summaria precum in postrema congregatione diei 9. Junii proxime elapsi, in qua licet certus missarum numerus ab testatore praescriptus fuerat, taxata, uti in casu, eleemosyna ad manualem, nihilominus

EE. VV. ob eamdem rationem augmenti eleemosynae reductionem indulgendam censuerunt.

Demum quoad tertiam petitionem, propitium pariter rescriptum sibi polliceitur Orator, perpendens primo, ex testamenti lege fratres Conventuales praelationem quoad legatum habere, quibus eatenus PP. Minores observantes substituti sunt, quatenus hebdomadales benedictiones in eorum ecclesia locum habuissent, quod quidem non contigit; deinde, consentaneum magis id esse testatricis voluntati, ob ejus in Conventualium ecclesiam dum viveret manifestatam praedilectionem, in qua nimirum religionis officia explere perpetuo suevit; postremo quia et ipsi fratres Conventuales legati pro hac parte praestationem sibi jure expostulant.

In decretis, data praelatione PP. Conventualibus.

241. Caesenaten.

Die 23. Aprilis 1864.

Anno 1638 Hippolytus Manini et Joanna Fioravanti capellaniam perpetuam, laicalem, immunemque a quavis ecclesiastica auctoritate, sub titulo S. Josephi Caesenae instituerunt; cujus rectorem nominandi jus tradiderunt piae sodalitati S. Josephi fabrorum lignariorum in eadem civitate canonice erectae; hac tamen apposita conditione, ut adstante aliquo presbytero vel clerico de familia Laurentii Fioravanti hunc et non alium in eo casu ad praefatam capellaniam nominare deberet.

„Tres parvi fundi, ut refert Eminentissimus Caesenatensis Episcopus, et residuum quoddam pretii scut. 30. quae fructus ferunt ad rationem quincuncis pro centenario constituunt dotem capellaniae, cujus annuus reditus, ob auctum frumenti pretium, elevatur ad scut. 200. Onera sunt 240 missae annuae cum eleemosyna obol. 15, et expensae sacristiae manutentio et ornamenta altaris. Anno 1822 post exstinctionem veteris confraternitatis S. Josephi et post mortem ultimi descendentis lineae masculinae Fioravanti, praesens Orator unicus superstes per rescriptum Auditoris Sanctissimi die 17. Januarii obtinuit, ut ad capellaniam vocaretur et ejus fructus perciperet usque ad restitutionem piae sodalitatis. Quamvis autem confraternitas mense Martio 1822 restabilita fuerit et Cardinales protectores habuerit, atque archiconfraternitati affiliata remanserit, numquam tamen formiter ei data est canonica erectio; itaque Zamboni rescripto inmixus pacifice capellaniam possedit.“

A primo memoratae concessionis tempore usque ad annum 1848 Laurentius capellaniae onera adimplevit. Cum vero deinde suo muneri defecisset, anno 1853 absolutionem et reductionem onerum Sanctissimum Patrem adprecatus, sequens rescriptum die 5. Aprilis ejusdem anni consecutus est: „Celebratis triginta missis, pro gratia absolutionis ac condonationis super praeteritis omissionibus, nec non reductionis ad annuas missas 150 ad triennium.“ Quod juxta Ordinarii votum concedebatur, qui praefatum Laurentium e prospera in adversam decidisse fortunam et pluribus vexatum rei familiaris angustiis affirmabat. At non meliorem subsequentibus annis assecutus est conditionem, sed imo quotidie magis rebus familiae suae dilabentibus, rursus onera capellaniae etsi reducta inadimpleta reliquit. Novo igitur supplici libello Sanctitatem Suam exoravit „ut concedat absolutionem pro missis non celebratis, et saecularisationem bonorum beneficii.“

Quam postremam gratiam ut assequeretur, quae sequuntur proposuit: „Ut in futurum major missarum numerus legatur, proponit Orator cessionem

sortis census scut. 400 ven. confraternitati S. Josephi fabrorum, ita tamen, ut ea onus assumat, celebrare faciendi tot missas, quot ex reditibus haberi poterint, detractis sumptibus altaris et sacristiae. Census iste securus et efficax erit pro annuis scut. 5 pro centum. Orator cessione hac renuntiaret omni juri revocationis legati; ... petit igitur S. V. ut apostolicam sanctionem propositioni addere velit."

Eminentissimus Episcopus, cui hujusmodi preces ablegatae fuerunt, ut scitu necessaria referret, votumque suum, auditis interesse habentibus, panderet, diligentissime suo perfunctus munere literis diei 7. Septembris praeteriti anni retulit familiam Zamboni ex nobili et divite conditione ita decidisse, ut si adhiberetur juris rigor, (quo solo legato capellaniae provideri posset) in infimam miseriam depelleretur; confirmat deinde, proximum post exstinctionem lineae masculinae Fioravanti esse Oratorem, et concludit: „Haec me ad subscribendum precibus Oratoris inducunt in omnibus suis partibus praemissa absolutione super indebita fructuum perceptione, si opus sit. Interrogavi praesentem confraternitatem S. Josephi, quamvis ea canonice erecta minime sit; adque haec quoad missas mecum convenit, et addit a Zambonio procurandam esse celebrationem 10 missarum, quod et ego probo; a saecularisatione autem et cessione sortis scut. 400 alienam se declarat. Hoc in dissensu partium S. Congr. quod melius putaverit, decernat."

Agitur in prima supplicis libelli parte de absolutione super omissa missarum celebratione, ob causam paupertatis et supplendi impossibilitatem, nec non de reductione earumdem missarum quibus celebrandis imparem omnino factum esse constat Oratorem, qui ex familia a fundatoribus capellaniae praedilecta descendit, et alteri ex ipsis Joannae nempe Fioravanti consanguineus apparet. At impotentiam supplendi praeteritis omissionibus legitimam esse causam huic Sacrae Congregationi, ut absolutio indulgeatur etiam quoad missarum celebrationem, facile eruitur ex quamplurimis hujus Sacri Ordinis resolutionibus, iis praesertim quae prodiere in Feretrana 17. Septembr. 1808 Civitatis Castellanae Absolutionis 22. Januarii 1842; Massen. Pii legati 23. April. 1842, Mazarien. 18. Augusti 1821, quae omnia in thesauro prostant, nec non in Eugubina et Civitatis Castelli 20. Novembr. 1824 per summaria precum propositis. Reductionem vero missarum iisdem de causis indulgeri legitime posse praesertim ad tempus fundatorum consanguineis non dubitatur: Sacr. Congreg. in Nucerina 5. Septembr. 1778; Anconitana 20. April. 1782; Januen. 21. Augusti 1819; Ravennaten. 15. April. 1820. §. Ad paupertatem. Quibus omnibus non parum valorem addere in casu videtur indulgentia, quam Sacr. haec Congregatio cum ipso Oratore adhibendam esse censuit anno 1853, quando propitio rescripto et absolutionem et reductionem eidem benigne concessit.

Agitur in secunda petitionis parte de alienatione fundorum capellaniae, ut exinde possit Orator aliquo modo suis indigentiis occurrere, oblato tamen censu scutat. 400 pro proportionata in posterum missarum celebratione. Compertum cuique est ejus esse distrahendarum rerum arbitrium, qui earum dominio pollet vel saltem liberae administrationis officio fungitur; leg. 21. Cod. mandat., leg. 1. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur, Sacr. Congreg. in Perusina Capellaniae 15. Sept. 1827. §. Si. Neutrum tamen penes oratorem esse constat. licet res sit de capellania laicali, cujus bona distrahi possunt sine apostolico beneplacito: Card. de Luca de alienat. disc. 1. n. 11; Card. Petra ad constit. Ambitiosae sect. 3. num. 36,

Sacr. Congr. in Perusina 15. Septemb. 1827; fundatores enim bona capellaniae assignarunt, quae dotem ejusdem perpetuam constituere deberent pro missarum celebratione. Eamdem praeterea capellaniam perpetuo et in infinitum presbyteris et clericis e familia Laurentii Fioravanti descendentibus, si qui forent, concedendam esse jusserunt, quibus Orator licet unus ex vocatis nullatenus praejudicare valet. Equidem non arbitrio suo bona capellaniae alienare vellet Orator, sed apostolico interveniente beneplacito, quod superius allatis conditionibus in Oratore deficientibus satis supplere valeret. Dubitari tamen adhuc merito posset, an beneplacitum apostolicum, ceteroquin necessarium, concedendum esset, cum exinde futurorum vocatorum jura undequaque subverterentur. Et revera Sacr. Congregatio hujusmodi alienationes haud facile concedit, ut apparet ex Neapolitana Capellaniae 28. Julii 1838, in qua etsi certo doceatur, juxta ss. canonum disciplinam piorum fundatorum propinquis et haeredibus opitulari debere ex reditibus beneficiorum, illud etiam firmatur bonorum beneficialium alienationem esse denegandam.

Verumtamen hucusque tradita ad tramites ecclesiastici juris hujusque Sacr. Congregationis praxim non ita accipienda sunt, veluti si bonorum piorum legatorum alienatio nunquam permitti valeat. Quandoquidem a priscis usque temporibus lex viguit, bona ecclesiastica alienari non posse, nisi justa intercedente causa, ac certis servatis solemniis, ut in Forosempronien. Visitationis SS. LL. 21. Julii 1827. Ex quo plane consequitur, aliquando justa interveniente causa id permitti. Cautum praeterea est ut quicumque fidelium propria devotione de facultatibus suis aliquid ecclesiae contulerint, si forte ipsi vel filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant. His vero praemissis ab Eminentiis Vestris dijudicandum est, utrum in casu, urgente necessitate, etiam extraordinario remedio alienationis fundorum capellaniae succurrendum sit Oratoris familiae, quae ut habet Eminentissimus Episcopus „a commodiori statu decidit, ita ut ex juridica vindicatione legati capellaniae in maximam miseriam esset delapsura.“ Praesertim cum Orator ipse non omnimodam alienationem fundorum in sui favorem exoptet, sed summam scutator. 400 exhibeat, quorum reditibus alicui missarum numero juxta piam fundatorum voluntatem celebrando certo consuleretur. Qua super re non magni facienda videtur piae sodalitatis oppositio, cum dubitari etiam liceat, utrum ipsa juribus antiquae sodalitatis frui valeat, et praeterea ex actis constet, eamdem sodalitatem anno 1853 motu proprio proposuisse huic Sacr. Congregationi, alienationem fundorum favore Oratoris, deposita tantum summa scutator 300 pro proportionata in posterum missarum celebratione.

Celebratis missis 30 pro gratia absolutionis quoad praeteritas omissiones et reductionis quoad futurum ad annuas missas 120 ad quinquennium; in reliquis lectum.

3. De cessatione oneris missarum.

242. Monacen. Frisingen.— Cessationis oneris missarum.

Die 27. Augusti 1853.

Exponit vicarius generalis, quod quum parochia S. Stephani loci Moosen capitulo collegiato ad Wolfgangum in pago Schevindan fuerit unita, capitulum constituto in Moosen vicario ex parochiae proventibus aliquam partem pro congrua sustentatione assignavit, eique insuper pro 76 missis perpetuis

quorum fundus inter bona collegiatae ad S. Wolfgangum exstabat, 40 florenos quotannis speciatim erogare consuevit. Ast post recessum Ratisbonen. diei 25. Februarii 1803 praedictae collegiatae bona publico Electoris Bavarici aerario adjecta quidem fuere, sed gubernium eamdem proventuum partem una cum iisdem 40 florenis rectori ecclesiae Moosen per aliquot annos pariter praestabat. Verum 30 fere ab hinc annis parochia loci Moosen, aeque ac ceterae monasteriorum ac collegiatarum parochiae, a gubernio regis Bavarici cum consensu Ordinarii annuis reditibus 600 florenorum cum manso 20 jugerum pro rectore, nec non 300 florenorum pro ejus adjutore dotata est. Cum vero nec gubernium, nec Ordinarius in instituenda hac dote obligationis celebrandi illas missas mentionem fecerint, et gubernium supra memoratos 40 florenos amplius nec solverit nec iteratis monitionibus ad id moveri potuerit, factum est, ut parochi loci Moosen ad ejusmodi missarum onus, utpote quae officio parochiali haud inhaererent quarumque fundatio esset sublata, protinus adimplendum se non teneri crederent, sacraque illa per triginta fere annos omnino cessarint. Hinc praedictus vicarius generalis penes S. H. Ordinem supplex adstans sequentia dubia benigne resolvenda proponit, nimirum:

„I. An supradictae 76 missae, quarum fundatio cum bonis collegiatae ad S. Wolfgangum sublata est, quin modernae doti parochiae Moosen ab Episcopo imposita sit eorum obligatio, penitus cessare possint; vel

„2. An parochus loci Moosen ex titulo novae dotationis sufficientis non solum officia proprie parochialia subire, sed etiam illas 76 missas pro earum fundatoribus in perpetuum gratis persolvere teneatur;

„Et quatenus affirmative,

„2. efflagitat, ut pro praeteritis 33 et quod excedit annis S. Sedes parochos a restitutione missarum non persolutarum absolvere dignetur.

Legatorum piorum suppressio a jure canonico prorsus improbatur, tum quia bono ecclesiae adversatur, tum quia testatorum voluntates inde pessumdantur, quas ad amussim servandas esse praecipit can. Ultima voluntas. 4. caus. 13. quaest. 2. S. Cong. in Januen. legat. 15. Decembris 1782, Brugen. 17. Martii 1827. §. Attamen. Hinc quamdiu existant fundi, quibus ex testatorum dispositione onera inhaerent, ferenda etiam sunt onera ab iis saltem qui fundorum possessionem nacti sunt. Reque vera hoc sibi officio esse ratum est regium gubernium quod per complures annos hac in re exstincti capituli partes suscepit. At vero nova dotatio quasi correspectivum, tum bonorum capituli quae sibi gubernium adjudicaverat, tum pensionis vicario dari solitae in locum cessit.

Quare non solum ex tacita saltem gubernii voluntate, quae aderat, onera implendi, sed etiam ex correspectivi indole idem missarum pensum moderno parocho injunctum fore videretur.

Animadvertendum tamen venit, quod recensitum missarum onus capitulo S. Wolfgangi impositum extiterit, quippe correspectivus fundus non inter suppressae parochiae, sed inter ejusdem capituli bona fuit. Proinde vicarius, tamquam ab ejusmodi onere omnino extraneus, de capituli tantum mandato ex libero quasi contractu missas celebravit, correspectivo quotannis separatim a congrua soluto. Consequenter ubi cessavit correspectivum et onus cessasse videtur.

Id eo vel magis quia hujusmodi onus nec expresse, nec tacite in nova parochiae dotatione comprehensum censetur, uti ex vicarii generalis relatione satis patescit nimirum: „Quod omnes parochiae olim conventibus monachorum vel canonicorum capitulis unitae ita nunc sunt constitutae, ut quivis parochus 600 florenos et mansum 20 jugerum pro se, ac 300 florenos pro

coadjutore recipiat, sine ulla obligatione persolvendi missas, excepta missa parochiali diebus dominicis et festivis.“ Nihilominus, quatenus EE. PP. ab ista obligatione haud solutos judicaverint parochos loci Moosen, attamen absolutio a praeteritis omissionibus, attenta praesertim bona fide, minime deneganda videtur.

Non teneri.

243. Imolen. — Legati pii.

Die 7. Julii 1853.

Alexander Monachi Lucensis suo quo decessit elogio die 26. Junii 1694 edixit, quod mortua uxore sua Gentile Bianchi, quam haeredem ex asse usufructuariam nuncupaverat, reditus fundi Cenocchiare cum domo colonica siti intra ambitum parocciae S. Laurentii in silva dioecesis Imolen. in tot missarum celebrationem pro anima sua suorumque parentum perpetuo impenderentur. Post hujusmodi dispositionem nihil de fundo et legati adimplemento compertum est usque ad annum 1790. Quo quidem anno Franciscus Maria filius Joannis Francisci Bianchi haeredis fundatoris vendidit sacerdoti Vincentio Azzarolio partem ejusdem fundi cum onere erogandi fructus omnes in celebrationem missarum juxta ultimas Alexandri Monachi tabulas. De altera autem fundi parte, de qua in praesens quaeritur, in tornat. 14. cum adnexa colonica domo hoc unum certum est, nimirum anno 1793 die 21. Augusti Stanislaum Marconi vendidisse praefatam fundi partem Jacobo ejusque fratribus Cricca, quam ab quolibet onere vacuam ac solutam asseruit.

Nunc vero cum Augustinus et Joannes Baptista fratres Cricca filii Jacobi, hujus fundi partem ad eos ex paterna haereditate spectantem vendiderint, cautum in emptionis venditionis tabulis voluit emptor, ut de ejusdem divenditi fundi libertate ecclesiasticae auctoritatis judicio certior fieret; quod quidem fratres Cricca supplici Sacr. huic Ordini oblato libello declarari postulant.

Eminentissimus Episcopus exposita confirmat, ac censet, dictam fundi partem tornat. 14. esse a primaevo missarum onere prorsus exemptam; „quia, inquit, cum fratres Cricca bona fide et justo titulo ipsas tornat. 14. emerint, et pacifice per 60 annos possederint, missarum onus praescriptum esse puto ob illam canonici juris dispositionem, quod bona ecclesiastica spatio quadraginta annorum praescribuntur.“

Quamvis explorata sit testatoris voluntas, ut omnes fundi de quo res est fructus pio legato addicerentur, illi tamen derogatum fuisse videretur ex centenaria aut saltem sexagenaria praescriptione. Nam quid circa legatum ejusque fundum per integri saeculi lapsum acciderit in antiquitatis latebris delitescit; cum vero anno 1793 pars ejusdem fundi, de qua modo controversia est, venierit uti vacua ac soluta ab quolibet missarum onere, ac uti talis a fratribus Cricca bona fide empta fuerit, idque eodem ferme tempore, quo altera fundi pars divendita pariter fuit, sed huic subjecta oneri; facile conjici posset, onera missarum interea temporis, nedum ex lapsu 60 annorum (ab tempore peractae venditionis usque in praesens), verum etiam ex jam antea effluxi saeculi tractu partim fuisse praescripta, vel Apostolicae Sedis indulto abrogata. Praescriptione enim longissimi temporis, ac praesertim immemorabili actiones omnes perimuntur, rerumque etiam ecclesiasticarum dominium acquiritur, leg. 24. Cod. de ss. eccl. cap. 4. de praescr. S. Congr. in Brictinorien. Paroeciarum 5. Maji 1824. §. Quod.

Imo consuetudo immemorabilis et centenaria praesumptionem cujusque melioris tituli, ac proinde beneplaciti Apostolici secumfert, leg. Hoc jure §. Ductus ff. de aqu. quot. Rota in Romana Locationis super devolutione 15. Martii 1789. coram Caesarei, et S. Congr. in Nullius Sublacen. Jurium parochialium 29. Januarii 1825. §. Rationabilis, quod procul dubio potest supremas quoque decedentium voluntates commutare, Clement. Quia contingit de relig. domib., Trid. Syn. sess. 22. cap. 6. de reform.

Nihilominus perpendendum est, num onera etiam missarum ac legata pia perimi possint longissimi temporis aut saltem centenaria praescriptione. Pugnant ex utraque parte plures et graves doctores, quos enumerat Ferraris biblioth. canon. verbo Praescriptio art. 1. §. 1. num. 6. et seq. Negativae sententiae generatim adhaesisse S. hanc Congregationem habetur in Romana Capellaniarum 30. Julii 1768. §. Quaestio in Comaclen. 8. Julii 1818. ac in Civitatis Plebis 11. Maji 1793. ad 1. dubium. Si enim onera missarum ac leges fundationis ab inductis abusibus et a quavis contraria consuetudine non vindicarentur, praescriptio, a legibus introducta in poenam negligentium jus suum, leg. Ut perfectius 2. de annal. except. et cap. Vigilanti 5. de praescript., in illorum vergeret damnum qui omnis culpae et negligentiae expertes sunt, quique deterioris esse non debent conditionis pupillis aliisque agere non valentibus, contra quos durante pupillari aetate vel impedimento non procedit praescriptio, leg. Sicut in rem Cod. de praescr. 30. vel 40. annor. et leg. 1. §. final. Cod. de annal. except. Aliquando autem ob peculiaria rerum adjuncta aliter sentire visa est S. Congregatio, ceu in Perusina Capellaniae 24. Novembris 1827; in qua laicalem capellaniam a Flaminia Gigliotti Grotti cum onere unius missae quotidianae institutam, immutatam fuisse existimarunt EE. PP., quia ejusdem bona tamquam propria possessa perpetuo fuerant a patroni descendentibus, qui tria duntaxat sacra singulis hebdomadis ab anno 1711 celebranda curaverant, ac ideo missas annuas 156 tantum in posterum celebrandas rescripserunt.

Quatenus praescriptionem non suffragari Oratoribus censuerint EE. VV., absolutio qua indigerent pro praeteritis omissionibus, habita bonae fidei ratione eisdem deneganda non esset.

Ponatur in folio:

Eadem causa sub eodem titulo in folio proposita ad sequentia dubia:

I. *An constet de libertate fundi Cenocchiare nuncupati ab onere missarum in casu?*

II. *An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione et condonatione quoad praeteritas omissiones in casu?* S. Congregat. respondit die 27. Februarii 1858:

Ad I. *Affirmative salvo jure favore causae piae contra haeredes fundatoris pii legati pro indemnitate.*

Ad II. *Provisum in primo.*

II. DE SEMINARIIS.

1. Quomodo facultates seminariorum comparentur et administrentur.

244. Massanen. et Populoniae. — Taxae seminarii.

Die 29. Augusti 1857.

Exponit Episcopus, quod „sacerdos Camillus Mori praepositus parochus ecclesiae sancti Laurentii martyris oppidi Campiliae Massanae ac Populoniensis dioecesis hanc resignavit ecclesiam cum reservatione annuae pensionis ad ejus vitam duraturae scutorum tercentum. Episcopus idem petita et obtenta a Sanctissimo Domino Nostro necessaria et opportuna facultate, pensionis reservationem decreto firmavit, in quo haec scripta sunt verba „liberam ab omni et quocumque onere.“ Hac generali exceptione fretus pensionarius taxam synodalem pro seminario clericali statutam solvere recusat, de qua excipienda Episcopus ne cogitavit quidem; sed ne: poterat, cum pluries a Sacra Vestra Congregatione luculenter decisum fuerit etiam pensionarios ad contributionem taxae praedictae pro pensionis rata omnino teneri. Quamobrem Episcopus Orator ab Eminentiis Vestris humillime petit, ut respondere digneutur hisce quaesitis: 1⁰ An praedicta generalis exceptio faveat pensionario Camillo Mori; et quatenus negative. 2.⁰ An Episcopus queat eumdem cogere, etiam per censuras, ad taxam seminario solvendam.“

In altera deinde epistola attestatur idem Episcopus: „In rescripto apostolico non legitur exemptio ab omni et quocumque onere; facultas tantum datur Episcopo, ut pensionem reservet, et nihil aliud. Ego quin cogitarem de taxa synodali, quam pensionarius ut beneficiatus ex lege solvere tenetur, apposui clausulam „liberam ab omni et quocumque onere, intelligens contributiones fundis impositas, missarum onera, expensas cultus etc. Revera Summus Pontifex neque conditiones neque exceptiones apposuit.“

Sacrum Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 18. de ref. duplicem statuit modum ad necessarios reditus pro seminariorum manutentione comparandos, unionem scilicet simplicium beneficiorum, et certam super omnibus aliis beneficiis contributionem. Deinde ita mandavit: „Ad hanc autem portionem solvendam beneficiorum, dignitatum, personatuum, et omnium et singulorum supra commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis pensionibus illis erit solvendum, ab Episcopo loci per censuras ecclesiasticas, ac alia juris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii saecularis; quibusvis quoad omnia et singula praedicta privilegiis, exemptionibus, etiamsi specialem derogationem requirerent, consuetudine immemorabili, et quavis appellatione et allegatione, quae executionem impediat, non obstantibus.“

Hinc indubia res est, pensionarios teneri ad solvendam pro seminario taxam, nisi speciali Sedis Apostolicae privilegio exempti fuerint; prout quoque certum est, beneficiorum possessores „ab Episcopo loci per censuras ecclesiasticas, ac alia juris remedia ..., etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii saecularis, compelli debere, eisque licere retinere pro rata quidquid pro dictis pensionibus illis erit solvendum.“ Hujusmodi pensionariorum onus quoad taxam pro seminario pluries probavit haec S. Congr., praesertim in Veliterna Taxae seminarii 16. Martii et 20. Aprilis 1771.

Idipsum quoque habetur ex instructione super taxa seminarii jussu sa. mem. Benedicti XIII. die 30. Martii 1726 ad singulos Italiae insularumque adjacentium Ordinarios missa, in qua §. 1. num. 5. sic legitur: „Denique quoad pensiones fixas vel vitalitias, Ordinarius solvere debet (Conc. Trid. s. 23. c. 18. de ref.) non solum quotam, quae suis annuis reditibus respondet, sed etiam quotam pensionarii, retinendo a pensione id quod pro ea solvit seminario, nisi pensionarius in impositione pensionis amplo et literali privilegio a taxa seminarii exemptus fuerit. Hoc enim in casu Ordinarius teneretur (Congr. Conc. in Forolivien. 16. Jul. 1661, lib. 22 decretor. pag. 584 a tergo et pag. 585) ad solvendum pro ipso, neque retinere quid posset ex pensione. At hoc evenire non potest, cum non solum Sanctitas Sua in sua constitutione, ut infra dicetur, sed etiam S. Congreg. Concilii re mature discussa (in Romana Contributionis seminarii 3. Febr. 1646 lib. 18. Decr. fol. 20 a tergo, in Spoletana die 30. Septembr. 1710) determinaverit, a taxa seminarii non eximi nisi illos, qui eximuntur a Concilio Tridentino, ideoque tenentur ad solvendum Cardinales etiam camerales, praelati et familiares Summi Pontificis, neque eis suffragatur exemptio nisi expresse mentio fiat solutionis taxae, quae fiebat seminario ex istis beneficiis et pensionibus, antequam illis personis concederentur.“ Deinde num. 6: „Addatur, hactenus exposita circa expensas solutionis pro pensionariis procedere non solum pro ordinariis sed etiam pro beneficiatis et quacunque alia persona obligata ad taxam seminarii.“

In themate Episcopus nulla ratione habita de seminarii taxa clausulam apposuit in decreto, qua pensionem ab omni onere liberam edixit; id referens ad vectigalia, onera missarum, ac expensas cultus; sed et si aliter intendisset, irrita foret hujusmodi exemptio, quia nedum nulla de ea mentio occurrit in rescripto apostolico, verum etiam quia exemptio extendi nullatenus posset ad taxam seminarii, pro qua juxta relatam instructionem privilegium apostolicum speciale cum expressa hujus oneris mentione requiritur.

Pensionarium teneri ad solutionem taxae seminarii et cogi posse etiam juris remediis.

245. Auximana. — Taxae seminarii.

Die 13. Maji 1848.

Dignitates capituli Auximani simul cum canonicis deputatis seminarii et collegii Campana ob ingens aes alienum et urgentes necessitates, quibus illud detinebatur, supplicem dederunt libellum anno 1842 quo petierunt favore praefati seminarii et collegii applicationem mediarum annatarum, quae ad cathedralem Auximanam vigore bullae Benedictinae „Pius et misericors“ pertinebant. Gregorius XVI. recol. mem. in vota Oratorum descendens applicationem expetitam per decennium concessit die 6. Junii ejusdem anni 1842 simulque per S. hunc Ordinem scribi mandavit Eminentissimo Episcopo, ut imponeret super beneficiis suae dioecesis taxam conciliarem ad formam sess. 23. c. 18. de ref. ac constitut. s. m. Bened. XIII. „Creditae nobis“, cui mandato Eminentissimus Episcopus statim obtemperans taxam juxta formam praescriptam beneficiis ecclesiasticis aliisque piis locis imposuit. — Moniales S. Clarae loci Filottrano aegre hujusmodi onus ferentes S. hanc Congregationem supplices adierunt pro exemptione obtinenda ad exemplum omnium monialium Aesinae dioecesis, quae a simili taxatione immunes fuerant, quia in monastoriorum restitutione a Rev. Camera Apostolica dotationes sive in

praediis rusticis et urbanis sive in censibus ad vitae sustentationem acceperant, cum et Oratrices in eadem conditione versentur. Exponebant insuper adeo graves esse angustias sui monasterii, ut proxime praeteritis annis ad necessariam vitae sustentationem ingentem 1170 scutatorum summam distrahere coactae fuerint praeviis facultatibus S. C. Episcoporum et Regularium per varia rescripta, quae exhibuerant, impetratis sub vinculo annui depositi pro summae alienatae redintegratione, quod tamen nondum perfici potuerat aliasque praeterea urgentes reparationes sive in fundis sive in aedibus rusticis necessarias asserebant, ut annuus exitus reditum excederet ac proinde novum praedictae taxae onus ipsis importabile prorsus evaderet.

Quibus precibus jam inde a mense Septembri anni 1844 ad Eminentissimum Episcopum ablegatis, ut transmisso statu activo et passivo tam monasterii Oratoris, quam seminarii, super iisdem votum suum aperiret, nonnisi sub finem proxime elapsi Februarii vir Eminentissimus respondit simulque cum statu activo et passivo monasterii transmisit deputatorum seminarii deductiones, quibus omnino se se conformare fatetur.

Constat ex transmisso statu, ducto calculo per decennium ab anno scilicet 1835 ad totum annum 1844 exitum majorem fuisse reditibus in scut. 1145. Quam deficientiam etsi seminarii deputati non inficiantur, eam tamen non bonorum vel redituum tenuitati, sed malae tribuunt internae administrationi; idque arguunt tam ex investimento scut. 1200 a monialibus quaesito usque ab anno superiori e summis repositis ab anno tantum 1842 resultantium; atque hinc, si annis praecedentibus nihil repositum est, patere concludunt id ex mala administratione causam habuisse, cum modernus monasterii administrator asserere non dubitaverit, antea debitum faciendum fuisse pro monialium sustentatione, nunc autem, quamvis moniales melius tractentur et fundi bene sustineantur, superexstare annue circiter 100 scutata"; tum ex receptione sive monialium sine dote, sive puellarum instituendarum cum annua responsione dimidiata, ita ut evidens sit reditus pro monialium sustentatione abundare atque ex sola inopportuna profusione deficientiam resultasse, sese autem a statu seminarii conficiendo abstinuisse addunt deputati, ita deductionibus finem imponentes: „hodie seminarium rebus necessariis pro annua sustentatione instructum esse inde elucet, quod ex resolutione capta taxa anno currenti tantum et non amplius imponitur."

Moniales etiam suas exhibuerunt deductiones, quibus praeterquam erroneam ostendunt deputatorum assertionem, ubi de scut. 1200 investimento meminerunt, cum non ex reditibus superfluis ea summa fuerit conflata, sed tum ex dotibus duarum monialium, quae recens professae sunt, tum ex cujusdam domus venditione ac census activi restitutione, tum denique ex depositis juxta praecriptum S. C. Episcoporum et Regularium quotannis peractis, exemptionem a taxa repetunt primum a natura bonorum, quae possident, quae minime ex beneficiorum unione derivant, sed ex bonis liberis in dotationem acceptis, quae vix et ne vix quidem ad monialium sufficiunt sustentationem, quo casu a praefata taxa monasteria profecto eximi contendunt tum ex mente S. Conc. Trid., tum ex S. Congr. declarationibus; deinde illas eximi debere ab onere, de quo est quaestio, ne vel deposita adhuc peragenda negligantur, vel ipsae moniales necessaria priventur vitae sustentatione, praesertim cum earum numerus, qui ad sexdecim a Rev. Cam. Ap. fuit cohibitus in dotibus assignatis, ad duas supra viginti fuerit evectus, ne sive chori servitium sive monastica officia ob senescentium et inhabilium impotentiam vel grave paterentur detrimentum vel omnino deficerent.

Haec in facto: pauca nunc adnotabimus in jure. Dubitari profecto nequit, quin monialium conventus ad hujusmodi taxam obligatos voluerit S. Concilium Tridentinum sess. 23 c. 18 de ref. exceptis tantummodo mendicantibus iisque, quae decimas papales non solvunt: quam obligationem passim confirmavit S. Congregatio, ut in Patavina anni 1754 dub. 2., in Hieracen. anni 1587 dub. 1. et praesertim in instructione jussu s. m. Bened. XIII. edita atque ad omnes Italiae Episcopos transmissa, quae habetur per extensum sub voce: „Seminarium“ apud Ferraris. Tota igitur quaestio in eo est, num ea monasteria, etsi non sint de genere mendicantium, quia tamen deductis ad sustentationem necessariis superfluum non habent, ad taxae contributionem teneantur.

Barbosa in collectan. ad Conc. Trid. sess. 23. c. 18. n. 30. haec ad rem habet: „Moniales non coguntur contribuere aliquam subventionem seminario, si beneficia non habeant unita;“ cui adhaeret Ventriglia in prax. part. 2. annot. 29 §. unic. num. 36., idemque referre videntur verba S. C. Trident. loc. cit.; similiter Pascucci in compend. Pignatello s. v. „Seminrium“ circa fin. inter alios non obligatos enumerat: „neque monasteria monialium, nisi ratione beneficiorum unitorum vel bonorum subjectorum aliis oneribus episcopalibus.“ Pro eadem exemptione stat Card. de Luca in adnot. ad Conc. Trid. disc. 25. n. 3.: „ac etiam exempta sunt monasteria monialium ex ea congrua ratione, quod nihil detractis necessariis oneribus pro praelato seu rectore superest.“ Quem sequitur Pignatelli consult. 223. n. 23. sqq. tom. 1., ubi loquendo de exceptione mendicantium haec addit: „verum ista exceptio intelligenda videtur de reditibus proportionatis ad necessariam sustentationem regularium, non autem de illis, quae supersunt“ afferens sub num. 26. resolutionem S. Congr. in Ulyssiponen. 11. Maji 1576 ita conceptam: „S. C. censuit monasteria religionis captivorum teneri contribuere seminario pro fructibus, qui supersunt, lib. 1. decret. pag. 215.“ et eadem S. Congr. jam antea resolverat monasteria monialium non teneri ad taxam nisi eorum bona reperiantur descripta et taxata in libro decimarum vel si ab harum solutione immunitatem obtinuerint in Patavina superius cit. ad 1. et 3. dub. Hanc eandem sententiam refert Pignatelli tom. 9. consult. 81. num. 22., ubi quaerit: „sed quid de monasteriis monialium? Et haec si non reperiantur taxata in libro decimarum, non debere contribuere seminario erecto; si vero constet nunquam de his solutas fuisse decimas, eadem ratione immunia esse debent a contributione seminarii; sed utique tenentur moniales, si bona aliqua possideant vel ea habuerint in fundatione vel per alias uniones, de quibus bonis omnia onera ecclesiastica solvunt.“ — Quibus tamen omnibus aperte refragari videntur verba memoratae instructionis in §. 4. num. 15. ita ibi: „Regula generalis est, bona monialium, pro quibus alia onera ecclesiastica solvunt, non immunia esse a contributione seminarii, nisi titulum specialem habent exemptionis; et quia moniales saepius titulum paupertatis ad obtinendam exemptionem allegant, animadvertendum est, titulum paupertatis iis monialibus suffragari, quae reditus non habent et solis eleemosynis sustentantur vel iis, quae, quamquam possident aliqua bona descripta et taxata in libro decimarum aliorumque onerum ecclesiasticorum, tamen a solutione istarum decimarum aliorumque onerum propter paupertatem exemptae sunt, uti pluries resolvit S. Congr. Conc.“ Ad cujus tramites semper imposterum resolvit S. Congregatio, ut praesertim videre est in Tranen. Taxae, in qua censuit die 14. Maji 1763 ad 3. dubium ad taxae contributionem teneri qua-

tuor monialium monasteria, quorum etsi paupertas gravis dignosceretur, ea tamen reperiebantur pro decimis papalibus taxata.

Ex his patet non esse habendam paupertati rationem, sed potius naturae bonorum, quae possident moniales, utrum scilicet oneribus ecclesiasticis subjiciantur. Ex statu autem passivo per moniales exhibito nulla apparet in earum bonis onerum ecclesiasticorum impositio, nec scilicet decimarum nec cathedratici, nec subsidii charitativi vel alterius oneris cujuscunque, quamvis onera regalia et mere civilia sive fisco sive communitati pro vectigalibus quotannis respondeant, ita ut de legitima Oratricum exemptione videatur constare. — Praeterea animadvertendum est, hujusmodi contributionem favore seminarii esse remedium tantummodo subsidiarium, durante scilicet seminarii necessitate, uti refert decisum Card. de Luca de benef. disc. 88. n. 2. et animadvertitur in Massen. Taxae seminarii 17. Decembr. 1836. §. Ut exordiar," in qua S. Congr. arbitrio Episcopi taxae impositionem reliquit ob dubium necessitatis ex parte seminarii vel alterius remedii, quod videbatur paratum. Hinc etsi moniales in casu tenerentur, attento hodierno congruo seminarii censu, uti deprehenditur ex deputatorum deductionibus, monialium obligatio haberet locum tantum quoad praeteritum. Videant autem EE. PP., num sive ratione dubii, an teneantur necne, sive attentis aliis adjunctis tam ex parte seminarii, quam ex parte monialium, hae expetitam exemptionis gratiam mereantur.

Pro gratia exemptionis a solutione taxae conciliaris, facto verbo cum Sanctissimo.

246. Urbinaten. — Taxae seminarii et Impositionis censuum.

Die 13, Martii 1852.

Urbinatensi metropolitano templo vi terraemotus concusso magnaque ex parte collapso, plura metropolis illius Archiepiscopus obtinuit extraordinaria remedia per Summorum Pontificum sexti ac septimi Pii providentiam, ut templi majestas iterum e fundamentis excitata resurgeret. Praefatas inter concessiones et illa comprehendebatur onerandi mensam archiepiscopalem passivis censibus scutatorum ultra triginta millium, taxamque praeterea imponendi super bonis omnium locorum piorum sive saecularium sive regularium cujuscumque ordinis et congregationis, si annui illorum reditus, non detractis oneribus, annuam centum scutatorum summam excederent, gravata etiam Urbini communitate pro annua taxa scutatorum quinquaginta persolvenda: taxa autem hujusmodi exigenda eum in finem erat ordinata, ut aeris alieni per censuum impositionem contracti fructibus decurrendis antea solutis in singulos annos reliquum in eorumdem censuum exstinctionem erogaretur. Hinc factum est, ut per commissionem permanentem ab Archiepiscopo ad tramites literarum apostolicarum ex singulis coetibus interesse habentibus deputatam singulis piis locis intra dioecesim non solum erectis, sed aliis etiam extra dioecesim existentibus pro bonis tamen, quae in ipsa dioecesi eorum quilibet possidebat, taxa fuerit imposita, cujus annuus proventus insimul collectus, computatis etiam scutatis 50 per communitatem exsolvendis summam aequabat scutatorum centum et octo supra mille, ac obolorum nonaginta.

Hoc salutari remedio templum iterum excitatum pluribus abhinc annis sumptuosa fuit aedificatione completum, ipsumque aes alienum tot censibus impositis contractum, exeunte praeterito anno 1852 penitus exstinctum est,

ita ut, impositae taxae fine causaque cessante, taxae quoque cessare debuisset exactio. At vero reaedificata metropolitana ecclesia, aliud in eadem metropoli necessarium visum est aedificium: seminarium enim ad S. Concilii Tridentini praescriptum, quamvis fuerit jamdudum erectum, aedibus tamen ad rem necessariis caruit hactenus omnino, eidemque usui conventus patrum Praedicatorum metropolitanae ecclesiae, ac palatio episcopali propinquus providentia Sanctissimi D. N. fuit jam destinatus. Ast publici periti judicio compertum est nec ad seminarii usum ob internam constructionis formam eum aptari, nec molem eidem fabricae posse superimponi ob statum murorum fornicumque ruinam minitantium, satiusque, fabrica ad solum aequata, solidius aedificium usui praescripto concinnatum e fundamentis visum est excitare; novaeque molis aedificandae in summa scutatorum millium quinque ultra triginta facta est aestimatio. Periti sententia permoti supplices coram Sanctissimo D. N. preces effundere duxerunt deputati seminarii, ut eadem providentia, qua metropolitanae ecclesiae, seminarii necessitatibus occurratur; praevia scilicet censuum impositione usque ad summam scutatorum quadraginta millium super bonis ejusdem seminarii ac mensae archiepiscopalis, taxae pro templi aedificatione hactenus impositae, ipsamet servata methodo, ab iisdem gravatis prorogetur exactio, ne ipsa quidem excepta communitate, donec debiti contrahendi sequatur exstinctio.

Hanc deputatorum petitionem, quae tum Concilio Tridentino sess. 23. cap. 18. de reform. tum constitutioni s. m. Bened. XIII. Creditae nobis apprime consentanea dignoscebatur, quaeque jure ordinario poterat ab Archiepiscopo resolvi, idcirco Sanctissimo D. N. oblatam exponebant, quia nonnulli forsan ex gravatis, inspecta illorum qualitate vel privilegiis, exemptione fruebantur. Eamque communi plausu tam Archiepiscopus, quam ecclesiae metropolitanae capitulum exceperunt, ea tamen concordi voti limitatione proposita, ut scilicet, antequam taxae prorogandae proventus in novorum censuum exstinctionem erogaretur, ulterioribus templi necessitatibus consuleretur, quae vel ad reparationes actu perficiendas respiciunt, quaeve ad fundum idoneum pro ejusdem templi manutentione, cujus ecclesia est prorsus destituta, pertingunt. Addebat insuper Archiepiscopus novi seminarii constructionem absolute necessariam agnosci, quia non solum longe distant actuales aedes in seminarii usum addictae ab cathedrali templo, sed etiam adeo sunt angustae, ut alumnos plusquam viginti quatuor nequeant capere, dum e contra cleri ac dioecesis proportione servata ad quinquaginta alumnorum numerus esset protrahendus.

Ex gravatis autem neminem ad tramites Concilii Tridentini et praefatae constitutionis Creditae nobis eximi a solutione taxae pari consensione retulerunt Ordinarius atque capitulum, si una communitas excipiatur, de qua tamen ita capitulum ipsum animadvertebat: „Communitatem ipsam ex bonis ecclesiasticis omnia sine discrimine tributa percipere, etiam illa quae speciatim in apostolicis concessionibus excipiuntur, ut ea quae inserviunt pro publicis spectaculis etc. Hinc capitularibus visum est, ut communitas, quae nuper scut. 5000 pro construendo novo theatro expendit et 300 vel 400 scut. annua pro publicis spectaculis assignavit, quotannis prosequatur in dicta taxa solvenda, quae non solum ad decorum sed ad utilitatem populi spectat." Quibus, me referente, auditis Sanctissimus Dominus Noster, antequam super precibus mentem suam aperiret, consilium Eminentissimorum Patrum exquirendum esse mandavit.

Duo pro petitionis definitione investiganda sunt, utrum scilicet taxa praefata sit ulterius proroganda, ejusque proventus in reparationes prius ecclesiae

metropolitanae necessarias erogandi, investiri postea debeant ad fundum conficiendum pro illius manutentione, prout exigit, Episcopo favente, capitulum, deinde num census passivi sint imponendi, ceu petitur, et in qua summa, ac taxae praedictae continuanda longius exactio donec aes alienum contrahendum omnimodam exstinctionem accipiat, comprehensa quoque communitate Urbinatensi, ac nonnullis piis locis, quorum ecclesiae, seu tituli sunt alterius dioecesis, licet bona in Urbinatensi possideant archidioecesi.

Adnotandum imprimis existimo bona ecclesiastica nostris hisce temporibus adeo esse gravata tum extraordinariis oneribus impositis, ac praesertim nova taxa cleri bona praegravante, tum ordinariis gabellis, quibus haud sunt immunia bona praefata, jam satis auctis, ut quantum fieri potest curandum sit ne ultra quam par est aut necessitas exigit, praegraventur. Jam vero pro cathedralium ecclesiarum reparationibus perficiendis, earumque manutentionis fundo sufficienti comparando satis provisum videtur per constitutionem s. m. Benedicti XIII. Pius et misericors, qua ad enuntiatum effectum super primi anni fructibus mediae annatae solutio praescribitur ab omnibus, qui novam beneficiorum quorumcumque provisionem acquirunt. Quibus inspectis prorogatio taxae memoratae exactionis in ecclesiae metropolitanae usum convertendae haud ità facile esset permittenda.

Quod autem pertinet ad ejusdem taxae exactionem concedendam pro novi seminarii fabrica construenda, remedium ordinarium hoc esse comperitur tum ex dispositione sac. Concilii Tridentini sess. 23. cap. 18. de reform. tum ex alia constitutione s. m. Benedicti XIII. incipien. Creditae nobis. Hoc imo est observandum in themate, quod taxa proposita in duobus scut. cum dimidio pro singulis centum est constituta, dum e contra in cit. constit. nec minor tribus, nec major quinque in singula centum injungitur imponenda. Cum igitur constet de necessitate novum seminarium aedificandi, haud immorandum esse censerem, quin taxa praefata ad juris tramites exsecutioni demandetur. Et, quoniam summa necessaria ad opus perficiendum aliter haberi nequit, quam si aeris alieni contractio permittatur; haud deneganda videretur expetita censuum impositio super bonis ejusdem seminarii ac mensae archiepiscopalis, uti pro templi constructione concessio peculiaris facta est; summam tamen, saltem pro nunc, ad scutata 35,000 juxta peritiae terminos cohibendam, minime vero, prout petitur, ad scut. 40,000 protendendam esse censerem.

Unum hic superest inquirendum, utrum scilicet communitas Urbini, ac pia loca in aliis dioecesibus erecta super bonis in Urbinatensi dioecesi existentibus debeant contribuere: in elencho siquidem exhibito quatuor reperiuntur descripta monialium monasteria unumque virorum in Urbaniae ac S. Angeli in Vado civitatibus erecta, ipsumque capitulum cathedralis Pisaurensis inter contribuentes numeratur, pro rata scilicet bonorum, quae possident in Urbinatensi dioecesi, pro quibus omnia praefata pia loca summam scutat. 23 et obol. 5 quotannis collective contribuunt. Quoad communitatem ambigi nequit, quin ab hujusmodi taxae solutione ex dispositione juris eximatur: rationes autem a capitulo Urbinatensi prolatae suadere videntur, ut et ipsa communitas ad taxae solutionem in posterum obligetur, ob strictam quoque connexionem, quam habet cathedralis ecclesia cum seminario.

Neque dubium moveri potest de exemptione locorum piorum extra dioecesim existentium. Haec enim de bonis etiam in aliena dioecesi possessis illi seminario debent taxam persolvere, quod in ipsa dioecesi reperitur erectum, in qua et ipsa pia loca subsistunt, minime vero seminario illius dioecesis, in qua nonnulla eorum bona jacere dignoscuntur, uti referunt unani-

miter decisum ab Sacra Congr., Barbosa num. 21. et Gallemartius num. 13. et 15 ad Concil. Trident. sess. 23. cap. 18. de reform. Hinc dijudicent Eminentissimi Patres, num et haec pia loca in taxae solutione debeant perseverare per concessionem extraordinariam, seu potius eximi ad formam juris ea etiam de causa, quod summa collectiva ab iis hactenus persoluta adeo tenuis est, ut supputata ab summa, quae ex praedicta taxatione colligitur, parum seminarii necessitati obesse videatur.

Ceterum, cum ejusmodi taxae impositio sit remedium subsidiarium, haud ultra protendendum aequum est quam ipsa causa, seu necessitas seminarii perduret, donec scilicet aeris alieni contrahendi sequatur exstinctio.

Non expedire pro nunc.

Die 29. Maji 1852.

Nec profecto inconsulto ita responsum fuisse videbatur. Serio enim perpendendum occurrebat, rem esse de extraordinario onere personis ac piis locis superimponendo, quod, dum suapte natura odiosum videbatur, satis etiam respuebatur a praesenti piorum locorum conditione; quandoquidem vectigalibus sane gravibus tam ordinariis quam extraordinariis eos onerari perspectum habebatur, nec insuper deerant ex religiosis communitatibus superiores nonnulli, qui male de ejusmodi nova taxa sentiebant.

Nihilominus Archiepiscopus pro cleri sui educatione desiderio aestuans novas obtulit preces, quibus limitationem quamdam prioribus ponens ad mitiorem sententiam S. Ordinem adducere sibi pollicetur, urgens ea propter, ut iterum Vestrum judicium hodie exquirerem. Ut hinc morem geram, refero quidquid Archipraesul ille in suis literis habet:

„Non omnes (recito ejusdem verba) qui hucusque taxam pro ecclesia metropolitana persolverunt, alteram extraordinariam obolor. 26. pro quolibet centenario favore publici aerarii a Sanctissimo Domino Nostro superiori anno ad tempus impositam sustinere coguntur, sed ex centum quatuordecim contribuentibus pro prima, triginta tantum etiam pro secunda taxati reperiuntur, prout videre est in elencho a deputatis exhibito.

Hinc ne diutius protrahatur novi seminarii erectio, cujus maxima et evidentissima est necessitas, ut ne insimul ecclesiae bona ultra vires graventur oneribus, Vos Eminentissimi ac Reverendissimi Patres humiliter obsecro et obtestor, ut pro summa Vestra benignitate et sapientia judicare velitis, an expediat deputatorum seminarii preces excipere hac limitatione, ut scilicet ii omnes qui praedictam taxam extraordinariam obolor. 26 solvere tenentur, ea perdurante, aliam pro seminario solvendi potestatem habeant, si velint, imo et hortentur, non tamen cogantur. Ita enim fiet, ut qui utramque certe sustinere volent, ni forte sint ex iis, qui magis quae sua sunt, quam quae Jesu Christi quaerunt, utramque persolvere non renuent, et qui vere non valent, ultra quam par est onera ferre non essent coacti.

„Metropolitanae ecclesiae capitulum ea quae sunt ad Deum semper summa aedificatione arripiens, testimonium Vobis perhibet, quod qui utramque taxam persolvant etiam nulla obligatione adacti non deerunt; et si me unum hac obligatione devincere Vobis placuerit, nedum ad rationem scutat. duorum cum dimidio, sed et ad quinque pro centenario, prout hucusque factum est quam libentissime suscipiam. Haec sunt quae clericorum educationi prospiciendae subjicio etc.“

Resumpto superiori folio viderint Eminentissimi Patres, num, per ea quae proponit Archiepiscopus, evanuerint momenta, ob quae rejecta fuit propositio.

Dilata.

Die 27. Januarii 1855.

Antequam quaestio iterum proponeretur, superiores communitatum religiosarum, quarum bona in Urbinatensi archidioecesi exstantia huic taxae subjici debuissent, formali protestatione emissa jurium suorum periculum judiciali ordine servato se facere velle declararunt; atque eo jam res processerant, ut causa concordato dubio ceterisque praemissis ordinis judicialis actibus, adhibita defensorum ope in folio proponeretur. At vero deputati seminarii intelligentes rei definitionem longius exinde duci, inceptum judicium gravibus expensis obnoxium esse, populo admirationem, ac inter utrumque clerum discordiarum semen parere posse, in id consilii, Archiepiscopo probante, venerunt, ut juribus suis contra communitates religiosas nuncium mitterent, ceu declaratione apud acta exhibita protestati sunt. Verum rogant, ut ad summam ita deficientem recuperandam liceat eandem taxam imponere omnibus dioecesis beneficiis, quamvis eorum reditus sc. annua 100 non superet.

Archiepiscopus suas addit preces, ut nova deputatorum propositio benigne excipiatur, simulque transmisit tabulas status activi et passivi seminarii juxta ultimum decennium exactas, ex quibus colligitur ejus redditus annuos detractis oneribus, nec summam scutat. 500 attingere, cum pro necessariis expensis opus esset scut. annuis 4000. Nuper autem novas dedit literas in quibus ad preces monialium S. Clarae Urbini, significat, se pro sua parte assentiri ut, quatenus S. Congregationi placuerit ab taxa eximere communitates religiosas, etiam moniales praedictae, uti regularibus subjectae, ab eadem taxa exemptae declarentur. Cuperet vero ut in rescripto de suo consensu in utramque exemptionem mentio fiat.

Quo tutius hac in re judicium ferre valeant EE. PP., juverit heic ex integro exscribere postremam ejusdem Archiepiscopi relationem (quae transmissa est antequam deputati vadimonium contra communitates religiosas desererent) in qua fuse et accurate documentis exhibitis tria haec expendenda assumit, nimirum. „1° necessitatem seminarii amplioris et aptioris; impossibilitatem ampliandi praesentis seminarii, impossibilitatem transformandi in seminarium conventum dominicanorum minoribus expensis, quam illis quas deputati post periti relationem postulaverant.“

Dilata et ponatur in folio auditis omnibus interesse habentibus super applicatione bullae Benedicti XIII.)*

247. Aretina. — Juris nominandi deputatos pro seminario.

Die 20. Decembris 1862.

Exposuit nuper Beatissimo Patri supplici libello vicarius capitularis episcopalis ecclesiae Aretinae: „Post improvisam mortem unius ex deputatis pro administratione seminarii, qui erat unus ex canonicis electis hucusque ab Episcopo, capitulum cathedrale ad electionem novi deputati ex proprio capitulo procedere statuit, quae ad se ex jure spectaret. At cum ex antiquissima consuetudine, a 150 annis non interrupta, quicunque ex deputatis seminarii ab Episcopo electus est, neque constet capitulum huic actui

*) In thesauro resolutionum postea nihil invenimus.

unquam restitisse, ipse vicarius capitularis tempore suae administrationis innovationes facere nolens, contra consuetudines et jura cujusconque, et ad evitandas dissensiones inter capitula cathedralis et concathedralis Civitatis Plebis Sanctitatem suam rogavit, ut judicium ferre dignaretur utrum ipse vicarius possit et debeat hac vice ex facultate apostolica novum deputatum eligere, an suspendere nominationem usque ad accessum novi Episcopi Aretini."

Manifesta lex est a Tridentinis Patribus statuta pro deputatis seminariorum in cap. 18. sess. 23. de reform.: „Et quia (ibi) ad collegii fabricam instituendam, et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, et ad alendam juventutem, et ad alios sumptus certi reditus erunt necessarii ... iidem Episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat ... etc. etc." Ex qua lege plane datur intelligi, jus illud quod capitulo tribuitur ad unum ex deputatis eligendum non aliter sartum tectumque esse, quam illud, quo clerus et Episcopus in suis pariter eligendis deputatis perfruuntur. Et si finis legis intimius inspiciatur, non tantum honor, sed et onus etiam hujusmodi jus existimari deberet singulis electoribus indictum ad rectam seminarii administrationem ordinatum, et ita vel a clero vel ab ipso capitulo independens, ut nec si vellet sese ab illo alteruter posset exsolvere, nisi ad electionem quoties casus contigerit deveniendo. Quod si memorata Tridentini dispositio ex una parte capitulum non honorare tantum sed etiam onerare dicenda foret, non minorem ex altera legem imponere videtur Episcopis, ut statutus ordo electionis omnino servetur, ne secus occurrere in aliqua dioecesi possit inconveniens, ut ab Ordinario omnes eligantur deputati, quos ipse deinde in administratione seminarii consulere teneretur.

Ex dicta lege proinde non levis difficultas exsurgeret contra consuetudinem a vicario capitulari superius allatam, quae tanquam irrationabilis reputari deberet, veluti ea quae in quoddam quasi absurdum pergeret, et contra legem esset invecta; quaeque ideo rejicienda foret non usque adeo sui valitura momento ut aut rationem vincat, aut legem (l. 2. C. quae sit longa consuetudo); praesertim contra Tridentini decreta, quae quamcumque contrariam consuetudinem omnino respuunt et irritant: const. s. m. Pii IV. In principis apostolorum, Benedict. XIV. Inst. eccl. 60. num. 7., Card. de Luca de canonic. et capit. disc. 33. num. 3., Adnot. ad Conc. Trid. disc. 1. num. 16. et alib., Ferraris V. Consuetudo num. 37.

Iis vero non obstantibus, minime in themate despiciendum forsan esset, quod vicarius capitularis innuere videtur ex cap. Novit 1. Ne sede vacant: „Attendentes quod episcopali sede vacante non debet aliquid innovari, cum non sit, qui episcopale jus tueatur"; quidquid ergo per capitulum in praesenti rerum statu adduci posset ad suum sibi jus sustinendum vel vindicandum, cum nec defendendo jura Episcopi deducere in judicium valeret (Fagnan: in cit. cap. Novit ne sed. vacan. num. 32) multo minus id ipsi licere videretur oppugnando.

Dilata.

2. Quomodo facultates seminarii erogentur.

248. Tarentina. — Alumnatus seminarii.

Die 6. Maji 1865.

Provicarius generalis Tarentinae dioecesis supplici oblato libello exposuit: „Capitulum metropolitanum Tarenti jus habet eligendi ad duos gratuitos alumnatus in seminario, quia ejus fundationi contribuit. Alter nunc vacat, et ortum est dubium ex eo quod quinque oblatae sunt preces a pueris, quorum unus habet 13 annos completos, alter circiter 9 annos, tertius annos sex et menses novem, quartus annos octo et menses sex, ultimus annos sex et menses octo. Cum Concil. Trid. sess. 23 statuerit aetatem saltem annorum 12 pro adolescentibus admittendis, hinc petitur declarari, utrum solum admitti debeat puer, qui mox tredecim annos habebit, an omnes ita ut eligatur is qui majorem votorum numerum retulerit."

Rogatus idem vicarius, ut referret quid in regulis seminarii statuatur circa aetatem alumnorum admittendorum, retulit: „in regulis seminarii aetatem alumnorum non esse determinatam, et per consuetudinem admissos esse convictores cujuscunque aetatis."

Concilium Tridentinum cit. sess. 23. cap. 18. de reform. formam praescribens erigendi seminaria clericorum et agens de adolescentibus, qui in seminaria recipi debent, haec habet: „In hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros." Quum vero patula sit Tridentini dispositio, Frances de eccl. cath. c. 28 n. 57 et 132, Crispin. de visit. past. p 2. §. 31. n. 12. Gavant. in man. episc. v. seminarium n. 2., et ejusdem dispositionis ratio, nec in themate contrariam probetur invaluisse consuetudinem, et peculiaris regularum seminarii praescriptio desit, videretur dubitari non posse, quin ex adolescentibus numero quinque, qui ad vacantem alumnatum nomen dederunt, suum unus ille jus veluti quaesitum habeat, adeoque praeligi debeat qui requisita a Tridentino Concilio aetate, nempe annorum duodecim, pollet. Ceteri enim in tam tenera versantur aetate, ut impossibile sit ex eorum indole nondum satis explicata spem concipere fore, ut ecclesiasticis ministeriis sese addicere velint. Quod vero in provicarii literis edicitur de consuetudine servata quoad convictores, qui sine discrimine aetatis admitti consueverunt, aptari non posse videtur alumnis in casu, qui nempe gratuito in seminario aluntur et religiose educantur.

Servetur dispositio Concilii Tridentini.

249. Assisien. — Legati alimentorum.

Die 18. Junii 1859.

Sacerdos Raphael Caldarini postremo quo anno 1857 decessit elogio reliquit „legatum scut. 500 seminario Assisiensi, ut domus Desideri seminario confinis ematur, eo onere adjecto, ut gratis quotidie detur dilectissimo fratri meo Vincentio refectio; et post ejus mortem perpetuo sustineatur in seminario puer pauper, qui ad ecclesiasticam viam sit inclinatus, ab Episcopo et deputatis eligendus; attamen iste puer quotannis specimen profectus det, et si non continuet signa vocationis dare, dimittatur et alius substituatur."

Testatoris voluntas ad unguem exsecutioni fuit commissa; nam summa ab haeredibus persoluta, erogata fuit a seminarii moderatoribus in acquirenda domo Desideri, ac insuper Vincentius Calderini usque dum usurae vita fruitus est quotidiana refectione donatus. Quo nuper elato, actum est de eligendo adolescente in alumnum seminarii; utque electio accuratius juxta mentem fundatoris legati, ac praescriptiones conciliares expleretur, Episcopus edictum ad alliciendum concurrentes evulgavit, quo praeter alia monebat: „electum dispensatum solum esse a solutione pensionis, quam Retta vocant, ideoque cautionem idoneam praebere eum debere, ut constet eum esse provisum de linteaminibus, vestibus et omnibus aliis.“ Porro hujusmodi conditio haud arrisit haeredibus, seu potius exsecutoribus testamentarii pii fundatoris Caldarini, contendentes puerum eligendum non tantum a Retta seu menstrua pensione, sed etiam a quacumque alia expensa immunem abire debere; proptereaque nulla opus esse fidejussione quoad vestimenta et cetera hujusmodi. Sed cum deputati seminarii mordicus Episcopi sententiam protuerentur, unanimi consilio ad forensia praecavenda jurgia res omnis judicio S. Ordinis definienda delata est.

Episcopus de more rogatus transmisit partium deductiones quibus quisque suam intentionem fundat, atque una cum seminarii deputatis instat ut ejusdem pii loci jura sarcta tectaque serventur, ex rationibus infra recensendis. Et quoad exsecutores testamentarios, contendunt ipsi, teneri seminarium ad omnes expensas pro alendo alumno tum ex juris dispositione, tum ex patula testatoris voluntate. Ex jure quidem; agitur enim de legato alimentorum, ceu prae se fert vox sustinere (mantenere) a testatione adhibita, quae idem sonat ac alimenta praestare. Porro in legato alimentorum non tantum cibaria et habitatio, verum etiam cetera quaevis ad vitae usum necessaria venire tradit lex. 43 ff. de verb. sign.: „Verbo victus continentur, quae esui et potui cultuique corporis, quaeque ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere vicem, Labeo ait“ et leg. 6 ff. de alim. et cib. leg.: „Legatis alimentis, cibaria, et vestitus et habitatio debebitur, quia sine his ali corpus non potest.“ Quod late confirmant Surdus de alim. tit. 4. quaest. 2., Bartolus d. leg. legatis, Rota decis. 410. num. 2. par. 12. recent., Pothier in ind. pand. ad ver. Mantenimento. Ex voluntate testatoris; reliquit enim ipse scutata quingenta „cum onere sustinendi in seminario puerum pauperem“; at si puer alendus pauper esse debet, jam ex hoc ipso ad eam conditionem respexit in qua quis nec vestes, nec libros aliave hujusmodi necessaria sibi comparare valet. Ceterum etsi dubia mens quodammodo esset, cum agatur de legato pio, latissimam, concludunt, faciendam esse interpretationem ex leg. Titia 11. §. fin. de aur. et arg. leg., Rota decis. 304. num. 16. par. 10. recent.

Contra seminarii deputati instant, testatoris mentem accipiendam esse sano modo et juxta usum undique receptum, ita nimirum, ut qui gratis aluntur in seminariis a menstrua pensione seu Retta dispensati tantum censeantur; nec seminaria confundenda esse cum pauperum hospitiis, quibus generatim integrum alimentorum onus incumbit. Idipsum usu receptum fuisse in seminario Assisien. probant exemplo; nimirum quum s. m. Leo XII. assignasset eidem seminario medietatem haereditatis Annae Mariae Lacre, ut ibidem gratis alerentur tres juvenes, qui inter pauperes pauperiores essent, sub hoc tamen alimentorum titulo, nil aliud fuit concessum, quam exemptio a menstruae pensionis solutione. Porro idipsum sensisse testatorem Calderini, pluribus adstruunt argumentis. Primo quia, cum ipsum haud lateret quid alimentorum nomine intelligeretur ex usu recepto a moderatoribus illius

seminarii, cujus et ipse plures annos deputatum egerat, jam si sub verbo mantenere praeter menstruam pensionem quid aliud venire voluisset, apertius dubio procul declarare haud neglexisset.

Quod insuper magis magisque confirmari contendunt per ipsius testamenti contextum. Testator enim relinquens scutata quingenta oneravit primo seminarium legatarium quotidiana refectione horis meridianis favore fratris sui Vincentii; eoque defuncto substituit pauperem adolescentem ab eodem seminario inter suos alumnos alendum. Porro si noluit testator de fratre suo, licet pauperrimo, seminarium ulterius gravare, eo minus praesumendum est id voluisse ad gratificandum puerum extraneum, utut pauperem.

Nec minoris ponderis dicunt aliud argumentum quod ex tenuitate legati desumunt. Qua super re audiendus Episcopus: „Si domus Desideri locaretur, ne 20 quidem scut. annua inde haberentur. Si igitur sola Recta ascendat ad scutata 36, et seminarium ex locatione vix dimidium istius summae percipiat, quomodo credi potest testatorem seminario imponere voluisse, ut provideat puerum de vestibus aliisque, quod idem est ac debitum contrahere circiter 60 scutatorum quotannis? Deputati ita intellexerunt ut puer a solutione Rectae tantum eximeretur; et quamquam viderunt, sortem scut. 500 inferiorem esse expensis, pro bono tamen pueri pauperis illud acceptarunt.“

Ceterum nec omittunt deputati obtestari, sese in adversa hypothesi, malle repudiare legatum, quam alimenta eo sensu ministrare, ex eo quod meliorem quidem, non vero deteriorem seminarii conditionem facere ipsis permissum est.

Legatum cohiberi ad exemptionem menstruae pensionis tantum.

250. Firmana. — Nominationis.

Die 22. Decembris 1860.

Sacerdos Joseph Campanelli parochus Rapaneani, ultimo quo decessit elogio die 12. Novembris 1751 Firmano seminario scuta mille reliquit, „cum obligatione (sunt testamenti verba) ut in perpetuum gratis per quatuor annos duo juvenes ex familiis pauperibus Rapaneani alantur, quae nominentur et praesententur a parochis suis successoribus pro tempore.“ Praeferri autem ceteris jussit propinquos suos si adfuissent; ac ipse testator in eodem testamento prima vice nepotem suum nominavit, quem voluit ut locus pius retineret usque dum vel in sacris constitueretur, vel alium seligeret statum, diserte cavens, ne hoc postea ab aliis adolescentibus in exemplum deducatur, quos vult de quadriennio in quadriennium tantummodo retineri. Hujusmodi porro jus nominandi annuentibus parochis et collegiata Rapaneani instrumento diei 24. Octobris 1805 delatum fuit capitulo metropolitano Firmano cum conditionibus et legibus a testatore praescriptis ac sancitis “

Mense Julio hujus anni quadriennium exspiravit quo clericus Franciscus Monti in seminario moratus est in vim praecitatae dispositionis testamentariae et obtentae a capitulo metropolitano nominationis; indictoque concursu ad vacantem alumnatum, duo nomen dedere, idem nempe clericus Monti qui confirmari per aliud quadriennium rogavit, et Philippus Pandi Rapaneanensis prima vice suffragium nominationis expostulans. Hoc sed posthabito, clericus Monti voti compos factus est. In irritum itaque cessis penes capitulum officiis adhibitis, Philippus Pandi confugit ad hanc S. Congregationem, „ut praeferatur Montio ad alumnatum seminarii Firmani pro quadriennio.“

Eminentissimus Archiepiscopus a sua sententia promenda abstinens votum deputatorum seminarii, Philippo Pandi favens, et ejusdem Oratoris alle-

gationes, una cum contrariis capituli metropolitani deductionibus transmisit. Momenta hinc inde rationum brevi heic referam.

Capitulum in eo praecipue nititur, quod licet effectus nominationis in casu protendi nequeat ultra quadriennium, nihil tamen vetat, quominus confirmari per aliud quadriennium possit alumnus jam semel nominatus, quippe, qui beneficio frueretur non quidem in sequelam primae, sed in vim secundae renovatae nominationis. Id secum ferre verba testatoris, qui non dixit nominandum esse juvenem „per solos quatuor annos," sed: a quadriennio in quadriennium," quod quidem etsi determinationem temporis includat quoad effectum cujusque nominationis, successionem tamen quoad exercitium juris tam activi quam passivi non excludit.

Secus enim gravissimum sequeretur absurdum quod juvenes in seminarium ex beneficio hujusce nominationis recepti, quorum indoles et voluntas, ceu inquit Concilium Trid. sess. 23. cap. 18. de reform., spem affert eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros, mediis opportunis dum magis indigent privarentur ut optatam contingerent metam; quod plane a voluntate pii fundatoris omnino alienum censendum. Et sapienter quidem provisum ab eodem fuisse perpendunt, ut quadriennio quolibet nominatio perficeretur, quo scilicet electores probe conscii de agendi ratione alumnorum quadriennio perdurante, eos vel iterum eligerent, siquidem bene de se sperare faciant, vel si secus alios sufficerent.

Nec obesse factum ipsius testatoris, quo facultatem faciens nepoti suo a se nominato morandi in seminario ultra praefinitum quatuor annorum tempus, caverit, ne id in exemplum transiret quoad ceteros in posterum nominandos alumnos. Id enim aliud nihil secum ferre nisi singulare praedilectionis argumentum erga hunc nepotem, cujus nominationem independentem esse voluit ab electorum arbitrio, tum ante, tum post emensum quadriennii tempus. Quin potius ex hoc facto capitulares arguunt, fundatori ipsi persuasum apprime fuisse, quadriennii tempus sat esse non posse ut juvenes ad civilem aut ecclesiasticam, uti opus est, institutionem informentur.

Adducit praeterea capitulum exemplum trium nominationum annorum 1843, 1844, 1851, quae post quadriennium eorumdem juvenum favore confirmatae fuerunt. probante Ordinario, conquerente nemine, nec ipsis seminarii deputatis reclamantibus.

Denique nominationem a se peractam capitulum tuetur ex eo, quod licet adolescens Philippus Pandi ob bonos mores a parocho suo commendetur, attamen praeferri nequeat clerico Monti, quippe qui quatuor ab hinc annis in seminario degens optima pietatis ac profectus in studiis specimina jam praebuit. Praeterea summa paupertate ipse laborat, et ad familiam pertinet Rapaneani originariam, dum Pandius e contra aliquid in bonis habet, et licet Rapaneani natus sit, ejus tamen pater extraneus est, ibique tantummodo domicilium acquisivit.

Qui partes agit Philippi Pandi, quocum deputati seminarii conveniunt, observat perspicuam esse testatoris dispositionem, qua voluit scilicet, onus seminario impositum alendi gratis duos adolescentes, non ultra quadriennium protendi pro quolibet, ita ut jus nominandi electoribus collatum praetergredi enuntiatum temporis lapsum non possit, tum scilicet ne jus laedatur aliorum adolescentium qui debitis pollent requisitis, tum ne detrimentum seminario inferatur in casu quo adolescentes nominandi deficiant, quos alere deberet.

Clarius eruit voluntatem testatoris prorogationem vetantis, ex eo quod exceptione dumtaxat quoad nepotem suum facta, edixerit quoad ceteros alumnos „quos volo solum retineri de quadriennio in quadrien-

nium.“ Propterea nihil relevare monet contraria argumenta, quia clara cum sit lex fundationis, interpretationi locus esse nequit.

Deinde affert documenta quae ad tempus fundationi proximum referuntur, quibus probatur numquam a parochis alumnos jam nominatos, post quadriennium confirmatos fuisse, quod in eorum facultate id non esse intelligerent; ita ut quoties ii in seminario commorari ulterius voluere, annuam pensionem solvere debuerint. Integrum eapropter non esse Firmano capitulo, quod cum omnibus et singulis pactis et conditionibus in fundatione appositis hujusmodi nominandi jus accepto habuit, aliter sese gerere, et contra fundationem ipsam jus sibi delatum exercere. Quod si aliquando arbitrio potius quam facultate utens nominationes prorogavit, praescribere tamen contra legem fundationis et cum seminarii aliorumque juvenum Rapaneanensium praejudicio non valuit, vel ex ea potissima ratione quod neminem contradictorem habuerit.

Debitis tandem pollere requisitis Oratorem observat: utpote qui bonis moribus praeditus est, ut patet ex proprii parochi testimonio, et ad pauperem Rapaneani familiam pertinet. Nec obstare quod ejus pater extraneus origine sit, quia qualitas originis minime requisita fuit. Aliunde notum est, quod si legatum alicui alligatum sit qualitati, hac sive ex privilegio sive alio modo acquisita, legatum debetur: proindeque legatum civibus relictum, eis quoque debetur, qui civitatem acquisiverunt, ut monet Rota coram Molines decis. 932. num. 6. Quod eo vel magis retinendum in casu, quia nemo alius cum Oratore concurrit, excepto clerico Monti, cui tamen impedimento est voluntas fundatoris quominus eligatur.

Die 23. Martii 1861.

Supplex hic libellus, benigne reassumendus, propositus fuit in comitiis habitis die 22. Decembris superioris anni. Placuit autem EE. VV. rescribere: „Sustineri prorogationem factam a capitulo ad formam testamenti.“

Instanter vero pro nova propositione supplicavit Philippus Pandi, qui in concursu cum Francisco Monti ab alumnatu in seminario assequendo repulsus a capitulo Metropolitano fuit. Hinc praeter momenta rationum in anteacta propositione enucleata, novum protulit documentum, attestationem scilicet viri oeconomicae rei seminarii tuendae deputati, ex qua constantem fuisse deprehenditur consuetudinem non prorogandi terminum post quadriennium gratuitae commorationis in seminario ex testamentaria dispositione Josephi Campanelli pro illis adolescentibus, qui hujusmodi beneficio usi semel fuerint.

Dilata, audito capitulo super noviter deductis.

Die 25. Januarii 1862.

Novas proinde capitulum deductiones transmisit, quibus diffusa oratione jus usum vehementer protueri studet, pluribus deductis argumentis, quorum summa in ea recidit, quae in primae propositionis folio breviter recensui. Praestat eapropter, ad rem praesentem quod pertinet, illarum dumtaxat animadversionum rationem habere, quas super memorata oeconomi attestatione capitulum exponit, quam ob rem de sua sententia iterum rogatum fuit.

Tria in attestatione contineri perpendit capitulum; primo scilicet numquam confirmatos seu denuo electos fuisse eosdem alumnos, qui quadriennium expleverant, a parochis, qui hujusmodi jus exercuerunt usque ad annum 1807. Secundo haberi imo exemplum alumnorum Josephi Brunetti et Joannis An-

tonii Panurghi, anno 1760, qui absoluto quadriennio, in seminario quidem manserunt, sed solvere debuere pensionem pro Recta quam nuncupant, et ex gratia dumtaxat Archiepiscopi a solutione utensilium fuere soluti, ac interim alios duos alumnos eorum loco parochi suffecerunt. Tertio demum, utrumque alumnatum nonnullis annis vacavisse.

Atqui nihil exinde ad infirmandum jus nominationem prorogandi erui contendit capitulum. Praetermisso enim hujusmodi notitias haustas ab oeconomo fuisse ex libris ac regestis informibus, de quorum authenticitate dubitare fas esset; plane ex parochorum abstentione, quae factum negativum constituit, praesumptio effici nequit de contraria mente testatoris, aut argumentum sumi de non jure electorum, juxta ea quae docet Menoch. de praesumpt. lib. 1. quaest. 23. num. 1. ea scilicet ratione „quia actus negativus nihil refert.“

Eo vel magis quia ex aliis potius causis, quam ex defectu juris, abstentionis hujusmodi ratio repeti queat; scilicet, quia parochi electores impensiori aliquando prosequerentur studio adolescentes nominandos prae nomina is ob majus quo illi fortasse pollerent meritum bonorum morum et habilitatis, ac praecipue in causam majoris paupertatis, cujus potissimum rationem habendam diserte praescripsit testator. Quod si nihilominus censendum sit a confirmandis nominationibus abstinuisse parochos, quia id sibi impermissum reputaverint, profecto erronea illorum opinio pro lege habenda non erit, quae eorum in jure nominandi successores obliget, neque contrariam menti testatoris interpretationem invehere poterit.

Exempla secundo loco quae adducuntur quoad alumnos Brunetti et Panurghi (unica quidem ab anno 1752 ad annum 1807) in contradictorum retorqueri perpendit capitulum; ex quo nimirum ideo illos parochi non confirmarunt, quia extremum paupertatis vel numquam antea, vel certe eo temporis, in iis non comprobaretur, ita ut pensioni pro Recta solvendae pares fuerint. Aequum igitur ac legi fundationis consentaneum erat, ut, iisdem posthabitis, pauperiorum adolescentium nova perficeretur electio.

Nil mirum denique alterum, aut utrumque alumnatum aliquando vacuum fuisse, quod scilicet contingere potuit, vel quia habiles in parvo Rapaneani oppido adolescentes non adessent, vel quia electi nominationi renuntiaverint, ceu evenit annis 1819 et 1833, vel quia demum hi licet in seminarium admissi, ob non probatam vitae rationem ejecti inde fuerint.

E contra recentiorem quidem sed diuturnam observantiam opponit capitulum; cum constet ab anno 1807, (quo anno in parochorum jus capitulum ipsum successit) usque in praesens ter alumnos post quadriennium absolutum confirmatos fuisse, quin ulla sive ab Archiepiscopis, sive a seminario, sive a communitate Repaneani excitaretur querela; quod quidem argumento est agendi rationem capituli haud contrariam legi fundationis fuisse recognitam, sed ei potius consentaneam, adeoque non prorsus ab omnibus non probandam.

Ad contradictorem vero Pandium quod attinet, recolit capitulum, hunc cum adolescente Monti nullo pacto esse comparandum, sive requisitum originis, sive paupertatis extremum, sive etiam experimentum bonae indolis, ingenii, profectusque in studiis, quod Montius jam prae se tulit, spectetur. Nam familia Monti originaria est Rapaneani, parens vero Pandii extraneus est, et domicilium tantummodo Rapaneani retinet, ideoque ille profecto utpote civis originarius praeferendus venit ex mente testatoris, qui adolescentes di Rapagnano vocavit. Item pauperiorem esse constat Montium, cujus familia nihil habet in bonis; secus familia Pandi. In dubio demum secundum jam

electum et confirmatum judicandum esse concludit capitulum, quia electi exclusio res plena odii est magis quam eligendi non admissio.

Ex parte Oratoris Pandi nihil ulterius deductum est. Benigne itaque reassumptis praeteritis foliis, decernent EE. VV. quid consilii capiendum putent.

In decretis sub die 22. Decembris 1860.

251. Firmana Indulti.

Die 24. Augusti 1850.

Sacrum patrimonium instituit Petrus canonicus Bassi, ad cujus assecutionem vocavit primum clericos trilustres duarum familiarum de Monte Urano in Firmana archidioecesi; iisque deficientibus substituit clericos trium parochiarum. Anno 1847 volvente Nicolaus Rastelli preces porrexit favore nepotis sui Joannis Baptistae Rastelli, novennis pueri, ab una ex familiis primo loco a fundatore vocatis descendentis, ut super aetate 15 annorum dispensaretur, quam pius institutor in clerico nominando praescripsit et opponente licet executore testamentario voti compos effectus est per resolutionem S. hujus Congregationis die 5. Junii 1847, adjecta tamen hac expressa conditione: „dummodo Joannes Baptista Rastelli seminarium ingrediatur, ibique maneat usque ad annum 21. inclusive, quam assecutus clericus nominatus ex patula fundatoris voluntate s. subdiaconatus ordinem sub poena caducitatis suscipere tenebatur.

Anno circiter elapso post praefatam resolutionem, cum indultarius adjectam conditionem ingrediendi seminarium nondum implevisset, adstitit supplex Vincentius Scoccia ex castro et parochia Porchiari, quae primum substitutionis gradum a pio institutore consecuta est, ut proprius filius Joannes clericus trilustris ad sacrum patrimonium admitteretur. Precibus hujusmodi plenissime favebat executor testamentarius, utpote qui in clerico Joanne omnes reperiit qualitates a fundatore requisitas; adversabatur autem totis viribus indultarius, pontificia dispensatione confisus, propriamque paupertatem causatus, quae ab ingressu seminarii prohibebatur; vestes enim parare, aliasque necessarias expensas sustinere nequibat, erogatis in pensionem, quam exigit seminarium, scutatis 30, quae ex pio relicto pii sacerdotis Bassi quotannis percipiuntur. Stetit etiam pro Oratore Scoccia Eminentissimus Archiepiscopus de sua sententia rogatus non solum quia indultarius conditionem adjectam nondum fuerat exsecutus, sed etiam addidit: „Quin imo J. B. Rastelli, cui rescriptum EE. VV. favebat, studiis hoc biennio penitus valedixit adeo ut, cum in decimo secundo aetatis anno jam sit constitutus, scribere et legere nondum didicerit.“

Hoc accepto responso, aequum profecto judicavi sub die 26. Novembris superioris anni monere Eminentissimum Archiepiscopum, ut antequam beneficii indulto spoliaretur Rastellius, eidem terminum praefigeret ad implendam conditionem ingrediendi seminarium, quo inutiliter elapso S. Congregationem redderet instructam; quod novissime sub die 3. praeteriti mensis Julii perficiebat vir Eminentissimus hisce verbis: „Joanni Baptistae Rastelli terminum constitui duorum mensium ad implendam conditionem ingrediendi seminarium ad formam resolutionis S. Congregationis diei 5. Junii 1847. Jamdiu terminus ille elapsus est, nec tamen Rastelli antedictus conditionem implevit. Nihil igitur amplius impedire videtur quominus, quas remitto, preces Vincentii Scoccia benigne excipiantur.“

Totius controversiae cardo in eo vertitur, utrum clausula: dummodo seminarium ingrediatur, eam habeat vim, ut illius inadimplementum gratiae nullitatem secum ferat, an potius adigendus sit indultarius ad actum injunctum perficiendum; seu, quod idem est, an gratiam illico resolvat, vel tantum suspendat usque ad ejus exsecutionem; et strictim in sensu juris laquendo num conditionem vel modum importet.

Clausula seu dictio „dummodo“ ex propria sui natura denotat modum, non autem conditionem, Barbosa de dictione „dummodo“ in ordine 96 num. 2. Mandosius in reg. cancell. reg. 17. qu. 2. n. 2, quos frequens sequitur doctorum manus; ita ut non impleto modo minime resolvatur dispositio vel revocetur concessio, sed agi debeat ad ejus observantiam. Plures tamen casus occurrunt, in quibus dictio praefata veram conditionem importat, ceu notat idem Barbosa loc. cit. anum. 3, ac praesertim quando actui imperfecto, et facto per tertium explicando, ut adamussim in casu contingit; ingressus enim in seminarium per indultarium erat praestandus.

Quidquid autem sit, sive enim clausula praedicta modum vel conditionem inducat, certum est, illa esse adimplenda, quibus ea dictio conjungitur, alias actus corruit, et effectum gratia non consequitur, ut monet Barbosa loc. cit. num. 8. Haec etenim clausula restringit et modificat praecedentia, et coarctat dispositionem secundum qualitates appositas, cum sit sui natura restrictiva et qualificativa praecedentis dispositionis seu concessionis, idem Barbosa l. c. num. 9.

Ex quibus profecto sequeretur, ut J. B. Rastelli concessionis effectu foret privandus, quia rescripta gratiae regulantur a voluntate concedentis. Sacra enim Congregatio alligavit indultum appositae conditioni; quae licet trium annorum spatium sit evolutum a die concessionis, adhuc inadimpleta remansit. Eoque magis revocandum indultum videretur, quia terminus fuit Rastellio formiter ab Eminentissimo Archiepiscopo praefinitus ad injunctam conditionem adimplendam, et licet plures ab eodem sint menses decursi, hactenus omnino caruit effectu. Est nihilominus advertendum, indultarii culpae haud esse penitus tribuendum conditionis inadimplementum, quia cum pauper sit et filius coloni, qui vitae sustentationem sibi familiaeque quaerit in alienis agris excolendis, mediis profecto destituitur, quibus vestes sibi comparet, et alias necessarias seminarii expensas sustineat; 30 enim scutata, quae annuatim titulo sacri patrimonii ex pia institutione percipiuntur, integra seminario titulo pensionis, vulgo „dozzima“ pensitantur. Hinc aliquam meretur fortasse aequitatis rationem Rastellius, praesertim cum ad familiam pertineat nominatim a fundatore vocatam, et gravi laborantem paupertate, et conditio ingrediendi seminarium minime fuerit a pio institutore praescripta.

Sapientissime autem injuncta fuit ab H. S. O. memorata conditio, ut indultarius capax fieret ad suscipiendum subdiaconatus ordinem juxta fundatoris voluntatem, ubi ad legitimam pervenisset aetatem; quod eventus ipse confirmavit, cum intra biennium nihil didicerit imo studiis valedixerit. Unde praefatam conditionem servandam esse censerem, subveniendo paupertati Joannis Baptistae, ad necessarias expensas sustinendas ope suspensionis missarum, in quarum celebrationem decem vel duodecim, quot supersunt, scutata ex praescripto testatoris eroganda ad propriae animae expiationem, et alium brevem terminum ad conditionis implementum praefigendo; nisi magis placeat Rastellium beneficio concessionis exspoliari et fieri locum Oratori substituto, vel uti cum executore testamentario Eminentissimus Archiepiscopus opinatur.

Esse locum collationi patrimonii sacri favore clerici Joannis Scoccia.

252. Mandelen.. — Alumnatus seminarii.

Die 1. Junii 1861.

Binos ex oneroso titulo recipere gratis tenebatur alumnos singulis annis in perpetuum Malleanense seminarium in Sabinis, alterum videlicet ex castro Roccantica, alterum ex oppido Canemorto. Cum postrema facta est Sabinensis dioecesis dismembratio per literas apostolicas sa. me. Gregorii XVI. incipientes: „Studium quo impense afficimur“ datas die 6. Decembris anni 1841, onus utriusque hujus alumnatus seminario novae dioecesis Mandelensis impositum fuit perpetuoque constitutum. Ita se habent verba literarum: „Cum praeterea in mora institutoque positum comperiatur, ut abbas Farfensis sex et viginti nominaret ex suo territorio adolescentes in ipso seminario pro media, ut ajunt, gratia recipiendos, alendos atque docendos; cumque seminarium Malleanense teneatur unum adolescentem ex oppido Roccantica et alterum ex oppido Canemorto gratis omnino perpetuo recipere; illud ab ejusmodi onere absolvimus atque liberamus in compensationem earum praestationum seu taxarum, quas percipere consueverat ex oppidis a Sabinensi dioecesi superius sejunctis et in Mandelensem dioecesim adsignatis, servatis tamen eidem seminario Malleanensi ceteris redditibus ac bonis omnibus quibus antea potiebatur fruebaturque; jus autem ejusmodi, quod praedictis oppidis Canemorto et Roccantica pertinebat, deferimus, et perpetuum in modum ita constituimus, ut unus pariter adolescens ex oppido Roccantica et alter ex oppido Canemorto gratis et jugiter in posterum recipiatur alaturque in seminario Mandelensi: hanc vero ob causam volumus, ut quae supra memoratae sunt viginti sex mediae gratiae, queis tenebatur idem seminarium Farfense mox Mandelense, reducantur dumtaxat ad viginti et duas, et ab Episcopo pro tempore Mandelensi eo quidem modo et ratione, quae servabatur ab abbate Farfensi, semper et quandocumque conferantur.“

Post perfectam dismembrationem alumnus ex oppido Canemorto, cujus nominatio spectat ad ejusdem oppidi municipes, ad haec usque tempora receptus est in seminario Mandelensi, et duobus abhinc annis nominatus et receptus fuit Hercules Taschetti. Quia vero Mandelensis Episcopus ob praesentium temporum injuriam ineunte praesenti anno scholastico seminarium suum haud patere permisit, receptis ibidem nonnullis tantummodo qui majoribus vacant scientiarum studiis, ut affirmat Herculis pater, hic institit coram Episcopo, ut vel filium suum, licet minoribus studiis incumbentem, gratis ut antea reciperet, vel indemnitatis ergo juberet ut ab administratione seminarii eidem rependerentur annua scutata quinquaginta, quanti computatur alumnorum pensio tum Mandelae tum Malleani, quo consulere posset aliunde studiis et ecclesiasticae filii sui praefati educationi.

Cessis at vero in irritum precibus et officiis iteratis, ad hunc S. Ordinem confugit Joseph Herculis pater expostulans, ut EE. VV. auctoritate seminarii administrator compellatur eidem rependere annua scutata quinquaginta quae in educationem ecclesiasticam filii sui impendantur in alio seminario sine Oratoris impensis maxime cum gratuitus alumnatus oppidi Canemorto debeatur ex titulo oneroso a seminario Malleani, a quo Pontificis auctoritate per bullam enunciatam onus in seminarium Mandelense translatum est, addens se, ne filii educatio et studia paterentur detrimentum, illum jam in seminarium Vaticanum in Urbe collocasse ob repetitas Mandelensis Episcopi recusationes.

Hac super re cum Episcopum de more rogassem, superius ille narrata confirmat seminarii Mandelensis onus agnoscens: „Quum vero“ ita subdit

„ob hujus temporis iniquitatem omnino datum non fuerit alumnos in seminario iterum recipere, ita nec filius Oratoris admitti potuit; neque justum esse mihi videtur ut ex hac peculiari causa, quae a seminario minime certe dependit, ipsum cogi possit ad aliquam summam persolvendam ut filius Oratoris alibi studiorum curriculum prosequatur, quum neque alii alumni qui vel simili vel alia gratia in eodem seminario fruebantur excipi potuerint. . . . . Addendum insuper est quod Mandelense seminarium ad praesens alieno aere pergravatur, et leges Sabaudiae, decimarum jus supprimendo, ad extremam propemodum paupertatem illud redegerunt, eo quod dictae decimae praecipuum pii loci annuum patrimonium efformabant, iisque deficientibus aliorum alumnorum favore onera sustinere impar omnino sit.“

Oratoris animadversiones autem ejusmodi sunt: Alumnatum videlicet a seminario Malleanensi fuisse susceptum in correspectivitatem praestationum et fundorum, quos municipes Canis-mortui tradiderunt alumni nominatione reservata; onus ejusmodi iisdem legibus et conditionibus in seminarium Mandelense pertransiisse; ita ut nequeat omnino onus declinari, nec tolli possit jus adolescenti quaesitum donec bona seminarii subsistant, maxime cum seminarium Mandelense a Malleanensi seminario tum cessionem habuerit taxarum et praestationum, de quibus est mentio in apostolicis literis, et quarum exactio, ceu fatetur Episcopus, perdurat in praesens, tum reductionem mediarum gratiarum ad duas supra viginti, cum antea viginti sex sustinere debuerit, remissis scilicet quatuor dimidiatis, quae duabus integris gratiis aequivalent, quot nimirum respondent binis alumnis alendis ex oppidis Roccantica et Canemorto; adeo ut duplici modo et titulo compensationem habuerit praefatum seminarium ad binos gratis alendos in perpetuum alumnos praedictos.

Cum igitur ex titulo oneroso debeatur alumnatus Canis mortui, nunquam licere subdit nec Episcopo nec seminario alumnum nominatum privare jure aequisito, et proinde, si seminarium quibusvis de causis claudatur, aequum esse ut aequivalenti non fraudetur emolumento, scutatorum videlicet quinquaginta in singulos annos, quanti aestimatur singulorum alumnorum taxa seu pensio rependenda in utroque praefato seminario: qua de re non prodesse exceptionem allatam ab aliorum silentio depromptam, tum quia ex titulo lucrativo gratiarum jure potiuntur, tum etiam quia aliorum taciturnitas aut remissio nocere nequit justo et legitimo juri petendi, quo perfruitur ex peculiari causa alumnus Canis mortui, praesertim cum non modo fraudaretur emolumento, sed praejudicium positivum in casu pati deberet, ex pensione in alio seminario persolvenda, ne gravem patiatur sive in studiorum intercepto curriculo sive in ecclesiastica educatione jacturam: neque demum suffragari redituum partialem imminutionem ex decimarum abolitione, sive quod alumnatus correspectivum in decimis non est constitutum, sive etiam quod onus non est assumptum ex actu ultimae voluntatis, nec reditus ad hoc taxative sed demonstrative sunt designati.

Ea namque regula est generatim constituta, ceu ipse prosequitur, et invecta passimque recepta distinctio, ut si onus quis assumpsit ex actu ultimae voluntatis, tunc locus esse possit oneris reductioni, si reditus assignati depereant vel imminuantur, integre e contra onus implere teneatur si per contractum, conventionem, aut alium quamlibet inter vivos dispositionem sit assumptum aut impositum, ut post Rotae sententiam passim haec S. Congregatio judicavit. Cujus rei exstant exempla, ceteris omissis, in Camerinen. seu Fabrianen. legati 16. Decembr. 1769. §. Cum oneri, in Calceaten.

reductionis 16. Junii 1770. §§. Cum impar et Sin vero et in Asculana reduct. 18. Septembris 1773. §. Quando agitur.

Altera pariter perpetuo distinctio servatur, ut videlicet oneris reductioni fiat locus, si reditus aut quantitas sit taxative ad oneris implementum designata: contra vero si tantum demonstrative; hoc enim casu nunquam onus tollitur aut minuitur, etsi reditus depereant aut minuantur, sed gravatus de proprio supplere tenetur, uti firmatur in praedicta Camerinen. 16. Decembris 1769. §. Sin vero, in Nullius seu Farfen. canonicatus 14. Maji 1768. §§. Tota ideo et Vel in obligationem, in cit. Calceaten. 16. Junii 1770. §§. Sin vero et Communiter, in Albanen. capellaniae 12. Martii 1774. §. Imminutis et in Interamnen. 17. Augusti 1776. §§. Regula est et Hujus distinctionis effectus, alibique passim. Rejecta vero distinctione, concludit Taschettius, quidquid sit de seminario Mandelensi, cui demonstrative tantum factam ait assignationem in oneris impositione, illud extra controversiam esse, quod nimirum fundi et reditus a municipibus Canis mortui seminario Malleanensi quondam assignati in sua integritate perstent et longe excedant quantitatem alumnatui sustinendo sufficientem: exindeque ex regula juris in qualibet hypothesi iniqua conditio non debet alteri per alterum inferri.

Videant igitur Eminentissimi Patres, utrum hucusque deducta per Oratorem infirmari valeant aut saltem attenuari ex iis quae opponit Episcopus in sua relatione, habito etiam prae oculis apostolicarum dismembrationis literarum tenore.

Dilata et moneantur partes, ut, quatenus velint, deducant ulteriora jura sua coram S. Congregatione.

Die 7. Decembris 1861.

Exitus ille fuit ut, dilata resolutione, mandarent EE. VV. ut coadjuventur probationes super quantitate annuae pensionis solvi solitae ab alumnis in seminario Mandelensi, et super actuali reditu jurium et bonorum in correspectivitatem oneris, de quo agitur, datorum.

Injuncto oneri ut satisfaceret Joseph Taschetti, duo exhibuit testimonia; alterum videlicet rev. Josephi Luciani, qui administrationem per novem annos gessit seminarii Mandelensis, eoque comprobatur annuam pensionem ab alumnis in eo seminario solvi solitam ad regularum praescriptum, esse scutatorum quinquaginta, et aliorum duodecim scutatorum pro convictu in feriis autumnalibus. Qua super annuae pensionis quantitate nullam objecit ipsemet Episcopus exceptionem, cum ipsi patefactae sunt preces recurrentis, in quibus de hac quantitate mentio erat expressa.

Alterum autem testimonium conscripsit hodiernus oeconomus seminarii Malleanensis, qui testatur communitatem Canis mortui ab aevo exercuisse jus nominandi alumnum in praefato seminario gratis alendum, licet bona et jura ob id assignata in specie non agnoscantur, quia probabiliter cum aliis bonis sunt commixta. Addit vero quod, cum ineunte hoc saeculo praefatae communitatis homines solvere detrectarent decimas, quas jampridem illud seminarium in agro Canis mortui solebat exigere, inita est transactio inter seminarium ipsum ab Eminentissimo Episcopo repraesentatum et praefatam communitatem, solemni instrumento die 13. Maji 1802 confirmata, qua conventum fuit decimas exinde ut antea in perpetuum solutum iri, et vicissim alumnum a communitate nominandum fore perpetuo in praefato seminario recipiendum et alendum: harum vero decimarum, in quarum exactione pacifice versatur seminarium, proventus vigintiquinque circiter frumenti rubra

quotannis computari solere, prout ex statibus et monumentis in archivio seminarii asservatis erumpit: onus autem hujus alumnatus tulisse subdit Malleanense seminarium, usquedum anno 1841 in dismembratione dioecesis fuit ab eo solutum, cum per correspectivi eo temporis assignationem fuerit illud onus in seminarium Mandelense translatum. Quod ultro fatetur Mandelensis episcopus. Ait enim: „Neque seminarium Malleanense teneri videtur aliquid praestare Oratoris filio, nam seminarium illud vi praedictarum apostolicarum literarum omni onere in hac parte exoneratum decernitur.“

Hisce positis confidit Taschettius sese undequaque comprobasse proprium jus petendi tantumdem pensionis scutatorum quinquaginta proprio filio Herculi a seminario Mandelensi rependendae quousque jure nominationis Hercules praefatus perfruetur. Alias enim merito contingere posset decimarum solutionem denegari maximo cum detrimento seminarii Malleanensis, quod sane jam loci communitas, ceu fertur, comminata est.

Haec cum iis, quae in comitiis diei 1. Junii hujus anni latius sunt deducta, facilem sternent viam EE. VV. prudentiae, ut dispiciant quid in casu proposito sit resolvendum.

Proposita causa in folio congregationis diei 10. Maji 1862 ad dubium: *An et quo modo annuendum sit Oratoris Taschetti precibus in casu?* responsum est: *Negative.*

III. De fundationibus subsidiorum dotalium.

1. Quibus competant subsidia.

253. Lycien. — Subsidiorum dotalium.

Die 7. Augusti 1847.

In pago vulgo Lequile Lyciensis dioecesis duo instituta sunt pia subsidiorum dotalium legata, quorum primum in annuis ducatis 40 pro dote duabus orphanis constituenda relictum fuit anno 1746 a quodam Nicolao Cascione, a quo praeter cetera in orphanis requisita expresse injunctum fuit: „Istae orphanae debent esse pauperes, quae nihil in suis facultatibus habeant“; alterum huic prorsus conforme in annuis ducatis 25 pro orphanis puellis „loci Lequile, quae sint magis pauperes et matrimonio proximiores“ reliquit Paulus Totaro in supremis tabulis, quibus anno 1778 labente decessit. Ab illa aetate usque ad haec tempora constanter observatum est, ut puella, cui in unius legati dispensatione sors contigit, ab alterius sortitione nunquam fuerit rejecta.

At paucis abhinc annis in quosdam incessit dubium, utrum, quae unum fuerit sortita subsidium, ad alterum debeat admitti, ex quo amplius nequeat pauperis nomine nuncupari. Quare supplicem dedit huic S. Ordini libellum illius loci capitulum, quo propositi dubii solutionem expostulat.

Factorum historiam confirmat Episcopus, qui insuper addit, fuisse jam quaestionem per suum vicarium generalem definitam eo sensu, ut puellae ad subsidium vocatae ad utrumque debeant admitti: quia tamen dissidium ex hac dubitatione in clero excitatum non erat adhuc consopitum, ideo collatis inter se consiliis, Apostolicae Sedis oraculum exquirere capitulum et clerum unanimiter decrevisse commemorat; hinc in sententiam sui vicarii generalis descendit, hac addita ratione: „Cum observem generatim invaluisse, ut puellae cunctarum gentium ad legata cuncta, quae exstant, etiamsi haud mediocria, jus habeant, et possint duabus aut tribus quoque legatis potiri.“

Exploratissimum in jure est, nulla sive civili sive canonica lege vetari, ut aliquis ad plurium legatorum fruitionem possit admitti. In facto autem

certum pariter est, utriusque subsidii assecutionem non fuisse a fundatoribus prohibitam. Hinc cum neque a jure neque ab homine vetitus sit concursus ad aliud subsidium dotale, postquam alterum fuerit aliqua ex puellis assecuta, quaelibet videtur evanescere dubitatio.

Neque dici posset, quod puella unum subsidium assecuta inter pauperes a fundatore vocatas amplius nequeat recenseri. Adeo enim est tenue unumquodque ex legatis, ut per illius assecutionem cessare non videatur orphanae paupertas, sicuti innuitur in Firmana Canonicatus 18. Septembris 1841 §. Jam vero.

Aliqua tamen difficultas oriri posset pro iis puellis, quae post assecutionem subsidii a Totaro relicti, optare vellent legatum Cascione, cum h c eas vocaverit puellas, quae nihil in suis facultatibus habeant.“

At si dispositionis spiritus attendatur, eas fortasse per illa verba excipit testator, quae reapse aliquid de proprio possident sive haereditario sive alio acquisitionis titulo, quod absoluta eas relevet paupertate, minime vero illas, quae tenui aliquo subsidio charitativo donatae strictae paupertatis fines, ut contingeret in casu, non sunt praetergressae.

In quolibet tamen dubio affirmativa debet, ut opinor, praevalere sententia, quia longissimi temporis vel potius immemorabili consuetudine roboratur, ipsi fundationi coaeva, qua nullus melior titulus potest afferri, ut annotatur in Signina Missarum 1. Febr. 1840. §. Ex adverso; et ab illa nunquam absque gravissima causa debet recedi. Haec autem juris dispositio si in omnibus debet attendi, maximam exserit vim in casu, in quo agitur de non tollendo puellis orphanis jure, quod per enunciatam longissimi temporis observantiam est ipsis quaesitum.

Esse servandam consuetudinem juxta votum Episcopi.

254. Senogallien. — Subsidii dotalis.

Die 31. Julii 1852.

In postremae suae voluntatis tabulis die 27. Maji 1649 reseratis Bernardinus di Pietro universales ex bonis propriis nominavit haeredes binas sodalitates ss. sacramenti ac ss. rosarii castri Piticchi Senogallien. dioecesis, eisque onera varia imposuit adimplenda, ea adjecta lege, ut ex reditibus superexstantibus, quoties summam scutator. 50 attingerent, moderatores eorumdem sodalitiorum deberent „monacare vel in matrimonium collocare unam puellam orituram dicti castri (Piticchio) aut pertinentiis suis.“

Dubitari jamdudum contigit super hujusmodi verborum intellectu: num nimirum testator quamcumque puellam vocaverit orituram in dicto castro ac territorio, aut potius eas quae derivarent a familiis loci originariis ibidem fixum habentibus domicilium: num insuper qualitas tantum originis attendenda foret in puella, quamvis inde alibi migraverit Ut itaque quaevis anxietas arceatur supplex utrumque sodalitium postulat, ut ad certam regulam in dotium collatione quoad futurum servandam. quinam sit legitimus fundationis verborum sensus, aperiatur.

Eminentissimus Senogalliensium Episcopus sententiam rogatus ait „pium testatorem disserendo hisce verbis“ puellam orituram dicti castri, aut pertinentiis suis „eas revera puellas vocavisse ad subsidium dotis, quibus ultra nativitatem, originalis etiam qualitas ex dicto castro et pertinentiis suis faveret, saltem jure praecedentis domicilii parentum acquisita, quin simplex factum nativitatis admiserit. Ex qua interpretatione descenderet, illas excludendas esse, quibus non aliud quam fortuitae nativitatis eventus suffragatur, eas vero (cujuslibet conditionis) admittendas quae indigenae sunt et oriundae sive ex

nativitate etiam parentum in eodem loco, jure domicilii perdurante, sive ex domicilio a parentibus ante nativitatem earumdem puellarum acquisito."

Sententiae Eminentissimi Episcopi plerique sane doctores suffragari videntur, qui docent, ad hoc ut quis dicatur civis naturalis et originarius alicujus loci, requiri praeter nativitatem in loco, quod etiam pater ibi habeat domicilium constitutum, nec sufficere esse peregrinum, aut casu ibidem inveniri, Sanchez de matrim. lib. 3. disput. 23. num. 3, Barbosa de offic. et potest. Episc. par. 2. alleg. 4. nom. 7. citans Rotam decis. 327, num. 3. par. 1. diversor. et doctores in cap. Rodulphus 35. de rescript. per text. in leg. Filios 3. Cod. de municip. et originar. Nec omittenda sententia Luc. Ferrar. bibliot. ver. Civitas num. 101, qui propius ad rem praesentem haec habet: „Si legatum ver. gr. relictum sit pro puellis originariis alicujus loci, debetur illis quae ibidem natae sunt, non casu aut per transitum, sed quando pater domicilium ibi habuit, aut est locus ubi pater natus est, aut de jure communi, ubi avus natus fuit, et neptes natae in ejus potestate;" cui concordat Amostazo de caus. piis lib. 4. cap. 7. num. 11. Nec solido caret sententia fundamento, quippe praesumitur revera testatorem illas praedilexisse puellas, quibuscum patriae vinculo conjunctus erat: quae sane ratio exsulare videtur quoad eas, quae fortuito ibi natae reperiuntur.

Non desunt tamen contrariae sententiae assertores, qui retinent civem naturalem et originarium alicujus loci illum quoque esse, qui natus est etiam per transitum in loco, quamvis parentes alibi orti sint, nec domicilium, bona, nec animum ibi habitandi habeant. Unde volunt ex sola nativitate originem pendere. Sic Felin. in cap. Rodulphus 35. de rescript. num. 14, Cravet. vol. 3. consil. 441. num. 3. Ricc. in prax. for. decis. 298. num. 2, Gratian. discept. forens. cap. 75. n. 1

Quamnam ex hisce probaverit in praxi opinionem S. hic Ordo colligi posset ex Firmana Subsid. dotal. 12. Maji 1759, ubi agebatur de dotibus puellis pauperibus nativae oppidi Murrivallium distribuendis, et quaerebatur: „I. An ad subsidia dotalia admittendae sint puellae ortae in oppido Murrivallium ex advenis parentibus in casu. II. An illae sint admittendae, licet deinde alio transferantur in casu. III. An illae sint admittendae quae in oppido nascuntur, et fixum tenent domicilium, quamvis ratione paternae seu maternae originis credantur extraneae in casu" et responsum datum est: „Ad I. II. et III. Affirmative".

Affirmative juxta votum Episcopi.

255. Quastallen. — Subsidiorum dotalium.

Die 18. Decembris 1858.

Jacobus Pecorelli ultimis quibus decessit tabulis anno 1675 inter alia pia legata, quinque subsidia dotalia reliquit totidem tradenda puellis pauperibus sive in Domino sive in saeculo nupturis, a capitulo cathedralis Quastallen. quolibet anno per secreta suffragia nominandis, et eligendis inter illas, quae forent „honestae vitae et bonae famae, natae ex vero et legitimo matrimonio, et nunquam aliter;" statuens praeterea, ut inter puellas concurrentes tres eligerentur „quae sint natae et educatae intra urbem Quastallae, et aliae duae quae sint natae et educatae intra districtum et confines parochiae S. Rochi. . . .

Cum mense Augusto p. p. ad electionem puellarum dotandarum deveniret capitulum, accidit ut inter puellas postulantes altera inveniretur, quam natam constabat ex parentibus matrimonio, ad quod habiles erant, nondum

conjunctis, quod tamen non multo post inter eos fuit celebratum; qui insuper anno post filiam natam secundo, Quastallense domicilium deserentes, alio ac perpetuo sese transtulerant. Dubitarunt proinde capitulares, an ex duplici hoc titulo ab assecutione dotalis subsidii excludi deberet puella haec, quae ob alia ceteroquin requisita reliquis praestabat puellis. Alii siquidem ei obstare perpendebant legitimorum natalium defectum, ac praesertim clausulam et nunquam aliter quae consequitur immediate verba natae et educatae ex vero et legitimo matrimonio, tum defectum educationis in loco a testatore designato, quo quidem in sensu interpretandam ejus mentem asserebant ex verbis nata et educata etc. Alii vero eidem favebant, reputantes, legitimatos per subsequens matrimonium, non secus ac legitimos habendos esse, velut nempe si ex legitimo matrimonio geniti forent. Verbum autem „educatae“ materialiter sumi oportere, quod in infante etiam bimo comprobatur. Rei itaque definitione secretis commissa suffragiis, major pars pro puellae admissione convenit.

Nihilominus ut tutior pro futuro tempore norma praesto sit, supplices capitulares S. Congregationis sententiam postulant super sequentibus quae proponunt dubiis. 1. An etiam ad obtinendam dotem Pecorelli habendae sint ut natae ex vero et legitimo matrimonio puellae, quae per subsequens matrimonium legitimatae fuerunt. 2. An et a quo tempore infantiae ad illum effectum dici possit „educata?“

Exploratum est, tam in foro ecclesiastico quoad ordines, beneficia, et dignitates, quam in foro civili quoad haereditates, jura, et statum familiae, prolem per subsequens matrimonium legitimatam, jure retractus tamquam legitimam censeri, Engel. jus can. lib. 4. tit. 17. num. 15 Schmalzgr. tit. 17. §. 11. num. 49. 82. 84. Quamobrem eodem jure habendi sive legitimi sive legitimati etiam in hominis dispositionibus, nisi de contraria voluntate ex rei adjunctis constiterit; quod etiam innocentis prolis favor exigere videtur.

Ad alterum quod pertinet quaestionis caput, ubi verbum „educatae“ quoad puellas materialiter sumatur, profecto id recte conveniet unius etiam anni infantibus; sin vero de morali quoque institutione intelligendum sit, id non infra saltem infantilem aetatem cohibendum erit.

Admittendas esse ad subsidia dotalia puellas etiam per subsequens matrimonium legitimatas, et quae usque ad septimum saltem aetatis annum commoratae fuerint in locis a testatore designatis.

2. Causae gratiosae subsidiorum dotalium.

256. Romana. — Subsidiorum dotalium.

Die 2. Augusti 1856.

Ex legato Pauli Paganini triginta millium scutatorum summam accepit anno 1624 in tot locis montis pietatis archiconfraternitas sanctissimae Annuntiatae de Urbe in causam dotium erogandam puellis in saeculo vel in Domino nupturis, tributo a testatore Paganinio et per concordiam deinde confirmato jure nominandi puellas, seu conferendi dotes pro medietate fructuum propriae nepti Magdalenae matrimonio junctae cum Theodosio de Rubeis (illo eodem qui decisionum S. Rotae recentiorum thesaurum nobis et additionibus eruditissimis illustravit), eorumque filii haeredes et successoris masculini et feminini sexus in infinitum.

Permagnum ex hoc legato subsidium ab ipsa institutione persensere descendentes feminae a praefata Magdalena. Plures enim a Clemente IX, X et XI, Innocentio XIII aliisque Romanis Pontificibus impetrarunt dotium

cumulum, ad summam quandoque scutorum trium et quatuor millium, licet dos quaelibet ab institutore in summa scutatorum centum esset assignata. Nec solum dotium cumulos, sed praestationes etiam itentidem super legati viribus obtinuere descendentes titulo alimentorum, et quandoque cumulum una simul et alimenta.

Ante annum 1748 incertum videtur esse, utrum cumuli et praestationes ejusmodi tributae fuerint super una medietate dotium descendentium collationi reservata, aut etiam super altera medietate, cujus collationem ipsi archiconfraternitati Paganinius reservavit. Acris at vero cum fuerit excitata super hoc cortroversia inter societatis deputatos et neptes Philippi de Rubeis, tam pro supplementario cumulo dotium, ut congruas acciperent puellae descendentes, quam pro alimentaria praestatione, medietatem etiam sodalitii nominationi reservatam onerandam aeque esse decrevit S. H. Ordo die 30. Martii ejusdem anni 1748; et in iterata sodalium oppositione confirmavit die 3. insequentis Augusti, assignato pro singulis dotium cumulo in scut. 700, et alimentorum titulo menstrua praestatione scutorum quinque.

Post haec, quoties a descendentibus datae sunt preces ejusmodi, eamdem sodales pararunt oppositionem, ut nimirum gravaretur sola medietas dotium ad haeredum et descendentium de Rubeis nominationem reservata. At S. Congregationem nihili eam fecisse testantur decisiones, Romana Subsidii dotalis 21. Jun. 1788, qua ad petitionem Mariae Verri, a Gertrude de Rubeis in familiam Verri Civisplebensem desponsata descendentis, dos scut. 700 eidem assignata ex totius legati fructibus, qui in sc. annos 700 adamussim computabantur, ut solveretur est resolutum; et alia Romana seu Auximana Subsid. dotal. novissime proposita die 13. Martii 1852, in qua cumulus favore quatuor sororum Stella Auximatum in scut. 500 pro unaquaque est tributus ab eodem S. Ordine super integro legati reditu solvendus, haud obstante sodalium oppositione et contrario voto Eminentissimi Protectoris.

Porrectis autem haec inter precibus ab Aloysia Galgani vidua relicta Dominici Fabiani Civitatis Plebis, qui originem ducebat a praenominata familia Verri, pro cumulo dotium obtinendo favore trium ejus filiarum in summa scut. 700 pro qualibet, eamdem instaurávit exceptionem archisodalitium: at Eminentissimus Protector edoctus recenti S. Ordinis resolutione favore sororum Stella, votum aperuit undequaque propitium. Addebat insuper potiori de causa cumulum expetitum super integro legati proventu, qui nunc ob deperitionem et reductionem locorum montium ad annua scut. 330 cohibetur, in praesentiarum esse concedendum, si concedebatur elapso saeculo, quando primaevi fructus in sua integritate perstabant: aliter enim diu multumque foret indultariis exspectandum ad fruendum gratia concessa, quae probabiliter esset etiam ob temporis lapsum in irritum recasura, et e contra maxime videretur aequum, ut medietas etiam liberae collationis archisodalitii in puellarum dotationem eroganda, praelative tribueretur ab institutore descendentibus. Idque tantummodo vir Eminentissimus animadvertebat, ex causa adamussim reductionis fructuum legati, cumulum expetitum ad scut. 500 pro qualibet Oratoris Fabiani filiarum esse cohibendum, postquam cumuli ceteris e descendentia puellis jam decreti, quorum solutioni plurium annorum spatium erat adhuc necessarium, essent satisfacti, persolvendum. Quibus Eminentissimi Viri animadversionibus ac praecedentibus S. Ordinis resolutionibus supra memoratis permotus Sanctissimus Dominus Noster relatione per me facta in ordinaria audientia diei 36 Septembris 1853 voti compotem fecit Oratricem Fabiani juxta votum Eminentissimi Protectoris, assignata nimirum

ex integro legati reditu summa scut. 500 pro qualibet ex illius filiabus sive in Domino, sive in saeculo nupturis.

In hoc rerum statu novae nuper advenerunt preces Jacobi Verri Civitatis Plebis ex eadem familia per masculos descendens, in quam ingressa est praefata Gertrudis de Rubeis, Oratoris bisava, et ad quam familiam pertinebat memorata Maria Verri, quae cumulum dotium cum alimentaria praestatione, ceu supra notatum est, obtinuit anno 1788 supra integro legati proventu. Hic autem Jacobus probata rite descendentia, et familiaribus angustiis per municipium, parochi, et curiae testimonia ostensis, licet alias nobilis sua familia florenti in conditione versaretur, cumulum dotium et ipse postulat favore duarum, quas habet, filiarum, Helenae ac Veronicae, in summa scut. 500 pro unaquaque: addens insuper et documentis confirmans praedictas suas filias indotatas et forsan innuptas remansuras, si petito carent subsidio, vix congruo ad honestas nuptias habita ratione ad familiae conditionem ineundas; se autem non latere, plures per annos legati reditus esse aliis concessionibus implendis obstrictos, at magno fore filiabus in statu nubili manentibus emolumento, si gratia donarentur expetita, quoniam facili negotio honestas nuptias, habita dotis securitate, conciliare licebit, vel acceptationem et professionem inter sanctimoniales pro varietate vocationis, ceu de puellis Fabiani adamussim evenisse compertum est.

Eminentissimus Protector et deputati sodalitii super precibus auditi, recensitis factis jam concessionibus, ut ostendant undecim annorum spatium esse adhuc necessarium ad cumulos praescriptos plene faciendos, Jacobi precibus favent. At non modo confratres suetam opponunt exceptionem de servanda ab expetito cumulo prorsus immuni medietate redituum, quae est liberae collationis archiconfraternitatis, sed Eminentissimus etiam Protector confratrum votis adhaeret, inquiens: „Non vero putarem ulterius esse gravandum dimidium illud fructuum quos institutor inter Romanas puellas dividi voluit, quae ab anno 1852 hoc beneficio non amplius fruuntur, eoque adhuc undecim aliis annis carebunt; eo vel magis quod archiconfraternitas sit legataria Pauli Paganini, non vero administratrix tantum ejus legati, quemadmodum supplici libello exponitur.“ In hac Eminentissimi Protectoris oppositione, priusquam Sanctissimo Domino Nostro de petitione negotium exponerem, EE. VV. oraculum exquirendum putavi.

Ut vero nonnihil de jure referam utrinque, nihil mihi videtur opportunius, quam iisdem rationum momentis, quae tum anno 1788, tum recenter anno 1852 super identico quaestionis objecto in utramque partem adducta sunt, inhaerere, cum ea praesenti controversiae conveniant adamussim. Ex parte namque societatis adnotabatur praestandam non esse dotem ex proprio subsidiorum semisse, quum consultum sit consanguineis ex altera medietate, Ursaya discept. eccl. 2. num. 86. part. 2. tom. 3. Rota in nuperrim. dec. 31 n. 7. tom. 4. Potissimum quia remoto distant gradu filiae Oratoris a testatore, et ad effectum, de quo agitur, censeri potius debent extraneae, ut S. haec censuit Congr. in Romana Subsidior. dotal. 15. Decemb. 1736 et in Ferrarien. Subsidior. dotal. 11. Jan. 1766 §. Aut vero. Quod si S. H. Ordo indulsit quandoque ultra quartum gradum, id locum habuit concurrente earum vocatione, qua destitutae sunt puellae Verri quoad portionem subsidiorum societatis, ut in Veliterna Subsidiorum dotalium 8. Junii 1771 §. Si vero.

Pro descendentibus autem a Magdalena Paganini de Rubeis haec afferebantur. Legatorum divisio inter Magdalenae descendentes et societatem activum respicit jus conferendi dotes, non item passivum, quum indistincte

vocatae sint puellae pauperes, sive in Domino, sive in saeculo nubentes. Aequum vero videtur, ut puellae quae sunt descendentes a testatore et ejus consanguineae praeferantur extraneis ex praesumpta ejusdem testatoris voluntate, suamque dotem consequantur etiam ex medietate subsidiorum societatis, Mantic. de conject. lib. 8 tit. 5 n. 17, Amostaz. de caus. piis tit. de relictis ad pauper. num. 10 et passim S. Congregatio, et praesertim in Nullius, seu Montis Casini Distribut. subsid. dotal. 24 Sept. 1729 ad 1. dub., in Panormitana Subsid. dotal. 15. Januar. et 20. Aug. 1735, et in Romana seu Sabinen. Subsid. dotal. 27. Mart. 1762, maxime cum vocatae sint ad illa subsidia puellae incertae, de quarum exinde praejudicio quaereretur incassum, Rota cor. Rezzonico dec. 227 n. 2. et 7. Quod sane principium aequitatis eo magis obtinet in praesenti legati conditione, cujus fructus ultra medietatem sunt diminuti, et plures per annos aliarum favore devincti, ita ut in casu contrario vel diu subsidium esset exspectandum, vel gratia pontificia inanis forsan evaderet contra regulam text. in cap. 16 de reg. jur. in 6.

Ceterum, inquit Orator, ex praesumpta testatoris voluntate puellis sanguine junctis et pauperibus congruam esse dotem constituendam pluries resolvit S. H. Ordo, uti monetur in praedicta super hoc eodem legato Romana seu Auximana Subsid. dotal. 13. Mart. 1852 §. Sane puellis; cumulatis in id plurium etiam annorum subsidiis, cujus rei innumera referuntur exempla in Ferrarien. Subsid. dotal. 14. Decembr. 1765 §. Contra vero; maxime si cum paupertate sanguinis nobilitas conjungatur, ut in cit. Ferrarien. §. Magis quia. Ad rem demum facere pro Oratore, ejusque filiabus S. Ordinis resolutiones favore descendentium de Rubeis super hoc eodem objecto pluries editas, et praesertim anno 1788 favore puellae ejusdem familiae, et recenter anno 1852.

Consulendum Sanctissimo pro gratia juxta petita.

257. Tuscanen. — Subsidiorum dotalium.

Die 17. Septembris 1859.

Decedens anno 1852 Magdalena Perroni haeredem postremo suo elogio usufructuariam nuncupavit neptem suam Helviram Perroni usque dum spirituales aut carnales nuptias iniret; haeredem vero quoad proprietatem reliquit animam suam, ut nempe ex bonis erigeretur in cathedrali templo perpetuum missarum legatum. Subdidit deinde: „Cum habeam alias neptes pari modo indigentes, a quibus succursum recepi in necessitatibus meis neque nunc quidem signum affectionis eis dare possim, eam ob causam volo, ut ex fructibus bonorum supra descriptorum, et antequam haeres usufructuaria fructus dictorum fundorum percipiat, praeleventur scut. 100 dividenda portionibus aequalibus inter Hyacintham et Angelam Carletti tempore matrimonii aliusve honestae collocationis etc.“ Adeo autem cordi fuit testatrici implementum hujusce legati erga suas neptes, ut administrationem suorum bonorum commiserit comitissae Archangelae Turriozzi, usque dum ex eorum fructibus summa coacervaretur, quae satis esset ad praefatas dotes solvendas, suspenso interim manente jure haeredis usufructuariae.

Porro comitissa Turriozzi nuntium misit sibi creditae administrationi haereditatis; unde factum est, ut eo ipso haeres usufructuaria in bonorum possessionem sese immiserit onus in se suscipiens dotium legata adimplendi ad tramites testamenti. Cum autem penes virum comitissae Josephum Leporelli praeter haereditariam suppellectilem legatam, vini etiam determinata quantitas asservaretur, quae vendi debuisset, ut expensis parceretur, per pri-

vatam syngrapham diei 24. Febr. 1852 conventio inita est inter haeredem usufructuariam et depositarium Leporelli, ut iste susciperet onus memoratum vinum vendendi et pretium retrahendum apud se retinendi una cum suppellectili legata, ad hoc ut utrumque legatum sororibus Carletti suo tempore traderetur, nimirum occasione matrimonii ipsarum.

Mox cum ex confecto statu haereditario constitisset rem esse de satis tenui substantia eaque pluribus implexa nexibus, satius duxit capitulum cathedrale, uti repraesentans jura causae piae haeredis proprietariae, amicam compositionem inire cum haerede usufructuaria, apostolica auctoritate intercedente, cujus summa fuit ut imposito censu super bonis haereditariis scutator. biscentum depacto fructu quincunci pro dote legati pii missarum, jus omne super eadem haereditate favore usufructuariae Helvirae Perroni devolveretur.

Subinde sorores Carletti emensa jam aetate annorum viginti quinque absque eo quod matrimonio collocari valuerint, petierunt a Leporellio summam legatam scutor. centum sibi tradi, ut ope investimenti fructum aliquem ex ea percipere possent, exhibita fidejussione eorum patris in ejusdem summae securitatem. Ast votis abnuit depositarius Leporelli contendens traditioni haud fieri posse locum, antequam conditio a testatrice posita verificaretur. Reliquum hinc sibi esse duxerunt praefatae sorores recursum habere ad Sacratissimum Principem supplici oblato libello, quo postulant, „ut subsidium aliquod percipiant ex pecunia, quam eorum amita ipsis constituit, in retributionem et levamen in necessitatibus, non vero, ut infructuosa jaceret apud hominem, qui nullum in ea jus habet; ... et ut sibi facultas detur ad retrahendam summam illam ex deposito liberam ab illa conditione, ut convenienter investiatur cum debitis legum cautelis in ipsarum favorem.“

Eminentissimus Episcopus de more rogatus, postquam retulerit haeredem usufructuariam suum assensum praestare, ut Oratricum votis obsecundetur et capitulum cathedrale jam annuisse, quamquam ob initam concordiam sese omnino extraneum rei agnoscat, addit: „Nec ego ab horum opinione dissentio. Adest enim Oratricum paupertas: scutata centum ab amita eis relicta donec in deposito exposito existunt sunt prorsus infructuosa, ideoque nihil commodi Oratricibus offerunt. Hae aliunde aetatem annorum vigintiquinque excesserunt. His igitur de causis putarem Oratricibus indulgeri posse: ita tamen ut scutata centum investiantur majori, qua fieri poterit usura, hypothecato aliquo fundo, ut secura reddantur.“

Legatum dotis fuisse a testatrice conceptum per modum conditionis patet ex testamenti litera: mandavit enim illud tradi tempore ipsarum matrimonii aut alius honestae collocationis. Relictum enim in tempus nuptiarum, et sic de sui natura omnino incertum, semper remanet conditionale, Rota decis. 211. num. 5. par. 18. tom. 1. recent. Nonnisi itaque secutis nuptiis legatum illud deberi, nec transmitti posse ad haeredes planum est; in jure enim tunc tantum peti potest legatum sub conditione relictum, cum constiterit conditionem fuisse adamussim a legatario adimpletam, Amostazo de caus. piis lib. 4. cap. 6. num. 12, Mantica de conject. lib. 11. tit. 18. num. 18, Castill. controv. lib. 8. §. 10. n. 9. vers. Sane, Rota decis. 211. n. 2. par. 18. tom. 1. recent. Merito hinc petitioni refragari videtur depositarius Leporellius: ipse enim sese devinxit erga haeredem ad solvendum ex pretio vini dotes Oratricibus Carletti tempore contemplato in testamento, idest occasione nuptiarum: quod si aliter statueretur, idem esset ac pactum conventum, et testatricis voluntatem violare, quae ceteroquin sarta tectaque servanda esse jura omnia clamant.

Juverit nihilominus recolere agi de legato titulo paupertatis ac remunerationis relicto puellis sanguinis vinculo testatrici conjunctis. Suffragante hujusmodi dilectionis argumento, haud alienum a praesumpta testatricis voluntate videri, ut integro manente legati capite, emolumentum aliquod ex eodem legatariis obveniat usque dum purificetur conditio. Leporellium incassum obsistere, dum haeres Helvira Perroni, quae una contradicere posset, lubens assensum praebuit. Paupertas demum confirmatur ab Eminentissimo Episcopo: quae omnia viderint Eminentissimi Patres, an ejus ponderis sint, ut benigne cum Oratricibus agendum suadeant.

Pro gratia petita servatis conditionibus ab Eminentissimo Episcopo propositis.

258. Montis Alti. — Solutionis legati.

Die 28. Julii 1860.

Petrus Siliquini de Castineano canonicus Ripanus actu privato donationis inter vivos et per epistolam de mense Februarii 1856 datam abbatissae monasterii S. Clarae Castineani constituit dotale subsidium scutorum biscentum favore suae neptis Petronillae Massucci, si haec infra mensem Maji ejusdem anni indueret habitum religiosum in dicto monasterio; secus favore alterius puellae ejusdem terrae Castineani, quae in eodem monasterio statum monachalem profiteretur, et eodem tempore consignavit eidem abbatissae scuta 93 titulo enuntiato, facta ei facultate hac utendi summa pro opportunitate interim occurrente monasterii, cum promissione reliqua tradendi scuta 107, cum puella probanda monasterium fuisset ingressa. Successive vero nempe die 3. Martii ejusdem anni codicillaribus tabulis, disposuit ut dicta scuta 200 assignata Petronillae in expositam causam eidem consignarentur pro dote etiam in casu quo ipsa statum religiosum recusaret. Mortuo testatore Petronilla religiosum statum amplecti se nolle significavit ac praedictam scut. 93 summam a monasterii abbatissa repetiit. Quae tamen nedum petitioni hujusmodi satisfacere renuit, sed reliqua praeterea scuta 107 ab executoribus testamentariis Petri Siliquini requisivit pro dote alterius puellae ad monachalem habitum suscipiendum paratae. Hi testamentaria dispositione innixi, qua delebatur favore Petronillae conditio imposita per enuntiatam epistolam, susceptionis scilicet habitus religiosi, petitam solutionem recusarunt: eademque in sententia fuit Ripanus Episcopus, ad quem abbatissa provocaverat. Sed executores testamentarii dum morem gerere abbatissae negarent in vim testamentariae dispositionis, Petronillam pariter praetextu conditionatae dispositionis respuebant.

In hoc rerum statu Petronilla Massucci supplicem obtulit huic S. Congregationi libellum, quo exponens se nec ad temporales neque ad spirituales vocari nuptias, sed innuptam domi velle manere, ut parenti suo septuagenario apoplectico morbo laboranti, ac germano sacerdoti opem suam praestet, ac insuper suam causata egestatem, cum fortunae bonis omnino careat, pro dicti legati assecutione ex gratia instat.

Episcopus Montis Alti informationem et votum rogatus, auditis interesse habentibus, rei historia praenarrata, ita relationem suam concludit: „Super quibus (precibus) animi mei sensus est, sustinendum esse legatum favore monasterii pro dotatione spirituali puellae pauperis et honestae, quae profiteatur statum religiosum in monasterio Castineani in substitutionem Petronillae Oratricis, virtute constitutionis libere factae, validae, et acceptatae a monasterio etiam cum traditione partis summae dotalis constitutae, prout in praecitatis literis. Quoad Petronillam vero, quae cum non adimpleverit tempore

debito, nec modo parata sit adimplere conditionem expressam in repetita constitutione dotis, decidit a jure illam assequendi: si quod habet jus vigore testamentariae codicillaris dispositionis, hoc sine praejudicio monasterii vel puellae substituendae, experiri poterit contra haeredes vel executores testamentarios ejusdem Petri canonici Siliquini."

Ubi contra Episcopi sententiam favore monasterii judicandum non esset, nihilominus obstare videretur Petronillae ratio et causa legati, quod nimirum relictum eidem fuit pro dote, quodque proinde assequi ipsa nunquam jure valeret, nisi tacita adimpleta conditione, quam prae se fert, nuptiarum sive spiritualium sive temporalium; dos enim sine nuptiis non concipitur, ceu ad rem S. Rota in decis. 1168 num. 6. coram Molines.

Ceterum perpendendum an favore ipsi videatur testatoris voluntas, qui cum primam adjectam monasticae professionis conditionem ademit, novam imponere voluisse minime censendus est; cujus proinde propositum in eo fuisse videretur, ut aliquod vitae subsidium eidem compararet.

Sed major difficultas est in donatione jam absoluta et accepto habita; in quo videndum an revera juri vel extraneae puellae vel monasterio quaesito praejudicium inferatur; siquidem annuatur precibus, inferretur. Agitur sed vero de puella incerta; et utilitas monasterio obventura, cui dos relicta cederet, indirecte dumtaxat et secundario intenta ab institutore videtur, quippe qui principaliter ac directe nepti suae gratificari voluit. Videndum insuper an non integrum fuerit institutori dispositionem suam ita commutare, ut jus assequendi dotale subsidium non adimeret, sed onerosam dumtaxat conditionem ad id adjectam deleret, quod favorabile est.

Denique, ubi dubia res esset, judicabunt EE. VV., an stricti juris censura posthabita, vel in totum vel pro parte ex gratia saltem Oratricis precibus annuendum sit.

Facto investimento scutorum biscentum fructus esse tradendos Oratrici ejus vita durante: ea vero defuncta prorsus innupta, legatum spectare ad monasterium S. Clarae pro dote monastica puellae extraneae.

259. Firmana. — Subsidii dotalis.

Die 30. Martii 1867.

Pius sacerdos Michael Albertini e S. Elpidio Morico in Firmana archidioecesi pingui pollens patrimonio, supremis tabulis diei 15. Septembris 1855 inter alia pia legata subsidium dotale reliquit scutatorum viginti quotannis juxta haereditatis vires conferendum uni vel duabus egenis puellis, quas inter semper praeferendae essent illae, quae cum ipso sanguinis vinculo conjunctae reperirentur. Peculiari praeterea lege in art. test. 27. sub caducitatis poena interdixit, ne ipsius propinqui apud quemcumque magistratum agerent, neve etiam coram Summo Pontifice supplices adessent, ut destrueretur qualiscunque testamenti dispositio, aut aliquam summam sibi in proprium commodum arrogarent. Tandem ut omnia a se statuta rite procederent, septem instituit executores testamentarios seu haereditatis administratores in perpetuum, qui ad praesens quinque tantum numerantur, cum reliqui duo absoluta abdicatione, quin successorem sibi elegerint juxta mentem testatoris, juri suo jam cesserint.

Inter executores qui nunc haereditatem Albertini administrant adest quidam Joseph Sobrini, qui supplici porrecto libello Summo Pontifici, praemissaque animi declaratione, se nil agere velle adversus ea quae a testatore disposita sunt, sed tantum „exoptat amplam et authenticam pontificiam de-

clarationem per viam nudae et purae gratiae, et si opus sit, specialem derogationem articuli 27. testamenti“ exposuit, se adhuc sub patria potestate esse, et ex primis nuptiis habere filiam nomine Zelindam pio testatore consanguineam et ineundo matrimonio jam proximam, cui nec ex peculio suo, nec ex incertis paternae haereditatis bonis congruam assignare valet dotem.

Animadvertit praeterea in art. 32. testamenti facultatem fieri executoribus suae voluntatis testamentaria legata ab ipso nuncupata augendi juxta temporum discrimina et locorum vicissitudines; et deinde rogavit, ut dotale subsidium ab Albertinio statutum augeatur favore memoratae Zelindae usque ad scutata sexcentum; quae sane plus minusve annuatim in haereditario patrimonio supersunt, adimpletis etiam cum augmento omnibus piis institutionibus ab ipso peractis.

Cum hujusmodi preces die 5. Martii superioris anni transmissae jam fuerint ad Eminentissimum Firmanum Archiepiscopum eum in finem, ut auditis interesse habentibus, transmissaque particula testamenti de qua agitur, referre vellet de annuo reditu et oneribus causae piae, de Oratoris oeconomica et civica conditione, de vera assignationis dotis necessitate, et utrum alicui praejudicium exinde obveniret, Ordinario eo tempore ob vim illatam absente, provicarius Eminentissimi Praesulis mandatis Sacrae Congregationis paruit, et propitium Oratori votum emisit, in summa tamen ab Eminentiis Vestris decernenda. Assentiti pariter sunt iisdem precibus executores testamentarii, sub nonnullis tamen conditionibus. Unus enim ex ipsis favet quidem Oratori, dummodo dos intra biennii spatium solvi valeat: alii duo adnotant, Zelindam habere ex matris bonis dotem scutator. 170, et subsidium nuncupatum Caucci in scutatis 18; animadvertentes idcirco juvenem, qui eam in uxorem petiit, velle titulo dotis scutata 700, conveniunt quidem ut aliquod subsidium concedatur puellae, attenta ipsius origine et educatione; attamen sub lege ne transeat in exemplum, et ne familia occasione hujus subsidii neget quod ipsa debet.

His positis, notissimum cuique est Sacrum hunc Ordinem ad tramites Conc. Trid. sess. 22. cap. 6. de reform. non abhorrere ex justa et rationabili causa a commutandis testatorum voluntatibus, ut alicui fundatorum piarum causarum consanguineo etiam relativa tantum paupertate laboranti subveniatur: Sacr. Congr. in Romana Subsidii 30. Martii et 3. Aug. 1848 ad IV. dub., in alia pariter Romana Alimentor. 28. Aug. 1841 §. Novum, et praesertim in Romana seu Auximana Subsidiorum dotalium 15. Martii 1794, quae prae aliis apprime ad casum de quo agitur facere videtur, cum per Sacr. hanc Congregationem concessus fuerit cumulus plurium subsidiorum dotalium tribus filiabus Mariae Franciscae de Rubeis-Stella super pio legato Pauli Paganini. In casu autem accedit, praedictam Zelindam ita pio fundatori fuisse acceptam, eique benevisam, ut antequam ipse supremum diem obiret, quemadmodum ex fide cujusdam sacerdotis et religiosi viri FF. Minorum ab observantia constat, pluries promiserit se curaturum, ut suis expensis eadem Zelinda in aliquo monasterio instituereturr; quod deinde morte praereptus praestare, ut videtur, non potuit; nec raro etiam dum vita fruebatur ostenderit, non pauca beneficia nepti suae fore elargiturum, obveniente casu quod ipsa maritalem statum vellet amplecti.

Tandem, ut jam retuli, Oratoris precibus provicarius Archiepiscopi Firmani una cum testamentariis executoribus propitie suffragatur, et favorabilis interpretatio voluntatis aliena quodammodo non videtur a generali dispositione, quae in art. 32. testamenti renunciatur: „Si in mea haereditate aliquid supersit, volo ut quinta pars sit pro anima mea, alia quinta pars pro hospitio,

reliquae in sortes fructiferas mutatae erogentur in ampliandas dispositiones meas . . . . semper cum consensu superiorum ecclesiasticorum.“

Non levis sane ponderis haec omnia videntur esse ad sustinendas Oratoris preces; haud praeteream tamen non parum augmentum dotis in themate efflagitari, ita ut potiusquam cumulus decreti subsidii, conspicuum dotale compendium in scutatis sexcentum quaesitum esse videatur, quod tamen nepti suae testator non constituit. Forsan hac super re aliquid indulgendum est viro, qui licet aetate jam processisset, minime profecto dubitabat, quin suo tempore providere valeret congrua dotatione puellam, quae primos adolescentiae annos cum ipse adhuc viveret ingressa fuerat.

Hic demum animadvertam oportet, in casu quo Eminentiae Vestrae subsidium aliquod conferre Zelindae judicaverint, necessarium esse, ut apostolicis facultatibus derogetur dispositioni art. 14. test., qua ita praescriptum est, ut excludantur eae puellae, quae dotem accipiunt ex haereditate canonici Caucci. Zelinda enim ab haereditate Caucci jus ad dotale subsidium scutat. 18 jam consecuta est.

Lectum.

3. Causae caducitatis.

260. Urbevetana. — Caducitatis.

Die 18. Septembris 1852.

Supremis tabulis, quas anno 1792 scripsit Maria Virginia Marabottini Valenti, haeredem fiduciarium instituit sacerdotem Dominicum Salvatori, cui inter alia onus imposuit rependendi quotannis scutata 12 in subsidium dotale alicui puellae, quae vel Castri Rubelli incola esset, vel in aliis suis praediis moraretur, conferendum.

Paucis vero post annis Dominicus bona omnia haereditatis nepoti Liborio Salvatori hac lege in emphyteusim locavit, ut et ipse emphyteuta ad annuam solutionem subsidii dotalis juxta mentem a testatrice expressam teneretur, necnon eidem modum et methodum quoad electionem puellae et collationem dotis uberius praescribens, inter alias a testatrice explicite non adjectas hanc apposuit: „Admoneatur puella se hoc subsidio privatum iri si non honestam se praebuerit“ (qualor non dia saggio di sua onesta).

In locum emphyteutae Liborii, ut adimpleretur extrema voluntas testatricis cui secundum explicationem fiduciae ab haerede factam omnia bona sua ad instituendum in civitate Urbevetana collegium Societatis Jesu verti in animo fuerat, per instrumentum transactionis die 9. Aprilis 1816 dicta Societas et Aloysius Vincentius Salvatori successere; et quidem pacto ut Aloysius ad annuam solutionem nominati subsidii dotalis ad instar dispositionis testamentariae et praecedentis observantiae teneretur.

Itaque Aloysius conventioni satisfaciens anno 1834 ad hujusmodi subsidium percipiendum vocavit Justinam quandam Falci, quae quidem eo tempore requisitis et a testatrice et ab haerede fiduciario stipulatis exornabatur. Verum nunc eidem postulanti, ut sibi subsidium jam collocatum persolveretur, solutionem ea ratione omnino detrectavit, quod per inhonestam vitam, nimirum per matrimonium clandestinum cum homine militari attentatum de jure suo decidisset. Ob ejusmodi rejectionem Justina ad parochum Castri Rubelli recursum habuit, qui sacrum hoc tribunal adiens supplex petiit ab EE. VV. ut definiatur, num collator subsidium in casu denegare valeat, et quidem proprio judicio, illudque iterum conferre teneatur alteri puellae honestate dollenti necne.

Rogatus Episcopus pro informatione et voto, qui referat de consuetudine quoad praeteritum, mox enarrata nec non delictum Justinae plene confirmavit, etiam quoad caducitatis effectum; super quo quidem non emphyteutae sed Ordinarii judicium exspectandum pro regula putat; et in casu caducitatis subsidium alteri puellae esse solvendum non ambigit. Verum quoad consuetudinem constituendam, tempus inde ab institutione emphyteutica neque sufficere censet neque antea exemplum inveniri narrat.

Quod dotis collator jure meritoque puellae, cui dos collata fuit, ejus solutionem denegare possit, quoties ob pravam illius agendi rationem propriae honestati valedicere non vereatur, nedum ex haeredis fiduciali sed et ex testatricis voluntate evinci posse videtur. Nam si testatorum voluntas ex conjecturis elici valet, et in supremis eorum tabulis interpretandis non verborum cortex, sed disponentis mens attendenda est, Piton discept. eccl. I num. 17, Rota coram Olival decis. 157 num. 11. et decis. 233 num. 12, haud credi potest, testatricem per pii legati institutionem aliud quam honestati morumque integritati apud incolas urbis patriae consulere voluisse; quippe quae cunctam fere pinguem haereditatem in pium opus conscripsit. Quod quidem obtinere putandum est etiam citra voluntatis argumentum; si enim omnino puellarum dotes publicam respiciunt utilitatem, teste Card. de Luca de dote disc. 16. num. 2. Amostaz. de causis piis lib. 1. cap. 2. n. 6. et lib. 4. cap. 6. n. 1. et Rota coram Cavaler. decis. 27. n. 4., hic finis plane everteretur, si publicae peccatrices ex piis dispositionibus provenientibus juvamen reciperent. Imo haud obscure requisitum virginitatis ad subsidium dotale omnino praescribunt S. Congr. Episc. et Reg. apud Nicol. in floscul verb. Virgo n. 6: „Subsidii dotalis capax est puella diffamata de stupro et carcerata si deinde reperta fuerit virgo“ et Petra, comment. ad const. tom. 3. const. XII. Innoc. IV. sect. 2: „Verum ex usu, praesertim juxta statuta S. Annuntiatae Urbis aliorumque locorum piorum ad hujusmodi subsidia dotalia admittuntur solum virgines, ad quem usum testatorem se conformare voluisse praesumendum est, ut bene advertit Card. de Luca disc. 10. n. 7.; revera enim finis testatorum est consulendi honestati puellarum.“ Dubitandum at vero est, utrum in casu inhonesta judicanda sit Justina quae, prout refert parochi testimonium, optimis fuit moribus ornata, usque dum famulatui sese addicere coacta, postremis rerum vicissitudinibus „infeliciter militis seductioni adhaesit“; verba enim „dia saggio di onesta“ (se praebeat honestam) importare habitum quisque videt, qui tamen per unicum actum minime destruitur; ita ut merito agnitum sit per fornicationem semel patratam non amitti honestatem, nec adimi legatum sub honestatis conditione relictum. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 91 num. 37.

Quod vero collator in proprio judicio puellam aliquam dotali subsidio privare nequeat, idque potius Ordinarii judicio reservandum sit, congruum est; quandoquidem puella post dotis collocationem, licet eadem soluta nondum fuerit, jus saltem ad rem acquisitum habet, necnon collator ad eam solvendam ex justitia tenetur. Delictum vero non praesumitur, nisi probetur, Menoch. praesumpt. 86. n. 5. l. 5. Pignatell tom. 10. cons. 38 num. 8. et privationis poenam imponendi facultas in homine privato insidere haud debet, sed ea dependeat oportet a jurisdictione, Fagnan. in cap. Cum omnes n. 38. de constit. Si autem collator indignam subsidio puellam jam donatam declarare posset, ipse ageret judicis partes in causa propria, quod quidem juri refragatur, Fagnan. in cap. Nosti n. 15. de elect.

Quod tandem talia dotalia subsidia ante contractum matrimonium devoluta iterum distribuenda sint decrevit persaepe S. Congreg., ut in Romana Dotium 24. Sept. 1718, in Viterbien. Subsid. dotal. 2. Maji 1739, in Ravennaten. Subsid. dotal, 11. Januar. 1766, Lucana 21. Maji 1784 et Aesina Subsid. dotal. 27. Novemb. 1784. In casu urget expressa et testatricis et haeredis fiduciarii voluntas. Illa enim rigorose praesrcipsit non solum, ut dos conferatur, sed et ut persolvatur, cum usus fuerit verbo „distribuere“. Haeres vero fiduciarius, tamquam partem integralem annui canonis, emphyteutae absolutum onus imposuit quotannis solvendi scutata 12 in subsidium dotale. Unde si dos caducata ipsi collatori in themate proveniri non potest, conferenda alteri puellae utique erit, quae tamen cum sit nova electio, juxta mentem testatricis ad ipsum collatorem spectabit, cui et ipsi onus impositum est.

Esse locum solutioni dotis favore Justinae.

261. Forolivien. — Subsidii dotalis.

Die 31. Martii 1855.

Elisabeth Zaccarelli ultimum condens suae voluntatis elogium anno 1642 haeredibus suis mandavit, ut in sacro monte pietatis loci Meldulae summam scutatorum mille deponerent, cujus reditus in dotalia subsidia erogarentur pro pauperibus ejusdem loci puellis, data in perpetuum praelatione puellis sibi consanguineis, quarum favore dotale subsidium constituit in sc. tercentum hasce leges adjiciens. 1° „Ut duae sorores carnales (haud exceptis lineis sibi consanguineis) non possint eodem tempore praetendere eam dotem, neque dos tribuatur duabus puellis immediate in eadem familia. 2° Ut puellae admittendae sint honestae bonae vitae et famae“; comminata praeterea caducitatis poena puellis „quae post electionem et ante matrimonium honestatem amitterent; 3° Ut nunquam dos solvatur ante diem nuptiarum.“

Lucia Ghini domo Meldula testatrici sanguine juncta anno 1815 dotale subsidium consanguineis debitum juxta testamentarias tabulas postulavit. Administratores autem montis pietatis, ad quos dotalis hujus subsidii procuratio ac collatio pertinet, cum anno antea proximo dotem contulissent Anastasiae germanae Oratricis sorori, causam exinde nacti sunt, quamobrem petitum subsidium eidem denegari oportere contenderent. Accessit postea mulieris defloratio, quam a quodam Maximino Leoni, quocum deinceps nuptias rite conciliavit, passa est, quae quidem causae fuit, ut pii legati administratores magis magisque iteratis Luciae precibus adversarentur. Nihilominus ipsa non destitit, quin sequiori tempore eamdem petitionem vel apud loci Ordinarium, vel apud administratores ipsos, licet incassum semper, subinde iteraret.

Nunc vero, omnibus fortunae bonis orbata, ab ingravescente jam aetate miseram cum viro suo morbis confecto vitam ducere coacta, cum denegati subsidii necessitatem magis urgere persentiat, supplex ad S. H. Ordinem confugit sperans fore, ut ex gratia saltem voti sui aliquando tandem compos fiat.

Episcopus auditis administratoribus pii legati, qui petitioni etiam nunc refragari videntur, in horum sententiam concedit ob rationes inferius recensendas. Ceterum cupiens aliqua ratione infelici Oratricis conditioni opitulari, proponit ut scutata 25 pro una tantum vice eleemosynae titulo eidem tradantur, dummodo id S. Congregationi videatur.

Tribus potissimum argumentis nititur agendi ratio administratorum sacri montis pietatis. Primum in eo est, quod ex testamenti lege cautum fuit, ne

eodem tempore, vel immediate post duabus ex eadem familia ortis puellis subsidium dotale conferri possit; ut adeo cum anno 1814 soror germana Luciae dotem consecuta esset, ad idem dotis subsidium anno sequenti 1815 Lucia ipsamet admitti nequiret. Alterum quod hujusmodi dotale subsidium ex eadem testamenti lege honestis tantum puellis conferendum sit: nec plane uti honesta haberi poterat Oratrix, quae ab sponso suo ante initas nuptias corrupta fuerat. Id quod obtinere putandum est etiam citra voluntatis argumentum; nam cum puellarum dotes publicam respiciant utilitatem, finis hic plane everteretur, siquidem publicae peccatrices ex piis hujusmodi dispositionibus juvamen persentirent. Hinc teste Card. Petra comment. ad const. 12. Innoc. IV. tom. 3. sect. 2. usu receptum est, ut ad dotalia subsidia virgines dumtaxat admittantur, ad quem usum testatores se se conformare voluisse praesumendum est; finis enim testatorum est consulendi honestati puellarum. Postremum denique, quia statim deinceps matrimonium Oratrix iniit, unde jus omne ad dotale subsidium in posterum si quod habebat amisit. Ex testamenti enim litera patet dotes conferri debere ut puellae pauperes nubant aut monachae fiant et sic non debentur nuptis juxta Cancer. var. resol. cap. 22. part. 3. num. 182, Surd. de alim. tit. 1. quaest. 10. n. 18, Card. de Luca de dot. disc. 174. num. 2.

Nihilominus ad primum quod attinet objectum perpendendum est, num testatrix per ea verba „eodem tempore, immediate“ reapse voluerit ut duae ejusdem familiae puellae nedum eodem anno eademque collatione, verum etiam nec annis proxime subsequentibus dotem consequi possint. Quandoquidem vero nullum certum hac in re temporis spatium praefinitum fuerit, videretur in odiosa hac prohibitione conferendi alterum subsidium consanguineis puellis benigniorem adhibendam esse interpretationem, et quod minimum est sequi oportere, favore praesertim puellarum quae testatrici sanguine conjunctae sunt. Nec aliter se gessit S. Congregatio in causa Romana Subsidii dotalis 28. Novembris 1789, in qua licet testator mandasset quod dos uni puellae collata, neque huic iterum, nec ejus sororibus carnalibus in posterum unquam conferri posset, nihilominus S. Congregatio ad dotale subsidium admittendam censuit jam dotatae sororem, ex quo haec ex altera matre, alteroque thalamo precesserat, strictiori ita in testamenti verbis interpretatione adhibita.

Quoad alterum difficultatis momentum merito dubitari posset, num Oratrix inhonesta judicanda sit ad effectum caducitatis, quippe quae vitae morumque integritate vel ab ipsa adolescentia pluribus probatissimorum virorum testimoniis commendatur, quaeque si aliquando amoris illecebris capta in malum lapsa est, maculam suae honestati ex hoc unico facto inustam satis deleri putavit per subsequens matrimonium, ad monitum Reiff. lib. 4. decretal. tit. 17. §. 2. quaest. 4. n. 43. Accedit, verba a testatrice adhibita quoad honestatis requisitum habitum importare, qui tamen per unicum actum minime destruitur; ita ut merito receptum sit ob fornicationem semel patratam honestatem non amitti, nec adimi legatum sub honestatis conditione relictum, Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 91. n. 77, ac nuper tenuit S. Congregatio in causa Urbevetana proposita inter summaria precum in Congregatione diei 18. Septembris 1852.

Ad tertium denique objectum notandum est, dotem Oratrici debitam fuisse jure actionis, ex illius nempe reservatione pro consanguineis, et eamdem petitam fuisse ante initum matrimonium. Utroque autem in casu integrum etiam manet jus vocatae, uti in casu dotis debitae jure actionis tradunt Fontanel. de pact. nupt. tom. 2. claus. 6. gloss. 3. part. 4. num. 49,

Covar. in cap. officii num. 10. de testam. et in casu factae petitionis ante matrimonium Sac. Congregatio in Caesenaten. Subsidiorum dotalium 29. Novembris 1788 ad II. dubium.

Ceterum ratio etiam habenda videtur in themate singularis praedilectionis qua testatrix consanguineas puellas prosecuta est, quas ceteris omnibus semper praeferendas edixit, tum extremae indigentiae in qua misera mulier jam aetate provecta versatur: quamobrem nisi ex justitiae debito ac dotis titulo, ex aequitate saltem ac per modum eleemosynae aliquod ei subsidium conferri posse videretur. Siquidem insuetum non est, dotes aliquando converti in sublevanda fortuna consanguinei fundatoris, de quo quidem plura exstant in thesauro resolutionum S. C. exempla.

Quod si hujusmodi sequi consilium lubeat EE. PP., definient etiam in qua summa subsidium elargiri oporteat.

Pro gratia juxta votum Episcopi data eidem facultate renovandi subsidium duobus etiam sequentibus annis.

IV. De piis oblationibus.

262. Agrigentina. — Erogationis piarum oblationum.

Die 24. Februarii 1864.

In oppido quod Palma nuncupatur Agrigentinae dioecesis exstat ecclesia, quae a purgatorio nomen habet, in qua prostat capsula tribus clavibus munita ad excipiendas ac servandas fidelium oblationes ad animas in purgatorio degentes suffragio juvandas, atque ad sacras suppellectiles aliaque ecclesiae ipsi necessaria manutenenda. Gerlandus Bontati nonnullos reditus eidem ecclesiae assignavit, ut sacerdotes eidem inservientes unaquaque feria secunda officium defunctorum recitare, missam canere, et Sanctissimo exposito populo benedicere deberent.

Episcopus Lo Jacomo ad populi devotionem erga animas piacularibus flammis addictas augendam, atque ad piam occupationem supradictis presbyteris suppeditandam, datis bullis die 21. Februarii 1860 duos praeterea hebdomadae dies adjecit, scilicet feriam quartam et sextam quibus idem officium easdemque functiones peragere deberent, assignatis favore eorumdem sacerdotum fidelium oblationibus in descripta capsula asservatis, quae inter praesentes essent dividendae.

Mortuo Episcopo, parochus putans per hanc episcopalem dispositionem propria jura fuisse labefactata, dum suas querelas movere meditabatur, morte interceptus est. Ejus successor a vicario capitulari invitatus ad transactionem ineundam, hoc inter eosdem convenit, ut duae partes earum oblationum, de quibus supra dictum est, presbyteris ecclesiae inservientibus aliisque usibus supra expositis cederent, tertia pars reservaretur ad missas celebrandas. Nunc vero idem parochus ad propriam conscientiam tranquillandam per vicarium capitularem exposcit, ut inita transactio apostolica auctoritate confirmetur.

Rogatus a me die 24. Augusti 1863 idem vicarius capitularis, ut magis praecise referret de quantitate saltem approximativa eleemosynae quae annuatim colligitur in enunciata ecclesia, ducto calculo a transacto decennio, et transmitteret decretum episcopi anni 1860 circa earumdem eleemosynarum partitionem, licet hujusmodi decretum haud transmiserit, haec tamen circa eleemosynas refert: „Post illam bullam devotio fidelium crevit, quod apparet ex eo quod eleemosyna aucta est ad uncias 40 annuas, dum antea essent unciae duodecim.“

Post haec iterum instat, ut supra dicta transactio confirmetur, cum, ut refert, exorta sit quaestio utrum offerentium eleemosynam mens sit, ut subveniant animabus purgantibus solo sacrificio missae, an etiam officio defunctorum, expositione, missa cantata et benedictione.

Quando fideles per oblationes suas animabus in purgatorio degentibus suppetias ire intendunt, congruum magis videtur, ut hujusmodi oblationes in missis celebrandis, quam in aliis piis operibus impendantur, cum missae sacrificium quibuscumque aliis operibus sit salubrius, prout theologi omnes docent, teste Fagnano in cap. Ex parte tit. de constit. et Concilium Tridentinum sess. 25. in decreto de purgatorio aperte doceat, animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; idque consonum sit praxi H. S. C. pluries assertae, ac praesertim in Novarien. Reductionis et commutationis voluntatis 19. Februari 1791, ubi potius chorale munus quam missas reducendas esse demonstratur.

Nihilo tamen secius, cum post novum Episcopi decretum latum anno 1860, quo eleemosynae in supra relatos usus divisae sunt, non modo non imminutae, sed etiam auctae quam maxime fuerint fidelium oblationes, recte concludere posse videtur cum vicario capitulari, hujusmodi divisionem populo acceptissimam esse, atque exinde ejusdem intentionem facile conjici posse. Nam cum voluntas dantium voluntati petentium semper uniformis esse censenda sit; cumque voluntas petentium per decretum Episcopale omnibus perspicua facta fuerit, liquido apparet, pias offerentium voluntates haud fraudari, si una pars oblationum in missas celebrandas, et reliquae duae in alia pia opera ad divinum cultum conducentia applicentur. Itaque si transactio proposita per apostolicam auctoritatem confirmaretur, idem profecto fieret, quod ab H. S. C. praestitum est in Melevitana Confirmationis statuti 29. Julii 1786, qua ita responsum fuit: „Affirmative juxta modum; nempe quod media pars eleemosynarum tam collectarum quam colligendarum una cum medietate fructuum capitalium tam investitorum vel in posterum investiendorum pro missis, altera vero medietas pro ecclesia applicetur.“

Die 28. Maji 1864.

Preces, de quibus heic res est, exhibitae fuerunt judicio Eminentiarum Vestrarum in folio inter supplices libellos die 27. Februarii curr. ann. relato, quod iterum distribuitur. Cum vero ea die respondere placuerit: „Dilata et ad mentem“ et mens esset, ut vicarius capitularis ad hunc S. Ordinem transmitteret episcopale decretum ann. 1860, absque ulla mora mandatum EE. PP. cum eodem vicario communicavi, isque literis diei 6 elapsi mensis Aprilis exemplar decreti in forma authentica transmisit, quod ita se habet:

Reverendissimo vicario comm. Palmae salutem: „Mansionarii ecclesiae purgatorii exposuerunt nobis etc. etc. . . . . Nos videntes ardentem devotionem mansionariorum versus animas purgatorii et desiderium augendi cultum in illa ecclesia proposita nobis officio duobus aliis diebus faciendo sine perceptione emolumenti, dies Mercurii et Veneris statuimus pro recitatione officii defunctorum, celebratione missae cantatae cum expositione ss. sacramenti et benedictione fidelium indulgentiaque 40 dierum. Ut autem semper futuris temporibus mansionarii cum assiduitate adveniant, volumus ut supradicti reditus et oblationes fidelium, deductis expensis pro cultu, inter mansionarios praesentes his tribus diebus aequis portionibus dividantur.“

Agrigenti 21. Febr. 1860. — Dominicus M. Episcopus Agrigentinus.

Pro approbatione propositae conventionis, facto verbo cum Sanctissimo.

263. Bosanen. — Erogationis piarum oblationum.

Die 25. Junii 1864.

Cum in dioecesi Bosanensi diversa obtineat praxis circa erogationem eleemosynarum, quae annuatim in quarta quadragesimae dominica, occasione praedicationis verbi Dei colliguntur, vicarius capitularis Summum Pontificem supplex rogavit, ut sublata hujusmodi diversitate erogationis, certam missarum his oblationibus applicandarum numero regulam praestituere dignaretur. In praefata enim dominica dum concionator de animabus in purgatorio detentis ad populum orationem habet, apud adstantes collecta fieri solet, et in nonnullis dioecesis paroeciis, sermone peracto, concionator ipse una cum aliquibus e clero et loci proceribus pias fidelium oblationes recipit. Rogatus vero, ut magis praecise referret circa usum erogandi eleemosynas, et quare eae non sint integre impendendae in applicationem missarum ad manualem, quae sequuntur retulit:

„Oblationes variis usibus absumuntur. Sunt paroeciae, in quibus pecunia praedicatori cedit pro labore; fructus oblati ad parochos et sacerdotes perveniunt, ut missae celebrentur in defunctorum suffragium. Aliis in locis omnia dividuntur et celebrantur missae. De numero missarum varia est locorum consuetudo. Solent in quibusdam locis celebrari una aut plures missae cantatae; ubi abundant eleemosynae, omnes oblationes inter clerum loci dividuntur, et ad normam taxae manualis missae celebrantur. Sunt denique parochi, qui ad arbitrium numerum missarum determinant et stipendium assignant multo majus illo quod taxa synodali statutum est. De illis oblationibus, quae praedicatori cedunt, non loquor; in reliquis opto ut S. Congregatio statuat eandem et aequam taxam pro tota dioecesi, ut super applicatione istarum oblationum sacerdotum nonnullorum conscientia sit tranquilla."

Omnes et singulae oblationes, quae intra limites alicujus paroeciae fiunt, de jure communi ad loci parochum spectare dici possunt, ita ut hic pro se fundatam in jure intentionem habeat, sive intra ecclesiam sive extra ecclesiam hae oblationes fiant: Reiffenstuel lib. III. tit. 30. de decimis, primitiis etc. citans multos alios probatae notae doctores, quos inter Fagnan. Engel. . . . Duas tamen addit limitationes, nisi aliud habeat loci consuetudo, vel nisi aliter constet de offerentium intentione et voluntate. De consuetudine autem elargiendi praedicatori laboris sui stipendium ex collectis fidelium, etsi vicarius capitularis eam sine ulla difficultate admittere videatur, pauca tamen pro munere meo addenda esse censeo.

Doctissimus Card. de Luca miscell. eccl. disc. 27. et annot. in Conc. Trid. disc. 3. quaestionem tractat, a quonam praedicatori quadragesimali alimenta solvenda sint et ex praxi S. hujus Congreg. et S. Rotae tamquam indubitata principia duo statuit: 1. Onus praedicandi verbum divinum incumbit Episcopis et parochis, et si ipsi huic obligationi satisfacere non possunt, iis etiam competit praedicatores seligere, nec populus de jure praetendere potest hanc eligendi seu nominandi facultatem. 2. Idcirco onus praestandi praedicatori necessariam sustentationem iisdem incumbit Episcopis et parochis, qui a populo debitum stipendium accipiunt, quare injustum esset fideles duplici onere premere.

His vero non obstantibus multis in locis, saltem in ecclesiis inferioribus contrarium habet consuetudo, quam idem auctor vel immemorialem vel quadragenariam requirit, ut populus sine sustentationis onere praedicatorem eligere valeat, aut vice versa sine electionis commodo onus alimentorum debeat sustinere, et ad hoc etiam ab Episcopo cum legitimis remediis cogi possit.

Quare concludit, omnes has quaestiones esse facti potius quam juris, quum tota difficultas in probatione consuetudinis consistat. In proposito igitur casu, dummodo fideles pecuniam collectam in commodum praedicatoris cedere sciant (quod tamen facile praesumendum est in parvis oppidis, in quibus illico omnia innotescunt) nec contradicant, talis consuetudo irrationabilis non esse videtur, ita ut ab Eminentiis Vestris tolerari saltem mereatur. Ceterum etiam in adducta relatione vicarii capitularis aliquid absonum deesse non videtur, quod omnis scilicet pecunia in ecclesia collecta in commodum praedicatoris cedit, et fructus tantum aliaque comestibilium genera celebrationi missarum inserviunt. Facile enim immoderatum laboris sui stipendium praedicator haberet. Magis consultum propterea esset, si ab Ordinario pro variis rerum circumstantiis et itineris a praedicatore peragendi sumptibus, taxa quaedam statueretur, vel, si ita visum fuerit, proportionata saltem aliqua pars integrae collectae missarum celebrationi reservata maneret.

Oblationes, quae a praedicatore non percipiuntur, in missarum celebrationem erogari solent. Hoc conforme videtur intentioni fidelium, qui occasione sermonis circa animas in purgatorio detentas habiti eleemosynas elargiuntur et ita hujusmodi intentionem consuetudo ipsa interpretatur. Aequum idcirco videtur esse eleemosynas inter parochum reliquumque clerum dividi, ut missae inter praescriptum a S. Rituum Congregatione tempus absolvantur. Nec reprehendi posse videtur, quod una vel altera e tot missis cum cantu celebretur. Quamquam enim pro cantatis majus stipendium percipi soleat et hinc numerus missarum decrescat, haec deminutio valde exigua est, et missarum solemnitas ad augendum divinum cultum et pietatem fidelium magis excitandam prodest. Animadvertendum tamen hic est, non integram collectam in una vel duabus missis cantatis insumendam esse arbitrio parochi, sed certam statuendam fore ab Ordinario regulam quae fidelium intentioni congrua magis videatur.

Minime tandem tolerandum videtur, quod tertio loco a vicario affertur, scilicet in aliquibus paroeciis parochi prorsus arbitrio numerum missarum cuilibet assignari, adaucta synodali taxa nedum ad 70 et 80 obol., sed etiam ad scutatum unum in singulas missas. Fidelibus quidem licet ex liberalitate majus stipendium offerre, nec vetitum est sacerdoti illud etsi maximum accipere; attamen ubi talis liberalitas, quae non praesumenda sed probanda est, non manifeste elucet, sacerdotibus stricte praescribitur, ut taxa synodali contenti sint. Immo, qui majorem pro missa stipem exigerent, non solum contra legem ecclesiasticam peccarent, sed etiam justitiam commutativam laederent, quoties eleemosynas missarum indeterminate traditas a fidelibus in majorem quotam prae synodali elevarent, ut docet Suarez disput. in III. partem D. Thomae tom. III. pars 3. disp. 83. Bened. XIV. de syn. dioec. l. 5. c. 9. num. 2. et manifeste habetur in constitutione Urbani VIII. „Cum saepe“ anni 1625.

Quod denique taxam ipsam attinet, ejusdem quantitas, quae varia est in variis regionibus et temporibus, aut a communi consuetudine in dioecesi vigenti, aut a lege synodali desumenda est, vel Episcopi decreto statuenda, ceu responsum fuit ab H. S. Ordine Episcopo Interamnensi die 25. Nov. 1698. lib. decr. 48. pag. 548. ut narrat Benedictus XIV. in sua instit. 56. num. 10. synod. dioec. lib. V. c. 9. num. 1. Quod munus cum privative Episcopo competat, hinc non superflua videtur esse petitio vicarii capitularis, qui ab H. S. Congregatione facultatem eamdem eleemosynam determinandi juxta generalem aliquam regulam implorat.

Dilata et ad mentem.

Die 26. Novembris 1864.

Supplicem petitionem vicarii capitularis dioecesis Bosanen., quam per summaria precum die 25. Junii hujus anni proposui super erogatione eleemosynarum, quae in quarta quadragesimae dominica colligi solent pro fidelium animarum suffragiis, haud definiendam putarunt Eminentiae Vestrae, sed consultius duxerunt iterum ad eumdem vicarium esse scribendum, qui nonnullas facti notitias, praesertim super diversa locorum consuetudine, exhiberet.

Illico per me executioni commissis Eminentiarum Vestrarum mandatis, en responsum quod ab eodem vicario accepi: „Quoad concionatorem quadragesimalem sermonem animarum purgantium dominica quarta quadragesimae habentem nullum dubium exoritur, cum ejus stipendium pro isto sermone vel comprehendatur in stipendio pro concionibus totius quadragesimae erogato, vel solvatur a confraternitate animarum purgantium vel concionator recipiat certam summam vel etiam omnem pecuniam, quae durante concione colligitur sine onere missarum. Tota igitur quaestio versatur circa modum distribuendi partem missarum celebrationi destinatam. In aliquibus paroeciis colliguntur 4 vel 6 scuta, in aliis sc. 15, 20, 30, in aliis denique 60 vel 75 sc. In paucis paroeciis parva summa detracta pro concionatore, in aliis sine detractione pecunia collecta in missarum eleemosynas erogatur, quae aequis portionibus distribuuntur etiam concionatori. Sed de numero missarum statuendo consuetudo fere in omnibus paroeciis alia est. Saepissime taxa dioecesana observatur, in aliis paroeciis arbitrarie eleemosyna 50, 60, 90 obolorum vel etiam unius scuti pro qualibet missa statuitur. Modo missae leguntur, modo cantantur sine vel etiam cum assistentibus; etiam pro missis cantatis stipendium variat. In omnibus his casibus diversis paroeciani modo sciunt modo nesciunt, qua ratione pecunia collecta impendatur, modo supponunt, eam erogari in suffragium animarum.

Ad abrogandas tot diversas consuetudines oro, ut S. Congregatio pro tota dioecesi statuat: 1. eleemosynam pro missis lectis ex pecunia durante concione pro animis purgatorii collecta; 2. eleemosynam pro missis in eadem occasione simpliciter vel solemniter cantatis; 3. taxam pro recitatione vel cantu officii defunctorum, absolutionum et responsoriorum, ubi, praecipue propter abundantiam oblationum, loco celebrationis missarum hoc modo pecunia collecta vel tota vel ex parte erogari visum fuerit.

Denique notare debeo, taxam synodalem nimis exiguam esse, cum eleemosyna missae ne 15 quidem obol. Rom. attingat.

In praememorato folio diei 25. Junii curr. anni, quod Eminentiae Vestrae recolere dignabuntur satis actum esse arbitror de peculiaribus consuetudinibus quae in quamplurimis ecclesiis obtinet tum super electione ecclesiastici viri, cui quadragesimae tempore praedicationis verbi divini officium committitur, tum de mediis quibus consulendum sit ad congruum alimentum vel stipendium eidem subministrandum. Qua super re cum quaestiones omnes facti potius quam juris esse doceat Card. de Luca in annot. ad Conc. Trid. disc. 3, mirum forsan non erit, quod vicarius capitularis quoad primam exhibiti libelli quaestionem probe eam resolvi posse existimet ad tramites consuetudinis, quae cum scientia fidelium in diversis dioecesis oppidis obtinet.

Prae oculis insuper habitis quae juxta disciplinam et resolutiones Sacr. Ordinis animadvertuntur in citat. fol. §§. Minime et Quod denique super missarum eleemosyna sive ab Sacro Ordine sive ab Ordinariis in eorum dioecesi stabilienda, non opus esse videtur, ut aliquid ulterius addam ad satisfaciendum primae et alteri quaestioni, quam magis enucleate et di-

stincte in novis suis literis sapienti judicio EE. VV. vicarius capitularis submittit.

Quod ultimo vero loco idem vicarius expostulat de missarum onere adimplendo cum cantu officii defunctorum, absolutionum et responsoriorum, non satis validis rationum momentis inniti videtur, nisi forte agatur de aliquali collectae eleemosynae parte, quae ex consuetudine alicujus oppidi et ad generales dioecesis regulas, in solemni aliquo officio una cum solemni pariter missa et exequiis celebrandis adhiberi soleat. Quo in casu nulla in facto ratio suppetit, quod in ea dioecesi vel certa desideretur norma, quam sequi debeat vicarius in peculiaribus retributionibus statuendis, vel nil obstare videtur, quod eadem regula constituatur.

Dilata et ad mentem.

V. De montibus pietatis.

264. Alexandrina.

Die 9. Julii 1825.

Gravem ob notissimas Italiae calamitates jacturam suorum bonorum fecit mons pietatis Alexandriae, ita ut ad ministrorum stipendia ejusdemque montis indemnitatem satis non esset interusurii perceptio duorum pro quolibet centenario: quamobrem illius administratores, minime implorato apostolico beneplacito, scuta quinque exegerunt. Verum anno 1821 supplices hanc Sac. Congregationem adierunt, ut absolutionem quoad praeteritum obtinerent, ac facultatem in futurum interusuria exigendi in eadem mensura scutorum quinque in singula centum: et die 18. Augusti ejusdem anni voti compotes facti sunt rescripto: „Attenta relatione Episcopi Alexandrini, benigne commisit eidem, ut veris existentibus narratis, pro suo arbitrio Oratores misericorditer absolvat, atque interusuria in praeteritum percepta gratis condonet; quo vero ad futurum eadem Sac. Congregatio benigne pariter concedit eidem Episcopo, ut pro suo itidem arbitrio et conscientia, attenta necessitate, enunciatam facultatem per triennium proximum tantum Oratoribus gratis impertiatur juxta petita. Mandavit insuper eadem Sac. Congr., ut ipse Episcopus omnino curet reductionem expensarum et sumptuum administrationis, ne mons pietatis detrimentum capiat“ rescriptum hujus sac. senatus die 25. Augusti sequentis a S. M. Pio VII. in omnibus approbari et confirmari meruit. Elapso autem triennio, administratores montis prorogationem ejusdem gratiae ad quinquennium postulant.

Rogavi Episcopum de more, qui ita mentem suam aperuit: „Non easdem prorsus necessitatis causas persistere, quibus urgentibus Eminentiae VV. Reverendissimae decreto diei 18. Augusti 1821 montis pietatis hujusce civitatis administratoribus concessere, ut quinque scutorum interusurium pro centenario exigere possent, primum referre mihi contingit. Enimvero status activus et passivus liquido demonstrat, biennio elapso centum septuaginta quinque scutorum emolumentum montem praedictum percepisse, quod sane oritur nedum e stipendiorum reformatione ac reductione, quibus administratores quadraginta trium scutorum impensis pepercerunt, verum etiam ex eo, quod ultra sortem exigitur, cum nullum dotis augmentum monti hoc temporis intervallo accesserit.

„Hinc administratorum opinione amandata, advocati fiscalis sententiae potius subscriberem, qui censet, quatuor scutorum cum dimidio pro quolibet

centenario interusurium hisce in adjunctis sufficere, ut mons pietatis indemnis servetur.

„Cum vero pecuniam (gratis, et pietatis intuitu) a benefactoribus montis commodatam restituendam fore, vel litem (pro recuperando censu vigentem) definiri, quam citius contingere possit; ipse opinarer, ad quinquennium EE. VV. RR. facultatem facere administratoribus posse quatuor scutorum cum dimidio interusurium exigendi, dummodo initio cujuslibet anni coram me vel meo vicario generali constare faciant, easdem omnino circumstantias, quae modo existunt, permanere.“

Montem pietatis usuras e pecunia acceptis pignoribus tradita, modicas tamen ac necessarias ad ministrorum mercedem, locique pii indemnitatem, percipere posse absque ulla turpis quaestus labe, constat ex notissima constitutione s. m. Leonis X. incipien. Inter multiplices. Ne vero fructus superarent impensas pro montis tuitione necessarias, sancitum fuit, ut sine venia Sedis Apostolicae nihil supra sortem accipere liceret, Sac. Congr. in Neapolitana 7. Septembr. 1637. ad II. dub. lib. 15. decr. pag. 501, et in Ariminen. Applicationis legati, et montis pietatis 19. April. 1823; multoque minus aliquid amplius exigere, quam antea mons consueverat, Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 10. cap. 5. num. 2, et Sacr. Congr. in Casalen. montis pietatis 12. Martii 1718.

Facultas vero ut plurimum tributa est ab hac Sacr. Congregatione percipiendi quadrantes usuras; si tamen ejusmodi usurarum ratio necessaria foret pro ministrorum stipendio caeterisque montis impensis, ut in Tudertina 17. Augusti 1626. et in Perusina 20. Aprilis 1771. Evincitur autem ex transmisso statu activo et passivo, montem pietatis Alexandriae elapsis annis 1822 et 1823, deductis omnibus expensis, scuta 175 cumulasse, ideoque fructuum ab ipso percipiendorum mensuram esse minuendam. Cum tamen id minime evenisset, nisi mons a benefactoribus pecunias absque usuris traditas et gratis mutuatas percepisset; mensura ab Episcopo indicata probanda videtur.

Pro gratia ad quinquennium arb. consc. et juxta votum Episcopi, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

265. Alatrina. — Visitationis ss. liminum.

Die 31. Martii 1855.

Episcopus Alatrinus, nuper vita functus, in postrema status suae ecclesiae relatione haec exponebat: „Duo adsunt Aletrii frumentarii montes, qui retroactis temporibus multo abundabant frumento, praesertim ille qui communiter mons nuncupatur pietatis. Ast in praesentiarum magnum patiuntur frumenti defectum ob praeteritas temporum circumstantias, et debitorum in frumento restituendo negligentiam, et administratorum in eo repetendo socordiam. Defunctis amodo hujusmodi debitoribus et in summam eorum haeredibus egestatem prolapsis, impossibile omnino est mutuatum frumentum ab eis repetere. His accedit, quod Aletrii contra communem totius Campaniae consuetudinem pro mutuato frumento usura nimis modica solvitur, cum vigesimam quartam mensurae vulgo Rubbio partem vix attingat. Ceteris provinciae in urbibus atque oppidis solvitur pars duodecima. Ad reparanda itaque montium damna optarem, quod usuram praedictam pro duodecima frumenti mutuati parte exigendi facultas tribuatur, et quod voti compos fiam firmam spem concipio. Certe si abundantiores erunt frumentarii montes, inde fructus magno cum pauperum commodo erit copiosior.“

Ex notissima constitutione s. m. Leonis X. incipien. Inter multiplices constat, montes pietatis usuras e pecunia acceptis pignoribus tradita, modicas tamen ac necessarias ad ministrorum mercedem, locique pii indemnitatem, absque ulla turpis quaestus labe percipere posse. Quoniam autem periculum est, ne quod ultra mutuatam sortem exigitur expensas superet pro montis tuitione necessarias, sancitum est nihil supra sortem exigi posse, nisi prius consulta Apostolica Sede: multoque minus absque Apostolicae Sedis placito aliquid amplius exigi quam antea mons consueverat; teste Benedicto XIV. de synod. dioeces. lib. 10. cap. 5. num. 2. Videndae resolutiones S. C. in Beneventana 1. Aprilis 1786, in Messanen. 16. Febr. 1805, et in Verulana Erectionis montis pietatis 2. Maji 1818, in qua postrema montis frumentarii erectionis approbatio postulabatur ea conditione, ut pro quolibet rubro mutuato duodecima ipsius pars usurae titulo persolveretur, quae quidem in augmentum cumuli perquam exigui cedere deberet; Sac. vero Congregatio ad dubium: „An, et pro quo interusurio, et quomodo sit probanda erectio montis frumentarii in casu“ die 2. Septembris ejusdem anni rescribendum censuit: „In casu de quo agitur negative.“

Nihilominus, cum montes ipsi egestate laborant, ac pauperibus occurrendi necessitate premuntur, tuto permitti posse videretur usus aliquid ultra sortem exigendi, etiam ut, deductis expensis, in necessariam montis dotem convertatur, ratione scilicet lucri cessantis et damni emergentis, ceu tradit S. Congregatio in Perusina Montis pietatis 20. Aprilis 1771 §. Et quamvis. Hinc Benedictus XIV. cit. loco refert interusurium duorum vel trium a S. Congregatione adaugeri posse, si justa non desit causa; et reapse a S. Congregatione, dum ipse Secretarii munere fungebatur, administratoribus Casalensis pietatis montis facultas ad sexennium facta fuit, et montem, cujus reditus impares erant sublevandis pauperum indigentiis, aere alieno gravandi, et simul exigendi quinque ex singulis centenis nummis ab iis, qui in posterum, d to pignore, pecuniam a monte reciperent, ut tali pacto possent et consueta sustinere onera, et aes alienum paulatim solvere, uti videri potest in thesaur. resolut. tom. 1. pag. 28.

In themate perpendendum est, non tam agi de montibus Alatrinis augendis atque ditandis, quam de ipsis, cum lapsu temporis maxima passa fuerint damna, resarciendis atque ad pristinum statum restituendis; ita ut imploratum interusurii augmentum ad eorum indemnitatem et conservationem ordinari merito dicatur, juxta ea quae traduntur in Perusina Montis pietatis 23. Novembris 1782. Ad rem facere videtur resolutio in altera Perusina 11. Maji 1793, ubi ad dubium: „An rectoribus montis Consolini Perusiae ad aliud decennium sit prorogandum indultum exigendi scuta tria pro quolibet centenario in casu“ quamvis elapso proxime decennio mons fuerit in lucro tercentum et ultra scutorum, benigne tamen pro tertia vice annuit S. Congregatio rescribens: „Prorogandum esse indultum usque dum reintegrata fuerit primaeva dos montis in summa scut. 14000 et Episcopus invigilet pro omnimoda executione, qua secuta certioret.

Quibus praehabitis, quatenus EE. PP. usurae augmentum admittendum in casu judicaverint, expendendum insuper erit, an mensura ab Episcopo indicata approbanda sit. Ac sane in ea determinanda plurimum valere locorum consuetudinem eruitur ex cit. Perusina 20. Aprilis 1771 §. Contendunt, et Verulana 2. Maji 1818 §. Addit; quocirca usura duodecimae rubri partis, juxta petita, permittenda videretur, cum reliquorum Campaniae montium eum esse usum Episcopus testetur. Tandem dijudicandum supererit, an in perpetuum vel potius ad tempus, iisdem nempe perdurantibus rerum ad-

junctis, concessio facienda sit, quod quidem S. Congregationis praxi magis consentaneum est, uti ex superius allegatis resolutionibus patet.

Dilata, et norus Episcopus doceat accuratius de rei adjunctis et de originaria montis dote necnon de opportunitate propositi augmenti ac de consuetudine aliorum provinciae montium.

Die 11. Augusti 1855.

Ad hujus rescripti tramites accuratam ab novo Episcopo hac desuper re relationem accepi, quam heic ex integro exscribo.

„Duo exstant Aletrii frumentarii montes, prout exponebat meus praecessor in postrema suae ecclesiae relatione, quorum primus pinguior nunc possidet rubra frumenti biscentum quinquaginta octo, secundus vero rubra triginta tria.

Montis ditioris ignoratur omnino dos originaria, ex eo quod libri suae erectionis, quae facta est anno 1585, non reperiuntur, nec mihi facile fuit agnoscere qua praecisa frumenti quantitate mons constaret ante annum 1849. Mense Novembris hujus anni mons habebat rubra frumenti biscentum undecim, et nunc possidet rubra biscentum quinquaginta octo, ex quibus deductis rubris decem, et septem cum dimidio adjunctis ex dono Episcopi Giampedi, mons iste a dicto anno 1849 habuit pro incremento rubra frumenti viginti novem cum dimidio.

Mons pauperior cujus administratio credita est huic venerabili xenodochio a S. Benedicto nuncupato in sui fundatione, quae facta est anno 1806, habuit pro dote rubra quadraginta quinque, quae quantitas anno 1828 reperiebatur aucta ad rubra octoginta quinque. Ab anno autem 1829 usque ad 1835 attentis ejusdem xenodochii adversis et temporum calamitate et beneplacito apostolico pars frumenti vendita fuit et nonnulla rubra a debitoribus in summa egestate constitutis non fuerunt reddita.

Ex hac facti serie liquido constat montes frumentarios hujus civitatis, quamvis pertenuis sit eleemosyna, quae a mutuatariis frumenti respondetur in vigesima quarta parte accepti mutui incrementum habuisse.

Verum est autem, quod praecessor meus isti Sacrae Congregationi referebat, Aletrii minimum exigi interusurium respective ad illud, quod percipitur in reliquis montibus provinciae Campaniae, nam prout accepi ex hujus provinciae Episcopis, in dioecesi Ferentina pro unoquoque rubro, quod componitur libris sexcentum quadraginta ex speciali facultate respondentur librae quadraginta, in Verulana librae sexaginta, in Anagnina sexaginta quatuor, et Valmontonii in Signina dioecesi in monte frumentario, cujus administratio est penes municipium, respondentur librae centum sexaginta.

Ex relato duorum montium Aletrensium statu facile dignoscitur illos, etiam supputatis expensis omnibus pro ministrorum necessaria mercede, nedum indemnes permansisse, verum et frumenti quantitatem incrementum habuisse.

Cum igitur ita se res habeat, Eminentiarum Vestrarum erit decernere, an permittendum sit augmentum interusurii ex eo quod minimum hic percipiatur relate ad ceteros hujus provinciae montes, et ex eo quod si abundantiores essent frumentarii montes prout ajebat meus antecessor „fructus magno cum pauperum commodo erit copiosior“.

Quid jure canonum, ac ex praxi S. Congregationis ad rem cautum sit, satis disseritur in praeterito libello benigne ab EE. PP. recolendo.

Non expedire.

PARS III.

DE BENEFICIIS IN GENERE.

I. DE ERECTIONE ET STATU BENEFICIORUM.

1. De erectione beneficiorum.

266. Pergulana. — Erectionis capellaniarum et dispensationis aetatis.

Die 29. Martii 1862.

Dominicus Marchetti Fabriani in Piceno, testamento diei 1. Julii 1858 haeredem universalem causam piam nuncupavit, ut post mortem suae uxoris, quam usufructuariam reliquit, sex capellaniae erigerentur in sui et praedictae uxoris animarum suffragium; cujus suae voluntatis executorem elegit Vincentium Garofoli cum annuo stipendio scutatorum 24, donec capellaniae erectae jam fuerint, eidemque injunxit, ut secuto memoratae uxoris obitu „pecuniam mutuam datam aliave de causa debitam repeteret atque ex eadem tot crearet census activos. . . . Sors censibus existentibus et postea formatis respondens . . . mansum constituet sex capellaniarum, quas ex nunc instituo. . . . Defuncta haerede usufructuaria executor testamentarius procedat ad erectionem canonicam quinque capellaniarum et sextae, mere laicalis, pro unaquaque sorte constituta. . . . Rectores quinque capellaniarum ecclesiasticarum sint sacerdotes vel saltem ordinibus ecclesiasticis initiati."

Primae vero et secundae capellaniae dotem ipse testator constituit, statutis nempe utrique capellaniae 1200 scutatis cum onere 80 missarum in singulos annos; quatuor vero reliquis aequas superexstantium bonorum partes per testamentarium executorem definiendas addixit. Eodem tandem testamento primae et secundae capellaniae rectores institutor ipse nominavit, Themistoclem scilicet Albertini civitatis Pergulae, et Philippum Giubbi item Pergulanum.

Mortuo jam a die 18. Februarii 1860 testatore et praemortua uti videtur ipsius uxore, Franciscus Albertini Themistoclis pater maxime dolens de negligentia executoris testamentarii, qui elapso jam anno a morte testatoris erectionem capellaniarum neglexerat, mense Aprilis superioris anni 1861 supplici libello Sanctissimum Patrem rogavit, ut executori testamentario erectio immediata injungatur capellaniae, ad quam filius Themistocles nominatus est: cumque ipse Themistocles vix decem annos natus careret aetate canonica ad beneficia ecclesiastica retinenda requisita, attenta mediorum deficientia ad ecclesiasticam ipsius educationem comparandam, dispensationem pariter super aetatis defectu postulavit.

Precibus ad Pergulanum Episcopum transmissis, ut audito executore testamentario et inspecta fundatione referret super legitima dispensationis causa, gravitèr anxium sese exhibet laudatus Praesul super hujusmodi negotio, et injuste repugnantem capellaniarum erectioni executorem testamentarium vel ex eo renuntiat, quod nullibi testator tradiderit, omnes capellanias eodem simul tempore fore instituendas. Preces proinde Albertini commendans, iis verbis mentem suam aperit. Eadem quae Albertini pater „et nos ex animo postulamus, habita etiam ratione tam status oeconomici familiae, undequaque optimae, clerici perrogantis, quam hujus innocentiae qua ceteros coaevos suos longe lateque devicit, nec praetereunda testatoris dilectio.“

Minime sane favet Albertini precibus executor testamentarius, qui mentem fuisse testatoris ait, ut capellaniae tunc erigerentur, cum adimpletum fuisset bonorum omnium in censibus investimentum; quod nec brevi tempore perfici, nec tam facile obtineri posse testator ipse praeviderat. Addidit tamen in suis literis 18. Junii superioris anni: „Sub finem anni currentis 1861 sex istas capellanias erigere potero, quo tempore omnis pecunia exacta et investita erit, dummodo debitores non appellent ad tribunalia superiora neque facienda sit venditio judicialis fundorum, quod longum tempus requireret.“

Enimvero quoad postremas quatuor capellanias dubitari forsan non posset, quin earumdem erectio juxta testamenti tabulas locum habere non debeat, nisi peractis jam omnium bonorum venditionibus novisque investimentis executis. Tunc enim dignosci poterit, quid unamquamque capellaniam contingat. Non idem tamen sentiendum fore videretur de prima et secunda capellania, quarum dotem certam omnino et determinatam testator ipse constituit, rectoresque pariter nominavit. Cum optimum ergo sit, ut defunctorum voluntates quamprimum executioni mandentur, maxime cum agatur de suffragiis eorumdem animabus per celebrationem missarum praestandis, judicent EE. VV., quid de supradictarum capellaniarum erectione statuendum sit.

Ceterum etsi Tridentina Synodus sess. 23. c. 6. de reform. praescribat ut nullus . . . ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere, benigne tamen hujus S. Congregationis praxis semper exstitit, ut justa interveniente causa, dummodo tamen alteri praejudicium non inferatur, super defectu requisitae aetatis dispensetur, et inter legitimas causas potissima sane reputatur esse passiva vocatio ad beneficium illius, qui foret dispensandus, ejusdemque paupertas, ceu videre est in Verulana Archidiaconatus 30. Januarii 1768 §. Aetatis, in Sutrina Dispensationis 10. Januarii 1846. §. Excluso, et in quamplurimis aliis hujus S. Congregationis resolutionibus.

Esse locum immediatae erectioni capellaniae, de qua in precibus et consulendum Sanctissimo pro petita dispensatione super defectu aetatis et ad mentem; mens est, ut Episcopus curet erectionem aliarum capellaniarum, quo citius fieri potest.

267. Venusina. — Reductionis missarum et erectionis capellaniarum.

Die 26. Januarii 1856.

Fratres Rapolla civitatis Venusii supplici oblato libello exponunt, haereditaria bona quae a majoribus suis habuerunt pluribus gravari missarum legatis; quorum seriem exscribere praestat ab relatione Episcopi: „1. Vigore testamenti archidiaconi Venantii Rapolla anni 1679 haereditas suis transmissa

onere ducatorum mille gravabatur, ut ex fructibus dicti capitalis tot missae a clericis suae familiae celebrarentur, quot stipendio carolenorum trium juxta reditus responderent. Quae capellania anno 1703 a Vincentio Casazza aucta fuit alio capitali ducatorum tercentum cum iisdem oneribus missarum, ita ut annui reditus dictae capellaniae computari queant ad annuos ducatos sexaginta quinque pro celebratione missarum ad numerum 216 pro eleemosyna carol. trium.

2. Idem pius testator Vincentius Casazza decedens eodem anno 1703 haereditatem universam familiae de Rapolla legavit eum in finem, ut ex fructibus haereditatis ad valorem ducat. 5520 celebrarentur annuae missae juxta reditus liquidatos in duc. 276 ad rationem carol. quinque.

3. Repetitus pius institutor anno 1700 jam fundaverat quamdam laicalem praebendam favore clericorum ejusmet familiae Rapolla eam dotando capitali pretio duc. 1030 pro celebratione missarum 257 cum eleemosyna unius tareni monetae regni, facultate capellano de familia Rapolla tributa „supradictas missas celebrare facere a quo maluerit ad rationem et pro eleemosyna unius caroleni pro qualibet, et ad sui commodum et beneficium retinere et appropriare alterum carolenum“.

4. Denique quidam Joannes Thomas Coccinelli suam haereditatem memoratae familiae Rapolla relinquens, eam onere capitalis sortis ducat. centum gravavit, ut ex reditu ducat. quinque celebrarentur missae 25. Ex quibus simul sumptis emergit sors capitalis in duc. 7.950, annuus reditus in duc. 397. 50, missae celebrandae ad numerum 1050.

Constantissime hujusmodi capellaniarum bona separatim administrata sunt usque ad epocham abrogationis fideicommissorum in Neapolitana ditione, quo quidem tempore una cum bonis liberis familiae Rapolla commixta sunt; nihilominus praescripta missarum onera perpetuo adimpleta fuere. Sed cum anno 1842 ad familiaris patrimonii divisionem Oratores devenissent, non eadem diligentia huic obligationi satisfecere; siquidem parvum missarum numerum pro lubitu eorum quisque celebrari curavit, ac postremis hisce annis penitus intermissa missarum satisfactione, jus loco satis habuere summam ducat. 1500 contributionis titulo impendere pro reaedificanda parochiali ecclesia Deo in honorem S. Dominici in eadem civitate dicata, vi terraemotus diei 14. Augusti 1851 penitus eversa.

Quamobrem Oratores, ut conscientiae suae tranquillitati consulant, et ab onere quolibet soluti in posterum evadant, praevia absolutione pro praeteritis omissionibus, proponunt duas tot legatorum loco constituere ecclesiasticas capellanias perpetuas et inamovibiles favore duarum capituli cathedralis dignitatum, archipresbyteri videlicet in secunda, et cantoris in tertia dignitate constituti sine peculiaribus praebendis, absque ulla reservatione jurispatronatus, et cum dotatione in fundis stabilibus annui reditus duc. centum et quinque; ita ut archipresbyter et cantor subjacere in solidum deberent oneri celebrandi singulorum legatorum missas, ad numerum tamen 210 reducendas, omnibus diebus festis de duplici praecepto et feria secunda cujusque hebdomadis in altari S. Mariae de Constantinopoli in cathedrali ecclesia pro animabus piorum institutorum, cum eleemosyna carolenorum quinque pro qualibet missa. Quo quidem supplex eorum libellus spectat.

Episcopus, informationem ac votum rogatus, Oratoribus auditis qui uni interesse in re habent, exposita retulit, ac precibus annuendum censet tum quoad absolutionem pro praeterito tempore, tum etiam quoad reductionem pro futuro, ex quo nimirum augeretur divinus cultus in cathedrali ecclesia, ac propria duae ejusdem cathedralis dignitates praebenda donarentur.

Quamvis Oratorum consilium duas ecclesiasticas erigendi capellanias, absque ulla jurispatronatus reservatione, eo etiam fine ut praebenda duabus cathedralis ecclesiae dignitatibus perpetuo statuatur commendatione dignum plane sit; attamen disquirendum est, an id legitimam constituat petitae reductionis concedendae causam. Porro Ecclesia gratam semper se praebuit erga eos, quos bene de se meritos novit, quosque omni beneficiorum genere cumulare suevit; et hoc etiam praetermisso, plura exstant reductionum exempla publicae necessitatis vel utilitatis ratione indultarum, quae quidem ratio ultimas voluntates aliquando commutari absque piaculo posse suadet ex doctrina Monet. de commut. ult. volunt. cap. 6. n. 75, Piton. de contr. patr. alleg. 50. num. 7 et S. Congregationis in Senogallien. Reductionis onerum 16. Junii 1827.

Ex altera parte perpendendum occurrit, S. Congregationem valde semper sollicitam fuisse, ut praescripta missarum sacrificia in animarum expiationem adamussim litarentur, et ut sancte ac religiose custodirentur piae testatorum dispositiones, quas nec in opus melius, ubi commode impleri possint, immutari permittit. Hinc ceteris missis, in Senen. Reductionis missarum et erectionis capellaniarum 19. Julii 1828 ad I. dubium respondit non expedire reductionem missarum ex pluribus legatis ecclesiae metropolitanae relictis proficiscentium, quam Archiepiscopus postulaverat, ut duo capellaniae chorales erigerentur, etsi hujus erectionis necessitas ad chorale servitium augendum assereretur, et reductio in choralium commodum vergere debuisset; quod quidem in hisce rerum extremis aliquando S. Congregatio indulsit.

In casu autem accedit petitam reductionem non tam afficere reditus, qui pro capellaniarum ac praebendarum institutione assignantur, quamvis eleemosyna statuatur in carolenis quinque pro qualibet missa, quandoquidem in legato Casazza ad eamdem rationem eleemosyna praefiniatur; sed ad superexstantes omnes longe majores reditus protendi, quibus Oratores quolibet soluti onere perfrui deberent. An vero omni ex parte petitioni sit annuendum, tantoque beneficio eosdem Oratores in quamdam veluti correspectivitatem abdicationis juris patronatus donare expediat, vel alia potius ineunda sit ratio qua minori cum piorum testatorum dispendio propositum consilium exsecutioni demandetur, judicabunt EE. VV.

Quidquid hac desuper re statuerint, decernent etiam an intuitu peractae contributionis pro ecclesiae parochialis reaedificatione pro missis quoad praeteritum tempus non celebratis Oratores absolvendi sint.

Dilata, et scribatur Episcopo ut meliores exhibeat conditiones et pleniores informationes.

Die 20. Decembris 1856.

Ad hujus mandati tramites novas transmisit relationis literas Episcopus, in quibus auditis iterum Oratoribus, haec tantum addenda sibi esse monet: „Quod abrogatis in hac Neapolitana ditione legibus fideicommissorum, religioni tantum et conscientiae haeredum relictum est onerum missarum adimplementum. Hinc est quod fratres Rapolla nulla lege, sed conscientia tantum se teneri praesumunt celebrare facere recensitas missas annuas 1050 cum eleemosyna unius caroleni pro qualibet, ita ut medio annuo censu ducatorum 105 obligationi et oneri satisfaciunt. Et ni per S. Sedem ipsis indulgeatur petita reductio et erectio capellaniarum in titulum ecclesiasticum absque aliqua reservatione jurispatronatus, creare intendunt liberam capellaniam familiarem; quod nonnisi in ecclesiae detrimentum vertere comperitur. Ideo

de novo recurrunt pro gratia reductionis et erectionis, additis ad summam ducatorum 105 aliis ducatis quinque, in unum duc. 110. De absolutione vero circa missas non celebratas prout in precibus, S. Congregatio praescribat quidquid pro suo lubitu magis in Domino expedire videbitur."

Quoad praeteritas omissiones, attenta erogatione summae pro reaedificatione ecclesiae parochialis, pro gratia absolutionis et condonationis; quo vero ad reductionem pro gratia juxta votum Episcopi, aucta tamen dote utriusque capellaniae ad annua ducata 12, pro utraque et injuncto in solidum onere quotidianae applicationis, facto verbo cum Sanctissimo.

268. Signina. — Institutionis capellaniarum.

Die 27. Augusti 1864.

Pium sodalitium sub invocatione B. M. V. titulo sanctissimi rosarii exstabat olim in cathedrali Signina erectum, proprium habens capellanum, qui onera sodalitium gravantia sustinebat et reditu scutatorum circiter septuaginta quotannis perfruebatur. Eo tamen exstincto, quo tempore et qua de causa nescitur, Signinus Episcopus, ad quem redituum administrandorum cura juxta ss. canonum sanctiones transierat probe noscens, vicarium perpetuum capituli Signini, penes quod cura habitualis trium circiter millium animarum residet, ecclesiastico quodam coadjutore prorsus indigere, anno 1851 ab H. S. O. petiit ut reductis per hanc Sacr. Congregationem oneribus reditus antiquae capellaniae sanctissimi rosarii capellano ad nutum Episcopi amovibili tribui possent, qui vicario perpetuo assiduam adjutricem operam in cura animarum praestare deberet.

Voti compos factus Episcopus per rescriptum diei 30. Augusti 1851 a Sanctissimo Domino Nostro benigne approbatum, quo petita facultas concessa est, ea qua par erat Episcopus reverentia et obsequio mandata Sacri Ordinis debitae exsecutioni die 4. Januarii 1852 plenissime commisit, ita ut exinde perpetuo electus capellanus vicario in exercitio curae animarum adjutor adstiterit.

Superiori vero anno idem Signinum capitulum animo reputans non levi emolumento tum paroeciae fidelibus tum cathedrali ecclesiae futurum, si non unus tantum, sed duo adessent capellani, qui non solum vicarium perpetuum adjuvarent, verum etiam in iis sacris functionibus in ordine diaconatus et subdiaconatus ministrarent, quae a canonicis celebrantur, nec non eas peragerent, quae in cathedrali ecclesia capituli cura et diligentia sed non a canonicis ex officio peragendae essent, preces huic S. Ordini obtulerunt, rogantes ut exstinctae confraternitatis bona mensae capitulari addicerentur ea lege, ut capitulum ipsum quotannis unicuique ex duobus capellanis, ratis menstrualibus, quinquaginta annua scutata retribueret, sibi assumens obligationem iis omnibus satisfaciendi oneribus, quae hactenus ab unico capellano adimpleta sunt.

Acceptis his precibus mandavi Episcopo, ut audito capitulo collegialiter coacto, mentem suam aperiret simulque referret de praesenti reditu et oneribus capellaniae et de legitima augendi capellanorum numerum causa. Canonici itaque ab Episcopo interrogati unanimi ferme suffragio institutionem alterius capellaniae utilissimam pro meliori cura parochiae et ss. functionum decore commendant. Proponent vero ut capellanis imponantur haec onera, ut parochum coadjuvent iis sub regulis, quas Episcopus praescripturus sit. et

ut in omnibus missis solemnibus etiam de Requiem ministrent item in vesperis, novenis et aliis solemnibus functionibus, et alias functiones peragant, quas solebat facere canonicus absque capituli assistentia; denique ut solitis diebus rosarium recitent.

Deinde capitulum suum exprimit desiderium, ut a S. Ordine approbetur institutio ista capellanorum cum clausula amovibilitatis ad nutum, utque electio eorumdem non fiat nisi praevio examine, et nominatio unius ex supradictis in perpetuum capitulo eidem reservetur. Notulam praeterea susciendorum onerum ab Episcopo traditam rite et solemniter approbavit. Praevidens tandem casum „quo capellani praetenderent occupationem in cura parochiae, ut a functionibus capituli se eximerent, censuit capitulum ipsos ex suis reditibus substitutum procurare debere, imo ad id mulctis adigi posse.“

„Haec forent demissa vota capituli, ita Episcopus in suis literis, quae cum eo spectent, ut animarum curae et divini cultus decori meliori ratione prospiciatur, omni commendatione digna profecto sunt, et ideo ab ista S. Congregatione benigne accipienda fore confido. Hac fretus fiducia clarius rem per summa capita exponam. Mea cathedralis ecclesia quatuordecim canonicis constat et quatuor beneficiatis pariter choro addictis, qui tamen, nempe beneficiati, servitio mere chorali excepto, nulli alii obligationi adstrictos se esse contendunt, ita ut in illis sacris functionibus, quae ministris egent, suam assistentiam praestare renuant omnino, dictitantes se saltem consuetudine ad id non teneri. Quod quanti dedecoris et quantarum perturbationum causa esse possit nemo non videt. Sacrae enim functiones, quae ad cultus divini splendorem vel ministrantibus vel assistentibus diacono et subdiacono peragendae essent, ob horum defectum interdum vel ab uno celebrante vel ministrantibus canonicis fieri necesse est. Huic malo profecto remedium afferretur, si duo capellani instituerentur, qui liberi omnino a chori servitio onus habeant non tantum praestandi vicario perpetuo in cura animarum auxilium, verum etiam omnes illas sacras functiones, missis exceptis, peragendi quae ab uno celebrante absque aliorum sacerdotum assistentia fiunt, nec non in ordine vel subdiaconatus vel diaconatus ministrandi in aliis omnibus, quae cum ministris celebrantur. Neque hoc alterum onus incompatibile cum primo censeri debet, rarissime enim et forsan nunquam evenire potest, ut parochi et amborum capellanorum eodem tempore assistentia necessaria sit in parochia trium millium circ. animarum, quae usque ad annum 1852 ab uno vicario perpetuo absque ullo auxilio regi potuit, ... reditus bonorum ad exstinctum sodalitium spectantium, olim ad septuaginta, nunc forsan ad centum viginti scutata ascendunt non deductis tamen oneribus“ quae ut eruitur ex memorata superius notula summam scutator. 56 quotannis absumunt.“

Ex hactenus dictis manifestum est tum divini cultus incrementum tum animarum majorem utilitatem capitulum ad hodiernas preces exhibendas excitasse, iisdemque de causis capitularium vota a Signino Antistite commendari. Equidem quod semel placuit in iisdem circumstantiis, quae nunc afferuntur, paucis vix exactis annis displicere non deberet. Ratio enim postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur ad tradita per Conc. Trid. sess. 25. c. 5. de reform. Nec etiam decet Sacratissimi Principis rescripta ad petentium placitum permutari, nisi gravibus saltem causis porrectae preces sustententur.

Attamen his non obstantibus gratiam exspectant canonici, et duplicem ob causam eumdem exorant. Prima quidem, utilitas nempe animarum jam in praecedentibus Episcopi precibus anni 1850 afferebatur, eique satis con-

sultum fuisse dici potest ope rescripti H. S. O. diei 30. Augusti 1851. At altera in praesentiarum accedit eaque sat gravis et recens adducta, quam in divini cultus incremento cathedrali ecclesiae certissime obventuro, praesto sibi esse capitulares affirmant. Nec insuetum aliunde est, ut hic Sacer Ordo ob hanc etiam unicam causam et permutationem voluntatis testatorum et reductionem quoque missarum, quatenus saltem alia media desint, haud deneget, ut innumera resolutionum exempla palam demonstrant, Veronen. Unionis et Reductionis missarum 30. Maji 1846, Pignatell. cons. 54 n. 6 et 7. Quin imo cum capituli hodiernae preces in tuto magis ponant adimplementum omnium onerum exstincti sodalitii, satis efficax inde ratio exsurgit, ut optatum preces sortiantur effectum.

Dilata et ad mentem.

Die 26. Novembris 1864.

... Cum Sacri Ordinis mentem Episcopo aperuerim eum in finem, ut juxta eidem transmissas instructiones referret, novis in literis ad singulas quaestiones haec fere exposuit: „S. Ordo in primis quaesivit, an capitulum satis provisum sit, reditibus, ut capellaniarum onera assumere possit. Deductis rationibus Episcopus exponit, augeri onera capituli 21 scutatis annuis, quae summa inter 16 canonicos dividenda esset; adesse praeterea massam communem 600 vel 700 scutatorum annuorum ad ferenda onera designatam, praebendarumque reditus majores esse scutatis 100, imo pro quibusdam canonicis eos superare scut. 150. Concludis hinc sufficere reditus canonicorum, ita ut facile illud onus assumere possint.

Quoad alteram quaestionem, cur beneficiati assistere nolint functionibus capituli, id inde evenire ait, quod ista obligatio in fundatione beneficiorum expressa non sit, imo affirmetur beneficiatos anteactis temporibus judiciali sententia ab hoc onere declaratos esse immunes. Denique quoad illud quaesitum, cur ipsi canonici non ministrent in functionibus capitularibus respondet distinctionem praebendarum in presbyterales et diaconales factam non esse, sed omnes esse sacerdotales. Verum quidem esse, quod S. Congregatio Rituum in una Calaguritana 7. Septembr. 1593 et in Sarnen. 4. Martii 1638 declaraverit, canonico solemniter celebranti assistere debere in gradu diaconi et subdiaconi alios canonicos, non autem capellanos, non obstante immemorabili consuetudine. At verum non minus esse, eandem S. Congregationem in una Ferentina Crypsolitarum 7. Sept. 1605 dixisse: „Canonici non sunt cogendi ad cantandam epistolam vel evangelium, quando alius canonicus vel dignitas celebrat, nisi quando praebendae sunt distinctae.“ Ferraris v. Canonicatus, Canonicus art. 5 num. 93. Et cum in Signinà cathedrali praebendae non sint distinctae, ex contrario contrarium sequi videtur. Praeterea refert Episcopus declarationem in Bituntina 9. Februar. 1608: „Canonici qui habent praebendas diaconales vel subdiaconales, tenentur ministrare et servire dignitatibus et aliis canonicis, quando missas celebrant solemnes et vesperas.“ Ferraris loc. cit. n. 94. Ad haec usu generali cathedralium ubi praebendae distinctae non sunt, receptum esse ait, ut alii sacerdotes ministrent pro annuo stipendio. Animadvertit denique Episcopus nisi hoc onus capellanis imponatur, paucissimos fore qui in functionibus sacris cantu Deum laudent ob multiplices exemptiones, impedimenta canonicorum poenitentiarii. theologi, infirmorum et eorum qui jubilationis beneficii obtinuerunt.

Dilata et ad mentem. Mens est, ut Episcopus audito capitulo novum modum proponat, ut ex bonis confraternitatis exstinctae distributio statuatur favore capitularium, qui ut diaconus et subdiaconus altari assistant.

Die 15. Junii 1868.

Episcopus ad haec retulit, capitulum in sua sententia persistere, atque etiam se ipsum alium meliorem modum proponere non posse. Insistit suae petitioni, ut justa inter capellanos et parochum fiat et emolumentorum et laboris distributio cum augmento boni spiritualis populi. Animadvertit denique capitulo scienti et volenti nullam injuriam fieri, si novum onus ei imponatur.

Negative et ad mentem. Mens est, quod Episcopus curet, ut capitulares diebus festis ministrent ut diaconus et subdiaconus in missa conventuali et de resultantibus Sacram Congregationem certioret.

2. An beneficium sit ecclesiasticum.

269. Firmana. — Capellaniae.

Die 29. Augusti 1857.

Andreas Luparelli, condito testamento anno 1672, beneficium simplex instituit jurispatronatus suorum descendentium, cujus primum ipse rectorem nominavit proprium filium Joannem Lucam ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, cum onere missae quotidianae in altari majore ecclesiae parochialis SS. Cosmae et Damiani in civitate Firmanae celebrandae.

In casu autem diminutionis vel augmenti redituum, quoad numerum missarum vel capellanorum in posterum, haec statuit: „In casu diminutionis redituum, ita ut non sufficiant pro impletione oneris impositi, arbitrio Archiepiscopi Firmani pro tempore decidatur, quot missae celebrandae sint; in casu augmenti redituum ... alius capellanus ex eadem linea eligatur cum onere missarum reditibus conformi et judicio Ordinarii statuendo; capellanus vel capellani missas celebrare vel celebrari curare, si non sunt sacerdotes, tenentur in enuntiata ecclesia, non alibi.

Tandem expresse declaravit fundator, nunquam nec Datariam neque Ordinarium jus quodquam acquirere posse super dictum juspatronatus laicale ne pro expeditione quidem bullarum, ita ut, quisquis praedicto Joanni Lucae succedet, producens instrumentum nominationis pro admissione non plus quam 3 scut. solvere debeat, quo facto ipsi Joanni Lucae ejusque successoribus possessionem veram, corporalem capere liceat omnium bonorum ad jus patronatus pertinentium et id quidem propria auctoritate, sine decreto, mandato vel licentia cujusvis judicis.“

Insequenti anno 1673 primus capellanus frater Joannes Lucas Luparelli institit apud archiepiscopalem Firmanam curiam pro decreto erectionis interponendo, ac possessione beneficii obtinenda, et utrumque ab eadem solemniter obtinuit. Exstat et inventarium bonorum confectum anno 1819, in quo idem beneficium Luparelli in duplex jam scissum atque erectum id temporis apparet ex utriusque inibi distincta bonorum atque onerum descriptione.

Quibus ita se habentibus anno 1826 Bartholomaeus Cordella Firmanae ecclesiae archidiaconus, ejusdemque dioecesis provicarius generalis nominatus exstitit ad praefatum beneficium seu capellaniam. Anceps vero de illius ecclesiastica vel laicali qualitate, e re sua duxit rogatum adire Sacratissimum

Principem pro dispensatione super pluralitate beneficiorum, quam illico obtinuit. Praeterea, reperto inventario anni 1819, ubi scissa in duas capellania apparet, neque probe expendens apostolicas collationis literas, ubi de una tantum est sermo, anno 1830 supplex adiit Archiepiscopum pro obtinenda declaratione duplicis capellaniae, praesertim ad demanium bonorum quod timebatur evitandum. Decretum et archiepiscopale prodiit: „Duas distinctas et separatas esse capellanias mere laicales etc.“ Post haec cum comperisset missas ex indulto ab antecessore obtento reductas fuisse ad quatuor tantum hebdomadales, supplicem se praebuit pro augendo illorum numero juxta pristinum ad octo in qualibet hebdomada, cum venia tamen, ut septem missas valeret vel per se vel per alium in qualibet ecclesia celebrare, et imposito onere unam tantum litandi in ecclesia, ubi est erecta capellania. In utroque autem praefato supplici libello exposuit, uti opinabatur, capellaniam unam esse, atque in ultimo ex praedictis libellis, esse laicalem.

Huc re adducta, idem Orator Cordella, expendens ex visis mox monumentis capellaniam in primo nominationis actu fuisse pro una retentam, in sequioribus vero collationum literis apparere veluti duas distinctas in oneribus atque praediis pro tranquillitate conscientiae suae instanter a SS. Principe implorat, ut dignetur 1. sanare qualemcumque irregularitatem hac in re patratam; 2. declarare pro futuro capellaniam Luparelli etiam quoad jus patronatus passivum mere laicale, observata de cetero in provisione voluntate testatoris; 3. declarare, an sint duae capellaniae diversae, vel una tantum, cum testator unam solam voluisse videatur. Ejus votis annuit Eminentissimus Archiepiscopus informans, commendationemque suam pro plurimis, quibus ille pollet meritis, adjicit.

Quamquam non desint rationum momenta pro duplici capellania dijudicanda, tum si inspiciantur fundationis tabulae, ubi, adauctis reditibus pro missarum celebratione, testator voluit, ut eligeretur alter capellanus; tum si inspiciatur inventarium anni 1819, ubi duplex refertur jam erecta capellania distinctis cum oneribus ac reditibus; tum denique si attendatur archiepiscopale decretum anni 1830, quo declaratum fuit „duas distinctas et separatas esse capellanias mere laicales: nihilominus magis consentaneum ejusdem fundatoris menti videtur unam esse capellaniam, unum idemque simplex beneficium, cum facultate eligendi alium capellanum, si reditus augeantur et missae, non uti principalem rectorem, sed uti coadjutorem pro missarum celebratione. Etenim fundator statuit unum juspatronatus pro uno simplici beneficio, unumque capellanum nominavit, cui onus adjecit missae quotidianae; per accidens tantum alium sufficiendum arbitrio Ordinarii capellanum edixit, si missae, adauctis reditibus, adaugerentur; quod in subsidium potius capellaniae rectoris statuit, qui cum jam onere premeretur missae quotidianae, ad celebrandas alias alterius sacerdotis ope indiguisset. Adde in erectionis decreto unum fuisse commemoratum simplex beneficium; atque in apostolicis literis, uti fertur, unam tantum capellaniam recenseri.

Ceterum nonnisi in casu quo adaugeretur missarum numerus in fundatione praescriptus, indicta est alterius capellani electio: quod nunquam contigit. Etenim etsi in inventario anni 1819 inveniantur duae capellaniae descriptae; tamen una cum onere duarum missarum in hebdomada, altera missarum sex; qui numerus similiter habetur in archiepiscopali decreto anni 1830, ubi declaratae fuerunt duae distinctae capellaniae. Atqui hic idem numerus est in fundatione praescriptus, octo scilicet missarum in hebdomada, seu missae quotidianae pro uno capellano. Ergo cum numquam adauctus fuerit missa-

rum numerus, ratio desiit, cur duae decernerentur capellaniae, etsi duas voluisset fundator.

Quo vero ad ecclesiasticam capellaniae qualitatem, ea certe solet argui ex erectionis decreto, atque ex subsecutis collationibus, quae in praesenti specie concurrunt; verum haec nihili facienda in themate fortasse viderentur, cum de laicali indole satis abunde constet ex fundationis lege. Voluit enim fundator, tum Datariam, tum Ordinarium nunquam posse se immiscere in eodem beneficio: ita ut capellanus possit propria auctoritate in bonorum possessionem se immittere. Quod idem est, Ordinarium excludere voluisse ab tribuenda institutione nominato. Porro cum adjecerit conditiones ecclesiastico beneficio adversas, videtur voluisse tantum capellaniam laicalem, ad tradita per Piton. de controv. patron. alleg. 31 num. 2. et num. 7. Quin obsint vel decretum erectionis, vel subsecutae collationes; haec enim, cum patula sit fundatoris mens, ex errore evenisse censendum est, S. Congr. in Interamnen. Capellaniae 20. Maji 1854 §. Perperam; potissimum quod semper uti laicalis ex documentis recenseatur.

Verum si duplex dijudicanda sit capellania, vel ecclesiastica habenda, viderint Eminentissimi Patres, utrum Orator pro eo quod contra fundationem gessit, vel bona fide exposuit in praefatis libellis Sanctissimo alias porrectis, sanatione indigeat ac donandus sit. Porro illum dignum censet ob praeclara ejus merita Eminentissimus Ordinarius, qui S. V. Ordinis indulgentiam assequatur.

Dilata, et coadjurentur probationes etiam super reditibus, auditis patronis.

Die 24. Aprilis 1858.

Id porro praestitit Eminentissimus Archiepiscopus, transmissis nonnullis foliis, in quibus continetur votum interesse habentium, et habetur status activus et passivus capellaniae Luparelli. Constat itaque reditus capellaniae assurgere ad annuos scutatos nummos 168. 68., onera vero absumere annuatim scutatos nummos 133. 22. 4, unde superest summa scut. 35. 45. 6.

Interesse autem habentes, omnes in hanc conveniunt sententiam; nimirum capellaniam de qua agitur unam esse et laicalem; quod sequentibus rationum momentis demonstrant. Et primo quod capellania una sit et non duplex ex eo arguunt, quod testator de capellania sermonem habet in universa testamentaria dispositione per modum unius, eam simpliciter appellans juspatronatus; onera praestituit et missam quotidianam, ac unum ipse capellanum nominavit, statuens, ut post hujus obitum unica nominatione alter capellanus defuncto sufficeretur, quin de altera nominatione alterius capellani mentionem ullam fecerit. Praeterea unicam dotem, non distinctam constituit, ac imo etiam cum auctis reditibus missarum onera augeri debuissent, haud praecepit assignatae dotis separationem, sed solummodo voluit ut alter deputaretur, qui missas quas capellanus per sese non posset, celebraret.

Quod vero capellania sit laicalis inferunt ex eo quod talem eam apellaverit fundator, qui insuper ecclesiasticae auctoritatis interventum omnino ab ea exclusit. Quin imo nec verbum occurrit ex quo argui possit, testatorem jussisse eligi in rectorem virum ecclesiasticum, qui ab sua descendentia extraneus foret, ubi nemo ex eadem descendentia adesset qui ecclesiasticae militiae se mancipare vellet. Hinc non officere censent vocabulum beneficium simplex a testatore adhibitum, cum ex contextu pateat, denominationem hanc lato ac improprio sensu intelligendam esse, praesertim quia non additum est vocabulum ecclesiasticum.

Hisce aliisque quae in praeterito folio expositae sunt rationibus perpensis, erit EE. VV. decernere, quod supplici huic libello responsum dandum sit.

Pro gratia sanationis ac condonationis facto verbo cum Sanctissimo. In reliquis capellaniam esse unicam et laicalem et ad Eminentissimum Archiepiscopum, qui statuat numerum missarum celebrandarum juxta voluntatem testatoris.

270. Assisien. — Capellaniae.

Die 14. Januarii 1860.

Quidam Joseph filius quondam Biasii quondam Joannis Mariae e Castro Novo Assisiensis dioecesis sub die 29. Maji anni 1702 per actum inter vivos capellaniam instituit, designatis fundis a capellano vix habita nominatione, cum clausula precarii et constituti possidendis, usufruendis, manutenendis, computandisque etiam in titulum ordinationis; cum onere celebrandi binas missas unaquaque hebdomada in qualibet ecclesia vel altari in perpetuum. Jus nominandi sibi dum viveret reservavit institutor, ac reipsa capellanum nominavit Joannem Baptistam Pennichi Assisiensem, qui capellaniam in patrimonii titulum sibi constituit. Post sui mortem voluit ut idem nominandi jus Carolus, Bonaventura, Hieronymus, et Hyacinthus Morelli e Castro Novo eorumque descendentes masculi, iisque deficientibus etiam feminae assequerentur, ea tamen lege ut si in posterum descendentes adessent ex Profilio Pennichi, fratre praedicti Joannis Baptistae, ii ceteris in nominatione praeferrentur. Mortuo Pennichi, qui deinde capellani successerunt, capellaniae possessionem nacti sunt, quin constet ab episcopali auctoritate institutionem eos obtinuisse, etsi unus ex eis presbyter nempe Franciscus Corradini ope instrumenti a cancellario episcopali rogati anno 1784 possessionem sit assecutus. Vita functo Corradino, neque patronis neque Episcopo tempore debito nominantibus, literis apostolicis datis anno 1819 die 23. Januarii collata fuit a Summo Pontifice Pio VII presbytero Assisiensi Petro Ceccotti, qui bona illius in supplementum sacri patrimonii contulit, ac in possessionem ex decreto executoriali vicarii generalis a cancellario episcopali fuit immissus. Ceccottio successit sacerdos Laurentius Biondi, qui a patronis nominatus confirmationem ab Episcopo, eademque die a cancellario episcopali capellaniae possessionem obtinuit. Jam vero clericus Assisiensis Joannes Giovannini, qui ab anno 1856 in nominatione Biondi successor exstitit, ratus non de ecclesiastico beneficio, sed de pia dumtaxat donatione missarumque legato institutorem disposuisse, absque ulla Episcopi auctoritate possessionem capellaniae cepit, in qua contradicente nunc episcopali curia manuteneri postulat.

Episcopus de more rogatus putat beneficium ecclesiasticum fuisse constitutum, tum quia institutor capellanos nominavit, qui clericali militiae essent adscripti, tum quia iis facultatem fecit bona capellaniae in sacrum patrimonium constituendi. Idque confirmari subjungit ex collatione semel facta ab Apostolica Sede, ex institutione et possessione a curia episcopali pluries obtenta, et ab ipso institutore quodammodo requisita. Qui dum in institutionis actu voluit ut capellani habeant possessionem dictorum fundorum voluit profecto aliquem adesse qui possessionem tradat, Ordinarium videlicet, ut observantia hactenus comprobavit, ac agnovit ipse Giovannini, qui nominationem patronorum exhibuit, ac confirmationem petiit, licet illam hodie detrectet. Quoniam vero in praesenti casu tempus utile elapsum est, concludit collationem fieri oportere a Sede Apostolica, nisi haec veniam faciat, ut ab Ordinario literae expediantur, quibus possessio acquiratur.

At vero clericus Giovannini nonnisi pium legatum minime vero ecclesiasticum beneficium contendit fuisse constitutum. Utque primum rem conficiat ex actu institutionis, ex quo capellaniae qualitas est agnoscenda, observat ne verbum quidem in ipso reperiri de ecclesiastica auctoritate invocanda (quam quidem interpositam unquam fuisse non constat), deque obtinenda canonica institutione, imo ab adjecta constituti et precarii clausula, et a possessione, vix habita nominatione, acquirenda, videri potius excludi. Atqui notissimum in jure est ad beneficia ecclesiastica constituenda requiri ecclesiasticam auctoritatem, qua non accedente erit solummodo pia quaedam donatio vel pium legatum, ut docent Rebussus in praxi beneficior. tit. Quae instituta sunt beneficia num. 10. Pyrrhus Corradus cap. 2. num. 28. aliique; ideoque ab Ordinario non conferenda, sed esse sub dispositione fundatoris et ejus haeredum, qui possunt tales capellanias donare quibus voluerint juxta dispositionem fundatoris, dummodo sint idonei, Garcia apud Barbosam de benef. p. 1. c 2.“

Quod secundo confirmare studet ex observantia. Pennichius enim ab ipso institutore nominatus, capellaniae possessionem obtinuit sine ullo Ordinarii interventu. Corradinus item immissus fuit in possessionem unice in vim instrumenti nominationis, ut ex actu possessionis liquet. Clerici vero illi qui ad sacros ordines hujus capellaniae nomine promoti sunt, non eam habuerunt uti sufficientem ex sese titulum, sed ut sacri patrimonii supplementum juxta factam iis ab institutore potestatem.

Nec ex canonica capellaniae possessione a Biondi habita argumentum peti posse demonstrat. Praeterquamquod enim tam apertae institutioni ac subsequenti observantiae repugnat, unica collatio et institutio ab Ordinario facta non sufficit ut beneficium censeatur. Nam ut docet Barbosa l. 3. c. 5: „Quando constiterit fundatorem noluisse facere capellaniam collativam et beneficium et sic de illius initio, sufficit fuisse collatam ut beneficium spatio 40 annorum, ut habeatur pro beneficio.“ At non solum a possessione capta a Biondi, sed etiam a possessione capta a Ceccottio anno 1817 vi literarum apostolicarum, ad annum 1856, quo primum quaestio mota est, quadraginta anni minime effluxerunt, dato etiam appositionem manuum Pontificis rem in pristino statu haud relinquere. Quae cum ita sint postulat Orator declarari ab hoc Sacro Ordine capellaniam praedictam non esse ecclesiasticum beneficium, ita ut sine ulla Ordinarii auctoritate in sua pacifica possessione manuteneri debeat.

Non constare de ecclesiastica beneficii qualitate, et Oratorem esse manutenendum.

3. Commutationes status beneficiorum.

a. Casus translationis.

271. Bovinen. — Commutationis voluntatis.

Die 20. Maji 1854.

Sabinus De Angelis Bovinensis testamento quo decessit condito die 22. Septembris 1852 octomille ducatorum legatum reliquit, mandans ut quatuor erigerentur capellaniae in parochiali ecclesia S. Petri ejusdem civitatis Bovinen. injuncto singulis capellanis onere litandi quolibet anno septuaginta quinque missas, ac divinum recitandi officium in eadem paroeciali ecclesia more choralium. Capellaniarum autem patronos nuncupavit Cyriacum fratrem suum

germanum, ejusque descendentes; quibus deficientibus substituit familiam Lucarelli sibi ex uxore hujus cognomenti affinem.

Jam vero Episcopus perpendens haud commode impleri posse testatoris voluntatem, quoad choralem praesertim divini officii recitationem in tam exiguo capellanorum numero, ubi in designata ecclesia, quae simplex paroecia est, hujusmodi munus obire deberent, supplex postulat facultatem sibi fieri capellanias erigendi in cathedrali ecclesia, eo vel magis quod hujus capitulum, quod decem tantum canonicis constat, maximam exinde, aucto choralium numero, utilitatem persentiret, ac sacras functiones facilius ac splendidius peragere posset.

Idem Episcopus per me rogatus, ut auditis patronis ac parocho in scriptis, referret utrum per petitam capellaniarum translationem cultui ecclesiae designatae detrimentum inferatur, haec retulit: „Patronus a me auditus enixe adprecatur et peroptat, ut supradicta translatio quamprimum a S. Sede obtineatur. Quapropter instantiam legali modo conscriptam in hac episcopali curia remittere satagit, quia testatoris voluntatem tam circa quotidianam breviarii recitationem, quam circa missarum celebrationem tutius tueri opinatur. Parochus attamen inanibus nulliusque momenti rationibus ex dicta capellaniarum translatione in ecclesia cathedrali detrimentum suae paroeciae argumentari frustra conatur. Timet enim 1. ne sacrae functiones quo par est decore in sua paroecia exerceantur sacerdotum defectu; 2. valde ipsius interest, ut missarum numerus in eadem parochiali ecclesia accrescat; 3. demum asserit, decorem multumque ab hujusmodi institutionibus utilitatis suae paroeciae obvenire posse.“

Quibus difficultatibus occurrere multis connititur Episcopus; observat enim: „1. parochialem ecclesiam S. Petri arctis limitibus esse obstrictam, vixque triginta circiter palmorum spatium aequare posse; ipsam sacristia penitus carere, ac chorum absolute deficere, nulloque unquam modo ipsum exstrui posse; illam tandem esse undequaque domibus circumdatam; 2. in praefata ecclesia sacrae parochiales functiones quotidie exercentur, hinc breviarii recitatio a quatuor capellanis peragenda illas omnino impossibiles redderet; 3. cum paroecia, de qua sermo est, paucarum curam habeat animarum, unius vel alterius missae celebrationem satis esse experientia hucusque evicit, eo vel magis quod christifideles in cathedrali ecclesia ad missam audiendam ventitare satius eligunt; 4. si in illa paroecia, ac non potius in cathedrali ecclesia praefatae capellaniae instituerentur, sequentia obvenirent: 1. e quatuor capellanis unus infirmari poterit, alter aliquo discedere, duo reliqui ab onere breviarii dispensari se crederent; 2. cum patronus ejusque familia jus habeant ad supradictas capellanias nominandi, prono alveo fluit, presbyteros adhuc juvenes, parumque ecclesiastico spiritu praeditos super alios saepissime proponi. Qui si in praefata parochiali ecclesia officium persolvere tenerentur, praecipiti lingua, verbaque mutilando, illud adimplere satagerent, nulla unquam episcopali voce eos coercendo.

Hisce demum addit: „1. cathedralem Bovinen. ecclesiam capitulum decem dumtaxat canonicorum et quatuor mansionariorum comprehendere; ideoque saepe saepius accidit, Episcopum pontificalia exercendo, numero congruenti inservientium canonicorum privari. Quibus tamen si quatuor capellani decem jam exstantibus canonicis adnecterentur, utilitas ecclesiae cathedralis ac sacra liturgia melius tuerentur; demumque Episcopus omnes in choro breviarium persolventes facilius advigilare posset.“

Postquam exscripta haec Episcopi relatio advenerat, supplex oblatus est libellus ab septem ex linea Lucarelli in subsidium vocata viris, qui

in expositam petitionem altas cientes querelas, in eam assentiri sese negant, atque obtestantur, ne mos Episcopo geratur posthabita fundatoris voluntate „quae voluntas, uti inquiunt, ab ipso declarata fuit ante testamentum conditum variis amicis et parentibus; neque Episcopus Bovinen. exhortationibus et precibus eum ab isto proposito amovere potuit neque minus vanae erant admonitiones canonicorum Marci et Josephi Lombardi, qui Sabino de Angelis in articulo mortis adstiterunt; non obstantibus his omnibus instigationibus voluntatem suam pro ecclesia S. Petri Sabinus declaravit.“

Sacri canones a commutatione voluntatis, ac translatione onerum et missarum abhorrent, can. Ultima voluntas caus. 13. quaest. 2, cap. Quia monaster. de rel. dom. Hinc S. Congregatio caute semper se gessit in hujusmodi translationibus concedendis, easque rejecit si necessitas deficeret, ut in Neapolitana Capellaniarum 16. Junii 1731, in Vicen. Translationis onerum missarum 19. Aprilis 1766, praesertim si peculiaris pii benefactoris erga aliquam ecclesiam praedilectio perspecta esset, et commutationi aperta ejus voluntas resisteret, ut in Bononien. Legati missarum 15. Decembris 1742, Firmana Translat. oner. miss. 3. Augusti 1782, ac dissensus obstaret alicujus interesse habentis, ceu in Ariminen. Translationis capellaniae 20. Decembr. 1732, in Neapolitana Commut. volunt. 7. Febr. 1733.

Attamen ubi justae ac rationabiles concurrant causae, quas inter enumeratur difficultas exsequendi quod testator mandavit, S. Congr. in Civitatis Plebis Legati 15. Aprilis 1758 et nullum detrimentum nullumque incommodum sentiant populus ac ecclesia in qua legata adimpleri deberent, translatio indulgeri solet, S. Congr. in Placentina Translat. et Reduct. 8. Martii 1806 (?); praesertim ubi patroni consensus et Episcopi judicium accedunt, Rota dec. 1522 num. 5. coram Coccin., et decis. 712. num. 19. cor. Molin., non obstante dissensu aliorum interesse habentium, qui in casu verae necessitatis ac evidendis utilitatis utpote irrationabilis posthabendus est.

Utrum vero causae, quas Episcopus affert, eae sint quae translationem non solum quoad chori servitium, verum etiam quoad missarum celebrationem vel necessariam vel utilem saltem suadeant Vestrum erit EE. PP. judicare. Ad missarum autem translationem potissimum quod attinet, illud ulterius perpendendum est, quod causae ob quas missarum onera fideles relinquunt, ut plurimum sunt propriae animae suffragium, aut erga aliquem sanctum peculiaris devotio, vel erga ecclesiam aliquam affectio, Ursaya disc. ecclesiast. tom. I. disc. 5. num. 1. Primo casu missarum translatio facilius concedi solet, Gratian. disc. for. 73. num. 1. Nam sacrificium in quacumque ecclesia celebratum eodem modo semper defunctis prodest, in altero vero casu translatio non permittitur, Gratian. loc. cit. num. 4, Fargna de jurepatr. part. I. can. 6. cap. 3. num. 5.

Iterum proponatur.

Die 8. Julii 1854: *Lectum.*

b. Casus dismembrationis.

272. Nolana. — Dismembrationis capellaniae.

Die 18. Decembris 1858.

Nobilis vir Josephus eques de Notariis testamento diei 22. Augusti 1854 capellaniam instituit his verbis: „Instituo capellaniam ducat. 120 annuorum

in titulum patrimonii sacri in ecclesia parochiali S. Pauli dioecesis Nolanae, cum onere missae mensilis in suffragium animae meae; patrimonium sacrum conferatur incolae ejusdem oppidi, qui ad sacerdotium aspirat quo deficiente Episcopus Nolanus eligat aliquem ex inferiori coetu."

Porro praefati oppidi incolae supplici oblato libello postulant, ut ex una triplex constituatur capellania cum aequali reditu et onere missarum, quo hujusmodi beneficio plures insimul etiam ex inferiori coetu clerici perfruantur; praesertim quia in oppido sacerdotes deficiunt, nec patrimonia sacri aliunde pro clericorum ordinatione suppetunt.

Rogatus Episcopus pro informatione et voto, et ut auditis interesse habentibus et inspecta fundatione referret de annuo reditu et oneribus capellaniae, de legitima divisionis causa, et an ea actu vacet, reposuit: „Reditus capellaniae ad duc. 120 ascendunt cum onere 12 missarum tantum; pro securitate redituum tenetur haereditas in valore 50000 ducatorum. Omnes interesse habentes audivi, nempe testatoris sororem et unicam haeredem, executorem testamentarium, patrem Lubrano S. J. et decurionem oppidi tanquam procuratorem incolarum. Testatoris soror opinatur pro partitione in tres capellanias ad constituendum tribus adolescentibus patrimonium sacrum, unicuique imposita tertia parte missarum, sub conditione tamen, ut hac sola vice una capellania assignetur sacerdoti Alphonso Alderisio testatoris pronepoti propter necessitates ejus familiae. Executor testamentarius se consentire declarat iis, quae haeres et Episcopus resolvant. Decurio partitionem in tres capellanias optat. Incola tamen istius oppidi H. Vecchione, cui filius est, quantumvis parvulus, qui postea tali legato frui posset, contra descriptam partitionem ut voluntati testatoris contrariam protestationem emisit. — Quoad causam partitionis legitimam mihi valde utile videtur, ut tribus adolescentibus detur facultas ordines suscipiendi propter magnam sacerdotum penuriam in isto oppido, tanto magis, quia tali modo consanguineus pauper divitis testatoris adjuvari potest. Sed quid faciendum sit, si quis patrimonium integrum ut sibi competens exposcat, dum id a tribus occupatur, EE. VV. videbunt."

Defunctorum pias voluntates exsecutioni committendas esse, nec ulla unquam ratione immutandas, nisi justa subsit causa, decrevit S. Tridentina Synodus vetustiorum canonum vestigia secuta, sess. 22. de ref. cap. 6. Videndum igitur utrum adductae in themate ab Oratoribus causae, quas confirmat Episcopus, petitam voluntatis commutationem (quamvis haec modum potius, quam rei substantiam afficiat) revera suadeant.

Perpendendum insuper quanti facienda sit oppositio nobilis viri Vecchione, aliorumque ex eodem coetu, qui praecipue ad capellaniam vocati sunt, ubi integro ejus reditu potiri in posterum contenderent. Attamen cum agatur de clericis incertis, licet de certo coetu, vocatis, videretur nemini jus esse quaesitum ita, ut imploratae dismembrationi jure obsistere valeat.

Non expedire.

c. Casus unionis et reductionis.

273. Spoletana.

Die 29. Maji 1824.

Populus del Casco dell' Acque, sive delle Paduli ad ripam degens fluminis Clitumni, in territorio villae Matigge civitatis Trebii Spoletanae dioecesis, cum distet duobus milliariis cum dimidio ab ecclesia parochiali

praedictae villae, et viae hiberno praesertim tempore limosae, difficiles, imo ut plurimum imperviae sint, aegre admodum potest diebus festis paroeciam adire ad audiendam missam; hinc loci incolae propriis sumptibus in parva ecclesia s. crucis, prope domos ipsorum sita, sacrum celebrari hucusque curarunt.

Cum vero egestas populi adeo creverit, ut proprio aere eleemosynam presbytero, qui sacrum faciat in ecclesia s. crucis, praestare nequeat, unionem idem populus implorat trium beneficiorum, quorum alterum sub titulo S. Crucis in indicata ecclesia erectum est, alterum in ecclesia parochiali terrae Matigge Deiparae Virgini della cintura; tertium denique in ecclesia parochiali castri Picciche ss. apostolis Petro et Paulo est nuncupatum; et quorum tanta respective tenuitas est redituum, ut rectoribus omnino careant. Nominatio autem ad beneficium S. Crucis et ad beneficium ss. apostolorum Petri et Pauli jurepatronatus pertinet ad Luciam Felici, haeredem Marii, ac Thomae quondam Natalii Picciche; beneficium vero S. Mariae della cintura liberae est collationis.

Archiepiscopus, quem pro informatione et voto rogavi, diligenter onera cujusque beneficii, et reditus indicavit, nec non de patronatu beneficii ss. apostolorum Petri et Pauli monumento suae cancellariae docuit, et beneficii S. Crucis ex traditione fidem fecit, propositaeque unioni, auditis interesse habentibus, apprime et enixe se favere declaravit.

Duplex tamen petitae unioni occurrere potest impedimentum. Alterum est in reductione onerum, quam populus postulat ad missas diebus festis etiam reductis et ad alias septem infra annum celebrandas; beneficium enim S. Crucis onus unius missae singulis diebus festivis nec non aliis septem diebus infra annum; et beneficium ss. apostolorum Petri et Pauli onus habet 25 missarum singulis annis, et qualibet feria tertia celebrandarum: beneficium denique S. Mariae tot missis gravatur, quot reditibus respondeant. Verum haec Sac. Congregatio reditibus accomodare consuevit onera missarum ad normam eleemosynae manualis, et ex Archiepiscopi informatione constat, reductis trium beneficiorum oneribus ad praedictam taxam manualem et juxta petita a populo del Casco, vix scuta 5. 55. pro beneficiato remanere; ideoque propositam reductionem reapse unioni non officere.

Alterum impedimentum est cessio patronatus beneficii S. Mariae della cintura favore Luciae Felici ejusque haeredum, ut uniatur duobus aliis beneficiis jam patronalibus. Cum tamen patens sit utilitas, imo et necessitas hujusmodi unionis ob adimplementum praecepti ecclesiastici ex parte populi terrae del Casco dell' Acque novumque non sit, juspatronatus ex privilegio ab Ecclesia concedi; idque in primis servari, ut fideles commode valeant ecclesiastica praecepta implere: si EE. VV., videbitur, petitioni annuendum putarem.

Pro gratia unionis beneficiorum S. Crucis, S. Mariae della cintura, et ss. apostolorum Petri et Pauli sub patronatu Luciae Felici ejusque haeredum juxta votum Archiepiscopi, reductis oneribus ad missam omnibus diebus festivis etiam reductis, nec non aliis septem diebus infra annum celebrandam in ecclesia S. Crucis; et Archiepiscopus curet fieri descriptionem in tabella, cum onere injuncto beneficiato implendi praescripta in instructione s. m. Benedicti XIII. tit. 1. cap. 5. postrem. Conc. Rom. impressa, et notificetur ministris Datariae Apostolicae.

274. Assisien. — Unionis.

Die 23. Maji 1857.

Canonicalem praebendam sub titulo S. Andreae apostoli in Assisiensi cathedrali ecclesia erectam, quae aliarum omnium praebendarum ecclesiae ejusdem reditu minima est, sacerdos jam a pluribus annis obtinet Andreas Ulli; qui ut uberiores fructus perciperet, bona praebendae sita in montanis Assisiensis territorii, anno 1847 opportunis facultatibus obtentis, ope edictorum pretio vendidit scutatorum 990. 84, quae postea impendit in emptione praedii cum domo colonica in planitie umbra Assisiensis territorii exstantis pretio scutatorum 1806. 59. 95, venia jam obtenta solvendi residuum ejusdem pretii in scut. 815. 75. 95 infra tempus conventum. Factum inde est, ut praebendatus insequenti anno 1854 in exstinctionem debiti supra contracti erogaverit scutata 411 et obol. 27, quae ex venditione retraxit apostolica auctoritate peracta nonnullorum bonorum ad quinque beneficia simplicia exigui reditus spectantium, jam literis apostolicis ipsi praebendae unita; ac propterea in praesenti pro integra exstinctione debiti ejusdem solvenda tantum supersunt scutata 404. 48. 95. Et tamen, cum ceterae singulae canonicales praebendae reddant comprehensis distributionibus circiter annua scutata 150; haec, de qua inpraesentiarum sermo est, ad scutata tantum 70, computatis item distributionibus, vix pertingit. Accidit autem, ut actualis possessor canonicalis praebendae in eadem dioecesi tria alia possideat beneficia simplicia liberae collationis, omnibus quidem oneribus exempta, quorum bona quoad alterum sub invocatione S. Francisci valoris sunt scut. 103. 33, quoad alterum sub titulo S. Salvatoris ascendunt ad scut. 107. 98, quoad tertium sub titulo S. Simeonis valorem habent scutat. 22. 92, in totum scut. 234. 23, ex quibus percipitur annuus reditus scutat. 22. 30, non deductis vectigalium oneribus, quae sunt scutat. 3. 11, nec computatis taxis ecclesiastica, spoliorum, et cathedratici. Quapropter idem sacerdos Andreas Ulli supplici libello coram S. Ordine adstat et postulat, ut facta sibi facultate bona trium beneficiorum alienandi in exstinctionem residui debiti, liceat illa suae canonicali praebendae perpetuo uniri.

Hinc datis Episcopo de more literis pro informatione et voto, ipse omnia penitus confirmavit quae exposui ac ultimo addit: „Cum beneficia nominata liberae sint collationis, nemo est audiendus, cum nemo interesse habeat in casu. Causa legitima unionis, nisi me fallit opinio, est exiguitas praebendae canonicalis, quae ut dixi, minima est inter ceteras praebendas, quarum unaquaeque habet cum distributionibus circiter annua scuta 150. Justum igitur puto, ut canonicus Orator, qui fert onera ut alii canonici, fruatur etiam reditibus, quantum potest, aequalibus. Adde in casu necessitatem unionis, quae nisi fiat, pretium praedii, pro praebenda comparati integre solvi nequiret. Posse igitur petitam gratiam concedi judicarem submisse, simulque facultatem alienandi bona beneficiorum juxta canonicas regulas, ut pretium in causam expressam erogetur.

Sane beneficiorum uniones magis odiosae quam favorabiles sunt, Schmalzgrueber h. t., ac ideo potius restringendae quam ampliandae videntur, ea praesertim ratione, quia per ipsas sacrorum ministrorum numerus non levi quidem animarum detrimento minui solet., cap. Ex parte 12. de constit. Tolosan. de beneficiis cap. 13. num. 1, et ut videre est ex sueta agendi ratione hujus S. Congreg., quae saepissime unionem denegavit, veluti in Frisingen. 14. Junii 1710, in Legionen. 24. Aprilis 1723 et in Basilien. seu Constantien. Unionis 26. Martii 1768. Adde in casu

difficultatem etiam specialem, quia scilicet Orator jam alias obtinuit, ut alia quinque simplicia beneficia praedictae praebendae unirentur.

Certum tamen est uniones beneficiorum non omnino improbari, imo aliquando, si praesertim adsit vel Ecclesiae utilitas vel necessitas, nec eorum quorum interest consensus desit, favorem quoque excipiunt, Corrad. in prax. benefic. lib. 2, c. 8, num. 13, 14 et seq. In casu plura unioni favent: tria enim beneficia liberae sunt collationis, simplicia sunt, et in eadem dioecesi sita. Unionem praeterea suadere videtur non modo tenuitas tam praebendae quam ipsorum beneficiorum, sed quaedam etiam necessitas, quia secus Orator pretium praedii pro praebenda comparati integre solvere nequiret. Hisce autem de causis haec Sacra Congregatio non pauca dedit unionum exempla, uti inter alia in Compostellana Unionis 20. Septembris 1692, in Colonien. 20. Septembris 1727, in Legionen. et Astoricen. 11. Aprilis 1739 et in Cracovien. 5. Decembris dicti anni.

Pro gratia juxta petita, facto verbo cum Sanctissimo.

275. Viterbien. — Unionis beneficiorum.

Die 22. Februarii 1862.

Supremo quo decessit elogio diei 23. Oct. an. 1579. sacerd. Thomas Chinucci capellaniam seu simplex beneficium in ecclesia S. Antonii oppidi Bagnaja in dioecesi Viterbiensi sub invocatione S. Catharinae Senensis instituit, cujus patronatum reliquit filiis masculis Fulvii et Joannis-Antonii fratrum Antini suis haeredibus eorumque successoribus masculis; quibus dedeficientibus etiam feminis; et utraque absoluta linea, supradictae ecclesiae S. Antonii; cui in dicto casu ipso jure et de facto bona devolvenda esse declaravit. Dotem capellaniae in scutatis 300 constituit, et capellanum duarum missarum oneri singulis hebdomadis subjecit.

Jam ab initio hujus saeculi, utraque linea Fulvii et Joannis-Antonii defecisse videtur; in relatione enim a vicario gen. Eminentissimi Episcopi transmissa legitur, ab anno 1802 quatuor nominationes capellanorum absque ulla contradictione habuisse locum per concursum a confraternitate quae illam regit ecclesiam indictum.

Cum reditus capellaniae adeo tenues sint, ut deductis nonnullis oneribus summam scutatorum 11. 20. non excedant; per aliquod temporis spatium ita impensi fuere, ut totidem missae celebrarentur, quot integram summam, statuta synodali eleemosyna 15 obolorum, absumerent. Mense vero Martio 1853, frustra quaesito sacerdote, qui hujusmodi missas celebrandas assumeret, eadem eleemosyna ad obolos 20 pro qualibet missa evecta fuit ope pontificii rescripti in decennium duraturi. Sed nec hujusmodi indulto remotum incommodum. Concursu siquidem mense Septembris 1860 indicto super vacante capellania, unus tantum adstitit concurrens, canonicus Antonius De Rossi, sodalium dictae ecclesiae S. Antonii capellanus; qui vero nominatus refugit institui, ne bullarum expensis pro tam exigua praebenda subjiceretur. His ergo causis moti sodales, nec non desiderio augendi reditus praebendae proprii capellani erectae in canonicatum „di sua nomina“ in ecclesia collegiata loci, repensandique optimi servitii labores, consilium inierunt praedictum beneficium perpetuo uniendi memoratae praebendae canonicali, et supplici libello ab hac Sacra Congregatione propositae unionis approbationem rogarunt, rati sese eamdem consecuturos, eo vel magis quod reditus praebendae canonicalis sint valde exigui, nempe scutatorum 18, quibus praeter

46 missarum celebrationem aliaque onera erga confraternitatem, servitium quoque chori in ecclesia collegiata capellanus sustinere tenetur.

Precibus ad Eminentissimum Episcopum transmissis, ut auditis sodalibus per secreta suffragia referret de annuo reditu et oneribus beneficii, et an adesset passiva vocatio favore alicujus, responsum obtinui, quo preces ipsae plenissime confirmantur. Non constare praeterea ait Eminentissimi Episcopi vicarius, „del diritto di nomina passiva a favore di alcuno ... e il richiesto parere non potrebbe spiegarsi che per l' annuenza alla fatta dimanda; aggiunto pero l' onere al possessore de' beneficii uniti della celebrazione di num. 12 messe all' anno in suffragio del pio istitutore Chinucci e con ingiunzione, che quindi innanzi il canonicato cui si unisce la capellania o beneficio di che si tratta, s' intitoli ancora dal nome di S. Catherina da Siena."

Exploratum sane est non facile unionem beneficiorum esse concedendam, cum odiosa ipsa dicatur de Luca de benef. disc. 46 num. 3; justa tamen et rationabili concurrente causa, quae aut necessitatem aut utilitatem ecclesiae respiciat, auditis quorum interest, ne in alterius detrimentum cedat, non denegatur, Barbosa collect. doct. in Concil. Trident. sess. 7. cap. 6. de reform. num. 11, Reiffenstuel in jus can. lib. 3. tit. 10. §. num. 71 et 74. Pirrhing. ibid. n. 211. Necessitas porro adesse videtur quando praebenda, prout in casu, cui unio facienda sit, caret sufficientibus reditibus ad alendum ministrum cap. Exposuisti de praebend. ibi „de reditibus praebendarum suarum nequeant sustentari." Utilitas autem adest, quando propter fructuum tenuitatem non inveniuntur clerici idonei ad deserviendum, Barbosa l. c. Propositae vere unioni minime obstare videretur in casu, quod agatur de beneficio conjungendo cum praebenda canonicali: Concilium enim Tridentinum sess. 24. cap. 15 licere decrevit Episcopis cum consensu capituli unire simplicia beneficia collegiatis insignibus, ubi tenues sunt praebendae, simul cum distributionibus quotidianis, et Sacra Congregatio in Feretrana Unionis die 5. Junii 1847 unionem duorum simplicium beneficiorum binis mansionariis concessit.

Quatenus ergo EE. VV. sententia in unionem inclinet, decernere pariter dignabuntur, utrum ex praemissis causis supplicandum sit Sanctissimo pro reductione missarum capellaniae ad 12 annuas in perpetuum, juxta mentem Episcopi et canonicatus, cui capellania uniretur, titulum etiam prae se ferre debeat in posterum S. Catharinae Senensis.

Pro gratia reductionis missarum beneficii S. Catharinae Senensis ad annuas 12 tantum, ejusque unionis perpetuae canonicali praebendae sodalium S. Antonii juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

276. Patavina. — Unionis capellaniarum.

Die 30. Martii 1867.

In oppido Este Patavinae dioecesis archipresbyteralis reperitur ecclesia Deo in honorem S. Theclae sacra, in qua parochialis ministerii exercitium plurimis difficultatibus obnoxium est. Parochiani siquidem sexmille animarum numerum excedunt, iique in peramplo territorio commorantur, quod ad sexdecim millia passuum protenditur per loca altis hiemali tempore nivibus obsita, et non levibus inter montes asperitatibus interclusa; ita ut opus fuerit, ut in praedicta ecclesia quatuor jam coadjutores sacerdotes constituerentur, qui una cum archipresbytero ministerium curae animarum exerceant.

Sciendum est, duas adesse in praedicta ecclesia fundationes, quae sub sequentibus legibus institutae fuerunt. Anno scilicet 1746 die 14. Aprilis

pius sacerdos Paulus Vajente sibi haeredem instituit scholam S. Rochi in praedicto oppido exsistentem, injuncta eidem scholae lege, ut post lapsum 12 annorum a testatoris obitu, ex reditibus locationis cujusdam haereditariae domus et ex annuo canone sexaginta duarum libellarum Venetae monetae, constitueret mansionariam seu patrimonium ecclesiasticum favore clerici ab ipsa schola eligendi, qui tamen pauper esset, et tot missas in hebdomadas distributas celebrare teneretur, quot integram locatitiae domus pecuniam annuatim absumerent, assignata pro qualibet missa eleemosyna L. 1. 4. libera interim permanente mansionario canonis libellar. 62 perceptione. Mandavit insuper, ut tempore vacationis, donec novus mansionariae possessor eligeretur, omnes reditus qui ex utroque fundo proficiscerentur in missarum celebrationem ad ipsius testatoris mentem erogari deberent.

Progressu temporis memorata mansionaria plures vicissitudines passa est; modo enim quoad reditus crevit, modo etiam decrevit, donec ob reipublicae Venetae leges vendita domo ac redempto canone, die 5. Julii anni 1762 depositum fuit utriusque fundi pretium apud montem pietatis Estensem in summa ducator. 702, seu libellar. Ital. 2274. 82, quae summa hucusque religiose asservatur. Factum hinc etiam est, ut mons pietatis S. Rochi in jure eligendi mansionarium successerit. Serius vero ex donatione cujusdam mansionarii Cajetani Midrio praedicta summa libellar. 2274. 82 aucta est libellis Ital. 110, quae singulis annis exhibent libellas. 5. 50. Quare cumulatis reditibus obveniunt hodie quotannis mansionario libellae Austriacae 137. 21, seu 120 circiter Italicae monetae.

Pium alterum relictum auctorem habuit equitem Silvestrum Camerini, qui publico instrumento diei 18. Martii 1861 archipresbyterali ecclesiae donavit reditus libell. Austr. 165: 62 ad formandum complementum patrimonii sacri pro clerico ab archipresbytero pro tempore eligendo sub conditione, ut electus se praestaret ad instructionem doctrinae christianae.

Reditus mansionariae Vajente ab hodierno Episcopo a nonnullis annis ita dispertiti sunt, ut firma permanente dispositione testatoris pro tempore vacationis, alias dum mansionaria plena esset, ex sorte originaria praelevarentur libell. 62 favore mansionarii et summa remanens erogaretur in tot missas cum eleemosyna taxae dioeces., nempe 50 solidorum, ut denique etiam libellas 5: 50 ex donatione Cajetani Midrio mansionarius sine onere missarum perciperet, nisi tales missae ei impositae essent instrumento diei 17. Junii 1817, nunquam allegato.

Rebus ita se habentibus, anno 1859 praedicta mansionaria reddens quotannis libell. Austr. 137: 21 collata fuit in partem tituli sacrae ordinationis clerico Antonio Tono, qui deficientem ejusdem tituli quotam in libellis 162: 79 obtinuit prius a patruo suo Mariano, et deinde ex pia fundatione Camerini. Accidit proinde ut utraque provisio cumulata exstiterit de facto favore praedicti clerici Tono, quas tamen uno et altero tantum anno ipse retinuit; promotus enim ad sacerdotalem ordinem, unam ex curatis praebendis archipresbyteralis ecclesiae consecutus est.

Vacantibus itaque praedictis fundationibus, cupiens archipresbyter, ut de jure decerneretur unio perpetua utriusque provisionis sub titulo capellaniae Vajente-Camerini, reservato jure electionis capellani alternatim inter archipresbyterum pro tempore et directionem seu praesides montis pietatis, de quo supra, nec non sublata per Summum Pontificem quacumque missarum obligatione, excepto tantum vacationis tempore, preces in hunc finem ad Sedem Apostolicam transmisit, quas his rationibus suffulsit. Ratio, ut ait, ob quam unio capellaniarum imploratur sublata obligatione missarum pro capel-

lania Vajente extra tempus vacationis, est necessitas dandi provisionem sacerdoti doctrinam christianam pueros docenti. Cum haec paroecia complectatur 600 homines per partes montuosas et valde inter se distantes dispersos, puellae et pueri instruendi in sex partes dividendi sunt, et tamen quinque tantum adsunt sacerdotes curam animarum habentes. Deinde iste capellanus doctrinae christianae etiam aliis paroeciae indigentiis se praestabit, praesertim confessionibus excipiendis et generatim ecclesia paroecialis ex adjutorio alterius capellani curati magnam percipiet utilitatem.

Has preces Episcopus commendavit datis literis ad Beatissimum Patrem; quibus tamen significavit, necessarium esse, ut onera capellani nimis indeterminate a parocho enunciata, intra certos limites cohiberentur, ut scilicet 1. capellanus debeat docere doctrinam christianam in ecclesia congregationi Marianae servienti puerorumque confessiones excipere; 2. ut functionibus, quae in ecclesia archipresbyterali diebus festis et ferialibus peraguntur, assistere sed curae animarum tunc tantum incumbere teneatur, cum alii curati legitime sunt impediti.

Praesentiens insuper Episcopus ex natura quaestionis a parocho propositae, et ad consuetam Sacri hujus Ordinis praxim opus certo esse voto interesse habentium quoad mansionariam Vajente, antequam preces judicio Sacri Consessus submitterentur, docuit, administratores montis pietatis Estensis assentiri proposito archipresbyteri, dummodo tamen dispositiones sacerdotis Vajente et consuetudines salvae remanerent accepto etiam habita quoad electionem alternativa, quacum intacta servaretur electio directa et independens usque adhuc sine intermissione exercita.

His tandem omnibus Episcopus addidit schema status activi (libellar. 2322. 41.) et passivi (libellar. 2378. 36.) ecclesiae archipresbyteralis, quo inspecto monuit, dictam ecclesiam non possedere bona libera ad supplendam fundationem Camerini ad formandam congruam capellani eligendi, quae congrua juxta synodalem taxam pro ecclesiastico sacr. ordinationis patrimonio requirit libellas 300.

Hucusque exposui, quae in facto sive archipresbyter sive Patavinus Antistes retulit, ut scitu necessaria super porrectis precibus nota fierent Eminentiis Vestris; praestat modo nonnullas subnectere in jure animadversiones. Res est in themate de unione duarum fundationum ad piam causam, quibus apprime aptari posse videntur, quae statuta sunt quoad uniones beneficiorum. Sciunt omnes hujusmodi uniones cujuscumque speciei sint beneficia vel capellaniae uniendae plus minusve odiosas in jure reputari, ad text. in cap. Cum accessissent, et cap. Ex parte de constit., Fagnan. in cap. Exposuisti n. 19., Card. de Luca de benef. disc. 46 n. 3, Ferraris v. Unio in addit. ex alien. man. n. 1., S. Congreg. in Ilcinen. Translat. et union. beneficior. 31. Jan. 1863. §. Animadvertendum, et alibi passim. Per unionem siquidem status beneficiorum immutatur, et dispositiones fundatorum subvertuntur; imminutis vero sacris patrimoniis, restrictisque ecclesiae provisionibus, fieri etiam potest, ut unio in praejudicium divini cultus redundet. Sancitum proinde merito est, ut si quando permittenda sit unio, id unice fiat ex evidenti utilitate vel necessitate ecclesiae, ita ut in peculiari casu circumstantiae, quae pro unione afferuntur gravissimam uniendi causam suppeditant, quaeque quin noceat divino cultui, conferat potius in ipsius conservationem et dignitatem: cap. Exposuisti 33. de praeb. et Conc. Trid. sess. 21. cap. 5. et sess. 24. cap. 15. de reform.

Re quidem vera juxta preces in casu duo patrimonia seu provisiones ecclesiasticae ita uniri deberent, ut in posterum non duobus indigentibus

clericis in partem tituli Sacrae Ordinationis, sed uni tantum conferantur, quod majori numero vocationum ad statum ecclesiasticum a fundatoribus quodammodo intento adversatur. Attamen ex hoc ipso quod praefatae duae provisiones minime exhibent eam redituum summam, quae adaequet taxam integri tituli ecclesiastici pro Sacra Ordinatione, eadem fundatorum voluntas haud obstare videtur, quominus per unionem perpetuam ad invicem compleantur, idque praesertim fiat, firmis manentibus utriusque fundationis oneribus, et superadditis etiam ex apostolica auctoritate obligationibus, quae superius in Episcopi literis recensitae fuerunt; quaeque in evidentem cederent utilitatem fidelium et divini cultus in archipresbyterali ecclesia S. Theclae. Equidem quoad mansionariam Vajente status ipsius aliquatenus immutaretur, respectu saltem habito ad jus eligendi mansionarium: non immerito tamen observari potest, hujusmodi jus non amplius reperiri in schola S. Rochi, cui a sacerdote Vajente collatum fuit; eos autem qui in praesentiarum praedicto jure potiuntur, assensum praebuisse, ut alternis vicibus cum parocho in posterum illud exerceant.

Haec profecto propositae unioni quoad substantialia favent; verum juxta parochi preces non pure et simpliciter unio efflagitatur, sed cum deletione cujuscumque oneris missarum, quo mansionaria Vajente gravatur. Qua super re animadvertendum occurrit, alienum omnino id esse a voluntate fundatoris, qui reditus locatitiae domus in sacrificiorum celebrationem erogandos esse jussit, constituto etiam cujuslibet missae stipendio. Quod si adaucto per Episcopum eodem stipendio usque ad summam solidorum 50, quae plus quam duplo primitiva major est, missarum sacrificia non parum imminuta sunt (quod tamen absque auctoritate apostolica fieri non potuit), absonum a quocumque jure et alienum omnino a disciplina Sacri Ordinis reputandum est, ut impositum missarum onus prorsus deleatur: Sacr. Congreg. in Romana Deletionis oneris 18. April. 1711, in Firmana Legati 31. Maji 1721, in Sabinensi 19. Aug. 1775, in Comaclen. 12. Sept. 1829, in Aesina 20. Mart. 1824. Imo etsi ab Sacra Congregatione concedi soleat Episcopis facultas ad reductionem missarum elargiendam, statui tamen constanter solent nonnulli quidam limites tum quoad tempus tum quoad numerum permittendae reductionis, prout religiose praescribitur in instructione hac super re dari solita.

Porro inter legitimas reductionis causas recensetur etiam augmentum eleemosynae synodalis, quo factum sit, ut actuale stipendium antiquum valde excedat; idipsum tamen minime suffragari potest, ut nulla in posterum missa celebrari debeat. Et licet in themate per unionem fundationum juxta parochi preces et Episcopi votum onus residentiae in parochia S. Theclae superaccederet futuris capellanis, onus tamen missarum mansionariae Vajente non admodum grave reputandum esset, praesertim si Eminentiae Vestrae consulendum esse Sanctissimo judicaverint, ut praevia absolutione quoad praeteritum, missae in posterum celebrandae ad proportionalem quotam eleemosynae ab Episcopo statutae reducantur.

Praeria absolutione quoad praeteritum pro gratia perpetua unionis utriusque causae piae ac assignationis favore capellani parochialis juxta votum Episcopi et reductionis ad decennium missarum ad medietatem reserrato alternativo jure nominandi capellanum Archipresbytero ac praesidi Montis Pietatis ab Ordinario approbandum, facto verbo cum Sanctissimo.

277. Verulana. — Reductionis capellaniarum.

Die 27. Julii 1867.

Supremis tabulis, quas anno 1766 Joseph Cappella Ferentinus quatuor instituit capellanias, quarum dotatio ex universa substantia haereditaria post obitum uxoris suae, quam haeredem usufructuariam instituerat, ea ratione conficeretur, ut primae capellaniae tot conferrentur fundi, quot reditum praeberent quadraginta scutatorum in singulos annos; aequa vero lance reliqua patrimonii bona in tres partes dispertirentur, quarum cuique ex tribus capellanis pars una contingeret. Onera capellanorum determinans jussit, ut ii missam quotidianam alternatim celebrare deberent, atque insuper ut diebus festis de praecepto et dominicis per annum in ecclesia S. Mariae de Valle (quae ecclesia est principalis terrae Montis S. Joannis in Verulana dioecesi) in choro abbati curato dictae ecclesiae in celebratione missae aliisque functionibus assisterent pro aedificatione populi. Jus autem tum activum tum passivum nominandi ad capellanias testator divisit inter familias Lombardi et Mobili, ita ut prima jus haberet nominandi ad primam capellaniam, secunda ad tres reliquas, statuto etiam jure accrescendi favore familiae Mobili quoad primam capellaniam in deficientia familiae Lombardi.

Defuncta haerede usufructuaria anno 1782, quatuor capellani juxta testatoris mentem a familia Mobili (familia enim Lombardi exstincta jam erat) nominati fuerunt, quorum primo assignatus exstitit reditus quadraginta scutatorum, reliquis tot bona obvenerunt, quae unicuique capellano vigintiquatuor circiter annua scutata redderent. Impleta hac ratione pia dispositione Josephi Cappella, capellaniarum rectores munera sibi imposita religiose exsequi non omittebant, et praeterea familia patrona diligenter curabat, ut statim ac unus ex eis deficeret, alium substitueret.

Post aliquot tamen annos ecclesia parochialis S. Mariae de Valle in collegiatam erecta fuit, octo praeter dignitatem canonicalibus praebendis in ea institutis. Ab eo tempore capellaniarum institutoris voluntas coepit non amplius undequaque observari; capellani enim parocho assistentiam praebere destiterunt, tum quia a canonicis eadem assistentia praestabatur, tum quia materiale in choro subsellium iisdem deerat. Postremi autem patroni propter clericorum deficientiam non quator, sed vel duos vel etiam unum tantum capellanum nominarunt, donec triginta circiter abhinc annis a quavis capellani nominatione sese abstinuerunt; retenta tamen bonorum administratione et usufructu, quo oneri quotidianae missae solummodo satisfacere constanter curarunt.

Haec agendi ratio haud recta visa est hodiernis patronis Franciscae et Joanni Mobili, quare in id consilii venerunt, ut recursum haberent ad Summum Pontificem ad absolutionem super praeteritis omissionibus consequendam, cum multis censibus perditis fundisque deterioratis reditus valde diminuti sint. Supplicem idcirco libellum in hujusmodi unice finem exhibuerunt anno 1858, quin aliquid innuerent de futura quatuor capellanorum nominatione. Datis proinde literis ab hoc Sacro Ordine ad Verulanum Episcopum scitu necessaria quaesita fuere, et praesertim rogatus fuit Antistes super reditu et oneribus capellaniarum, legitima condonationis causa, et quid obstaret quominus suo rectore provideretur. Longam interposuit moram Episcopus, antequam responsum ederet, adeoque res in suspenso eousque mansit, quo mense Sept. anno 1866 iteratas preces ad S. O. Oratores dederunt, quibus praeter ea quae in priori supplici libello expostulabant, reductionem

etiam quatuor capellaniarum ad duas tantum rogarunt, ratione habita parvitatis redituum, gravitatis onerum, penuriae clericorum, unde fieri non posse ajunt, ut capellaniae secundum voluntatem testatoris conferantur.

Episcopus in sua informatione ad has secundas Oratorum preces ea habet quoad fundationem et onera capellaniarum, quae superius exposita sunt; de annuo autem reditu ait nunc ad scut. 100 circiter eum esse reductum, cum aliquot census et onera domibus nunc dirutis inhaerentia perdita sint. Annuendum vero putat Oratorum precibus ob rationes ab iisdem enarratas, quarum omnimodam gravitatem confirmat. Transmittit etiam parochi in re interesse habentis sententiam, cujus tenor non abs re erit heic exscribere: „Libentissime, ait, reductioni capellaniarum ad duas consensum praesto, sperans fore ut collatae juxta voluntatem fundatoris in posterum servire possint ut patrimonium sacrum pro pauperibus, qui ad sacerdotium adspirant.“

Res est in casu de capellaniarum reductione, quae satis odiosa in jure reputanda est, cum per eam imminuatur numerus provisionum ecclesiasticarum, et fundatoris voluntas subvertatur in praejudicium divini cultus ecclesiae ab ipso praedilectae. Absolute itaque inspecta petitione Oratorum rejicienda eorumdem preces videntur. At si in specie animadvertatur, impossibile esse inveneri clericos pro quatuor capellaniis attentis causis ab Oratoribus adductis, idem esse videtur in themate reductionem capellaniarum concedere, ac coadjuvare voluntatem ipsam fundatoris, ut optatum exitum consequatur. Favet idcirco Episcopus petitae reductioni, utilemque eam reputat parochus per capellanos adjuvandus in ecclesiae servitio; ex justa itaque ac utili causa generalioris disciplinae legibus videretur esse derogandum. Ceterum quodcumque futurum sit Eminentiarum Vestrarum judicium super reductione, deneganda nullatenus Oratoribus videtur absolutio super praeteritis omissionibus, sive ex bona eorum fide, sive ex diligenti studio, quo onera missarum adimpleri curarunt.

Praevia absolutione quoad praeteritum celebratis decem missis, esse locum reductioni capellaniarum juxta preces, integre tamen servatis oneribus earundem juxta mentem testatoris a duobus capellanis adimplendis, facto verbo cum Sanctissimo.

II. DE CONCESSIONIBUS BENEFICIORUM.

A. De qualitatibus requisitis ad obtinenda beneficia.

278. Aprutina.

Die 17. Maji 1828.

Clericus Joseph Lenti Asculanus possessor ac rector est duorum simplicium beneficiorum, quae erecta sunt in rurali ecclesia Montis S. Pauli Aprutinae dioecesis, alterum sub titulo SS. Benedicti et Mauri, alterum sub invocatione B. Mariae V. a Monte Carmelo. Matrimonium initurus supplex adiit hanc S. Congregationem postulans, ut sibi fas esset eadem beneficia possidere in statu laicali; verum die 17. Junii 1826 dimissus fuit rescripto: „Non expedire.“ Preces subinde instauravit, quibus exposuit familiam suam licet nobilitate et honestate praeclaram, nunc tamen de antiquo splendore adeo decidisse, ut rebus necessariis indigeat ac Oratorem propterea decorum ac utile matrimonium contrahere non posse, nisi ipsi venia tribuatur possi-

dendi in statu conjugali saltem beneficium SS. Benedicti et Mauri, cujus reditus ad annua scutata 106 pertingunt, cum onere litandi binas missas in qualibet hebdomada. Cumque hujus beneficii jus patronatus pertineat ad plures familias atque etiam ad Oratoris domum, assensum omnium patronorum obtinuit, qui petitae gratiae viam sterneret.

Oratoris precibus propitium votum suum aperit Aprutinus Antistes necnon Asculanus Episcopus Oratorem rei familiaris angustia laborare refert.

Pro gratia, ut Orator ad vitam etiam in statu conjugali possidere queat beneficium SS. Benedicti et Mauri cunctis tamen impletis oneribus eidem adnexis, docto et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

279. Romana. — Capellaniae.

Die 3. Martii 1860.

Supremis tabulis anno 1733 apertis Franciscus Antonius Candiani haeredibus suis jussit, ut in ecclesia S. Mariae de Suffragio Urbis capellania erigeretur, bis pro eadem in testamento perpetua assignata dote scut. 24 ex sexdecim locis montium aliisve cameralibus exigenda ac capellano tribuenda, qui per se vel per alios quater in hebdomada sacrum in testatoris animae suffragium ad aram ecclesiae praedictae offerre teneretur, quique eidem duo quotannis scutata persolveret pro sacrarum supellectilium usu. Testator primum capellanum nuncupavit sacerdotem Franciscum Antonium Tofanelli Alatrinum, cui subinde alias in perpetuum ejusdem nominis ac generis ecclesiasticas personas in usufruenda capellania suffecit. Quo vero casu deficerent haeredes in testamento instituti, haereditatis reditus partim augendis capellaniae fructibus quotidianae missae celebrationi necessariis destinavit, partim substitutis haeredibus reliquit. In horum denique partem, siquidem et ipsi deessent, capellaniam substituit, eoque in casu capellanis ab ipso ut supra nominatis eorumque successoribus jus nominandi concessit.

Testatore vita functo, sexdecim loca montium data dicuntur capellaniae, et quater in hebdomada oblata sacrificia. Verum exstincta tam institutorum quam substitutorum haeredum linea, nulla addita fuere loca montium, quae addenda fuissent ad sacrum quotidie peragendum juxta proportionem a testatore constitutam. Imo ab ultimo capellano Dionysio Tofanelli Summo Pontifici Pio VII. expositum est, sexdecim loca montium redacta fuisse ad annuum reditum scut. 22, 50, quocirca missarum etiam reductio postulata. Quo demortuo, Vincentius Tofanelli ejus nepos petiit a Sanctissimo D. N., ut sibi tamquam unico ex illa familia clerico licet conjugato capellania conferretur.

Eminentissimus Cardinalis in Urbe Vicarius, cui de mandato hujus Sacrae Congregationis preces remissae sunt, ut auditis omnibus interesse habentibus et inspecta fundatione referret de annuo reditu et oneribus capellaniae, legitima dispensationis causa, et an adsint passive vocati, quibus praejudicium inferatur; quoad fundationem ea fusius enarrat, quae summatim perstrinxi. Quoad vero reditus capellaniae exponit, ex tabulis s. visitationis, quae ab anno 1855 administrationem capellaniae Candiani ad se revocavit, patere illos modo in scut. 35. 26 $^1/_2$ consistere, quorum 29. 56 $^1/_2$ sunt locorum montium residua, et scut. 5. 70 sunt in censibus liberis constituta. In id vero animadvertendum existimat Eminentissimus Princeps, quod majores capellaniae reditus esse compererit, cum praedicti census scutor. 15 fructum afferre deberent, et annuus scutor. 9 canon ex domo emphyteutica

retrahendus minime percipiatur; quamobrem inquit „videndum esset quid factum sit de aliis haereditatis Candiani reditibus, qui ad capellaniam pertinent, quorum aliqui adhuc exstant, nec a s. visitatione percipiuntur.“ De oneribus vero subdit, ex decreto ejusdem s. visitationis diei 23. Februarii an. 1820 onera missarum reducta fuisse ad numerum 110, eoque modo ejusdem sacrae visitationis cura adimpleri.

Quod denique ad legitimam dispensationis causam attinet, nullam existimat suffragari Oratori, iis adductus rationum momentis, quae a moderatoribus archiconfraternitatis ejusdem S. Mariae de Suffragio exponuntur. Qui quidem ex testamento colligunt capellanum ecclesiasticum virum e familia Tofanelli, minime vero laicum esse oportere. At Vincentius Tofanelli licet ab anno 1848 sacra tonsura initiatus fuerit, mox tamen clericali veste dimissa conjugio se obstrinxit nullique ecclesiae famulatur, quo fit ut usufruendis ecclesiasticis beneficiis impar evaserit. Eo vel magis quod exercendae negotiationi clericis a sacris canonibus interdictae se dederit, eaque de causa pluries apud tribunal commercii hujus Urbis fuerit conventus. Ceterum fatentur, nemini praejudicium irrogari, quin imo omnes e familia Tofanelli nominationi Oratoris consentire.

Denique si non obstantibus rationibus adductis Sac. Congr. placuerit Oratoris precibus obsecundare, rogant iidem moderatores, ut archiconfraternitati capellaniae administratio conferatur, quo et missae celebrentur et sacra utensilia reparentur juxta testatoris voluntatem, quam secus frustratum iri verentur, prout anteactis temporibus evenit.

Lectum, et Eminentissimus Urbis Vicarius curet recuperari alios fundos capellaniae.

280. Urbinaten. — Dispensationis.

Die 7. Augusti 1847.

Capellaniam, quam nulla interveniente Episcopi auctoritate nomine legati pii fundavit anno 1760 Dominicus Serafini Urbinas ad altare ss. rosarii in ecclesia S. Dominici, esse voluit expresse semper mere laicalem, neque ulla regulae cancellariae subjectam. Illius patronatum activum contulit in sodalitium nuncupatum „ss. septem dormientium“ passivum vero favore clerici vel sacerdotis ex propria descendentia masculina vel feminina in perpetuum reservavit, hac tamen adjecta lege, ut „clericus, quem ven. congregatio et domini sodales judicaverint bonae vitae esse, cuique alii etiam sacerdoti praeferatur, ut commodius ad ss. ordines provehi possit“ caducitate clerico indicta qui ubi ad aetatem 25 annorum pervenisset, non fuerit ad sacerdotium promotus.

Cum vacasset hujusmodi capellania anno 1843, tres ex feminina fundatoris linea pro illius assecutione supplices exstiterunt: archipresbyter sacerdos Franciscus Bartolini, clericus Joseph Giorgiani undecim annos natus et Joseph Presciutti septennis, clericali vero tonsura jam insignitus. Coactis comitiis diei 29. Sept. ejusdem anni sodales patroni, prae oculis habitis fundationis legibus, clericum elegerunt Josephum Presciutti cum conditione dispensationem aetatis obtinendi „quatenus opus sit“, qui continuo preces S. Ordini porrexit pro eadem obtinenda.

Contra factam electionem acriter conquesti sunt archipresbyter Bartolini, qui tamen interea temporis ad plures abiit, et Joseph Giorgiani, qui adhuc obtestatur se unum esse praeferendum, utpote in majori aetate con-

stitutum, ac majori praeditum scientia, quam Joseph Presciutti, quem praeterea ita literis asserit destitutum, ut de tempore electionis vix literas literis nectere valeret.

Precibus et querelis ad Archiepiscopum delatis, rectam ipse fuisse confratrum electionem arbitratur, tum quia nullum de vitae ac morum ratione, nec de primis grammaticae studiis (quidquid blateret Giorgianus) inter eos monet esse discrimen: tum quia in ea aetate sunt ambo constituti, quae nequit canonica nuncupari, et major aetas in clerico eligenda non fuit a fundatore requisita; tum demum, quia pauperior est clericus Presciutti, et cum in ipsa Urbini civitate commoretur, major videtur esse facilitas tum ad missarum onus, tum ad capellani munus persolvendum": ex quibus opinatur pro dispensatione favore clerici Presciutti.

Quod capellania, de qua queritur, sit laicalis, sive pium legatum, non solum ex apertissimis testatoris verbis colligitur, sed etiam ex eo quod in fundatione nulla intervenerit auctoritas Ordinarii, ut passim resolvit Rota et S. Congregatio ac praesertim in Viterbien. capellaniae 23. Novembris 1765.

Capellania autem laicalis ejus naturae est, ut possideri possit a laicis mulieribus et infantibus ex constanti S. C. praxi et doctrina Card. de Luca in disc. 80 de benef. n. 18, nisi de expressa vel tacita testatoris voluntate constet, ut a solis clericis possideatur; quia tunc clericus debet necessario assumi, quin tamen natura capellaniae laicalis immutetur, uti observat Gonzal. ad regul. 9 gloss. 5. n. 25. Rigant. ad regul. cancell. 58. n. 54 et Rota in Hydruntina capellaniae 9. Maji 1698 cor. Pio. Hoc vero casu, quamvis nulla generatim desideretur certa aetas in hujusmodi capellanis, ut resolvit S. C. in Civitatis Castelli 1. Febr. 1766 et tradit Piton. discept. eccl. 19 n. 16, ubi addit quod major aetas et proximior ad sacerdotium in iis nec attenditur nec potiorem praestat idoneitatem; ex imposita tamen qualitate clericatus, aetas septem annorum videtur necessaria, quia ante dictam aetatem clericatus et tonsura non obtinetur, ut disertissime docet Card. de Luca de benef. disc. 95 n. 1. et seqq., Gonzal. ad reg. 9. gloss. 5. num. 27. et Ventriglia in prax. part. 2. adnotat. 6. §. 1. n. 9.

Neque obstare videtur, quod capellania in casu inservire debeat pro sacro patrimonio: licet enim hoc generatim nunquam constituatur super similibus capellaniis et legatis piis, id tamen intelligi debet, nisi aliter voluerit fundator, uti admonet Amostazo de caus. piis lib. 3. cap. 3. n. 43.

Non indigere.

281. Imolen. — Dispensationis.

Die 26. Augusti 1854.

Julius Tellarini testamento quo decessit die 7. Januarii 1740 in ecclesia monialium S. Augustini civitatis Lucensis, beneficium cum onere missarum institui jussit, cujus patronatus jus perpetuo coliatum voluit filiis ac descendentibus Lucretiae Tellarini in Renati, nec non filiis et descendentibus Laurae Tellarini in Marescotti, ejus sororum, iisque deficientibus, passivam nominationem reservavit clerico pauperiori ejusdem loci.

Cum anno 1848 beneficium vacasset, Aloysius Marescotti, rescriptis 20. Martii ejusdem anni et 22. Septembris 1851, facultatem obtinuit retinendi in habitu laicali praedictum beneficium usque ad diem 20. Martii 1853. Ante-

quam hic terminus exspirasset, anno scilicet 1851, clericus Angelus Costa Faventinus, decennis, uti ab Lucretia Tellarini causam habens, veniam super aetatis defectu ab S. H. Congregatione postulavit, quamvis, uti inquit Eminentissimus Archiepiscopus „nunquam curiae praesentatus fuerit, nisi pro praesentatione intelligi possit supplex libellus patris ejusdem clerici me exorantis, ut filio suo beneficium conferrem.“

Eamdem aetatis veniam die 7. Martii 1853 postulavit etiam Caesar Marescotti, duodecim annos natus, alter ex patronorum familiis, descendens ab Laura Tellarini, qui biduo ante exspirationem quadrimestris a termino supradicti indulti in curia praesentatus fuit, atque tonsuram efflagitavit, quam tamen illi conferre haud existimavit Archiepiscopus, „tum quia, inquit, dispensationem super aetatis defectu nondum obtinuerat, tum quia nullum ecclesiasticae vocationis signum praebebat.“

Hisce addendus Alexander Cassani e Massa Lombardorum pariter ab Laura Tellarini descendens, qui post lapsum quadrimestris, diebus nempe 11. et 17. Augusti, praesentatus fuit, et cum quatuordecim annos jam haberet clericali tonsura insignitus est. Hic porro, supplici H. S. C. oblato libello postulat, ne sua praesentatione posthabita, venia super aetatis defectu ceteris ad beneficium concurrentibus concedatur.

Eminentissimus Archiepiscopus votum ac informationem rogatus, quae exposui retulit, ac ita mentem suam aperit: „Beneficium Alexandro Cassani conferri posse mihi videtur, quamvis in tempore utili praesentatus haud esset; quum enim Angelus Costa et Caesar Marescotti aetatis veniam intra quadrimestre haud obtinuerint, Episcopo jus providendi beneficium devolvitur, uti docent Pitonius alleg. 8. num. 4. aliique ibi citati doctores. Attamen si contra DD. sententiam, hujus S. Congregationis praxis esset, ut quadrimestre non currat, donec preces penes ipsam S. Congregationem pendeant, tunc censeo aetatis veniam clerico Angelo Costa, et non Caesari Marescotti concedendam esse; ipse enim clericus erat, quum beneficium per exspirationem supradicti indulti liberum evasit, atque vocationem ad statum ecclesiasticum ostendat, et ad familiam pauperem pertineat. Praedicti adolescentes sunt in eodem gradu descendentiae a Lucretia et Laura Tellarini, quibus a fratre Julio juspatronatus reservatum fuit. Tacere autem non debeo, Caesarem Marescotti a pluribus patronis praesentatum fuisse, quam alii duo.“

Beneficium, uti in altera relatione referebat idem Eminentissimus Archiepiscopus reddit annuatim scut. 150 ex quibus expunctis tributis, eleemosyna missarum 108, aliisque oneribus, superest reditus scut. 55.

De bonis moribus ac profectu in studiis Angeli Costa testimonium reddunt Episcopus Faventinus et parochus ejusdem Angeli.

Alexander III. scribens Archiepiscopo Cantuariensi ejusque suffraganeis mandavit, ut „Nemini infra annum quartumdecimum constituto personatum cujuslibet ecclesiae concedere praesumatis, sciturі pro certo, quod inde feceritis irritabimus, et inobedientiam vestram graviter puniemus, prout habetur in cap. Indecorum 3. de aetate et qualitat. praefic. Hanc disciplinam renovavit S. Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 6. de reform., in qua statuit: „Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimumquartum annum beneficium possit obtinere.“

Nihilominus cum agitur de passive vocatis, advertunt Corrad. praxis dispens. lib. 4. cap. 2. num. 8, Piton. disc. eccles. 13, quod facile dispensatio indulgeri solet. Id ipsum quoque confirmatur ex pluribus Sacr. Congregationis resolutionibus. In Asculana Capellaniae super dispensatione 22. Augusti 1750 data fuit dispensatio puero bimo; in Neritonen.

Abbatiae 22. Nov. 1760 puero quadrienni, et in Lucana Beneficii, seu capellaniae 17. Maji 1749 puero quinquenni. Hujusmodi vero dispensationes indultae fuerunt, vel quia Orator unus erat ex compatronis, vel de familia fundatoris, vel de passive vocatis, et patronorum omnium aliorumque interesse habentium intervenerat consensus, praesertim vero concurrente causa studiorum ac paupertate.

Sed in praesenti casu illud praecipue perpendendum est, num ceteri qui vocati sunt, et habiles tempore sive vocationis, sive praesentationis erant, impedire valeant, quominus Oratores aeque vocati sed inhabiles, ope dispensationis idonei evadant. Verum, si de sacerdotibus loci sermo sit, notum est, eos qui posterius vocati sunt, multoque magis si extranei sint, etiam in vocatione directa et immediata, praepedire non posse, quominus alius de familia prius vocata et praedilecta idoneus per dispensationem evadat, Piton. de contr. patron. alleg. 1. num. 23. et seqq. Ad Cassanum vero quod attinet, praeterquam ipse post lapsum quadrimestris tonsura donatus est, accedit, in concursu plurium coaequaliter et simultanee vocatorum, posse habilem durante dumtaxat quadrimestre jure resistere, ne inhabili concedatur dispensatio, Vivian. de jurepatr. lib. 12. cap. 5. num. 39. S. Congregatio in Perusina Capellaniae 14. Maji 1774 §. Tertius.

Perpendendum praeterea, num difficultatem facessere possit, quod inutiliter lapsum fuerit quadrimestre tempus, quin Oratores dispensationem obtinuerint, ita ut devolutioni locus factus fuerit, ceu animadvertit Eminentissimus Archiepiscopus; nisi malint EE. PP. receptum sequi axioma, nimirum „tempus recurrentibus ad Principem non labi.“

Itaque ubi EE. VV. censuerint dispensationem concedi posse, ex his quae exponit Eminentissimus Archiepiscopus dijudicabunt uter praeferendus veniat; vel potius expediat, suspensa interea temporis nominatione, adimpletis oneribus et deputato ecclesiastico administratore, superexstantium reddituum erogationem aequis partibus inter Oratores pro ecclesiastica eorum educatione imperare.

Die 27. Januarii 1855.

Placuit S. Congregationi rescribere: „Pro gratia dispensationis super defectu aetatis, et habilitationis ad assequendum beneficium favore Angeli Costa, adimpletis per alium oneribus, arb. et prudentia Eminentissimi Episcopi, docto etc. facto etc.“ quod quidem rescriptum Sanctissimus in omnibus benigne approbavit et respective confirmavit.

Cum itaque Episcopalis curia praefatum rescriptum executioni committere pararetur, formali emissa protestatione obstitit clericus Alexander Cassani, contendens, non esse locum executioni rescripti S. Congregationis, quod nimirum errore facti ab curia eadem insinuato nitebatur. Falso enim assertum fuit, Alexandrum Cassani praesentatum fuisse post quadrimestre a die vacationis beneficii. Re cognita, ab ulteriori processu abstinens, Eminentissimus Episcopus una cum supplici Oratoris libello rescripti revocationem postulantis novas ad S. Congregationem transmisit literas, in quibus exponit suam assertionem de praesentatione Alexandri Cassani post quadrimestre evenisse errore secretarii sui, quia non a die executionis rescripti, sed a die datae quadrimestre computavit et rem fuse exponit concludens rescriptum favore Angeli Costae non esse exsequendum, sed pro Alexandro Cassani standum esse.“

Novus etiam ex parte Dominici Costa, clerici Angeli patris, supplex libellus oblatus est, in quo enixis precibus Sac. obtestatur Congregationem,

ut habita potissimum ratione numerosae qua gravatur prolis, summae qua laborat inopiae, tum bonorum morum ac honaestae vitae rationis, qua amplissime commendatur a parocho ejus filius Angelus, jam editum rescriptum confirmare velit.

Praevia reportatione rescripti diei 26. Augusti proxime elapsi dandam esse institutionem clerico Alexandro Cassani, facto verbo cum Sanctissimo.

282. S. Miniatis. — Dispensationis.

Die 28. Aprilis 1855.

Joannes Franciscus Pallesi testamento diei 20. Decembris 1728 simplex ecclesiasticum beneficium instituit in collegiata ecclesia oppidi S. Crucis, hasce pro capellano ope concursus eligendo conditiones indicens: „1. Rector eligendus ex oppido S. Crucis oriundus esse debet; 2. sacerdos et confessarius approbatus sit; 3. Concurrere possunt sacerdotes loci Castelfranco, si concurrentes sacerdotes S. Crucis vel non adsint, vel idonei non reperiantur. 4. Excluduntur sacerdotes non solum qui antea pro confessionibus approbati non fuerint, aut beneficia praebendasve cujuscunque generis retineant sed etiam, qui simplices officiaturas non amovibiles habeant etc.“

Vacato beneficio die 20. Augusti 1853, indictoque concursu unus inter loci sacerdotes Josephus Bartolini pro nominatione institit. Sed interea temporis Dominicus Pallesi, qui se ex testatoris familia oriundum reputat, quique e florido statu in miseram conditionem lapsus est, preces S. huic Ordini dederat, ac exponens sacerdotem Bartolini inhabilem esse ad consequendum beneficium, utpote qui non est originarius terrae S. Crucis, petiit ut idem beneficium praevia dispensatione super inhabilitate filio suo Paulo conferretur, qui ecclesiasticae militiae nomen dare cupit, adjecto tamen onere satis injunctis oneribus faciendi donec ipse idoneus reperiatur.

Vicarius capitularis ad quem, defuncto Episcopo, preces ablegatae sunt, quoad Oratoris filium refert „eum in vigesimo aetatis anno esse, et semper bene se gessisse; iteratis ejus jam ab anno 1851 precibus pro assumendo habitu clericali nunquam consensum datum esse et ob ejus aetatem et ob parvitatem ingenii, ex quo felicem exitum sperare haud licuit.“ De sacerdote Bartolinio monet: „ipsum non omnibus a testatore praescriptis qualitatibus rigorose praeditum esse, cum non praecise ex terra S. Crucis oriundus sit, sed in loco mille circiter passus ab illa terra distante natus intra fines tamen paroeciae, eumque a secundo aetatis anno cum parentibus domicilium habuisse in oppido ipso.“ Addit Episcopus Oratorem Pallesi nullam afferre potuisse concludentem probationem suae descendentiae ex fundatore Pallesi, quamvis omnes libri baptismatum praesto essent; negativam solum probationem in eo consistere, quod ipse anno 1847 haereditatem cujusdam asserti agnati J. B. Pallesi adiisse ex defectu aliarum familiarum quae eam peterent. Denique animadvertit secundum traditionem aliquorum habitantium terrae S. Crucis Oratorem Dominicum revera agnatum esse fundatoris beneficii.

Quibus ita se habentibus, quatenus Oratoris preces rejiciendas censuerint EE. PP., postulat sibi significari an non obstante defectu originis sacerdos Bartolinius admitti possit ad concursum pro beneficio obtinendo, et quo alio modo iste defectus a S. Sede sanari possit.“

Orator pro suo filio allegat agnationem cum fundatore, unde praelationis jus ceteros inter vocatos oritur, ac paupertatem; quibus concurrentibus extremis

dispensatio super defectu qualitatum in fundatione requisitarum denegari non solet, etiamsi alius extraneus nominatus fuerit, et is idoneus et capax, S. Congregatio in Lucana Beneficii 17. Maji 1749, in Urbinaten. Primiceriatus 18. Februarii 1764. Erit autem EE. PP. perpendere an conjecturae et argumenta ab Oratore adducta legitimam constituant consanguinitatis cum fundatore probationem, ut dispensationis venia, quae alteri praejudicium infert, concedi possit.

Obstare autem sibi non posse addit alterum competitorem, cui nempe deest qualitas originis a fundatore praescripta, quin hic juvari possit ex jure civitatis domicilio acquisitae. Nam fundator ad qualitatem quae naturalis sit respexit, quae quidem aliter, quam naturaliter parta non prodest; quaeque ideo numquam venit nec ex domicilio, nec ex allectione, vel privilegio, Castren. cons. 21. num. 5. part. 1. Gail. lib. 2. observ. 35. num. 6. Quamobrem, cum et Bartolinius dispensatione etiam indigeret, suo filio potius gratificandum censet fundatori sanguine juncto, pauperi, optimis moribus praedito, ecclesiasticae militiae mox nomen daturo, ac demum S. Crucis originario, cujus ideo potiora sunt jura, Card. de Luca de praeemin. disc. 36. num. 6, S. Congregatio in Forosempronien. Subsid. dotal. 8. Augusti 1789.

Ex parte sacerdotis Bartolini merito dubitari posset, num reapse originis qualitate careat, uti ex adverso contenditur. Cum enim hic in agro ortum duxerit, qui paroeciae S. Crucis subjacet, facile existimandum est, ejusdem in territorio oppidi agrum positum esse. Atqui receptum est, nomine civitatis non id solum venire quod intra moenia continetur, sed et territorium etiam ac suburbia; unde vere Bartolinius oppidi S. Crucis originarius habendus esset. Inquit Terentius in leg. 147. de verb. signific.: „Qui in continentibus Urbis nati sunt, Romae nati intelliguntur“ et Ulpianus in leg. 30 ad municip.: „Qui ex vico ortus est, eam patriam intelligitur habere, cui reipublicae vicus ille respondet. Ibique Glossa: „Natus in terra Butrii dicitur civis hujus terrae, cum villa Butrii sub hac civitate sit. Qui ex vico, ut Virgilius Mantuani licet ex vico ejus, scilicet Plectolae, fuerit ortus.“ Quo posito videndum num justa suppetat causa, ut in alterius idonei praejudicium implorata dispensatio concedatur.

Siquidem praetereundum non est haud satis probatam videri Pauli consanguinitatem cum fundatore beneficii; passiva vocatione, explicita saltem, eum carere; quippe fundator nulla de consanguineis mentione facta sacerdotes oppidi S. Crucis ad beneficium vocavit; ac denique vix ullam affulgere spem fore, ut hic oneribus per se adimplendis par aliquando fiat.

Hinc ubi originis qualitas in Bartolinio deesse decernatur, videant EE. VV., an ceteris deficientibus qui ad beneficium concurrant, sit ejus potius favore super hujusmodi qualitatis defectu dispensatio indulgenda. Prudenti enim consilio exquiri videtur, ut quando indigenae desint, qui bene ac ex constituta disciplina fungi delatis muneribus possint, inter externos adsciscantur, qui utiliorem ecclesiae operam impendant.

Lectum ad instantiam Dominici Pallesi et institutionem dandam esse sacerdoti Bartolinio.

283. Bononien. — Dispensationis.

Die 22. Septembris 1855.

Livia Serafini per actum inter vivos diei 26. Septembris 1684 simplex ecclesiasticum beneficium instituit in oratorio S. Dominico dicato quod exstat

in oppido di Crevalcuore dioecesis Bononien. Jussit autem, „quod rector (sunt instrumenti verba) ejusdem beneficii teneatur celebrare et celebrare facere anno quolibet in perpetuum missas quindecim, videlicet missam unam quolibet mense, et missas quatuor in festo S. Dominici.“ Cum autem declarasset institutionem hanc suam praecipue spectare „gloriam omnipotentis Dei et divini cultus augmentum, et ut Joannes filius Francisci de Cantellis de dicta terra Crepalcorii ad titulum beneficii promoveri valeat et possit ad sacros ordines“, hinc secuta beneficii erectione in primum rectorem praefatum Joannem Cantelli nominavit, ac edixit „instandum et obtinendum, dictam nominationem admitti, et ipsum D. Joannem .... illico institui, literasque institutionis et collationis ad ejus favorem fieri et expediri; et interim et donec et quousque pervenerit dictus D. Joannes ad dignitatem sacerdotalem, pro eo, ejusdem nomine celebrare et adimplere debeat D. Joseph de Cantellis, et casu quod D. Joannes non pervenisset debito tempore ad dignitatem sacerdotalem, ita ut per se satisfacere non posset obligationibus dicti simplicis beneficii, domina constituens declarat et praesentat dictum rev. D. Joseph de Cantellis in rectorem ejusdem beneficii.“

Pro futuris autem vacationibus statuit „in rectorem institui et declarari debere semper et in perpetuum unum ex familia D. Francisci de Cantellis si supervixerit, sin minus sit reservata facultas Priori pro tempore ven. confraternitatis S. Crucis d. terrae Crepalcorii eligendi et nominandi in rectorem ejusdem beneficii sacerdotem oriundum e d. terra, qui adimplere debeat modo quo supra, donec et quousque unus ex familia seu agnatione d. Francisci de Cantellis pervenerit ad dignitatem sacerdotalem, quo casu d. rector .... debeat cedere et ipso facto renunciare beneficium dicto sacerdoti de dicta familia seu agnatione.“

Decreto vicarii generalis beneficii erectio secuta est in quo haec quoad institutionem Joannis Cantelli leguntur „praefatum D. Joannem de Cantellis licet non clericum, et cum et quando ad dignitatem sacerdotalem pervenerit nominatum et praesentatum in rectorem d. beneficii instituendum et confirmandum, et bullas in ejus favorem expediendas fore et esse, prout instituit et confirmavit et expediri mandavit. Et ex nunc, prout ex tunc, et adhuc usque d. Joannes pervenerit ad dignitatem sacerdotalem R. D. Joseph Cantelli sacerdotem ... in rectorem instituendum et confirmandum, et bullas in ejus favorem expediendas fore et esse, prout instituit, et respective expediri mandavit.“

Die 17. Maji anni superioris vacavit beneficium de quo agitur, ac paucos post dies Prior ven. sodalitii S. Crucis di Crevalcuore qua assertus patronus ad illud nominavit ac praesentavit sacerdotem Aloysium Pederzani ejusdem loci. Sed continuo Aloysius Cantelli oppidi Sassuolo in ditione Estensi, emissa antea penes curiam protestatione, supplicem sac. huic Congregationi obtulit libellum, in quo exponens se ad agnationem seu descendentiam Francisci Cantelli, ideoque ad lineam vocatorum pertinere, ratusque nihil presbyteralis qualitatis, imo et clericatus ac aetatis defectum ex lege institutionis obstare, petiit immissionem ad vacans beneficium favore filii sui septennis, sin minus ut hic super enuntiatis defectibus ad cautelam dispensaretur ut praedictum beneficium assequi posset.

Eminentissimus Archiepiscopus, nuper vita functus, patrono ac partibus auditis, quarum transmisit allegationes, ex relatione Episcopi Regien, cujus in dioecesi moratur Orator, in sua informatione narrabat, hunc civilis esse conditionis, relativa paupertate laborare ob onus praesertim quo premitur quatuor alendi liberos; alterum ex hisce qui ad beneficium immitti velit, quoad

pro tenella ejus aetate noscere datum est, spem bonam facere. Sacerdotem Pederzani autem scientia ac moribus commendabat. Beneficii reditus sexaginta annua scutata attingere referebet, ac deductis expensis, triginta sex pro beneficiato superesse. Votum denique suum sacerdoti Pederzani propitium pandit, addens tamen, huic onus imponi posse pensionis 12 scut. ad decennium solvendae Oratori, ac erogandae pro ecclesiastica filii sui institutione.

Sustinet Orator beneficium, de quo agitur, non esse sacerdotale; sin minus sacerdotalem qualitatem non requiri in specie quoad descendentes ex linea vocata. Primum conficit ex eo quod missas sive per se sive per alios celebrare beneficiato fundatrix permiserit, S. Rota in Cremonen. Beneficii 4. Febr. 1715 cor. Cerro. Quin objiciantur verba illa „et celebrare facere“ referri tantum ad quatuor missas celebrandas in festo S. Dominici, quod arguunt ex adverso a particula et adhibita loco particulae disjunctivae „vel“. Nam praeterquam quod in quadam authentica instrumenti copia legatur particula „vel“, accedit, particulam et vim aliquando ampliativam, aut etiam disjunctivam habere, juxta ea quae monet Rota decis. 237. num. 4. coram Buratto, et decis. 137. num. 3. 6. part. 16. rec.

Alterum probat primo ab fine, quem sibi pia fundatrix proposuit, nimirum ut Joannes Cantelli (eodemque jure ceteri descendentes censeri debent) ad titulum beneficii „promoveri possit et valeat ad sacros ordines“; deinde quia abscisse statuit „in rectorem beneficii institui et declarari debere semper et in perpetuum unum de familia seu agnatione D. Francisci de Cantellis, si supervixerit“ quin qualitatem sacerdotalem, vel certam etiam aetatem in eo requisierit, uti diserte cavit cum extraneus esset nominandus. Nec obstare, quod extraneum beneficiatum beneficio cedere debere non antea praeceperit, quam unus ex vocatis ad sacerdotalem dignitatem pervenisset; in casu enim a fundatrice proposito agi de coacta renuntiatione, in praesenti autem specie rem esse perpendit de ordinaria beneficii vacatione, ubi non haec, sed altera congruit dispositio generalis, ut nimirum si quis ex linea vocatorum adsit, quamvis in sacerdotali gradu non constitutus, statim in beneficii possessionem immittatur.

Denique defectum praesentationis opponi non posse, cum de passivo vocato agatur, cujus una oppositio vim habet praesentationis, ceu docent De Luca de jurepatr. disc. 64. num. 31, Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 6. num. 33, Piton. de contr. patr. all. 1. num. 4.

Quod si secus censendum sit, pro dispensatione instat Orator innixus tum praesumpta institutricis voluntate, cujus erga descendentes ex linea vocata peculiaris benevolentia ex integro dispositionis contextu abunde comperta est, tum paupertate qua laborat, quod quidem impedimento est quominus filii sui institutioni, uti suam decet conditionem, prospici possit. Quibus perpensis circumstantiis persaepe S. Congregatio hujusmodi dispensationes ad beneficia assequenda filiis patronorum vel ex genere vocatorum descendentibus largita est, vel saltem collationem donec habiles evaderent suspendit, uti in Monasterien. Canonicatus 7. Aprilis 1753. §. Vacarunt, in Vercellen. 19. Julii 1766, ac alibi passim. Neque huic dispensationi negotium facessere putat Orator assertum jus sacerdotis Pederzani; siquidem Summus Pontifex veniam super defectu vel presbyteratus vel aetatis impertiendo ei qui ex linea primitus vocata descendit, utitur jure suo, neque ullam infert jacturam alteri, qui in subsidium tantummodo ad beneficii possessionem ex fundatione vocatur, Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 51. num. 23, Piton. de contr. patr. alleg. 100. n. 338.

Contendit e contra sacerdos Pederzani agi in casu de beneficio sacerdotali, quod arguit primo ex ipsius institutricis facto quae licet Joannem Cantelli (ex quo norma pro aliis futuris vocatis sumenda est) ad beneficium nominaverit, attamen non prius eum ad ejus possessionem immitti mandavit, quam ad sacerdotalem dignitatem pervenisset, ut adeo institutus unus interim Ordinarii decreto, in instrumento erectionis relato, ad beneficium fuerit sacerdos Joseph Cantelli, cujus tantum favore bullae institutionis expeditae fuere, uti constat ex actis. Quod si dubia hac in re institutricis dispositio videatur, instrumento erectionis potius standum esset juxta monitum Piton. de contr. patr. alleg. 37. num. 2.

Idipsum infert secundo ex fundationis lege, qua cautum est, ut extraneus sacerdos nominatus ad beneficium, illud retineret „quousque unus ex familia de Cantelliis pervenerit ad dignitatem sacerdotalem“, quo tantum in casu hujus favore renuntiatio emittenda foret. Perdite autem discrimen fieri inter casum renuntiationis et alterum vocationis, cum nulla in fundatione distinctio facta fuerit.

Id tertio eruit ab onere injuncto adimplendi per se missarum onera, facta tantum facultate ea per alium implendi, uti necesse erat, cum plures missae in festo S. Dominici celebrandae essent, quam ob rem adhibitam censet particulam conjunctivam „et“, minime vero particulam disjunctivam „aut“; quae alternativam secum fert, ita ut satisfactum injuncto censeatur oneri, quoties alterutra ejusdem alternativae pars impleatur.

Post haec imploratam dispensationem puero Cantelli denegandam contendit. Exaggeratam dicit hujus familiae paupertatem; in deteriori se conditione versari, qui praeter sacrum patrimonium, cujus titulo ordinatus est, nihil possidet. (Asserit tamen Cantellius eum nuper parochum renuntiatum fuisse.) Demum ex gratia jus laedi ab se ex praesentatione quaesitum contra censuram textus in cap. Si quando de rescript.

Quatenus itaque dispensationem denegandam censuerit EE. VV., videant an saltem proposita ab Eminentissimo Archiepiscopo pensio probanda sit.

Lectum.

284. Placentina. — Dispensationis.

Die 26. Junii 1858.

Ultimo quo decessit voluntatis elogio anno 1469 Bartolinus Mondani, in collegiata ecclesia a S. Huldarico nuncupata Placentiae praepositus, praebendam choralem qualitatis sacerdotalis sub invocatione SS. Artemii, Candidae et Paulini instituit in cathedrali ejusdem civitatis, onere praebendato imposito praeter chorale servitium tres missas qualibet hebdomada celebrandi. Juspatronatus activum reservavit seniori familiae de Mondanis, nulla tamen mentione facta passivae vocationis; ac jus institutionis capitulo ejusdem cathedralis ecclesiae attribuit.

Cum per obitum ultimi possessoris anno elapso vacaverit praedicta praebenda, Carolus Mondani utpote familiae senior, jure suo utens nominavit ac praesentavit, sub conditione dispensationis clericum Ludovicum Scaglia aetatis annorum viginti, qui nunc degit in collegio Alberoni S Lazari; nominans in subsidium sacerdotem Petrum Rapaccioli, quatenus dispensationis veniam clericus Scaglia non obtineret. Capitulum, cui praesentatio ejusdem clerici Scaglia intra legitimum terminum exhibita fuit, eam sub eadem conditione dispensationis accepto aeque habuit. Obstitit tamen sacerdos Petrus Mon-

dani, qui in eadem cathedrali alia praebenda chorali potitur, contendens, se utpote a familia fundatoris descendentem praeferendum esse extraneo, qui dispensatione praeterea indiget, ut hujusmodi praebendum assequi ac retinere valeat.

In hoc itaque rerum statu Carolus Mondani patronus supplicem S. Congregationi libellum exhibuit, quo favore clerici Scaglia postulat dispensationem super defectu presbyteratus, nec non indultum absentiae a chorali servitio, quousque studiorum curriculum absolutum ab eodem non fuerit.

Super hujusmodi precibus Episcopus suam non aperuit mentem, remque totam judicio S. Ordinis reliquit, quod praestolatur.

Sacerdos Petrus Mondani, qui oppositoris partes sustinet, sibi jus praelationis vindicat, quia ad familiam fundatoris pertinet, et qualitatibus pollet in fundatione requisitis; dum praesentatus econtra extraneus est et dispensatione indiget.

Patronus vero contendit nemini fieri injuriam, siquidem implorata dispensationis venia concedatur. Cum enim in fundatione de uno tantum activo jure patronatus mentio fiat, minime vero de passivo, nemo est qui ad beneficium jus habeat, nisi qui a legitimo patrono suffragium nominationis retulerit, sive hic ad fundatoris vel patronorum descendentiam pertineat, sive extraneus sit. Nam deficiente vocatione passiva, coarctanda non est patroni libertas quoad nominationem ad certum personarum genus, ac nemo jus quaesitum habere dicitur, ceu tralatitii juris est.

Nec recte a jure patronatus activo certo personarum generi collato, passivum inferri earumdem personarum favore observat; quippe quia id obtinet, quando incerta ac dubia fuerit vocatio passiva, minime vero si desideretur omnino, ceu in casu, juxta ea quae tradunt De Luca de jurepatr. disc. 29. num. 5, Piton. de contr. patr. alleg. 83. num. 6. Aliud enim est declarare ambiguam fundatoris voluntatem super una specie jurispatronatus, aliud vero inducere voluntatem nullimode explicatam, Piton. parerg. ad discept. eccles. §. 34. 35.

Cum itaque legitimus contradictor deficiat, instat patronus pro gratia dispensationis, a qua non dissentiunt capitulum et Episcopus; ad rem afferens testimonium rectoris collegii, quo clericus Scaglia ob pietatem, bonos mores, ac sedulam quam studiis navat operam summopere commendatur. Addit non longe eum abesse ab aetate canonica, ad quam provectus et sacris initiari ordinibus, et adnexa onera ac chorale munus praesertim explere per se valeat.

Quatenus vero dispensatio deneganda sit, rogat Episcopus, ut declaretur an praebenda controversa conferenda sit sacerdoti Mondani (qui tamen praebendae qua nunc fruitur nuntium mittere cogeretur); idque ad novam praecavendam controversiam quae inter ipsum Mondani et alterum subsidiarie nominatum sacerdotem Rapaccioli procul dubio oriretur. Ex allatis porro juribus quomodo res hosce inter definienda sit decernent EE. PP.

Pro gratia dispensationis et habilitationis juxta petita; ita tamen ut clericus Scaglia, cum ad canonicam aetatem pervenerit, sacros ordines suscipere teneatur sub poena caducitatis, facto verbo cum Sanctissimo.

285. Aquen. seu Novarien. — Dispensationis.

Die 25. Januarii 1862.

Sacerdos Thomas Zannoletti e dioecesi Novariensi, parochus loci Piedimulera ejusdem dioecesis, nonnullis ab hinc annis nominatus fuit rector

simplicis beneficii de jurepatronatus sub invocatione Spiritus sancti, quod erectum exstat in parochiali ecclesia oppidi Morzasco Aquensis dioeceseos. Sed exorta inter patronos quaestione super jure nominandi, ea pendente parochus Zannoletti apoplectico morbo correptus, usu brachii et manus dexterae impeditus infeliciter mansit, ita ut parochialis curae intermisso exercitio patriam suam (oppidum Mogogniuo) valetudinis curandae causa repetere coactus fuerit, ubi moratur in praesens. Absoluta demum quaestione secundum patronum, qui eum nominaverat, petiit ipse canonicam beneficii institutionem ab Episcopo Aquensi, qui tamen petitioni annuere detrectavit causa impotentiae Oratoris ad onera beneficio inhaerentia per se, prout in fundatione praescribitur, adimplenda, quae consistunt in celebratione missae diebus festis, et aliarum quatuor missarum in qualibet hebdomada, nec non in auxilio parocho loci praestando in functionibus parochialibus.

Quamobrem Orator idem supplici libello S. Congregationi oblato, petiit ut super enuntiato defectu dispensaretur ad canonicam assequendam institutionem, promptum paratumque se exhibens adimplendis per alium idoneum sacerdotem praescriptis oneribus beneficii, de quo agitur.

Scriptum fuit pro informatione et voto Episcopis Novarien. et Aquen., quorum primus haec tantum retulit: „Sacerdos Zannoletti ob infirmitatem jam a pluribus mensibus in oppidum Mogognini patriam suam se contulit, postquam mecum convenit, ut viceparochus a me designatus, cui ipse administrationem omnium bonorum temporalium parochiae concredidit, ipsi libellas 135 annuas solveret et ego ei concederem, ut feci, libellas 365 annuas ex opere pio pro necessitatibus parochorum instituto. Fundos aliquos possidet ex quibus nunc 200 circiter libellas ei redeunt; ex credito autem libell. 6780 nihil hodie percipit ob debitorum fraudes et moram. Medici omnes certiorem me reddunt spem salutis pro eo nullam esse; quapropter ego consentio, ut beneficio investiatur, ut vacans hoc modo parochia alio provideatur rectore."

Episcopus Aquensis praemittit se institutionem Oratori denegasse, quia imparem morbi causa eum noverit satisfaciendo oneribus beneficio adnexis, quae quidem ex diserta, ut inquit, voluntate fundatoris personaliter a beneficiato impleri debent, minime vero per substitutum. Ab relatione autem Episcopi Novariensis in comperto esse ait, non adeo, ut praefertur, miseram esse rei familiaris conditionem, in qua parochus versatur. Nam ipse cum ex bonis patrimonialibus, tum ex pensione libell. 500, quam ei rependeret Episcopus Novariensis, si beneficio parochiali valediceret, reditu potiretur libellarum mille circiter. Quod si ex hisce detrahi velint libellae 350, quae sunt fructus capitis mutui, quos ei nepotes sui denegant, attamen monet Episcopus eidem nuper relictum fuisse ex legato latifundum majoris sane reditus, quam quos ex capite mutui percipere posset.

Addit ultimo loco petitionis rationem haberi amplius non posse, ex eo quod patronus ad aliam nominationem absque ulla reservatione jam devenerit.

Orator commiseratione adeoque indulgentia se dignum affirmat ob gravissimam quam patitur morbi calamitatem, nec non ob angustam rei suae familiaris conditionem, eo vel magis in pretio nunc habendam, quo morbo implicitus majoribus indiget auxiliis, ac impos ad honestam sustentationem aliunde sibi comparandam evaserit. Hinc requisitae in fundatione personali officiorum ad beneficium pertinentium procurationi canonicam adesse causam ut derogetur, quibus per alium satisfieri commode poterit, ne secus contingat afflictionem afflicto addi contra naturalis aequitatis rationem. Accedere etiam causam providendi paroeciae, nominatione novi parochi, remoto coadjutore,

qui illam nunc regit. Orator enim paroeciae nuntium mitteret, ubi beneficium de quo agitur assequatur.

Nihil vero obesse novam nominationem a patrono peractam. Nam tralatitii juris est, non licere patronis revocare nominationem jam praesentatam in praejudicium juris quaesiti praesentato, ad monitum S. Rotae in Vaden. Canonicatus 30. Junii 1704. §. Nil urgente cor. Molines, decis. 313. num. 12. part. 16. recen., Piton. de contr. patron. allegat. 100. num. 354, pendente praesertim recursu ad S. Sedem pro dispensatione, cujus exitus fuisset exspectandus.

E contra obstat Oratori diserta lex fundationis, qua cautum teste Episcopo Aquensi, onera beneficii per ipsum beneficiatum, secluso substituto, fore adimplenda; ut adeo pateat, intentam fuisse a fundatore industriam personae eligendae, ob naturam onerum impositorum, quae inter auxilium parocho praestandum recensetur. Ratio vero paupertatis, quae pro dispensatione affertur, minus consistere videtur juxta superius descriptas utriusque Episcopi relationes. Sed gravius accessit in praesens obstaculum ex dissensu patroni, qui imo absque ulla reservatione favore Oratoris novam perfecit nominationem, quam quidem perficere jure poterat, semel ac compertam habuit superventam primi nominati inhabilitationem ad beneficium. Nam si patronus ignoranter praesentans inhabilem, a die delectae inhabilitatis novum habet terminum ad praesentandum, Piton. de contr. patron. alleg. 2. num. 2. ac jure hoc suo uti potest, quin exspectare teneatur, ut superveniat habilitas praesentati, idipsum plane obtineat necesse est. si quando praesentatus licet principio habilis, deinde vero, antequam institutionem assequatur, quae una tantum jus in re tribuit (de Luca de benef. disc. 30. num. 16.), inhabilis vel citra suam culpam effectus fuerit.

Utrum vero momenta haec rationum obstare jure queant Oratori, ne petitam dispensationis veniam assequatur, quam quaedam ceteroquin aequitatis ratio suadere videretur, judicium esto EE. PP.

Lectum.

286. Viterbien. et Amerina. — Irregularitatis.

Die 3. Julii 1852.

Ad vacantem praebendam canonicalem in ecclesia collegiali Lugnani Amerinae dioeceseos, ab institutore Aloisi nuncupatam, nominatus fuit clericus Ubaldus Piacentini a familia Pagliacci Viterbiensi, quae hujus praebendae jurepatronatus potitur. Vix hujusmodi nominationem illius ecclesiae canonici resciverunt, impedimentum vulgo Nihil transeat ad possessionem nanciscendam statim interposuerunt ob legitimorum natalium defectum, quo laborare ipsum asseverant. Ut ab hoc relevetur impedimento clericus Piacentini, recursum habet penes H. S. O. exponens quod „se credens filium legitimum (fidem enim baptismatis exhibet, ubi edicitur ipsum ortum habuisse a Julio Piacentini et Maria Orlandi) attamen hoc plene probare non valens, cum testimonium matrimonii a genitoribus contracti ob ignorantiam ecclesiae vel civitatis contractus exhibere non possit, supplicat ut qualicunque defectu sanato legitimus declaretur.“

Requisitus, ut moris est, pro informatione et voto tum Eminentissimus Episcopus Viterbiensis, tum Episcopus Amerinus: respondit primus quod „perquisitis libris status animarum omnium civitatis Viterbii paroeciarum, nullam ex ipsis contigit inveniri memoriam quoad parentum Oratoris patriam,

vel eorum in hac civitate moram; ex quo videtur argui posse praefatum Ubaldum ex legitimo matrimonio non fuisse natum. Haec autem praesumptio veritatis robur acquirit, si obstetricis testimonio fides habeatur; ipsa enim obtestatur praedictum Ubaldum ex Julio Menicozzi cive Viterbien. nunc defuncto et Maria Piacentini alienigena fuisse procreatum, qui quamvis in statu libero exstarent . . . nullo matrimonii vinculo erant conjuncti . . . Ex superius ergo adductis nullum videtur esse dubium super Oratoris illegitimitate; attamen inspecta ejus proba ac bona indole opinor Eminentissimos Patres ejus instantiam benigne accipere posse, necessariamque dispensationem ipsi impertiri.“ Alter etiam refert haud in dubium revocandam esse Ubaldi illegitimitatem, quin suum tamen pandat judicium, quod sapientiae EE. PP. libentissime submittit.

Certum est non Viterbii tantum, ubi Ubaldus suos habuit natales, sed et in S. Martini Nullius, ubi nunc suum habet domicilium, pro filio naturali Julii Menicozzi publice haberi: jam vero ad hujusmodi irregularitatem inducendam, sufficere ut quis publicae nota illegitimitatis sit onustus apud probos et graves viros, edocet Pax Jordan. lib. 10. tit. 18. num. 21., dummodo tamen, uti tradit Card. Petra tom. 4. comment. ad constit. 8. Gregor. XI. num. 15, famae initium ex malignitate, invidorum et malignantium provenisse non constet. Indecorum proinde existimant canonici in eorum coetum cooptari illum, cujus illegitimitas adeo publica est, ut „de illo sermones protrahant homines otiosi et qui licentius vivunt“; maxime vero si attendatur quod Ubaldus a prima infantia apud eumdem Julium Menicozzi fuit enutritus, quorum etiam propinqui post ipsius mortem alimenta eidem subministrant. Atqui illegitimi omnes tum ab ordine tum a beneficiis ex apertissima juris dispositione arcentur, cap. Inter dilectos de excess. praelat.

Animadvertendum tamen non agi de filio adulterino, a quo tum civiles tum canonicae leges abhorrent omnino, et numquam dispensationi indulgent, ne ad effectum quidem ut in seminarium recipiatur, ceu est exemplum in Nullius Dispensationis 13. Augusti 1836, sed rem esse de spurio ad primam clericalem tonsuram jam promoto. Hoc autem casu mitius pia mater Ecclesia se habet, nec imputat filiis parentum vitia, sed illos admittit praevia dispensatione ad ecclesiam et beneficia, quatenus morum honestas eos commendabiles reddiderit, et meruerint ut Ecclesia cum iis legitime dispenset, can. Cenomacensem dist. 46, quamobrem spurii bonae vitae et famae ex juro quoque civili muneribus et honoribus funguntur, et ad decurionatum admittuntur non minus quam legitimi, leg. Generaliter. §. Spurii ff. de decurionib.

Constat at vero ex indubiis documentis Oratorem bonis suavibusque moribus imbutum esse, pietatis ac religionis eximia continuo exhibuisse specimina, et a pluribus annis ecclesiae inservire. Constat iterum de ejusdem paupertate, quia si quandoque desierit erga ipsum caritas familiae Menicozzi, in miserrimam conditionem conjiceretur. Hisce confluentibus rerum adjunctis benigne cum ipso agendum esse maxima aequitatis ratio suadere videtur; quidquid demum sit de capituli dissensu, qui veluti nimio partis aestu et citra pietatem panditus, esset posthabendus.

Magis, quia patroni institutionem urgent, et Eminentissimus Episcopus Viterbiensis pro dispensationis gratia opinatur. In dispensationibus concedendis plurimi factum semper fuit Episcopi et patronorum suffragium, ceu, ceteris missis, fidem perhibet una Callien. et Pergulana 24. Jul. 1824. §. Haec autem.

Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum Sanctissimo.

B. In specie de jure patronatus.

1. De jure activo patronatus.

287. Veronen. — Juris nominandi.

Die 2. Maji 1857.

Pia femina Paula Motta oppidi Bussolengo Veronensis dioecesis, ultimis queis decessit tabulis anno 1832, praeter alia pia opera, quorum executionem commisit sacerdoti Josepho Turri testamentario executori ab se nuncupato, pium missarum legatum reliquit „missam festivam perpetuam in ecclesia fratrum (i frati) (in qua nimirum olim aderant fratres Minores de observantia) in loco Bussolengo. Parochus nominabit capellanum, et si fratres venerint, pater guardianus nominabit.

Defuncta testatrice sacra litari coeperunt a sacerdote, quem parochus nominavit, eique executor testamentarius sacerdos Turri congruam suppeditabat eleemosynam. Interea idem sacerdos Turri emptam a demanio supressam Fratrum ecclesiam, et domum religiosam suis sumptibus in proximo aedificatam rite cessit anno 1854 ven. Congregationi Sanctissimi Redemptoris, cui una simul bonorum possessionem tradidit, quae a testatrice pro legati adimplemento relicta fuerant.

Ita cum se res haberent, dubitatio exorta est quoad jus deputandi sacerdotem, qui missas celebret (qui enim primo deputatus fuerat nuper obiit), utri scilicet competat, an parocho, vel rectori religiosae domus patrum quos vocant Redentoristi. Qua ideo super re Episcopus Veronen. S. Congregationis oraculum exposcit.

Parochus in hujusmodi exercitio juris manutenendum se esse contendit innixus testamenti lege, qua praecipitur non antea ab nominandi jure cessare oportere parochum, quam fratres Minores de observantia restituti fuissent, quibus ipse suffectus fuit; quod quidem patere inquit ab vocabulis quae adhibuit testatrix, nimirum Frati, et Guardiano, quae sane communi loquendi usu conveniunt religiosis de observantia, minime vero aptantur PP. Redemptoristis, qui appellari vulgo non solent Frati, nec illorum superior Guardiano. Accedit praesumptionis ratio, ut testatrix devotionis fortasse ac pietatis causa erga mendicantium ordinem, missas litari in ista ecclesia praeceperit, spem illorum reditus votumque confovens. Incredibile demum videri, testatricem adeo rudem fuisse, ut vocabula religiosi in genere, et superiore adhibere nesciret ubi indiscriminatim de alio quolibet religioso ordine rationem habere voluisset.

E contra in sua relatione Procurator generalis congregationis perpendit, testatricem non edixisse „si venerint Fratres Minores, aut mendicantes, aut Franciscani, sed simpliciter: si venerint Fratres“, quo sub vocabulo juxta communem loquendi usum, ceu testatur Episcopus, in loco quo testatrix defuncta est vigentem, veniunt indistincte religiosi cujusque ordinis aut congregationis; ac ceteroquin cum rudis esset testatrix, omnino praesumendum est ipsam quae propria manu testamentum scripsit ignorasse germanam variorum ordinum appellationem, ac distinctionem in sensu canonico inter fratres et clericos regulares, inter Guardianum et rectorem. Addit et monet etiam Episcopus, vel ipsum sacerdotem Turri asseverare, testatricem integrum executori testamentario reliquisse vocandi quem maluisset religiosum ordinem ad ecclesiae regimen quae ad fratres de observantia olim pertinuerat. Denique non praeterit dissidia quae facile exoriri possent ubi

extraneus sacerdos a parocho deputandus in ecclesia designata missas celebrare deberet; unde vel ex hoc ipso, et ex quadam etiam congruentiae ratione prorsus expedire, ut PP. Redemptoristae, qui in legati bonorum possessionem rite immissi jam sunt, libere utantur jure celebrationis missarum in propria ecclesia, quae a testatrice designata est.

Spectare ad superiorem domus religiosae.

288. Montisfalisci. — Capellaniae.

Die 17. Septembris 1859.

Victorius Massi Romanus postremis exaratis tabulis die 20. Septembris 1841 haeredem in usufructu sororem suam Septimiam viduam Angeli Fiorani nuncupavit, qua defuncta, sic edixit: „haeredem meum proprietarium jam ex nunc libere volo esse capellaniam mere laicalem erigendam in ecclesia S. Caroli hujus civitatis sub titulo S. Sebastiani cum onere unius missae in hebdomada ad meam intentionem; qua in capellania nullo modo se ingerat nec Dataria nec Episcopus pro tempore, sed sit simplex legatum missarum. Nominatio pertinebit ad Phil. Pieri-Buti et ejus descendentes masculos in infinitum, et his deficientibus succedant masculi ex feminis lineae rectae Philippi Pieri-Buti; et non aliter.“

E vivis sublata die 21. Octobris 1845 haerede usufructuaria reverendus dominus Franciscus Perla, capellanus illius cathedralis, dictae testamentariae voluntatis executor relictus, comparuit in cancellaria episcopali die 16. Octobris 1848, et exhibito rerum inventario et particula testamenti institit dictam piam voluntatem executioni mandari. Ex tunc Eminentissimus ejus temporis Episcopus Cardinalis „auctoritate ordinaria. et omni alio meliori modo in forma juris erexit in perpetuum in ven. ecclesia S. Caroli capellaniam laicalem sub titulo S. Sebastiani ab institutore Massi quoque appellandam, bona omnia ut supra assignata et descripta in dotem cum oneribus enuntiatis assignavit, statuit et applicavit. Reservavit autem juspatronatus activum ad formam testatoris voluntatis favore domini Philippi equitis Pieri-Buti, ejusque filiorum et successorum masculorum e masculis descendentium in infinitum, in quorum defectu, masculorum feminarum etc.“

Interim praefatus Philippus Pieri-Buti patronus volens ad dictam capellaniam nominare filium hunc Petrum tunc septennem, supplex adiit hunc Sacrum Ordinem, rogans, ut sibi liceret administrationem gerere praedictae capellaniae, donec filius ad aetatem legitimam perveniret, et clericali tonsura insigniretur; et favorabile rescriptum assecutus est die 11. Septembris 1848, quod executioni ab episcopali curia die 2. Novembris ejusdem anni fuit mandatum. Ubi vero legitimam attigit aetatem praefatus Petrus recepta prius tonsura, obtinuit ab episcopali curia die 9. Septembris 1853 in possessionem capellaniae solemniter immitti.

Haec omnia non penitus animo passus est fieri laudatus Philippus eques Pieri et quoniam juxta depositionem domini Francisci Perla, executoris testamentarii, eam putat fuisse testatoris voluntatem, ut haeres proprietarius ipse Philippus esset, et deinde ejus filii cum onere praefatas missas celebrare faciendi, hinc supplici oblato libello rogat enixe S. Congregationem, ut praevia declaratione nullitatis actorum in curia episcopali potestatem sibi faciat bonis haereditariis utendi, fruendi, firma obligatione missarum ejus expensis celebrandarum.

Episcopus de more requisitus, ita affabre rem expendit suamque sententiam aperit: „Quaecumque fuerit privata testatoris mens favore Oratoris, inspectis tamen solemnibus tabulis indubium est ipsum ejusque filios non haeredes fuisse institutos, bene vero patronos.

„His accedit, quod testator, licet voluerit capellaniam mere laicalem erigi, et ecclesiasticae potestatis influxum ex ea removere, attamen nonnulla jussit quae cum capellaniae laicalis natura stare non possunt: erectio enim quam in ecclesia S. Caroli sub titulo S. Sebastiani fieri, et juspatronatus activum, quod familiae Pieri esse praescripsit, duo sunt, quae sine auctoritatis ecclesiasticae interventu locum habere non posse videntur. In hoc autem casu quando nempe testator gentilitiam et familiarem voluit instituere capellaniam, et insuper eam erigi sancivit sub titulo alicujus sancti, Episcopi potestas excludi nequit a testatore, et si exclusionem hanc ipse sancivit, conditio pro non adjecta haberi debet, juxta tradita a Ferrario verb. Cap. num. 7. 8. 9. Atque haec causa fuit, cur curia epicopalis nihili faciens hujusmodi a fundatore decretam exclusionem ab interponendo erectionis decreto et a danda primo nominato institutionem abstinendum sibi non esse putavit, executore testamentario et patrono minime contradicentibus.

„Verum Oratoris favore animadverti posset, quod licet in themate canonica erectio, et pro prima vice institutio habeantur, cum haec tamen praeter, imo contra claram testatoris voluntatem evenerint, „qua in capellania nullo modo se ingerat nec Dataria nec Episcopus, sed sit simplex legatum missarum", haec, inquam, tanti roboris esse nequeunt, ut capellania mere laicalis in ecclesiasticam conversa dicatur, deficiente praesertim diuturna observantia, quae talem conversionem operari potuisset.

„Neque officit, quod remota episcopali potestate, nec patronatus activus favore familiae Pieri statui, nec erectio sub titulo S. Sebastiani fieri potuisset. Novum enim non est, quod capellaniae etiam mere laicales sint patronatae, et quod nominatus sine Episcopi approbatione et institutione iis frui possit. Erectio autem a testatore decreta non debet, nec debebat accipi pro canonica erectione sed pro simplici fundatione, quam testator sive per se, sive per executorem testamentarium efficere potuisset sine interventu ecclesiasticae potestatis. Verba enim accipienda sunt juxta mentem proferentis, et in casu clarissima fuit mens testatoris, se velie fundare capellaniam mere laicalem, seu simplex missarum relictum, exclusa tam Episcopi, quam sedis Apostolicae potestate. Perperam igitur episcopalis curia et erectionis decretum interposuit, et institutionem nominato dedit. Et si Orator iis, quae a curia agebantur, contradicere aperte ausus non est, id in homine canonici juris inscio mirum esse non debet, qui tamen nunc, cum praejudicium sibi et suae familiae illatum sentiat, ad S. Congregationem confugit, ut indemnis fiat. At etiamsi deliberatum consensum et ipse et executor testamentarius erectioni praestitisset, nihil tamen actum esset. Haeres enim et executor testamentarius tunc solum potest auctoritatem Ordinarii in erigenda capellania adhibere, quando ipse defunctus nec tacite, nec expresse alienus fuerit ab ecclesiastica qualitate capellaniae, Ferrar. verb. Cap. in addit. num. 2; aliter autem sese res habet in themate.

„Quidquid igitur gestum ab episcopali curia hactenus est, nullam vim habere videtur, nisi eo sensu illud accipi velit, quod scilicet auctoritas ecclesiastica sese immiscuit in casu, non ut fundatoris everteret voluntatem (quod ei minime licebat), sed ut illa fidelius executioni ab executore testamentario mandaretur, de eaque clarius constaret, juxta tradita a Cardinal. de Luca discurs. 27. de jur. patr. n. 5.: „Non omnino incongruit, ut etiam

super legati pii pertinentia Ordinarii auctoritas adhibeatur ex. gr. super delatione, seu adjudicatione magis uni quam alteri etc.

„His positis, Vestrae praeclarissimae sapientiae erit statuere, Eminentissimi patres, quid in casu magis in Domino expediat. Illud saltem indulgendum esse Oratori submisse putarem, ut filius ejus nomine Petrus in dictae capellaniae possessione licite possit permanere, quamvis clericales vestes exuerit, velitque ad saecularia vota transire."

Ponatur in folio:

Proposita causa in folio diei 7. Julii 1860 ad dubia:

I. *An decretum curiae episcopalis Montis Falisci sit confirmandum vel infirmandum in casu?*

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundum:

II. *An constet favore Oratoris et ejus descendentium masculorum de jure possidendi bona haereditaria Victorii Massi, hisce utendi fruendi cum onere celebrationis missarum in casu?*

Responsum est:

Ad I. *Decretum esse confirmandum uti acceptationem legati pii.*

Ad II. *Affirmative ad formam testamenti, facta inscriptione in tabulis censualibus favore capellaniae.*

289. Aquipendien.

Die 7. Junii 1834.

Exstant Caneni binae paroeciales ecclesiae, quarum una SS. Joannis et Andreae, altera S. Crucis titulo designantur. Haec viginti abhinc circiter annis suo viduata rectore ob redituum exiguitatem, dotis augmento per s. m. Pium VIII. donata est in annuis scutis plus minus viginti. Cum tamen ea ex quibusdam „censuum et emphyteusium, uti narrat Episcopus, pensionibus proveniant, quae difficillime exiguntur, domus vero parochialis fatiscat, nisi huic malo citius consulatur: nullus adhuc reperiebatur sacerdos, qui parochum gerere vellet. Vacavit interea mense Octobris anni 1832 simplex in eadem ecclesia beneficium ex jure patronatus sodalium S. Crucis; ipsius concessionem pro parocho probarunt sodales ea lege, ut peracto ad normam S. Concilii Tridentini concursu Episcopus confratribus duorum e dignioribus concurrentium nomen praesentet et ipsi jus habeant per secreta suffragia nominandi, quem in Domino judicabunt meliorem. Supplex itaque coram hoc S. Ordine stetit postulans, ut propositam conditionem approbare dignetur, firma remanente bullarum expeditione, quae ad Datariam aut ad Episcopum juxta vacationis tempus spectabit.

Pro approbatione perpetuae unionis beneficii S. Crucis in augmentum census paroeciae S. Crucis reservato Sodalibus S. Crucis jure nominandi unum ex duobus dignioribus approbatis in concursu ab Episcopo, facto verbo cum Sanctissimo et notificetur ministris Datariae Apostolicae.

290. Derthonen. — Jurispatronatus.

Die 27. Junii 1863.

Jam ab anno 1596 jurepatronatus paroeciae Luzzani gaudebant canonici Lateranenses monasterii S. Petri in Ciel d'Oro civitatis Papiae, qui

universum ferme paroeciae territorium possidebant, idemque juspatronatus exercuerunt usque ad annum 1781, quo tempore monasterium suppressionem passum est. Bona quae ad canonicos spectabant, in dominium transierunt comitis Cajetani Opizzoni archipresbyteri ecclesiae metropolitanae Mediolanensis, et eo defuncto jure successionis in dominum Antonii Greppi. Huic vero titulo singulari seu in vim contractus emptionis diei 21. Julii 1853 in possessione eorumdem bonorum et jurium successit comes Aloysius Barbiano di Belgiojoso.

Scire praestat anno 1828, collapsa penitus et a pluribus annis ecclesia paroeciali, parochum functiones ministerii sui in oratorio a praefato archipr. Opizzoni exhibito peragere coactum fuisse, donec ipse Opizzonius propriis expensis et in proprio fundo novam parochialem ecclesiam erigendam curavit, omnique supellectili ditavit, ita ut Episcopus illius temporis eamdem dixerit opus vere dignum illustri familia patrona.

Mortuo die 13. Maji 1855 parocho Joanne Meriggi, comes Belgiojoso in novum parochum nominavit et Episcopo praesentavit sacerdotem Julium Travella, et publicis de more propositis edictis contra praetendentes, nemo unus inventus est qui factae nominationi vel adversaretur, vel aliquod sibi in nominando jus quaesitum adsereret. Interea tamen dubitante Episcopo de canonica institutione concedenda, promotor fiscalis curiae Derthonensis exiit, suasque protulit pro libertate ecclesiae parochialis conclusiones. Ne vero ecclesia, dum quaestio in longum protraheretur, diu viduata pastore remaneret, congruum putavit Episcopus, salvis ex utraque parte juribus, Apostolicam Sedem rogare „ut benigne concedat ecclesiam parochialem loci Luzzano conferri sacerdoti Julio Travella sine concursu pro hac vice.“ Et quod petiit obtinuit.

Die enim 21. Martii 1856 per viam gratiae rescriptum prodiit ab hac Sacra Congregatione, quo „Sanctissimus ... petitam derogationem concursus (agnita prius ab Oratore per declarationem in forma juris validam libertate collationis ecclesiae parochialis) et habilitationem ad conferendam paroeciam sacerdoti Julio Travella ... eidem Episcopo impertitus est“. At hujus rescripti executionem comes Belgiojoso hactenus recusavit, ea ratione, ut Episcopus non longe a veritate arbitratus est, quod eidem comiti mandatum fuerit, ut ipse prius ecclesiae libertatem agnosceret; quod profecto componi haud posset cum proposito ab ipso jam concepto assequendi saltem ex gratia a S. Sede memoratum ecclesiae patronatum. Et revera apud episcopalem curiam agere incepit comes, ut preces ad eumdem finem Apostolicae Sedi exhibendas propitio suffragio suo Episcopus commendaret, idque laudatus Antistes se facturum promisit „quando iste (Belgiojoso) exsecutus fuerit propositum dandi praebendae loci Luzzano summam libell. 4000 in fundis et pecunia, pro restaurandis aedibus praebendae.“

Nunc vero Orator paratum sese offerens ad praefatam summam exsolvendam, supplicem libellum Sanctissimo Patri exhibuit humiliter postulans „ut Ordinario Derthonen. dentur facultates pro approbatione praestationis illius favore parochiae Luzzana, et pro concessione perpetui juris nominandi et praesentandi rectorem parochiae Luzzano, favore comitis di Belgiojoso et ejus successorum.“

Episcopus Derthonensis, quem rogavi pro informatione et voto, audito parocho et curiae episcopalis promotore fiscali in scriptis, commisso sibi muneri diligenter satisfecit, omnia quae in supplici libello ab Oratore exposita fuere vera esse declarans, et referens tum parochum, seu potius paroeciae

oeconomum (hoc enim interim titulo Julius Travella ecclesiam administandam suscepit) tum vicarium foraneum Luzzani precibus Oratoris assentiri, ea tamen sub conditione, ut antea plenam comes Belgiojoso curet executionem praefati rescripti 21. Martii 1836. Ipse vero Episcopus Oratoris petitioni in omnibus favet, mentemque suam conformem in omnibus enuntiat voto promotoris fiscalis, qui petitam patronatus gratiam comiti concedi posse adductis ad rem rationibus arbitratur. Ita siquidem disserendo negotium ipse promotor expendit.

Ad inducendam jurispatronatus servitutem in aliqua ecclesia libera, observat requiri (quoties notissimi in jure tituli fundationis, constructionis et dotationis defecerint) ut benefactor tantum in eam conferat sive dotem augendo, sive ecclesiam ipsam reaedificando, vel ad ampliorem ac decentiorem formam redigendo, ut per aequiparationem ad supradictos titulos ecclesiae fundator vel dotator dici aliquo modo possit, Card. de Luca de jurep. disc. 65. n. 26, Lambert. de jurep. lib. 1. p. 1. qu. 6. art. 2, Garzias de benef. p. 4. c. 9. n. 84. Re quidem vera in praesenti casu statuta requisita deficere non ambigitur, cum nec dotem paroeciae de Luzzano incongruam evasisse constet, neque augmentum, quod a comite offertur, actualis dotis medietatem excedere vel exaequare, multoque minus ecclesiam ab ipso fuisse reaedificatam appareat, quae necessaria essent, ut juspatronatus de jure ab ipso posset acquiri.

Verum cum idem patronatus ab eodem comite ex speciali gratia a summo Pontifice postuletur cumque hic non agatur de concedendo privilegio mere gratuito, quod in censuram incideret Conc. Trid. sess. 25. cap. 9, sed de gratia quae adnexam habet mixturam causae onerosae, concludit, hanc eidem gratiam non esse denegandam. His vero in jure constitutis, observat in facto, libellas quatuor mille, quae a dicto comite exhibentur ad augendos paroeciae reditus, et ad domum parochialem restaurandam, non esse tale subsidium quod sperni debeat; neque insuper praetereundum esse putat, Oratorem et nobilitate sua et divitiis futurum ipsius paroeciae perpetuum defensorem ac benefactorem.

Haec promotor fiscalis; sed et inspecta etiam natura patronatus de quo agitur, deesse forsan haud viderentur in themate graviora etiam argumenta, quae precibus Oratoris suffragari quodammodo possent. His tamen omissis, cum non ex justitiae titulo adductae preces aestimari debeant, sed tantum ex gratia, videant Eminentiae Vestrae utrum exoratum privilegium ex benignitate Ecclesiae concedendum esse videatur Oratori cui plenissime favet Episcopus.

Iterum proponatur in proxima
(Non proposita est.)

2. De exercitio juris activi et de jure passivo patronatus.

291. Parmen.

Die 21. Julii 1827.

In ecclesia parochiali S. Domini pagi Monticelli dioeces. Parmen. fratres Oddi Ghiretti laicale beneficium anno 1475 erigi mandarunt ac lege fundationis caverunt, ut seniores descendentes ex eorum familia jure patronatus activo, sacerdotes vero et clerici pariter descendentes jure passivo fruerentur. Cum autem jam a die 24. Octbr. 1825 hujusmodi beneficium vacasset et ex linea Oddi Ghiretti nec sacerdos nec clericus exsisteret, patroni, qui decem

hodie recensentur in duas abierunt partes. Quatuor enim die 20. Febr. 1826 sacerdotem Josephum Bandini praesentarunt quibus die 4°. sequentis Martii alii duo accesserunt; reliqui quatuor post quadrimestre idest die 6. Martii Josephum Antonium Oddi Ghiretti ex designata a fundatore familia descendentem in laicali statu constitutum ac plane literarum inscium nominarunt. Petrus Ghiretti, unus ex patronis atque ejusdem Josephi pater, filium in literis quam citius edoceri curavit, ut clericali tonsura ab Eminentissimo Episcopo insigniretur ac beneficii consequeretur institutionem. Verum unius anni lapsu a die nominationis jam properante et ad subeundum examen minus aptum adhuc se existimans Joseph Antonius supplex adiit hanc S. Congregationem alterius anni dilationem implorans.

Episcopus de more requisitus retulit, Oratorem jam 15 annos natum, pluries ad examen pro prima tonsura invitatum non se praesentasse neque ullam spem praebere fore, ut ne istam quidam exiguam scientiam sibi acquireret. Propterea, cum non alius ex familia testatoris idoneus exsistat, se Josepho Bandini beneficium conferendum esse opinari.

Die 21. Julii 1827: Sacra etc. rejecit superius descriptam instantiam Petri Oddi Ghiretti et declaravit, institutionem dandam esse sacerdoti Josepho Bandini.

292. Praenestina.

Die 1. Februarii 1834.

Praesentaverat princeps Barberinus pro canonicatu ecclesiae Praenestinae Primum Marinium clericum. Cum vero ipsum licet annos 22 natum iis dotibus carere dignoverit Eminentissimus Cardinalis Episcopus (verba ipsius refero) quae necessariae sunt ad canonicatum presbyteralem qualis is erat, de quo agebatur, adeo ut jure ipso se prohiberi testetur, quominus illum possit ad SS. Ordines promovere, certiorem de ea re fecit patronum, qui statuto tempore alterum praesentavit sane idoneum sacerdotem et in eadem ecclesia canonicum, ingenue declarans se facti errore deceptum in Marinii nominationem consensisse. — Suas peracerbas et acrius fortassis ac par erat querelas proposuit Marinius, paratusque ad probandum documentis veritati justitiaeque consonis, se non esse secundum leges canonicas incapacem ad recipiendam collationem et institutionem beneficii ecclesiastici, institit ut, cum jam obtinuisset et praesentasset nominationem ad canonicatum proindeque jus haberet quaesitum ad institutionem, praevia accurata informatione super capacitate Oratoris daretur ei canonica institutio: Eminentissimus Episcopus praeter ea, quae ex ipsius responso exscripsi, relationem misit promotoris fiscalis, qui ex officio testatur, clericum Marinium quamvis irreprehensibilem quoad mores omnino carere ingenio et scientia necessaria ad obtinendum ordinem sacerdotalem et hanc qualitatem requiri in canonicatu Castrucci; Marinium 22 annos natum nescire linguam latinam et tantisper in studiis profecisse, ut vix ad ordines minores posset promoveri; proinde eum esse reputandum irregularem ad ordinem presbyteralem ex defectu scientiae. Hoc procuratoris fiscalis judicium verum esse ex informata conscientia et ex indubiis monumentis scribit Eminentissimus Episcopus sibi constare: hinc literis, ut ex Benedicti XIV. constitutione cautum est, ad Eminentissimum Cardinalem Praefectum datis haec addit: „Certe scio non solum ex relatione archidiaconi magistri theologiae, sed etiam ex aliis relationibus secretis, Marinium nescire linguam latinam et tam tardi esse ingenii, ut incapax sit ad

scientiam necessariam praecipue theologicam acquirendam et ex defectu scientiae irregularis evadat ad presbyteratum, qui requiritur in praebenda sacerdotali.

Lectum ad instantiam et Eminentissimus Episcopus utatur jure suo pro institutione favore secundi nominati.

293. Burgi S. Donnini.

Die 14. Junii 1823.

Clericus Joseph Cavitelli e civitate Buxeti, dioecesis Burgi S. Donnini, anno 1804 duo beneficia simplicia de jurepatronatus familiae de Vitalis in ecclesia S. Bartholomaei ejusdem civitatis obtinuit; deinde anno 1812 inter Gallicas copias militiae nomen dedit, et in longinquas regiones profectus nunquam rediit, neque ulla de ipso amplius notitia est habita. Petrus et Joseph fratres de Vitalis, beneficiorum compatroni, de vita clerici Cavitelli semper incerti, neminem alium usque adhuc praesentarunt; Episcopus quoque nunquam devolutionis jure in patronorum detrimentum est usus. Rebus nunc etiam in eodem statu manentibus, fratres de Vitalis metuentes, ne ad Episcopum devoluta sit nominatio, ad Vos EE. PP. humiliter confugiunt postulantes, ut eadem devolutione non obstante, ad aliquem eorum filium ac respective nepotem praesentandum ipsos habilitare dignemini.

Rogatus Episcopus Burgi S. Donnini, ita rem omnem ac animi sui sensus pandidit: „Ad duo simplicia beneficia, de quibus in adjunctis precibus Petri et Joseph de Vitalis, unum scilicet sub titulo S. Vitalis, alterum sub titulo S. Caroli, et B. M. Virginis appellatae del parto, de jurepatronatus familiae dictorum de Vitalis civitatis Buxeti, clericus tonsuratus Joseph Cavitelli institutus fuit die 3. Septembris 1804, qui etsi Gallicae dominationis tempore anno 1811 inter conscriptos pro militia extrahendos adnotatus fuerit, sortem tamen evasit, ne inter militares copias reipsa describeretur. Cum autem a patria subsequenti anno 1812 abierit, et fama inoleverit eum militiae nomen dedisse; ne beneficia ab eo possessa detrimentum paterentur, ab Ordinario oeconomus constitutus fuit, qui advigilaret pro redituum conservatione, onerumque adimplemento, excitatis interim patronis, ut pro eorum interesse necessarias non omitterent diligentias ad comprobandum, num coactus discesserit, num vivus adhuc exstaret, unde constito de beneficiorum secuta vacatione, de novo rectore provideri valerent. Res semper mansit incerta. Ex novis tandem perquisitionibus ex officio factis datum modo fuit conspicere acta, seu regestra conscriptorum Buxeti ejus patriae, ex quibus apparet, memoratum clericum beneficiatum Cavitelli sponte se militem constituisse loco alterius conscripti, atque inter milites, ita tunc dictos della Guardia imperiale, adlectum die 30. Martii memorati anni 1812 sub num. 6200 discessisse, neque ulla exinde de eo habita fuit notitia. Dubium hinc cessat, an revera vacent beneficia hujusmodi, cum constet saeculari militiae clericum Cavitelli sponte nomen dedisse.

„Utrum vero locus factus fuerit beneficiorum devolutioni, ex quo neque per patronos ulla adhuc facta fuerit praesentatio, neque per Ordinarium collata fuerint; quaestio nulla facta est, aut lis mota. Ad eam tamen utpote odiosam evadendam satis mihi excusare videntur patronos temporum et rerum difficultates ad dubia removenda et explananda, unde rite de secuta vacatione constaret; num scilicet coactus discesserit, et adhuc viveret clericus Cavitellius: magisque excusatus reputandus Ordinarius, cum nec clericus, nec presbyter ullus ei se obtulerit, qui ad beneficia hujusmodi obtinenda forent

dispositi, attenta redituum tenuitate: beneficii siquidem S. Vitalis reditus, deductis oneribus, ad scuta vix octo pertingunt; beneficii autem S. Caroli et B. Virginis ad scuta vix 6.

„Caeterum de mala piorum Oratorum fide omnis abest suspicio: in memorata enim beneficiati Cavitelli absentia dubiaque beneficiorum vacatione, de enunciata providentia oeconomi per Ordinarium constituti, ut et piorum onerum implemento et bonorum juriumque conservationi prospectum foret, contenti, in eorumdem beneficiorum administratione nullimode se immiscuerunt, de eorum juris patronatus exercitio unice solliciti, quatenus aliquis ex eorum filiis, ex fundationis tabulis passive vocatis, habilis et ad ecclesiasticum statum rite dispositus sese offerret. In eorum porro defectum nullus usque adhuc sese obtulit extraneus, attenta fortasse exposita redituum tenuitate; auditoque ecclesiae collegiatae, in qua beneficia sunt erecta, praeposito, nullus adest praeter memoratos patronos, qui jus habeat ad hoc vel interesse.

„Ex sumptis tandem accuratis informationibus, fideque dignis attestationibus mihi exhibitis, certior sum redditus, Bonafidem Calcedonium Vitali, filium Petri, unius ex compatronis fratribus Oratoribus, in aetate annorum viginti trium constitutum, optimis illibatisque praeditum moribus, et de ecclesiastico statu amplectendo intense sollicitum, ad beneficia hujusmodi, ad quae passive vocatus est, quatenus ad primam tonsuram promoveatur, assequenda dignum fore et undequaque idoneum.

„Ad omnes itaque dubietates super devolutione avertendas jussus ... animi mei sensus aperire essem in voto, Oratorum preces ab apostolica benignitate exaudiendas, unde non obstante exposita diuturna beneficiorum simplicium vacatione, ad eorum nominationem et praesentationem Bonafides Calcedonius Vitali ad clericalem tonsuram prius promovendus, servatis de jure servandis, assumi et per Ordinarium institui valeat.“

Profecto vacat beneficium eo ipso, quod beneficiatus militare cingulum assumat, quia videtur clericali militiae renunciasse, cum non possit simul Deo et saeculo servire, cap. Quicumque ex cler. 6. caus. 25. q. 8, et cap. Ex multo. 9. §. final. de vot.; hinc ecclesia pro derelicta habetur, et Ordinarius jure potest illam alteri concedere, ita docente Gloss. in cap. Clericus 17. de clericis non resident. verb. redierint. „Si habet eam pro derelicta, puta quia contraxit matrimonium, vel factus est miles; cum de hoc constiterit, Episcopus statim potest ecclesiam illius alii conferre.“

Patrono personam idoneam intra terminum a jure statutum non praesentante, provisio beneficii libere devolvitur ad Episcopum juxta textum expressum in cap. Sicut. de supplend. neglig. praelat. Verum ignorantia vationis beneficii, et quodlibet non improbabile impedimentum praeservant jura patroni a devolutione ad superiorem, Vivian. de jure patron. part. 2. lib. 7. cap. 2. num. 7. et seqq. Tempus autem patronis praefinitum ad praesentandum currit non a die vacationis, sed a die scientiae vacationis beneficii: quae tamen scientia probatur in patrono praesumptionibus et conjecturis elicitis ex facti circumstantiis, perpendendis prudenti judicis arbitrio, qui considerata qualitate beneficii, modo vocationis, locorum distantia, ac fama ejusmodi vacationis, determinare debet diem, quo patronis vacatio verosimiliter innotescere potuit, ut docet Rota in Spoletana Jurispatron. apud Garziam de beneficiis part. 10. cap. 2. num. 34, et cor. Ansaldo decis. 380. num. 2. et seqq.

Scientia vacationis in themate nunquam hactenus haberi potuerat; quo factum est, ut ipsemet Episcopus ad nominationem vi devolutionis minime

processerit; quod indubitanter fecisset, si de secuta vacatione certior esset factus. Tandem cum devolutio sit poena in odium negligentis, ab ecclesiasticis legibus invecta, ad hanc evadendam quaelibet possibilis interpretatio est sumenda, et quaelibet probabilis dubitatio prodest, ad tradita per Lambertin. de jurepatronatus lib. 2. part. 2. q. 5. art. 24. in fin., Pignatel. consult. 24. num. 13, et seqq. tom. 8.

Pro gratia juxta petita, et Episcopus curet investiri reditus usque nunc superexstantes favore beneficiorum.

294. Spoletana. — Capellaniae.

Die 12. Martii 1853.

Sa. me. pontifex Leo XII. literis in forma Brevis diei 4. Julii 1826 ecclesiasticam capellaniam Trigona nuncupatam in ecclesia Deiparae V. sine labe conceptae jamdiu erectam, suppressit, ejusque bona collegio societatis Jesu ibidem existenti incorporavit, satisfactis oneribus eidem beneficio inhaerentibus, per haec verba: „ad reditus autem, quibus collegium jam a Nobis auctum addimus etiam bona et jura beneficii, capellaniam vocant, in commemorata ecclesia erecti a presbytero Trigona . . . Itemque celebrentur sacrificia beneficio Trigona inhaerentia.“ Ubi primum vacavit capellania, tunc temporis rector collegii, frustra urgente Archiepiscopo, novum capellanum nominare renuit. Biennio autem post nimirum anno 1839 alter qui successit rector iteratis Archiepiscopi instantiis cedens nominationi assentitus est in persona sacerdotis Josephi Sabbioni, qui proinde die 27. Septembris ejusdem anni institutionem ab eodem Archiepiscopo adeptus est, et ejus possessionem usque in praesens pacifice retinuit.

At vero hodiernus praefecti collegii rector nuper supplicem obtulit libellum quo postulat „ut nulla declaretur nominatio capellani Sabbioni, praesertim cum provisus sit canonicatu quodam, atque ut nullius roboris declaretur possessio data a P. Boneili (collegii rectore) illi sacerdoti, et ut simul declaretur ex Brevi Leonis XII. spectare bona et jura beneficii Trigona ad collegium, sine ulla obligatione eligendi capellanum, sed cum solo onere celebrare faciendi missas beneficio inhaerentes.“

Pro informatione ac voto remisi instantiam ad Episcopum illius viduatae sedis administratorem audito praesertim Procuratore generali. Jam vero P. procurator animadversionibus ad hoc exaratis petitionis justitiam tuetur, et animadvertit, quod ubi redintegratio decernatur, revocabitur etiam onus quotidianae missae, quod ex indulto ad dies tantum festos cohibitum est. Idipsum sentit Episcopus, qui insuper monet certiorem de exhibito supplici libello se reddidisse hodiernum capellanum, et refert, eum primo oretenus eidem spopondisse, se capellaniam resignaturum; postea vero data epistola, in eaque abstractione facta a bono jure capellaniam possidendi, dimissionem conditioni adnexisse, quatenus scilicet alter ecclesiasticus proventus suppeditetur viginti saltem scutatorum ad sui suorumque parentum inopiam sublevandam.

Cum de capellaniae suppressione, qua omnia ejus bona ac jura in collegium translata sunt, ambigi nequeat, patet nec Archiepiscopo, nec rectori integrum fuisse sacerdotem Sabbioni in capellaniae possessionem immittere, quin aperta Pontificis infringeretur voluntas, et collegii jura quaesita violarentur.

Obstare vero prima fronte videtur diuturna ac pacifica possessio capellani, quo in casu fit locus regulae 36. Cancell. de trienn. possess. cujus

praecipuus effectus est, ut possessor triennalis tutus sit, nec molestari possit tam in possessorio quam in petitorio, et operatur, quod a possessore triennali allegari possit melior titulus de mundo, ceu pluribus cumulatis auctoritatibus tradit Riganti comment. in reg. canc. in hanc. regul. num. 18. Et licet possessor triennalis titulum saltem coloratum exhibere teneatur, attamen in themate, concurrente possessione ultra tresdecim annos protracta, idem possessor juvatur exceptione hujus regulae etiam sine titulo ceu cum comm. tradit. cit. Riganti eod. loc. num. 96 et 97.

Attamen videndum num regula applicari in casu possit, quo non inquiritur de beneficii possessione, sed de ipsius beneficii existentia, unde retenta ipsius beneficii suppressione, deficeret subjectum ejusdem regulae. Et dato etiam quod regula obtineret, illud etiam perpendendum esset, num possessor ejus exceptione juvari possit contra jura collegii; quandoquidem cum adversus regulam restitutio detur minoribus, Riganti cit. loc. num. 228. idem privilegium tribuendum foret collegio, quod minorum jure succurri receptum in jure est. Ob eamdem rationem factum rectoris ejusdem collegii juribus nullum inferre potest praejudicium nec successores illud servare tenentur, ceu docet Rota decis. 202. num. 10. par. 7. recent.

Quae cum ita sint, de juris rigore videretur excipienda petitio: attamen judicabunt Eminentissimi Patres, num attenta bona fide, diuturna possessione, ac paupertate aequitatis ratio postulet, ut Sabbionius in possessione ulterius sit manutenendus, vel aliqua ratione ejus indemnitati consulendum expediat.

Constare de nullitate nominationis et possessionis.

295. Carpen. — Jurispatronatus.

Die 28. Januarii 1854.

Supplicem libellum dedit ad Sacratissimum Principem Episcopus Carpensis sub die 16. Aprilis proxime elapsi anni, cujus haec summa est: Simplicis beneficii sub titulo S. Bernardini in collegiali templo della Concordia erecti, vacatione obveniente anno 1842 ob clericalis habitus dimissionem factam a Maximiliano della Rovere (ad cujus gentem laicale juspatronatus pertinet), acriter dimicatum fuit per decennium super activi juris pertinentia ab Josepho et Antonio della Rovere; hujusce, lite pendente, elati filius Philippus vadimonium prosecutus est. Antequam vero definitiva sententia prodiret, e re sua duxit Philippus pro ea vice jus activum Episcopo resignare, eo animo, ut ipsemet licet laicus, novennis, atque pene illiteratus nominaretur, quoties e judicio victor abiret. At secus contigit; quandoquidem sub die 1. Augusti 1852 sententia lata est favore Josephi della Rovere. Verum et hic fato cessit, ejusque filius Maximilianus supra memoratus post decennium a beneficii vacatione, nominationem explevit erga puerum Ezechielem filium suum aeque novennem ac nondum tonsura initiatum.

Novum hinc jurgium inter Philippum ac nominatum Ezechielem, cum iste immediate patri Maximiliano in eodem beneficio succedere posse negaretur, ac Philippus nominationi in sui favorem insisteret. Quare, ne lis foret immortalis, atque ut patronorum paupertati prospiceretur, hanc compositionem partibus subscribentibus proposuit Ordinarius, modo accederet Apostolica auctoritas, scilicet: „ut scribatur Romam et imploretur per viam gratiae, ut Maximilianus della Rovere ad illud beneficium nominare possit filium suum Ezechielem, quamvis antea Maximilianus illud habuerit. Huic enim exceptioni, quam Philippus della Rovere opposuit, is renuntiat, si ei ex beneplacito S.

Sedis detur pensio unius scutati quovis mense quae pensio ad haeredes ipsius non transeat, et tamdiu duret, quoad Ezechiel investitus fuerit beneficio, quod stante ejus minore aetate administrabitur a commissione dioecesana. Si Ezechiel beneficium dimittat aut eo privetur, cessabit pensio, et nominabitur, ad quem jus pertinet.“ Hinc Praesul Orator postulat praefatae concordiae sanctionem, ac redintegrationem patroni in utile tempus nominandi proprium filium.

Beneficii vero onus consistit in celebratione duarum missarum pro qualibet hebdomada, ejusque reditus, subductis impensis, ad scutata 30 computantur.

Praemisso, transactionem alienationis speciem esse atque apostolica sanctione indigere, cap. Super eo. 7. de transact., illud animadvertendum est in themate, quod transactio, qua de agitur, prae se ferre etiam videatur speciem haereditariae successionis in re beneficiaria, a qua tantopere abhorrent ss. canones, cum nec sinant clericorum filios quamvis legitimos immediate obtinere in eadem ecclesia beneficium, quod eorum pater proxime habuit, uti textus in cap. Ex transmissa, et cap. Ad exstirpandas de fil. presbyt. Porro Ezechiel praeterquam nominatus fuerit a patre in beneficio ab eo immediate antea possesso, caret etiam ceteris qualitatibus a jure requisitis, aetatis nempe ac tonsurae. Neque praetereundum, tam patronum Maximilianum, quam Episcopum nominandi jure excidisse, cum ultra decennium a vacatione haud praesentaverint, minime suffragante litis pendentia, uti eruitur ex cap. 3. de suppl. neglig. praelat.

Nihilominus petitae sanctionis ac dispensationis justitia fundamentum habet in evidenti transactionis utilitate; tribus namque rationum momentis Episcopus transactionis remedio usus est. Primo scilicet ne diutius beneficium vacet ex litigio, S. Congr. in Firmana Concordiae 21. Novemb. 1809 (?): deinde ut consulat patronorum egestati, pro qua modo dispensationem aetatis, modo aliorum onerum reductionem indulsit S. Congr. ceu in Ariminen. Dispen. 20. Decembr. 1834, Sabinen. Susp. nomin. 25. Junii 1803. Tandem ut institutioni ecclesiasticae adolescentuli Ezechielis provideat. Quae cum in jure justae habeantur ad transigendum causae, Eminent. PP. erit perpendere, an sit Episcopi precibus deferendum.

Pro approbatione, facto verbo cum Sanctissimo.

296. Montis Alti. — Dispensationis.

Die 27. Februarii 1858.

Ultimo quo decessit voluntatis elogio die 12. Octobris 1765, Josephus Funari e bonis suis fundum constituit beneficii, post suum et haeredis usufructuariae obitum, sub titulo sacrae D. N. Familiae erigendi in ecclesia collegiata, quae S. Paulo Apostolo dicata exsistit in loco nuncupato Force dioecesis Montis Alti. Dotem illi assignavit in annuis scut. 44, ipsiusque juspatronatus tum activum tum passivum reservavit quinque familiis, Pascucci nimirum, Amici, Gentili, Felici et Teodori. Harum familiarum masculos e masculis descendentes ad jus patronatus primario vocavit, horumque defectu tantum, masculos etiam a feminis earumdem stirpium oriundos. „Deficientibus, ita prosequitur testator, personis habilibus ad dictum beneficium in una vel omnibus nominatis familiis, ultimus ex eis extraneum nominare potest etiam testamentaria dispositione, dummodo nominatus ortum habeat in loco Force, talesque extranei vel consanguinei nominati constituant novas stirpes

in linea masculina et deinde in viris linearum femininarum modo supra indicato. Si ultimus ex dictis familiis omisisset nominationem successoris, beneficium et jus patronatus ad alias familias transeant, et exstinctis omnibus familiis designatis, nominatio pertineat ad capitulum collegiatae S. Pauli.“ Voluit insuper, ut inter passive vocatos semper praeferretur „qui major natu et vitam ecclesiasticam ingressus esset: ut, si quis ex nominatis studia non jam perfecisset tempore nominationis, ideoque inhabilis esset ad necitandum officium in choro, a residentia eximeretur, dum habilis esset.“ Porro in tribus e supradictis familiis linea agnatorum hodie defecit, remanetque dumtaxat penes familias Felici et Teodori, ex qua altera originem ducit Aegidius Teodori puer octennis, quem vacante nuper beneficio per renuntiationem Cajetani Bruni, duo patroni e familia Felici in novum ipsius titularem praesentarunt. Supplicem itaque Aegidius obtulit S. H. Congregationi libellum quo dispensationem super defectu aetatis ad effectum obtinendae institutionis expostulat spe potissimum ductus sublevandae inopiae, qua familia sua premitur.

Episcopus pro informatione et voto requisitus, haec animadvertit: „Orator agnatus est in sua linea; praesentatus est praeterea ab agnatis familiae Felici. Petit autem idem beneficium clericus Ludovicus Ferretti, cognatus in familia Pascucci. Jus activum Ludovici Ferretti divisum est cum collaterali Bruni, qui ultimus possessor fuit istius beneficii; jus activum Oratoris absolutum est in ejus linea. Quoad jus passivum uterque par jus habere videtur, cum testator exstincta linea masculina indistincte designet filios feminarum descendentium ex familiis nominatis, ita ut praeferentia agnatis data sit in eadem linea, non autem in controversia inter duas lineas. Hoc supposito clericus Ferretti Oratori praeferendus esse videtur, cum sit major natu et viam ecclesiasticam ingressus; in aetate enim 20 annorum constitutus est et studio grammaticae incumbit, bonis est moribus et laudabiliter officia clerici adimplet. Orator e contra puer octo annorum est, pauper parentibusque orbatus, uti exponit in supplici libello.“ Novis autem litteris retulit idem Antistes oratorem clericali tonsura ab se insignitum fuisse.

Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 6. de reform. illis beneficia etiam simplicia conferri voluit, qui in decimo quarto aetatis anno constituti et clericali sunt initiati tonsura. Haec vero lex in beneficiis etiam jurispatronatus laicalis servanda est, magisque vim suam exserit ad repellendum impuberem, quando adest, sicuti in praesenti casu, alius ad beneficium passive vocatus, qui cunctas prae se fert qualitates a sacris canonibus et fundationis lege requisitas, S. Congregatio in Platien. Canonicatus 30. Maji 1829.

In hac autem versari conditione clericum Ludovicum Ferretti ex Episcopi testimonio et commendatione constat, ipsum videlicet inter passive vocatos recenseri, et nominationem a descendentibus cognatis familiae Pascucci accepisse, necnon aetate, optimis moribus, literarum studio, sedulaque munerum clericalium exercitatione undequaque respondere menti fundatoris, qui ceteris anteferri voluit „majorem aetate et militiae ecclesiasticae initiatum.“

Verumtamen S. Congregatio attentis persaepe rerum circumstantiis, praesertim cum ageretur de filiis patronorum vel ex genere vocatorum descendentibus, quorum explorata erat paupertas, super defectu aetatis dispensationem elargita est ad beneficia assequenda, veluti quadrimo puero concessa fuit in Lucana Beneficii seu capellaniae 17. Maji 1749, vel saltem collationem, donec ad legitimam pervenirent aetatem, suspendit, ut in Camerinen. Capellaniae 26. Aprilis 1828. Quas quidem indulgentiae

causas in themate concurrere palam est. Orator enim e praedilecta a testatore agnatorum linea descendit, et a patronis ejusdem lineae praesentationem adeptus est, ipseque parentibus orbatus gravi rerum inopia laborat. Ceterum viderint EE. PP., utrum aetatis dispensatio Oratori concedi posset absque damno clerici Ferretti, qui etsi ad lineam in subsidium tantum vocatam pertineat, quo casu gratificationem non impediri scribit Pitonius de controv. patron. alleg. 100. num. 338, debitis tamen qualitatibus ad beneficium obtinendum pollet.

Die 9. Aprilis 1859.

Supplex hic libellus primo propositus fuit in congregatione mensis Februarii elapsi anni 1858, et exceptus responso: „Lectum ad instantiam Aegidii Teodori, et institutionem dandam esse clerico Ferretti“. Cum vero clericus Aegidius nova exhibuerit documenta ad paupertatem suae familiae comprobandam, una cum jurium allegatione, quae suam praelativam vocationem ad beneficium controversum constabilirent, iterum audiri petiit obtinuitque.

Ejus itaque defensor observat in jure, dubitandum non esse, quin activi jurispatronatus exercitium pertineat in praesens ad masculos familiarum Felici et Teodori, qui Aegidium praesentarunt, exclusis penitus familiis Ferretti et Bruni, quae favore clerici Ferretti suffragium tulerunt. Nam testator nominationis jus contulit Francisco Pascucci, Josepho Amici, Carolo, Gentili, Josepho Teodori, et Josepho di Felice, usque dum perduraverint eorum lineae masculae, nempe agnati, inter quos recensentur actuales patroni Felici et Teodori; et solummodo in eorum defectu, servato ordine successivo linearum per posterius, et non simultanee, detulit nominationem „filiis masculis ex feminis illarum familiarum“, scilicet cognatis, in quorum numero sunt masculi familiarum Ferretti et Bruni, qui ideo in defectu et substitutione agnatorum tantum juspatronatus exercere poterunt; juxta ea quae monent Bonfini de fidecomm. tom. 1. disp. 36. num. 1. S. Rota decis. 22. part. 14. recent.

Quod de activo, idipsum de jure patronatus passivo sustinet Orator; unum siquidem ab altero regitur ac moderatur, praesertim quia eaedem personae in utroque jure vocantur, et testator ipse tam vocationem activam quam passivam pari jure quinque designatis familiis reservavit, ceu ex dispositione testamentaria diserte evincitur. Eo vel magis quod vocatio passiva concepta fuerit per lineas: vocatur nimirum 1. linea masculorum ex masculis. 2 linea masculorum ex feminis, 3. linea masculorum extranei, qui ab ultimo descendente nominaretur testamento, 4. vocatur capitulum. Atqui nil antiquius in jure, quam vocatis substitutisve lineis linea secundo vel tertio loco vocata non succedat, nisi penitus exarescente primo vocata ac praedilecta, Piton. de contr. patr. alleg. 100. num. 494.

Cum itaque exsistat linea et familia Teodori, ad quam Aegidius pertinet, consequi concludit nullum sive activum sive passivum jus inesse contradictori Ferretti, ut imploratae dispensationi, et quidem a testatore volitae favore praedilectae lineae, impedimentum parare queat, ad monitum Piton. cit. loc. alleg. 100. num. 338 et discept. eccles. 68. num. 40.

Quibus accedit ad viam dispensationi sternendam comprobata Oratoris egestas, quam nuperrima apud acta exhibita testimonia confirmant; qua de re passim occurrunt exempla in S. Congregatione, ac praesertim in Mandelen. Prorogationis indulti 18. Decembr. 1856.

Qui clericum Ferretti protuetur contrariae defensionis fundamenta evertere satagit, perpendens posthabendam esse jactatam lineae masculinae praerogativam, qua Aegidius Teodori clerico Ferretti praeferendus contenditur. Nam cum res sit de jurepatronatus familiari, in quo quinque plurium familiarum stipites vocantur, regula juris est ut hoc in casu per exstinctionem unius lineae, portio jurispatronatus ad alteras lineas jure accrescendi non transeat, sed ex gentilitia, haereditaria evadat, nisi voluntas testatoris refragetur, testantibus De Luca de jurepatr. disc. 35. num. 5. et Piton. discept. eccles. 26. num. 17. In themate autem eo minus deficientis masculinae lineae jus alteris lineis accrescere censendum erit, quia ex voluntate testatoris, masculis ex masculis in una linea deficientibus, juspatronatus ad masculos ex feminis ejusdem lineae devolvi debet. Hinc in praesenti specie praelatio agnatorum intelligenda erit discretive, hoc est inter lineam masculinam et femininam cujuslibet familiae sine respectu ad alias, non autem collective, idest inter lineas omnium familiarum, ceu in terminis Piton. discept. eccles. 26. num. 3 et S. Rota in Praenestina Juris nominandi 15. Junii 1833 coram Eminentissimo Marini: „Etenim explorati juris est, masculorum praelationem locum dumtaxat sibi vindicare discretive in singulis lineis, quando testator ab initio plures stipites constituit, lineasque ab his descendentes ad juspatronatus invitavit. Ubi enim a testatore juspatronatus inter diversas lineas divisum est, perinde habetur, ac si totidem distincti patronatus fussent a principio constituti.

Quibus positis patere arguit non posse dispensationem concedi Aegidio Teodori, quin praejudicium clerico Ferretti inferatur, qui jus habet ad beneficium, et contradictori suo praeferendus venit ex ipsius testatoris mente utpote major aetate, et militiae ecclesiasticae initiatus. Praesertim vero quia clerici Ferretti pater bonis caret fortunae, adeoque ipse beneficio eget, non modo ut expensis pro sua educatione in seminario satisfaciat, verum etiam ut sacrum patrimonium sibi constituat, quo ad sacros ordines promoveri valeat. Ceterum perpendit, familiae Teodori egestatem non necessariam esse, seu a defectu bonorum promanantem, sed voluntariam, quae causam nimirum habet a negligentia et mala viduae matris tutricis et curatricis administratione, cui eapropter non quidem beneficii cessione cum jure alteri quaesito jactura, sed nova et melius ordinata bonorum suorum administratione occurendum erit.

Standum esse in decretis.

297. Montis Alti. — Beneficii.

Die 18. Augusti 1860.

Marinus Andreas Benedetti Prior et parochus ecclesiae S. Mariae de Vesminatis loci Patrignone instrumento diei 16. Februarii 1602 nonnullis bonis assignatis, beneficium simplex ecclesiasticum instituit sub invocatione SS. Francisci et Hieronymi ea lege, ut deficientibus ejus consanguineis: „tunc eo casu (verba sunt instrumenti) voluit quod supradictum jus remaneat et pertineat ad R. D. Priorem dictae ecclesiae pro tempore existentem, dictusque Prior teneatur officiare dictum altare, ut infra cum aliis praebendatis dictae ecclesiae, et fructus percipere ex dictis terris, ut supra dicto altari donatis distribui debeant annuatim inter D. Priorem et praebendatos pro rata et juxta distributionem inter ipsos fieri solitam de aliis introitibus dictae ecclesiae.“ Idem fundator testamentum condidit anno 1631, in quo de eodem loquens beneficio, deficientibus ejus consanguineis, pariter voluit „quod rector

pro tempore sit et spectet ad Priorem et praebendatos dictae ecclesiae S. Mariae de Visminatis."

Contigit autem anno 1690, ut omnibus fundatoris propinquis exstinctis, Prior ejus temporis contra literam fundationis ac testamenti temere vel ignoranter agendo, beneficii rectorem nominaverit quemdam clericum Meci, qui institutionem a curia episcopali obtinuit, et ita res processit in multiplicibus, quae inde evenere, vacationibus usque ad praesens; quo cum modernus Prior R. Damianus Mancini praesentaverit ad idem vacans beneficium clericum quemdam Montis Elpari, oppositores habuit tres, qui sunt in dicta ecclesia, praebendatos, qui apposito Nihil transeat nominationi penes curiam, convolarunt ad S. Hunc Ordinem supplici postulantes libello, „ut admittantur ad possessionem beneficii ss. Francisci et Hieronymi, prout fundator voluit, declarata nullitate nominationis praesentis parochi." Postulant insuper ut, quoniam dictus parochus pingui, ceu ipsi referunt, reditu pollet, ac frui memorato beneficio recusat „fructus beneficii, qui scutata 15 annua non excedunt, inter ipsos praebendatos dividantur, excluso Priore."

Ab Episcopo de more audito accepi Prioris deductiones quibus suum ac nominati jus protuetur. Invocat ipse observantiam plusquam centenariam, probans ab anno 1690 usque ad haec tempora sexies vacasse beneficium, totidemque nominatos a Priore pro tempore fuisse clericos vel sacerdotes praebendatis prorsus extraneos, nemine unquam contradicente, eosque a curia canonica institutione donatos: idque non oscitanter, sed praemissis edictis ac causa cognita. Cum hinc tanta sit centenariae observantiae vis ac auctoritas, praesertim in materia juris patronatus, ut meliorem titulum de mundo praebeat, fundationis legem immutatam praesumere faciat, et contra eam praescriptionem inducat, Card. de Luca de jurepatr. disc. 11. num. 10. cum comm. DD., haud ambigit, quin jus suum editaque nominatio sarta tectaque mansura sint.

Quanti haec sint facienda praestat audire ab Episcopo, qui praebendatis favens, haec in sua relatione habet: „Nihilo tamen secius opinarer haec omnia (uti fert tritum adagium) extra chorum cam, sapientissimasque doctorum de praescriptione animadversiones ad casum nostrum nullimode pertinere posse; repugnat enim quod aliquis possit active praebere causam in detrimentum sui ipsius, quod est contra naturam. Et re quidem vera si Priores parochi praescripsissent contra legem fundationis, haec praescriptio vergeret in damnum ipsorum eorumque ecclesiae et successorum, cum et ipsi et ecclesia et eorum successores illa mediante nonnullis bonis fraudarentur. Ecquis est parochus, qui nolit saltem propriae ecclesiae consulere, vel qui si nolit, non sit impius in ipsam maxime, dum illa parochialis ecclesia antiquitus redituum premeretur angustia? Praescriptionem itaque cum rebus ejusdem componi nullatenus posse certa exploratque res est; quum ea non operetur contra jure proprio vocatos, quia nequeunt antecessores praejudicare successoribus, Piton. alleg. 11. num. 22, Card. de Luca de jurep. disc. 35. num. 7, Rota decis. 220. num. 26. par. 11. recent.

„Quapropter cum nulla praescripsio sit, quae jure possit clarae legi fundationis opponi, piam testatoris voluntatem censerem fore apostolica auctoritate contra quemcumque contrariae observantiae sive titulum sive praetextum in pristinum revocandam, eo vel maxime quod praebendati, quibus onera parochialia comunia sunt cum parocho Priore, longe secus ac iste reditibus ecclesiasticis perfruantur: praeterea testatoris mens ita melius adimpleta videtur, quae unice ita potest adimpleri, qui certe tale legatum cum conderet,

consulere volebat propriae ecclesiae et oppido, et non clerico alterius regionis, quem praesens Prior parochus beneficii possessorem constituere vellet. Demum si Prior et praebendati fuerint ejusdem beneficii rectores, melius consultum erit oneri missarum animarumque suffragio, quam si ejusmodi obligatio sit apud simplicem clericum."

Quatenus censuerint EE. PP. in Episcopi sententiam abire, viderint quid sentiendum sit de alia petitionis parte, qua praebendati instant modernum Priorem a beneficialium redituum participatione excludi, licet de asserta ejus recusatione nulla probatio ex positione eruatur.

Servetur in omnibus lex fundationis.

298. Urbevetana. — Dispensationis.

Die 2. Martii 1861.

Publicis tabulis exaratis die 10. Januarii 1695 sacerdos Christophorus Rei parochus oppidi Marrano Urbevetanae dioecesis capellaniam seu simplex ecclesiasticum beneficium sub invocatione B. M. V. de Monte Carmelo instituit in parochiali ejusdem oppidi ecclesia, onere capellano injuncto celebrandi unam missam in quolibet anni sabbato, alteram die festo B. M. V. ejusdem tituli, et alteram in dominica infra octavam ejusdem festi, et assignata dote in tot fundis rusticis reditus scut. 55. Episcopus tunc temporis Urbevetanus decreto diei 18. Septembris anni 1698 beneficium canonica erectione donavit, ac simul cunctas adjectas conditiones et leges approbavit confirmavitque; inter quae hae ad juspatronatus tam activum quam passivum referuntur: scilicet cum in primum ipse institutor rectorem nominasset clericum Bartholomaeum Rei, qui licet idem cum illo cognomen gestaret, attamen ei erat ex sorore germana nepos, ceu colligitur ab exhibita arbore genealogica; deinde declaravit et mandavit: „quod post mortem ipsius rev. Christophori atque clerici Bartholomaei ejus nepotis ut supra nominati, jus nominandi et praesentandi capellanum spectet et spectare debeat ad Josephum Ubaldi fratrem germanum dicti Bartholomaei alterumque ejusdem Christophori nepotem, illius filiis masculis legitimis et naturalibus, ejusque nepotibus et pronepotibus ac legitime descendentibus in infinitum. Deficiente vero linea masculina ejusdem Josephi, jus praedictum nominandi et praesentandi devolvat ad filias feminas legitimas et naturales ipsius Josephi, earumque legitime descendentes per lineam femininam in infinitum." Quibus deficientibus substituuntur descendentes ex duabus aliis institutoris neptibus; ac immediate sequitur: „Ad suprascriptam capellaniam seu beneficium aliquem proximiorem de familia tamen, stirpe et agnatione ipsius R. D. Christophorus, quatenus inter dd. lineas adsit, semper et in infinitum praeferre voluit;" addens demum: „Quorum omnium et singulorum desuper nominatorum et expressorum lineis deficientibus penitusque et omnino cessantibus, jus praedictum nominandi et praesentandi devolvat ad favorem ven. ecclesiae parochialis villae Marrani seu illius R. D. pro tempore curati, qui nominare et praesentare teneat ad d. beneficium aliquem habilem et idoneum oriundum tamen de eadem villa Marrani quatenus adsit, sin minus aliquem clericum seu sacerdotem etc."

Novissime per obitum ultimi capellani Antonii Rosati (qui descendebat per medium feminae ab Ursula Rei nepte institutoris et sorore Josephi primi patroni) duae nominationes episcopali curiae praesentatae fuere; altera quam explevit David Rei, ultimus agnatus ex Joseph descendens in favorem clerici Aloysii Cerretto annos decem nati; altera quam edidit Sigismundus Rosati

defuncti capellani pater favore alterius sui filii clerici, cui nomen Franciscus Rosati. Neutri tamen institutionem conferre se posse rata est curia episcopalis, non clerico Rosati quia a legitimo patrono non nominatus, neque vero clerico Cerretto, quia nec de familia et agnatione esset fundatoris, nec in canonica aetate constitutus. Interim vero praedictus clericus Aloysius Cerretto supplicem obtulit S. Congregationi libellum, ut super aetatis defectu dispensaretur quo beneficium, hoc cessante impedimento, assequi sibi fas esset.

Episcopus dum de Oratoris bonis moribus et qualitatibus, quibus est praeditus, testimonium dicit, a voto suo promendo super quaestionis merito abstinet, et S. Congregationis oraculum praestolatur.

Favet Aloysio Cerretto quod ipse ab unico qui nunc exstat legitimo patrono sit praesentatus, scilicet a David Rei, qui ad lineam agnatitiam Josephi primo vocatam pertinet; cum nemo nesciat in plurium praesentatorum concursu ei dandam esse institutionem, qui legitimam retulerit nominationem. Obstare autem ei non posse videtur defectus aetatis, quatenus dispensetur, cum nihil differat, quod quis sit habilis naturaliter vel per dispensationem, Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 40. num. 167. Qua quidem gratia dignum eum facerent optimi mores et commendatio Episcopi; praesertim cum unus ipse modo sit clericus in oppido Marrani, adeoque subsidiarie a fundatore ad capellaniam vocatus.

Perperam vero hujusmodi adversaretur dispensationi alter nominatus clericus Rosati. Nam praeterquam quod ei deficit legitima nominatio, nec deinde in vocatorum classe comprehensus videretur, siquidem cognationis tantum vinculo jungitur cum fundatore et Josepho primo patrono. Atqui licet fundator jus patronatus activum detulerit primo agnatis, deinde vero in subsidium etiam cognatis Josephi, attamen jurepatronatus passivo eos dumtaxat pollere voluit qui essent „de familia, stirpe, et agnatione“ quibus plane verbis agnationis tantum rationem haberi oportere significavit, ut adeo subsidiaria vocatio quoad cognatos praelative ad extraneos admitti nullo modo possit; ceu in simili casu vocationis illorum de familia agnatione docet Rota coram Celso decis. 106. num. 6. decis. §. 62. num. 20. part. 19. recent., Vivian. de jurep. l. 4. seq. cap. 2. num. 56. Nam ut inquit Piton. de contr. patr. alleg. 77. num. 19. „Quando agnatio fuit contemplata stricto modo, feminae neque per prius neque per posterius dici possunt comprehensae in fundatione.“ Hinc est, quod cum jus alteri nominato quaesitum non sit, nulla per dispensationem ei fit injuria.

E contra clerico Francisco Rosati favet quod cum fundatore et Josepho primo patrono, sanguine, licet e latere feminino, conjunctus sit, et nullus exstet e linea agnatitia, qui cum eo ad beneficium concurrat; quamobrem videndum utrum ipse, licet non legitime nominatus, alteri legitime quidem nominato, sed extraneo et dispensatione indigenti praeferri debeat. Receptum porro apud omnes DD. est, verba in fundatione adhibita „de familia, de stirpe, de agnatione“ importare quidem praedilectionem agnatorum, ita ut in illorum concursu sint feminis et earum descendentibus praeferendi, non vero exclusionem istorum etiam per posterius, et ubi deficiant omnes agnati, ceu observat S. Rota in Interamnen. Jurispat. cor Scotto penes Piton. de cont. patr. post alleg. 75, ex ea potissimum ratione „quia versamur in materia jurispatronatus, in qua tanquam indifferenti et ordinata ad providendum clericos de sanguine non intrat propria ratio agnationis, et ideo verba fundationis non sunt accipienda in stricta et rigorosa significatione, sed in ampliori et magis lata, ut comprehendant etiam cognatos.“ Idque eo vel magis ubi sit quaestio inter cognatum et extraneum ceu ibid.

prosequitur S. Rota „quia ubi cognatorum exclusio non est expressa et literalis, illorum vocatio per posterius semper est admittenda ex praesumpta mente fundatoris, quae numquam censeri potest, quod voluerit extraneum praeferri proprio sanguini".

In themate vero ulterius favore cognationis perpendendum: primo Josephum patronum constitutum et ejus fratrem Bartholomaeum in instrumento nominatum, non agnatos, sed cognatos fuisse fundatoris, ei scilicet ex parte sororis nepotes. Deinde in jure patronatus activo de cognatione in subsidium rationem fuisse habitam; atqui docet Piton. loc. cit. alleg. 66. num. 41 juspatronatus passivum, nisi contrarium prae se ferant verba fundationis, interpretationem ab activo recipere, ea ratione, quod linea praedilecta in activo, censeatur eodem modo praedilecta in passivo. Demum fundator post enumeratas omnes lineas tam agnationis quam cognationis, quibus juxta ordinem a se praestitutum deferri deberet jurispatronatus exercitium, ad jus passivum gradum faciens, voluit quidem eligi proximiorem de familia stirpe et agnatione, sed addidit „quatenus inter dd. lineas adsit" intelligens scilicet de lineis supra descriptis, adeoque tam agnatorum quam cognatorum, quos ordine successivo ad juspatronatus vocaverat. Ex quo sequeretur, verba illa de familia, agnatione etc. lato sensu accipienda esse pro inclusione etiam cognatorum agnatis deficientibus. Eo fortius, quia non antea extraneorum nominatio perficienda esset, nisi „omnium et singulorum desuper nominatorum et expressorum lineis deficientibus penitusque et omnino cessantibus," ceu se habent instrumenti verba.

Post haec non officere clerico Rosati videretur defectus legitimae nominationis. Nam tralatitii juris est, eum, qui reperitur passive vocatus absque concursu alterius coaequale jus habentis, censeri praesentatum per fundatorem, adeoque instituendum esse, licet patronus eum praesentare recusaverit, Piton. op. cit. alleg. 66. num. 10, Rocca disp. jur. cap. 190. num. 21, Rota decis. 135. num. 2. part. 19. recen.; et hoc in casu per oppositionem seu comparitionem, quam passive vocatus fecit coram Ordinario, dicitur illi jus quaesitum, cum oppositio assimiletur et aequipolleat praesentationi, Piton. alleg. 85. num. 2.

Haec in utramque partem disputantur; utri favendum sit, erit EE. VV. judicium.

Die 7. Decembris 1861.

Supplex hic libellus propositus fuit in comitiis habitis die 2. Martii vertentis anni; a decreto autem ferendo supersedendum censuerunt EE. VV. edito rescripto: „Dilata et doceatur de descendentia Francisci Rosati." Scriptum itaque Episcopo fuit, ut decretum notificaret oratori Francisco Rosati, sive ejus parenti; quod adamussim perfecit Episcopus, praefixo eidem congruo termino ad documenta exhibenda, ceu ab ejusdem literis datis die 1. Augusti p. p. constat. Nihilominus ad hunc usque diem nihil deductum est. Hinc altera parte instante supplex libellus iterum proponitur, ut EE. VV. super eo decernant, quid consilii capiendum putent.

Dilata et scribatur Episcopo, ut praefigat terminum Francisco Rosati ad probandam descendentiam et referat de qualitatibus, moribus et aetate ejusdem Francisci, idque partibus notificetur.

Die 9. Augusti 1862.

Quod praestitum fuit, ceu patet ex Urbevetani Episcopi literis ad S. H. O. datis sub 9. Julii volventis anni quibus haec refert: „Partes contendentes

Vincentius Cerretto et Simeon Rosati comparuerunt in hac mea episcopali cancellaria et reservato beneplacito apostolico, pro bono pacis et ad graviores impensas devitandas Simeon Rosati omnium super hoc beneficio sibi spectantium jurium, actionum, rationum renuntiationem remisit favore Aloysii filii Vincentii, annuam tantum in ipsa nepoti suo Carolo Rosati pensionem reservando: e contra Vincentius Cerretto nomine proprio et nomine filii Aloysii dictam renuntiationem nuncupato superius quatuor scutatorum onere ad vitam beneficiati persolvendo, probavit atque excepit. Uterque, Franciscus nempe et Vincentius, ad beneplacitum apostolicum assequendum ut ejusmodi compositionem legitime inire possint et valeant, Sacram istam Congregationem deprecantur.

His stantibus cum mihi ... liceat animi sensum aperire apprime utile ut Sacra Congregatio Oratorum votis hac super gratia indulgeret, et ideo super dispensationem in aetatis defectum a clerico Cerretto petitam, subordinato judicio judicarer. Et hoc ut omnis dissidii occasio inter contendentes omneque ulterius eorum rei domesticae in expensis detrimentum dirimeretur.

Hisce in facto expositis, pauca super reservatione pensionis in jure animadvertenda veniunt. Notissimae enim sunt canonum dispositiones, quibus traditur Apostolicam Sedem jure pollere pensiones temporales non solum, sed etiam perpetuas imponendi supra quaecumque beneficia propter facultatem supremam et plenariam, quam habet de beneficiis et de quovis alio jure ecclesiastico disponendi ad text. in cap. Licet 2. de praeb. in 6. et Clem. 1. de praebend. et dignit. Quod pari equidem ratione extenditur etiam ad beneficia, quae juri patronatus tam activo quam passivo subsunt, ceu docent Paris de resignat. l. 2. quaest. 4. n. 14. Tondut. de pension. cap. 25. n. 1. et Rota in Perusina Pensionis 11. Maji 1716. de respectu cor. Herrera. Quin opus etiam sit ut patroni consensus intercedat, aut ulla injiciatur patronatus derogatio; Garcias de benef. p. I c. 5. n. 361, et Piton, de controv. patr. all. 56. n. 1. et seq. ibi: Communis regula est quod pensio sustineatur absque consensu patroni. Quod maximi faciendum in casu cum nulla ex parte patroni difficultas promoveatur.

Ceterum proprius etiam ad casum perpendi debet, rem agi de dissidentium compositione, ope cujus alterutri contendenti reservata fuerit aliqua pensio sub conditione obtinendi beneplaciti apostolici, quae cum quamlibet simoniae labem excludat minime improbanda videtur, ceu tradunt Amostazo de causis piis lib. 3. cap. 2. n. 55, Barbosa de jur. eccles. lib. 3. cap. 5. n. 3, Piton, de controv. patron. alleg. 67. n. 1, quin imo facile admitti valeat, cum ad ulteriora jurgia praevenienda conducat, quae non sine magno scandalo inter patronos solent agitari.

Nec desunt tandem exempla quibus H. S. C. indulsit hujusmodi patronorum compositionibus. Juverit tamen unam afferre Recanaten. Concordiae 7. Septembr. 1839, in qua proposito dubio: „An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro approbatione concordiae in casu“ responsum prodiit „Pro approbatione nominationis in casu de quo agitur, cum reservatione praestationis annuae scut. 14 titulo alimentorum favore Pii Sinibaldi; facto verbo cum Sanctissimo.“

Praeria dispensatione super defectu aetatis favore Aloysii Cerretto pro approbatione transactionis, facto verbo cum Sanctissimo.

299. Mileten. — Capellaniae.

Die 27. Julii 1861.

Joannes Ferdinandus Falduti loci Rosarno, dioecesis Miletensis, testamento anni 1676 haeredem scripsit capellam sub invocatione S. Mariae de monte Carmelo, ad hoc, ut tres ibidem erigerentur capellaniae, adjecto onere sex in hebdomada missarum pro qualibet, et facta reservatione juris nominandi capellanos, prout sequitur: nimirum, primo ipse capellanos nominavit tres ejusdem oppidi sacerdotes, quorum quemque jure donavit quandocumque nominandi sibi successorem, quo jure pariter capellani pro tempore in futurum et in perpetuum frui deberent; diserte tamen cavens, ut capellani nominandi sint sacerdotes, orti ex illo loco, et non aliter.

Alter ex capellanis, sacerdos Michael Basile, nuper defunctus, per acta notarii successorem capellanum nominavit per haec verba: „Nomino capellanum capellaniae del Carmine cognatum meum sacerdotem Dominicum Massara, filium Francisci, ex loco Calimere; et si vel dispositione legis illud beneficium obtinere non possit, aut ipse noluerit, substituo ei Paschalem Donatum di Pietro, subdiaconum hujus loci.

Cum vero hi alterutra ex duobus qualitatibus careant a testatore collective requisitis nempe sacerdotii et originis, quia primus sacerdos actu est, sed non originarius loci Rosarno, alter vero originarius Rosarniensis quidem est, sed nondum sacerdotali charactere insignitus, aliunde vero alii existent eodem in oppido sacerdotes beneficiis destituti, hinc Episcopus ad jurgia evitanda, quae exoriri possent, supplex postulat facultatem sibi fieri, ut praevia derogatione voluntati fundatoris, capellaniam vacantem conferre queat sacerdoti Dominico Massara, tum quia primus nominatus est, tum etiam quia sacerdos actu cum sit et ad confessiones excipiendas approbatus, capellaniae onera per se adimplere poterit atque utilem exhibere operam servitio illius ecclesiae.

Petitioni praeprimis obstare videretur praejudicium, quod ceteris oppidi sacerdotibus nondum de alio beneficio provisis inferretur; quibus ideo spes auferretur assequendi capellaniam, ad quam, comprobata nominatorum inhabilitate, ipsi in subsidium admittendi forent.

Nihilominus exploratum in jure est hujusmodi praejudicium in gratiis concedendis non attendi, nisi quoad eos qui habent jus quaesitum, non autem quaerendum, seu simplicem spem, Piton. de contr. patron. alleg. 100. num. 338 et seqq., ceu in casu contingere videtur quoad alios sacerdotes, quorum nemo legitimam nominationem aut determinatam passivam vocationem proferre potest, ita ut Summus Pontifex nemini praejudicium irrogare censeatur, si cum eo super defectu qualitatis dispensaverit, qui a legitimo patrono primus nominatus fuerit.

Quatenus itaque eventuale ceterorum sacerdotum jus posthabendum videatur, perpendent EE. VV., an dispensationi impedimentum creare queat alter in nominatione suffectus, subdiaconus Paschalis Donato, quatenus habilis censeatur. Nam licet fundator sacerdotem eligendum jusserit, attamen indubii juris est aliquando sub appellatione sacerdotis, intelligi etiam sacerdotem habitu et non actu, seu qui proxime sacerdotio initiandus sit, nisi de contraria testatoris voluntate constet, ad monitum Pitonii de contr. patron. alleg. 33. num. 11.

Ceterum non levis certe ponderis sunt quae ad dispensationem pro sacerdote Massara impetrandam observat Episcopus, ex quo scilicet iste jam actu sacerdos et confessarius, magis utilis servitio ecclesiae erit futurus, ac

praeterea primus suffragium nominationis retulit, dum e contra subdiaconus Donato in subsidium tantum vocatus fuit, adeoque inhabilis et ipse cum sit, nequit impedire ut venia dispensationis primo nominato impertiatur. Appellationem vero sacerdotis in casu existimat Episcopus referri non posse ad sacerdotem habitu vel simplicem clericum, quia materno idiomate hoc verbum prolatum cum fuerit, stante communi usu loquendi, intelligitur in sensu naturali, videlicet de sacerdote missam celebrante, non autem de simplici clerico, ut advertit Card. de Luca de benef. disc. 62. num. 7. disc. 96. num. 16. Rota decis. 496. num. 8. part. 1. recent.; attenta praesertim clausula „et non aliter“, quae alium quemlibet modum excludit etiam meliorem; accedente demum facto testatoris ejusdem, qui tres actu sacerdotes nominavit, et observantia subsecuta, ut ad rem monet Piton. cit. alleg. 33. num. 16.

Non expedire et Episcopus utatur jure suo ad formam testamenti.

300. Viterbien. — Electionis et dispensationis.

Die 31. Augusti 1861.

Vacavit nuper canonicatus, quem vocant Del Bianco, institutus in collegiata ecclesia loci Bieda, dioecesis Viterbien., sub invocatione SS. Laurentii, Josephi, et Antonii Patavini, de jure patronatus ven. confraternitatis sanctissimi sacramenti ibidem erectae. Quae concursu indicto die 21. Aprilis vertentis anni comitia habuit, ut ad novi canonici electionem deveniret. Tres porro confraternitati patronae petitiones porrectae fuerunt, altera ab archipresbytero ejusdem collegiatae Josepho Sandoletti, quae eo spectabat, ut præbenda vacans sibi in administrationem concederetur ad quinquennium, ad effectum erogandi reditus favore sacrarii et ecclesiae, quae sacris supellectilibus indiget. Alias duas petitiones porrexerunt sacerdos Aloysius Rossini in praefata collegiata canonicus, et adolescens Viventius Galli in seminario Viterbiensi alumnus, nondum clericali tonsura initiatus, nominationem ad canonicatum quisque sibi postulantes. Jam vero archipresbyteri petitio plenis ferme suffragiis rejecta fuit. Canonicus Rossini, ex vocalibus numero 91, suffragia 48 favorabilia et 43 contraria retulit. Gallius demum 60 favorabilia et contraria 32 suffragia habuit. Cum itaque unius suffragii excretio, attento numero electorum, quoad Gallium comprobaretur, novo quoad ipsum experimento in continenti locus factus est, cui tamen idem fuit exitus. Quamobrem vicarius foraneus, qui praeerat, comitia solvit, remque ad Ordinarium definiendam detulit.

Interim Viventius Galli supplicem S. H. O. obtulit libellum, postulans ut, praevia, quaetenus opus sit, sanatione super vitio electionis, dispensetur quoad aetatis defectum, qua dispensatione obtenta primae clericali tonsurae statim initiaretur.

Precibus ad Episcopum remissis pro informatione et voto, accuratam ab eo relationem accepi, ex qua constat, iterum ab se auditam fuisse confraternitatem et partes interesse habentes. Confraternitas autem, coactis comitiis die 9. Junii proxime praeteriti majori numero suffragiorum in ea fuit sententia, ut defectus primae electionis sanaretur, quem non ex malitia sed per errorem irrepsisse arbitrata est. Archipresbyter collegiatae instat, ut præbenda vacans in administrationem sibi detur ob expositam causam comparandi supellectiles ecclesiæ, usque dum Gallius canonicam attigerit aetatem ad canonicatum assequendum. Tandem canonicus Rossini acriter Galii petitioni obstat ob rationes inferius recensendas.

Post haec observat Episcopus: „Viventius Galli die 13. Octobris futuri 13 annos habebit et nondum tonsura initiatus est. Reditus canonicatus del Bianco detractis oneribus sunt scut. 21. 12 annua, dum ille quem Rossinius possidet, reditus scut. 24. 82 habet; attamen praeter assistentiam chori, quo etiam prior gravatur, ipsi inhæret onus recitandi rosarium tribus hebdomadae diebus et litanias die sabbati exceptis mensibus Januarii et Maji, quibus fiunt aliae functiones parochiales; praeterea assistere debet capellanus omnibus functionibus in ecclesia confraternitatis; denique finis, ob quem preces admovit Sandolettius laudabilis omnino est, cum spectet solum majorem decorem domus Dei et sacrarum functionum eo modo ut facultates procurentur ad instruendam illam ecclesiam supellectile sacra, qua indiget, et alia media ad eam comparandam non adsint. Ut hic finis tam nobilis obtineatur, et votis tribus vicibus a longe majore parte confraternitatis satisfiat, quibus nominavit Viventium Galli, submisse censerem, ut praevia sanatione defectus in congregatione confraternitatis cum Gallio benigne dispensetur super aetate canonica, ut post tonsurae susceptionem statim possessionem canonicatus adire possit, ita tamen ut ejus reditus nonnisi ab anno decimoquarto aetatis percipiat, qui interim percipiantur ab archipresbytero Sandoletti, qui eas impendat in comparanda ss. utensilia et postea rationes in curia mea reddat. Hic modus compositionis ideo Gallio conveniens esse videtur, quod expedit ipsum in seminario adhuc gratis educari, et nullum interim servitium suae ecclesiae praestare.“

Canonicis sanctionibus dispositum est ad canonicatus eos esse promovendos, qui requisitam habent aetatem, quae pro canonicatibus ecclesiarum collegiatarum assignatur quatuordecim annorum. Quare qui illam non habent, sub poena nullitatis a patronis praesentari non possunt, Gar. de benefic. part. 2. cap. 1. numer. 24, Vivian. de jurepatr. part. 2. lib. 6. cap. 1.

Jam vero Viventius Galli nondum aetatis annum complevit undecimum, neque clericali militiae est adhuc adscriptus; nullam proinde esse ejus praesentationem ex hoc praecipue capite arguit canonicus Rossini; caret enim canonica idoneitate non modo jure spectato, sed etiam ad normam edicti ad concursum evulgati a sodalitate patrona, in quo legitur „procedatur a plena congregatione ad electionem juxta normas canonicae idoneitatis.“

Insuper, ut electio valida dici queat, iis substantialibus servatis fieri oportet, quae in jure disponuntur ad text. in cap. Quia propter de elect., inter quae illud praecipuum ut collatio meriti ad meritum servetur, ita videlicet ut ille sit eligendus qui ceteros idoneitate et merito antecellit. Constat porro, canonicum Rossini assiduum diligentissimumque servitium ecclesiae collegiatae semper praestitisse, et laudabilis zelo functiones et munera parochi sæpius exercuisse: constat etiam scrutinium pro Gallio habitum illegitimum fuisse, ob unius suffragii excretionem in eo repertam.

Propterea concludit, jus male eligentium consolidari in aliis bene eligentibus licet paucioribus, Piton. discept. 100. num. 227 et 228, Rota decis. 156. num. 11. seqq. part. 9. tom. 1. in recent., et per consequens sibi canonicatum esse conferendum: dispensationem autem ab aetatis defectu obtinere Gallium non posse autumat, cum ea minime impertiatur in praejudicium habilis qui contradicit, teste Pitonio de controv. patron. alleg. 1. num. 23, Vivian. de jurepatr. lib. 12. cap. 5. num. 39. et recentissime definivit Sac. H. Cong. in Melevitana Dispensationis 27. Aprilis volventis anni.

At favore Viventii Galli observandum occurrit, electionem a communitate factam dici validam et legitimam si major suffragiorum numerus in aliquo eligendo concurrat, cap. Quia propter de elect. cit. ipsique sic electo et praesentato institutio competit, cap. 3. de jurepatr. Et quamvis punibilis sit electio, si suffragiorum excretio contingat, valida tamen de jure est si redundantibus detractis suffragiis major adhuc supersit illorum numerus, Monacell. adnot. ad form. 22. tit. 11. numer. 25. Nicol. Flosc. verb. Vox num. 6, Rota in Firmana Canonicatus 21 Januarii 1788 coram Caesarei, et ita censuit S. H. Cong. in casu huic consimili. Electionem enim candidati ad canonicatum cathedralis ecclesiae, quae nullitatis arguebatur ob redundantiam suffragiorum, validam declaravit, praevio recessu a decisis in Montisalti Canonicatus 19. Decembris 1789, et confirmavit 27. Februarii 1790.

In themate adest unius voti tantum excretio; quo dempto, favore Galli adhuc suffragia remanent, quae longe superant ea quae canonicus Rossini habuit; ex quo infertur sodalitatem voluisse electum ad canonicatum Viventium Galli, uti etiam repetita vice confirmavit.

Obstat sed vero aetatis defectus, quo desuper si dispensetur ratihaberi ipsa electio potest, Rota decis 613. num. 10. part. 5. tom. 2. in recent. Judicabunt itaque EE. PP. utrum dispensatio haec impertienda ei sit, ex causa praesertim studiorum, quæ in casu concurrit, quaeque rationabilis censetur.

Nullum porro ex hac dispensatione videtur praejudicium inferri canonico Rossini, cui jus quaesitum non est. Ceterum hodie receptum in jure est ex defectu collationis meriti ad meritum electiones non irritari, ad tradita per Ansaldum in addit. ad. decis. 52. n. 25. relat. a Giraldi in adnot. ad cap. Quia propter. de elect. Ipse demum Rossinius alio jam canonicatu fruitur in eadem collegiata, qui licet majoribus oneribus obnoxius sit, majores tamen reditus praebet.

Hisce perpensis, praetereundum non est quod Episcopus in suo habet voto, ratione utilitatis collegiatae ecclesiae, quae necessariis supellectilibus indiget. Pro iis enim comparandis, beneficiorum fructus applicari posse cum nulla alia ad id media suppetant docet Amostazo de causis piis lib. 14. n. 36. et praxis S. H. Congreg. quae passim indulsit applicari canonicatuum fructus in utilitatem ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum paupertate laborantium, ceu ecclesiae ipsi collegiatae de Bleda concessit in Viterbien. 2. Martii 1765, et prorogavit anno 1784.

Suspenso judicio super nominatione supplicandum Sanctissimo pro erogatione fructuum canonicatus in expositam causam juxta votum Episcopi ad triennium.

Die 1. Aprilis 1865.

Expleto triennio, quo vacans praebenda canonicatus Del Bianco in collegiata ecclesia loci Bieda dioec. Viterbiensis peculiari subjecta mansit administrationi, ut reditus in utilitatem sacrarii et ecclesiae erogarentur, redit hodie resolvenda quæstio, quae eo anno exorta est super nominatione novi canonici peracta a sodalibus confraternitatis ss. sacramenti ibidem erectae, et activo jurepatronatus illius praebendae perfruentis.

Praeter archipresbyterum, qui administrationem in praefatam causam expostulabat, duo erant (ceu recolere non dedignabuntur Eminentissimi Patres in folio die 31. Augusti 1861, quod iterum distribuitur) qui preces ad consequendum

canonicatum patronæ confraternitati exhibebant, sacerdos scilicet Aloysius Rossini in eadem collegiata ecclesia canonicus, et adolescens Viventius Galli alumnus quidem in Viterbiensi seminario, at nondum 11 expletos annos natus, nec clericali tonsura cohonestatus. Ex vocalibus numero 91, favorabilia suffragia 48, contraria 43 retulit Rossinius; Gallius vero favoribilia 60, contraria 32, uno videlicet supra vocalium numerum excrescente suffragio. Novum in continenti peractum experimentum pro Gallio eumdem exitum habuit, quare vicarius foraneus, qui præerat, comitia dimisit, remque ad Ordinarium definiendam detulit. Attamen Gallius die 13. Maji ejusdem anni huic Sacr. Congregationi preces exhibuit, rogans sanationem, quatenus opus sit, super vitio electionis, et dispensationem quoad defectum canonicae aetatis, ut clericali tonsurae initiatus praefatum canonicatum adipisci valeret.

Ex relatione Ordinarii eodem anno ad S. Ordinem transmissa perspectum fuit, sodales in comitiis diei 9. Junii ejusdem anni majori vocum numero suffragatos fuisse petitae electionis sanationi super defectu, quem per errorem irrepsisse arbitrabantur; archipresbyterum institisse pro obtinenda præbendæ canonicalis administratione, de qua superius, canonicum vero Rossini acriter contradixisse Oratoris precibus. Placuit ergo Eminentiis Vestris, ita ferme suffragante Ordinario, ad porrectas preces rescribere „Suspenso judicio super nominatione, supplicandum Sanctissimo pro erogatione fructuum canonicatus in expositam causam juxta votum Episcopi ad triennium“. Et resolutionem Sacri Ordinis Sanctissimus ex aud. 16. Sept. 1861 benigne approbavit ac confirmavit.

Praeterlapso triennio iterum Gallius rogavit, ut exorta quaestio super nominatione ad canonicatum coram Sacro Vestro Congressu proponeretur. Quod antequam fieret, expostulavi ab Episcopo illius dioecesis administratore, ut de resultantibus ex resolutione 31. Augusti 1861 referret; isque in literis diei 29. Decembris anni superioris: „Constat, ait, ex canonicatu quem per triennium vacare permisit Sanctissimus, percepta fuisse in triennio scutata 114 et ob. 87, quæ in scutatis 98 et ob. 12 insumpta fuere tam in expensis praebendae adnexis, quam in comparandis sacris vestibus pro ecclesia collegiata ad tramites apostolici indulti. Constat tandem, nondum fuisse exactos fructus ad dictum triennium spectantes in summa scutator. 33 et ob. 40, quae similiter impendi poterunt pro ecclesia.“

„Praestat hic adjungere, quod Orator Viventius Galli annum 14 compleverit in mense Octobris transacti, et prima clericali tonsura fuerit initiatus ab anno 1862. Hinc videtur posse ejus votis obsecundari, et quia maxima confratrum pars illi favet, etsi quædam contigerit in nominando inordinatio; et quia Eminentissimus Bedini f. r. tunc Viterbiensis Episcopus pro eodem sentiebat, et tandem quia can. Aloysius Rossini alter ex postulantibus, quamvis nolit juri, si quod habet, cedere, tamen nullam super hac re causam facere intendit, ut ex epistola ad rem scripta 13. labentis mensis colligere est datum.“

Neque ab Episcopo neque ab ipsis partibus aliquid novi deductum est super merito quaestionis, quae vigore praefati rescripti S. Ordinis suspensa mansit. Cum igitur attenta judicii suspensione, retrotrahenda videatur quæstio ad diem peractae electionis, videant Eminentiae Vestrae, utrum favore can. Rossini, vel pro Viventio Galli rescribendum sit, attentis rationibus, quae in adnexo folio expenduntur.

Fiat nova electio.

301. Tiburtina. — Capellaniae.

Die 1. Aprilis 1865.

Capellania laicalis (seu capellaniae) in ecclesia rurali S. Rochi prope locum Anticoli Corradi anno 1732 publico instrumento a Gregorio Majoli erecta, cujus jus patronatus nunc sine ulla controversia possidet J. Baptista Meddi, hisce regitur legibus ac conditionibus quoad personas eligendas, ut sacerdotes e familia Meddi habita tum aetatis tum dignitatis ratione omnibus aliis praeferantur, in horum autem defectu sacerdos oppidanus substituatur, qui tamen non aliis beneficiis ecclesiasticis provisus sit, et missarum onera per seipsum, non per alium impleat. Favore autem familiae Meddi specialiter sanxit pius fundator, „ut si sacerdos istius lineae vocatae adsit, etiamsi non sit actu sacerdos, attamen sacerdotio proximus is in electione cuivis extraneo, quamvis aptiori praeferatur.“ Hanc capellaniam, seu capellanias, quarum reditus annui vix viginti scut. efficiunt, ex rescripto H. S. Congr. diei 19. Decembr. 1853 obtinuit Philippus Meddi patroni nepos ac puer octo annorum cum conditione, tam minores quam sacros ordines suscipiendi, quum ad canonicam pro unoquoque aetatem pervenisset, et cum deputatione administratoris, qui impletis oneribus ad formam fundationis, superexstantes reditus erogaret in ecclesiasticam pueri Oratoris educationem. Sed Philippus postquam aliquod tempus in diversis scholis transegerat, neglectis postea studiis, hac illac vagari coepit, vitamque vocationi clericali contrariam duxit. Quare patronus Joann. Baptista Meddi mense Augusto 1860 ad H. S. Ordinem primum recursum habuit petens, ut declarare dignaretur, Philippum memorata gratia excidisse; mox vero duas alias literas addidit, in quibus conquerens super dilapidatione bonorum ad capellaniam pertinentium, Philippum tanquam indignum ab ipsa ad nutum amovibili removit, et nominationem pro Bernardino Aquilante puero edidit. Quumque Episcopus Philippum sarcinatoris artem, quam discere coepit, exercere malle quam tonsuram suscipere retulisset, S. H. O. Episcopo scripsit, ut contra Philippum ad formam ss. canonum procederet. Cui mandato obtemperans ille cum et puerum et patrem ejus ter frustra monuisset, sub die 7. Novembris 1863 declaravit Philippum e praefata gratia excidisse et capellaniam vacasse et vacare et ab omnibus pro vacante habendam esse.

Decretum hujusmodi tum Philippo tum ejus patri ad notitiam deductum, et per edicta vulgatum fuit, monito etiam patrono, ut juxta leges fundationis ad novi capellani nominationem procederet. Tunc patronus supra memoratum Bernardinum nominavit.

Contra hujusmodi nominationem surrexerunt duo alii, qui ad se spectare capellaniam ex mente fundatoris asserunt. Franciscus Maria Meddi, patroni frater eam vindicat pro filio suo juniore Petro Isidoro germano fratre Philippi, cujus favore efflagitat ut nominatio suspendi jubeatur ad congruum tempus, quo sibi capellaniae bonorum indulgeatur administratio, ut interim superexstantibus reditibus post onerum satisfactionem ecclesiasticae filii educationi consulere valeat. Contradictor alter est sacerdos Joann. Baptista Placidi ex Anticoli oriundus, qui in loco Percile praeceptoris munere fungitur, sibique proximum jus competere contendit. Antistes Tiburtinus singulorum jura et merita sic recenset: „Petrus Isidorus Meddi unam potest jactare originem ex vocatis a fundatore: cetera omnia in eo desiderantur. Etsi tredecim sit annos natus, vix prima literarum elementa non nescit, ac spem nullam praebet Ecclesiae ministrum se aliquando futurum. Si capellaniae reditibus eum frui concederetur, non est dubium quin paucos post annos idem ipsum

faciendum esset, quod nuper est factum contra Philippum, in quo tamen spes aliqua fuerat collocata. Quare ejus preces rejiciendas existimo.

Presbyter Placidi pro se invocat pii fundatoris legem, qua cautum fuit, ut capellanus sit actu sacerdos. Verumtamen etiam fundator voluit, ut capellanus, qui non esset de vocatorum familia, per seipsum onera implere deberet, nequaquam per substitutum. Huic legi parere ipse non posset. Tales enim sunt necessitates hujus dioecesis, quae sacerdotum penuria laborat, ut patriam remeandi facultas ei modo concedi nequeat. De cetero nihil aliud, ut arbitror, eidem obstaret ad assequendam capellaniam.

Denique Bernardinus Aquilante sexdecim annos natus nititur patroni nominatione. Equidem adjuncta omnia, quae requiruntur a fundatore, non habet, sed eo praeditus est ingenio, ut spem optimam de se ferat. Quod conjicere liceat ex adjunctis testificationibus, quas moderatores et praeceptores collegii Sublacensis, cujus ille scholas frequentat, dedere luculentissimas. Dioecesanum seminarium ingredi vellet, sed prohibetur rei familiaris angustiis, quibus opportunam paremque opem reditus capellaniae ferre posset. Igitur adolescentis indoles et ingenium cum pietate morumque suavitate conjunctum, ejusque in studiis progressus in causa sunt, cur dignum eum Ecclesiae ministrum futurum sperem, studioseque commendem. Eadem illi gratia, quae Philippo impertita est memorato rescripto, cum iisdem prorsus conditionibus concedi posse videtur, dummodo EE. VV. propensam erga ipsum habeant voluntatem. Et novissimis literis addidit: „Juvenis Bernardinus a die 1. Nov. superioris anni 1864 in dioecesano seminario immoratur: ibique ita se gerit, ut judicio tum Patrum societ. Jesu, qui eloquentiae praecepta tradunt, tum ejusdem seminarii superiorum asseveratione inter praestantissimos pietate, diligentia, studio adnumerandus sit. Quibus si addatur cura, qua sacris caeremoniis, qua cantui Gregoriano incumbit, nemo est qui dicat de ejus in sortem Domini vocatione esse dubitandum“.

Equidem Bernardino Aquilante suffragari jura videntur. Agitur enim de capellania juripatronatus obnoxia quae idcirco a nemine vindicari potest, nisi legitima patroni nominatione fulciatur. Atqui unus Bernardinus potitur nominatione Joann. Baptistae Meddi, qui solidum nunc possidet patronatum. Quin regeri valeat jus activum Joann. Baptistae in casu non liberum esse, sed limitatum ab eorum coetu, quibus passivum jus a fundatore fuit concessum. Patronatu namque passivo ex lege fundationis uti posset in casu tantummodo vel aliquis de familia Meddi, qui sacerdotali ordini saltem foret proximus, vel alter oppidanus sacerdos. Si igitur deficiat quivis qualificatus et a fundatore vocatus ad capellaniae fruitionem patronus activus libere utitur jure suo, et quemlibet sibi magis benevisum eligere potest, ceu cum ceteris docet Card. de Luca de jurepatron. disc. 20. n. 6: „Si de tempore vacationis proximior et qui alia data capacitate praeferri deberet, non reperiatur capax saltem pro tempore, quo collatio vel praesentatio facienda est, admittitur remotior, vel etiam extraneus praesentari potest irrevocabiliter.“ Quod firmavit H. S. O. in Eugubina Dispensationis 18. Febr. 1864 et in Aretina 20. Augusti 1774 definita die 18. Martii 1775. Jamvero deest in casu idoneus ex familia Meddi, cum Petrus Isidorus nedum longe absit a presbyterali ordine, verum etiam ne remotam quidem suppeditet probabilitatem, quod ordinem illum sit tandem aliquando suscepturus. Deest pariter alter oppidanus sacerdos, cum Joann. Baptista Placidi ludimagistri munere alibi fungens, nequeat legi fundationis parere. Quare videretur patronus in defectu eorum, qui jus passivum habent, nominationem in eum contulisse extraneum, qui prae suis qualitatibus magis presbyterali capellaniae qualitati

respondet. Bernardinus ergo videtur institutione donandus. Quod si adhuc institutioni obsistere censeatur qualitas presbyteralis, quae actu in extraneo praescribitur, Bernardinus tamen dignior videtur, qui gratiam dispensationis consequatur, vel cujus favore sin minus nominationis suspensio indulgeatur.

Attamen pro Petro Isidoro Meddi recolendum videtur, quod monet Piton: de contr. patron. num. 21. quod scilicet: „Judex in concurrentia inspicere dedet quem ex istis prudens fundator si viveret praeferre veresimiliter potuisset“. Jamvero ipse Petrus est ex genere praedilecto, quod fundator in prima sede collocavit; est insuper egenus ex genere patronorum. Merito igitur videtur sibi vindicare jus praelationis ad capellaniam, spe confisus apostolicae dispensationis, qua habilis saltem evadat ex gratia, ac si talis fuisset ex jure. Quae quidem dispensatio, quando agitur de passive vocato praesertim unico, facilis etiam pro beneficiis concedi solet, ut patet de puero trimo in Asculana Capellaniae super dispensatione 22. Augusti 1750, de puero quadrienni in Lucana Beneficii 17. Maji 1749, et de puero quinquenni in Monasterien. seu Osnabrugen. Canonicatus 7. Aprilis 1753. Neque huic gratiae obsistere posse videtur sacerdos Placidi: quando enim plures sint vocati per prius et posterius, non potest habilis, de familia posterius vocata praepedire, quominus alius de familia prius vocata et praedilecta idoneus fiat per dispensationem ceu tradit Piton. de controv. patron. alleg. 1. n. 23. Multo vero minus eidem contradicere valet Bernardinus Aquilante, qui nedum in genere vocatorum est omnino extraneus, sed ipsemet insuper eadem indigeret dispensatione. Ubi autem dispensatio hujusmodi ad effectum institutionis obtinendae nimis refragari censeatur legi fundationis, ejusdem patroni inopia optimum praebere titulum videtur, ut ejus favore suspensio nominationis indulgeatur, ceu non infrequenter H. S. O. praestitit. Idque ex aequitate juris nostri, ex quo patrono inopi ejusque sanguine conjunctis alimenta ac subsidia exhiberi solent, ceu tradit Piton. de controv. patron. alleg. 44. et S. Congr. in Aesina Subsidii 28. April. 1860. in Imolen. Jurispatronatus 20. Dec. 1862 §. Iis vero, et ad II. dub. ex aud. Sanctissimi diei 22. ej. mensis; ac quidem in casibus non modo absolutae sed etiam relativae paupertatis prouti in Nullius S. Michaelis de Clusa 20. Januarii 1776, Nucerina Paganorum 5. Sept. 1778. Quod porrigendum eo magis videtur ad indigentem patronum, qui reditibus capellaniae propriae prospiceret educationi, ut tandem ad eamdem jure institui valeat.

Haud denique sua rationum momenta deesse videntur sacerdoti Placidi. Deficiente enim habili de familia patronorum, ipse passivum juspatronatus sibi competere clamat tanquam oppidano sacerdoti. Injuria igitur ab activo patrono fuit posthabitus, cum patronus ne cum Ordinarii quidem consensu contra leges fundationis nominationem absolvere queat, ceu contra quorumdam sententiam tradit Garcia de benefic. part. 7. cap. 1. n. 107 et seq. et recte subdit Piton. de controv. patr. alleg. 82. num. 10: „Recepta est conclusio apud beneficialistas, quod nisi herus seu patronus praesentet eum, quem fundator praesentari jussit, potest ille, nedum irrequisito, imo etiam invito domino, comparere coram superiore et institutionem obtinere.“ S. vero Congregatio in Imolen. Canonicatus proposita die 17. Dec. 1842 ac definita 11. Martii 1843, cum patroni contra legem fundationis praesentationem peregissent, jussit novam fieri nominationem. Pari ergo ratione procedendum videtur in casu, rejectis tum nominatione Bernardini Aquilante, tum precibus Petri Isidori Meddi; nisi magis lubeat directam ipsi concedere institutionem eo sub intuitu, quod oppositio passive vocati praesenta-

tioni assimiletur, Piton. loc. cit. alleg. I. n. 4, Sac. Congr. in Sorana Jurispatronatus 10. Maji 1862. Neque oggerendum est, quod idem sacerdos muneri vacat quo extra nativum oppidum morari cogitur. Hoc enim id unice inferre videtur, quod ipse, post capellaniae assecutionem propriam remeare patriam debeat, ut injunctis oneribus satisfaciat.

Praeferendum esse sacerdotem Placidi.

302. Montisfalisci. — Dispensationis.

Die 11. Januarii 1868.

Marius Card. Alberigi ultimis testamentariis tabulis peractis die 26. Julii ann. 1680 nonnulla sua jura super praedia rustica reliquit favore ecclesiae parochialis Laterae oppidi dioecesis Montisfalisci, in valore 150 scutatorum quotannis, quae dividerentur inter sacerdotes ortos in loco scilicet archipresbyterum et quinque sacerdotes majores aetate, impositis oneribus officii et missae in choro aliisque quibusdam. Jussit praeterea I. ut de antianitate sacerdotum judicium ferat Episcopus ordinarius, cujus declarationi nil quis opponere possit, quia, ait, nolo condere beneficia collativa, sed assignare solum talem portionem stipendiumve sex sacerdotibus ratione servitii ecclesiae; 2. ut ii sacerdotes sint in cantu Gregoriano edocti; 3. ut dictum servitium praestent per seipsos et non per alios, nisi ad breve tempus; quod si quis per sex menses etiam ex legitima causa defuerit, amittat eo ipso jus suum, et alius eligatur sacerdos.

Vacante anno 1866 una ex iisdem capellaniis (ita enim nunc eas vocant) per ultroneam renuntiationem sac. Franci, eamdem primitus petiit quidam sacerdos Tassi: at cum loci originarius non esset et in cantu Gregoriano minime versatus, ab hac S. Congregatione, a qua dispensationem expostulaverat, rescriptum habuit „Relatum“. Proinde Episcopus, qui tunc temporis auctoritate apostolica eam ecclesiam administrabat, novum indixit concursum, ad quem nomina dedere clerici Laurentius Jacarelli et Dominicus Galeazzi; qui sicut in cantus periculo illum vicit, ideo fuit ab Episcopo ad capellaniam nominatus. Verum cum laudatus Galeazzi praestare haud posset, quae ab Eminentissimo testatore praescripta fuere, supplex S. O. adiit, ut super ordinis presbyteralis defectu cum ipso benigne dispensare dignaretur.

Perlecto Oratoris libello informationem et votum Episcopi administratoris exquisivi, eumdemque rogavi, ut inspecta fundatione referret de annuo reditu et oneribus capellaniae, deque Oratoris aetate, ac de ejusdem dispositione ad statum ecclesiasticum, nec non an alicui praejudicium inferatur.

Omnibus Episcopus satisfecit, et postquam retulit nonnulla huc usque narrata, prosequitur: „Annuus capellaniae reditus est argenteorum nummuum vigintiquinque quolibet anno ... Orator viginti annos natus ecclesiasticum statum amplecti quam maxime exoptat. Quamvis Faliscarum Ordinarius tantum interesse habeat, tamen audivi ecclesiae parochialis Laterae capellanos, qui Oratori adversantur, ut videre est ex eorum voto heic adnexo. Attamen certum est nullum alicui praejudicium inferri.“

Haec dum eveniebant, alter supplex libellus oblatus fuit a patre Laurentii Jacarelli in hunc tantum finem, ut preces Galeazzi ab H. S. O. minime exaudirentur, tum quia servitium a fundatore volitum praestare nequeat, eo quod nec sacerdos exsistat, nec Laterae resideat; tum quia gratia haec praejudicialis esset filio suo Laurentio, qui utpote aetate major et theologicis

disciplinis addictus, est sacerdotio proximior, ac proinde citius potest illam capellaniam obtinere, quin ulla dispensatione opus habeat.

Heic notandum, inter obligationes praedictorum sacerdotum recensitam in hoc ultimo libello etiam fuisse, quod per turnum teneantur quotidie primam missam celebrare pro populi commoditate. Quae obligatio, prouti hodierni capellani in laudato voto ad H. S. O. per Episcopum transmisso testantur, ortum habuit ex quadam transactione peracta cum ejusdem terrae communitate, quae circa jus pascendi eisdem controversiam movit.

Rebus sic stantibus, cum viduata Montisfalisci ecclesia novum anno elapso consecuta esset pastorem, malui et hunc circa utriusque Oratoris instantiam audire. Qui revera statim sic reposuit: „Compertum mihi est utrumque ex praefatis juvenibus honestis moribus esse imbutum; Dominicum Galeazzi die 3. Junii 1847 natum esse; Laurentium Jacarelli autem superioris anni 1846 die 29. Martii: praeterea ex indubiis documentis novi Laurentium ut aetate, sic et singulari pietate et ecclesiastico spiritu Dominico praestare: Dominicum vero Laurentium antecellere sacrarum disciplinarum profectu et Gregoriani cantus peritia, quae ex lege fundationis in collatione beneficiorum Alberigi requiritur. Non omittam praeterea, quod hodie in Laterae oppido duo tantum sunt sacerdotes, qui beneficio carent, quorum alter nempe sacerdos Franci capellaniam, de qua sermo, sponte dimisit, alter autem nimirum sacerdos Tassi illam non obtinuit, quia Sacra ista Congregatio ejus rejecit preces.“

Ex deductis apparet alterutrum ex laudatis clericis duobus pollere tantum conditionibus a fundatore praescriptis, quatenus nimirum ambo et Laterae originarii sunt et in cantu Gregoriano sunt versati; utrumque tamen carere praecipua qualitate, seu sacerdotali gradu, ita ut nec generali residentiae legi satisfacere aliquot per annos valeant.

Mentio quidem fit in literis utriusque Episcopi de aliqua differentia inter utrumque juvenem relate ad cantus peritiam, ex eo quod in experimento peracto magis instructus Dominicus Galeazzi repertus fuerit. Fatendum tamen est, quod etsi in pretio id haberi poterit, ut magis aptus eligatur; nihilominus ex hoc minime posse reputari indignum capellania, qui minus callet. Etenim Eminentissimus Fundator tantum requisivit, ut cantus Gregoriani peritia pollerent, qui ad has capellanias vocarentur, non vero jussit, ut magis idonei semper eligerentur, sicut expresso praelationis jure donavit sacerdotes inter alios aetate provectiores. Esset igitur hic solummodo pertractandum de rationibus elargiendae nec ne dispensationis.

Ad hanc denegandam maxima oriri videtur difficultas ex defectu in utroque clerico gradus sacerdotalis. Etenim neminem latet, doctores, habita ratione ad leg. Si haeredi plures; condit. institut. in illam inclinare sententiam, quod si in aliquo actu plures requisitae fuerint conditiones vel qualitates, non satis sit, ut una ex iisdem vel altera adsit, cum etsi unica tantum desit, inutilis statim reddatur dispositio, ut Handed. cons. 60. num. 6. lib. 1. Gratian. cons. 122. n. 6, Mart. t. 8. cons. 730. n. 1. Anchar. quaest. fum. 9. n. 7. 8. aliique. Cujus rei sequentem tradunt rationem: siquidem mente testatoris conditiones qualitatesve copulatim requisitae habentur loco unius, proindeque omnes omnino verificari debent. Quam sententiam secuta sunt quoque tribunalia et praesertim Rota, ut videre est in decis. 667. n. 11. p. 19. t. 2. recent. et decis. 270. n. 45. cor. Ottob. Quod etsi prius tradi ceperit quoad successiones, substitutiones ac fideicommissa, facili negotio retentum etiam postea fuit a DD. in materia jurispatronatus, et maxime respectu habito vocationi passivae ad aliquod ecclesiasticum

beneficium. Sane asserit Card. de Luca de jurep. t. 13. disp. 20. §. 6. doctores de beneficiis ecclesiasticis loquentes habere generatim veluti firmum atque inconcussum „quod si de tempore vacationis proximior, et qui alias data capacitate praeferri deberet, non reperiatur capax saltem pro tempore, quo praesentatio vel collatio facienda est, admittitur remotior, vel etiam extraneus praesentari potest irrevocabiliter.“ Quae omnia confirmantur a Rota apud Burattum decis. 680. decis 4906. p. 1; recent. decis. 206. p. 3; nec non ab hac S. Congregatione, ut in Firmana Jurispatronatus 18. Maji 1654. Quam ob rem cum nemo ex nominatis clericis omnibus gaudeat qualitatibus ab Eminentissimo Testatore requisitis, nullus ex iisdem jus aliquod habere ad capellaniam adipiscendam dicendus esset. Unica proinde spes iisdem superest in gratia dispensationis; quam reapse non semper S. Congregatio denegavit, praesertim quando nullius aderat praejudicium, et divini cultus jactura minime in causa erat, ut in Aretina Dispensationis 20. Aug. 1774, in Papien. 19. Febr. 1791.

Enimvero exceptis iis duobus clericis, scimus nullum adesse Laterae sacerdotem, qui valeat hanc capellaniam suscipere; et ideo haud inopportunum videtur, ut dispensatio concedatur, ne diu vacans capellania maneat, usque dum scilicet unus vel alter ex iis juvenibus primus ad sacerdotium adscendat; cum ex adverso, licet omnes obligationes per se satisfacere interim nequeant, possint tamen aliquam explere per alium. Quamobrem, ni secus Eminentiae Vestrae censuerint, expendendum foret cuinam ex duobus clericis concedenda dispensatio foret.

Hac vero super re praeter adjuncta rerum superius allata, id unice mihi superest animadvertendum, dispensationem scilicet petitam tantum fuisse a Dominico Galeazzi, dum pater Laurentii Jacarelli non eamdem pro filio suo rogavit, sed petiit tantum ne dispensatio alteri elargiatur. Procul dubio si ambo dispensationem expostulassent, examinandae comparative essent utriusque qualitates et deductiones. Sibi videat ergo clericus Jacarelli, quare dispensationem non petierit. Etenim cum ipse nullum jus habeat ad hanc capellaniam consequendam, obstare nequit, quin S. H. O. si velit, dispensationem super sacerdotalis gradus defectu clerico Galeazzi concedat, qui nominationem habet Episcopi, in cantu Gregoriano est probe versatus, et in ecclesiastica militia satis instructus.

Negative et ad mentem. Mens est: ut legatum pium conferatur primo ex duobus clericis, qui ad sacerdotium promotus fuerit, dummodo paratus sit praestare servitium legato inhaerens et interim reditus legati decurrentes Episcopus impendat primum in satisfactionem onerum et quod reliquum erit in educationem utriusque clerici.

III. DE JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS BENEFICIATORUM.

1. De reditibus beneficii.

303. Auximana.

Die 11. Junii 1825.

Pacatis Italiae rebus, ad suam episcopalem sedem rediit cl. me. Cardinalis Castillioneus tunc Auximanus Episcopus; paucisque mensibus antequam decederet, in Auximanae mensae praediis ligna caedi jussit,

quorum ordinatam struem ad quadraginta mensuras, quas incolae passus dicunt, Cardinalis haeredes invenerunt. Quindecim passus ex arboribus demortuis humique prolapsis procul dubio proveniebant: „reliquos autem vigintiquinque ajunt haeredes compositos fuisse ex arboribus vivis non fructiferis.“ Minister vero mensae episcopalis contendit, illas quercus decisas veteres quidem fuisse et in mala conditione; sed in suo genere frugiferas sive glandibus sive ramis productis; profitetur tamen se id non proferre ex propria scientia sed ex aliorum relationibus. Peritus a ministro ipso interrogatus existimat, pretium integrae struis passuum 40. lignorum in scutis 120 esse statuendum; arborum vero fructus quotannis ad scuta sex pervenire potuisse. Verum haeredes Cardinalis asseverant, se tantummodo scuta 72 ex lignorum venditione percepisse; qua ex quantitate necessariae expensae essent deducendae.

Apostolici Vicarii sententiam rogavi, qui et ministri mensae relationem exhibuit, et haec addidit: „In ejusmodi excisione apostolicum beneplacitum adfuisse non liquet; ast Eminentissimi Castillionei cl. me. character et doctrina si memorentur, censendum rationabili ex causa super hoc cunctatum fuisse, proinde bona omnino fide caedem hanc executioni esse demandatam . . . quatenus attentis etiam ab haeredibus Castillioneis prolatis circumstantiis, adhuc pro EE. VV. aequitate ab omnimoda solutione absolvendi minime forent, vestrae erit sapientiae summam per eosdem restituendam designare, qua meliorationes favore hujus mensae peragi valeant.“

Excisas arbores vel omnino vel fere inutiles esse renunciandas, suadent tum Eminentissimi Viri ac Antistitis vigilantissimi character ab omni abhorrens usurpatione; tum haeredes id ex propria scientia affirmantes, tum denique episcopalis mensae minister, qui licet ex aliorum sententia aliud contendat, concedit tamen, ipsas fuisse „veteres et in mala conditione“. Nihilominus si EE. VV. duxerint apostolicum beneplacitum fuisse requirendum; illud in themate praesumendum erit ex privilegio, quo EE. PP. decoramini, ut plena vobis fides habeatur tum semper, tum praecipue dum aliquid Pontifice annuente actum esse asseritis, Fagnan. in cap. Cum in jure peritus. num. 51. de officio, et potestate judicis delegati. Nam quid interest voce aliquis voluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis? L. 32. ff. de legibus: re autem ipsa et facto Card. Castillioneus impetratum a se fuisse beneplacitum pandidit.

Neminem sane latet, beneficiatos ad beneficii fructus percipiendos vocari; ideoque fructuariis esse comparandos, atque ad ipsos pertinere legis dispositionem, qua statuitur, quod fructuarius in vinearum demortuarum, vel arborum locum alias debet substituere, leg. 38. in princ. ff. de rer. divis., atque in locum capitum defunctorum vel inutilium alia summittere, leg. 68., et 69. ff. de usufr.

In excisarum arborum locum alias ab haeredibus esse substituendas modo ac tempore ab apostolico vicario designandis.

304. Aquinaten. — Emolumentorum.

Die 22. Decembris 1860.

Capitulum ecclesiae collegiatae loci Piedimonte dioecesis Aquinatensis nonnulla anniversaria cum nocturni recitatione quotannis celebrare tenetur. Missa autem ab archipresbytero et singulis canonicis per turnum cani solet, ceteris in choro adstantibus. Cum in praesens archipresbyteratus et alter ex

canonicatibus vacent, canonici pro quolibet anniversario ad vacantes praebendas hujusmodi spectante retribui sibi praetendunt eleemosynam granorum sexaginta, Episcopus vero nonnisi viginti granos pro missae tantum eleemosyna ab administratione dioecesana iisdem rependi mandavit.

Praeterea aliud quaestionis caput inter capitulum et episcopum in eo est, quod hic putet pretium ex arboribus fundorum beneficialium demortuis aut vi tempestatis et ventorum impetu avulsis retrahendum, in fundorum ipsorum et ecclesiae utilitatem convertendum esse, dum canonici e contra illud in fructu esse existimant atque adeo in beneficiatorum pro tempore emolumentum convertendum.

Hinc super duobus hisce articulis canonici ipsi supplici oblato libello S. Congregationis oraculum percontantur.

Quoad primum vero, eleemosynam nempe pro anniversariorum celebratione debitam, inquiunt eam constitutam fuisse in Mappa generali, quae apud curiam asservatur, ad granos sexaginta pro quolibet anniversario inter canonicos distribuendos.

Quoad alterum, nempe arborum pretium, asserunt aequum esse ut illud sibi proprium faciant, quo nimirum compensentur de amissione fructuum, quam ex arborum deperitione patiuntur.

E contra Episcopus super hisce quaesitis auditus, quoad primum monet: onus anniversariorum ita capitulo in vim primaevae institutionis inesse, ut quin aliquod emolumentum exinde assignatum canonicis interessentibus fuerit, mulctae potius qui desunt subjiciantur. Itaque ab se recte fuisse provisum, ut pro anniversariis ad praebendas vacantes spectantibus sola missae eleemosyna ei qui supplet rependatur, quia ad assistentiam ceteroquin gratis praestandam canonici tenentur. Nullo autem in pretio habendam tabellam, quam mappam generalem appellant, quia haec paucis ab hinc annis arbitrarie redacta fuit, quin tamen unquam ab Episcopo recognita et confirmata exstiterit.

De altero quaesito advertit Episcopus: nullo jure canonicorum intentionem fulciri; quippe quia suffragari nequit eis ratio amissionis fructuum, ut ecclesiae seu beneficiorum proprietatem usurpent. Hinc servanda hac in re sibi videtur praescriptio synodi Novarae, quam refert Scavini in sua theologia morali l. 3. tract. 11. append. de benef. eccl. cap. 3. coroll. de bonis eccl. non. alien., quae ita se habet: „Quoad secundam (arborum caesionem) declarat synodus, nemini fas esse arbores caedere aut evellere quocumque praetextu (excepta silva caedua) sine facultate, quae non datur nisi alicujus periti ope causa cognita ac probata sit. Erit autem tunc nova instituenda plantatio. Qui secus egerint, nisi agatur de arboribus demortuis, dupli poenam subibunt, praeter cetera resarcienda. Quid (inquies) si plantae demortuae, aut vi tempestatis ventorumque impetu dejectae jaceant? Tunc in beneficiorum utilitatem pretium est convertendum, nova item plantatione peracta.“

Ad secundum hunc articulum quaestionis quod attinet notandum est, nihil in specie sancitum ex ss. canonibus haberi; adeoque canonistae aequiparantes in hac materia beneficiatum usufructuario, ceu advertit Passerini de hom. statib. et offic. tom. 1. q. 185. art. 7. num. 356, a civilibus desumunt legibus jura, quae quoad proventum arborum sive demortuarum sive vi tempestatis evulsarum tum beneficiato pro tempore tum ecclesiae competunt. Jus autem civile utrumque casum pertractat ac distinguit; scilicet quoad arbores demortuas statuit L. Agri 21. ff. de usufr. et quemadmodum, ad fructuarium eas pertinere ut succidere possit, et his uti vel ad

aedificandum vel ad comburendum, prout volet, tantum in demortuarum locum alias substituere debet; atque ita demortuae dicuntur esse in fructu, quae viventes non erant. Et merito (monet Donellus comment. de jure civil. lib. 10. cap. 8. §. 12.) „demortuae enim jam ad nullam rem utiles sunt, quam ut excidantur ne fundum onerent. Ipse autem fundus et natura rei cum his alimentum et vitam subduxerint, non aliud dici potest, quam fundum demortuas arbores ex se exstruxisse ac velut peperisse.“

Aliter tamen statuitur in L. Arboribus 13. in princ. ff. de usufr. quoad arbores quae vi tempestatis dejectae sunt. Placet enim has ad proprietarium pertinere, sic tamen ut earum usus relinquatur fructuario, idest tantum ut ex his ferre possit usque ad usum suum et villae. Quaerit autem Donellus loc. cit., „cur hoc in iis potius quam in arboribus demortuis, cum avulsae non alium usum jam habeant quam demortuae? ac reponit: Haec Ulpiani ratio est ibidem, quia alioquin, inquit, et si totus ager sit hunc casum passurus, omnes arbores auferret fructuarius, quod ille absurdum putat.“ Prosequitur autem: „Et tamen in arboribus jam ad nullam aliam rem utilibus quam ad utendum, auferatur fructuario omne commodum, quod ex his percipi potest, recte placet sic commodum earum inter proprietarium et fructuarium dividi, ut saltem quod est minimum in usufructu, fructuario relinquatur, idest usus; quo scilicet utatur ad necessitatem, idque secundum rei conditionem, idest, ut ibidem Ulpianus refert Labeonem dicere, ne materia pro ligno utatur, si habeat unde utatur ligno“.

Eamdem distinctionem tradit Passerinius loc. cit. doctrinam ad beneficiarios applicans num. 361.: „Gratianus discept. 21. num. 1. discrimen ponit inter arbores vetustas, et vi ventorum evulsas, quod illae cum a natura factae sint tales, pertinent ad fructuarium, tamquam obventiones aut fructus naturales, fructuario enim debentur fructus omnes, qui naturaliter possunt percipi. Sed a casu est, quod arbores vi ventorum avellantur, unde non computantur inter fructus, et alias ex opposito sequeretur, quod si omnes arbores vi ventorum avellerentur, et omnes essent fructuarii, quod esset inconveniens maximum“. Praeterea de eo quod docet idem Gratianus num. 19. et videtur innuere etiam Card. de Luca disc. 160. de dote num. 28. scilicet, arborem vetustam et evulsam vi ventorum esse fructuarii, si loco ejus aliam plantaverit, perpendit „quod verum est respectu arboris vetustae, et ex hoc habetur, quod nec arbor vetusta est fructuarii, nisi loco ejus aliam plantet. Sed non potest habere locum in arbore evulsa, quia fructuarius non potest plantare novam arborem tam cito, cum qua possit compensare arborem grandem evulsam, quae est domini, cujus est etiam cura aliam plantandi.“

Et haec communis est doctorum sententia inter quos Barbosa in L. Divortio §. Si fundum ff. solut. matrim., Castillo de usufr. cap. 25., Bossius de dote cap. 20., Barbat. de divisione fructuum part. 1. cap. 17., Guttierez de tutel. part. 3. cap. 27. num. 3. Quamobrem inspecta juris communis dispositione, licet arborum ceteroquin virentium, sed ex vi tempestatis dejectarum pretium in beneficii utilitatem convertendum sit, illud tamen quod ex venditione arborum demortuarum percipitur, ad beneficiatum pro tempore pertinere videtur, servatis scilicet in utroque casu limitationibus et conditionibus a jure ut supra praescriptis.

Quoad emolumentum anniversariorum servetur decretum Episcopi; quo vero ad pretium ex arboribus retrahendum spectare ad beneficiatum, si arbores demortuae sint, cum onere tamen alias in locum demortuorum substituendi; esse investiendum favore beneficii, si arbores vi majori evulsae fuerint.

305. Burgi S. Sepulchri.

Die 29. Aprilis 1854.

Exponit Episcopus, quod in dioecesi Biturgensi ea jam invaluit consuetudo, ut canonici de nova praebenda et parochi de nova paroecia provisi, post ac eptam novi beneficii realem possessionem adhuc per integrum bimestre redditus percipiant prioris beneficii de jure vacati; atque illud etiam quandoque evenit, ut praedicti statim ac canonicam sive novae praebendae, sive novae paroeciae institutionem receperint, suos faciant fructus, etiamsi realem possessionem nondum adepti sint. Quamobrem exquirit: „Utrum ejusmodi consuetudo tolerari queat“. Et quatenus negative, expostulat: „Ut quidquid vi praedictae consuetudinis ipsi beneficiati indebite jam perceperint, benigne eis condonetur.

Cautum in jure est, beneficium incompatibile ipso jure vacare, cum aliud tale recipitur: nihilominus bimestris spatium conceditur, priusquam de altero beneficio provisus, primo renuntiare teneatur; quamobrem et fructus tum primi, tum alterius beneficii infra hoc tempus percipere posse videtur, aut saltem non ita irrationabilis hujusmodi consuetudo censenda forsan erit, ut tolerari nullo pacto queat.

Verum aperta est censura Conc. Trid. in sess. 7. cap. 4. de reform. „Quicumque curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica .... quocumque nomine et titulo contra formam sacrorum canonum ... recipere ac simul retinere praesumpserit, beneficiis ipsis ipso jure privatus exsistat.“ Porro ex hisce consequi videtur, damnandam potius esse consuetudinem recipiendi fructus primi beneficii bimestris spatio post assecutionem secundi. Nam subsecuta hujus possessione, vacat ipso jure primum, ac nullum proinde ad ejus fructus jus beneficiato manet. Hinc quamvis ad vacationem hanc inducendam pacifica requiratur possessio secundi beneficii incompatibilis per duos menses; non exinde jus beneficiato inest, ut utriusque beneficii fructus interea temporis percipere possit. Ex eo enim haec temporis latitudo inducta videtur, ut nemini intra bimestre beneficium conferatur, ne scilicet contingat, ut provisus utrumque beneficium amittat, si primo jam alteri collato, impediretur ipse in perceptione fructuum alterius. Hoc sane sensu, ait De Nigris tract. de vacat. benef. lib. 1. cap. 6, ut primum beneficium vacet, necessum esse, ut provisus integre, aut saltem in majori parte fructus secundi percipiat, juxta text. in cap. Si tibi concesso, ibique Glossa verbo Vacare, de praeb. in 6.

Haec quoad primam consuetudinem; ad alteram quod attinet elementare in jure est, satis non esse, aliquem beneficium obtinuisse, nisi is etiam ejus possessionem adipiscatur, ut fructus capiat suosque faciat. Injustum quippe est, ut qui nondum alicujus rei dominus est constitutus, re ipsa utatur ut dominus.

Ast perpendendum est, ex jure canonico fructus vacantium beneficiorum aut impendi debere in utilitatem ecclesiarum, aut esse reservandos iis qui beneficia sunt assecuturi, juxta cap. Cum vos de offic. judicis ordin. et cap. Quia saepe de elect. in 6. Qua inspecta juris dispositione tolerari posse videretur consuetudo, qua beneficiatus ante adeptam possessionem praemature fructus sui beneficii percipit, quos ceteroquin ei reservatos lex voluit.

Quatenus vero utramque consuetudinem reprobandam ac eliminandam duxerint EE. PP., haud beneficiatos ad fructuum indebite in vim hujus consuetudinis perceptorum restitutionem damnandos censerem, attenta praesertim bona fide, quae a restitutione excusat, ac justa et legitima causa indulgendae condonationis habetur; de quo passim occurrunt exempla in thesauro resolutionum Sacrae Congregationis.

Quoad praeteritum supplicandum esse Sanctissimo pro condonatione; quo vero ad futurum, consuetudinem, de qua agitur, non esse tolerandam.

2. De obligationibus beneficii.

306. Spoletana. — Dispensationis.

Die 29. Januarii 1853.

Possidet sacerdos Honoratus Targioni ecclesiasticum beneficium quod hodie est de jurepatronatus familiae de Montanis in oppido Cortariae archidioeceseos Spoletanae, cujus annui reditus juxta statum in actis exhibitum scutata 89 pertingunt, et quibus haec sunt onera ex fundationis lege ferenda: nimirum beneficiatus residere debet in loco beneficii „cum onere in perpetuum celebrandi per se ipsum, non autem per interpositam personam, nisi in casu infirmitatis, aut alterius similis impedimenti, missam in dicta capella singulis diebus dominicis et aliis de praecepto Ecclesiae festivis, nec non singulis diebus Lunae, Mercurii et Veneris cujuslibet hebdomadae, prout etiam celebrare facere in eodem altari seu capella diebus festis S. Michaelis archangeli tam de mense Septembris, quam de mense Maji, angeli custodis, S. Stephani protomartyris, S. Laurentii M., S. Antonii de Padua, et S. Francisci Xaverii missas quatuor in quolibet de praedictis diebus festis, quarum una debet esse decantata . . , residendi in dicta parochia, et interveniendi processionibus, missis decantatis, vesperis et completoriis etc.“

Nunc vero laudatus Targioni postulat, ut a residentiae lege dispensetur triplici ex causa. Primo quia licet innocuus, graves tamen ac diuturnas inimicitias in eo loco contraxit, ex quibus lamentatur tria se perpassum fuisse furta, quibus omnimoda domestica suppellectili fuit spoliatus, et fuisse coactum Spoletum migrare. Secundo, quia cum quovis censu careat, impossibile evadit, ut tam tenui beneficio suae consulat sustentationi, eo vel magis quia in dicto oppido missarum eleemosyna haberi nequit, quae ceteroquin tempore fundationis erat obolor. decem, nunc vero juxta taxam obolor. quindecim, et tamen pauci sunt, qui cum hac eleemosyna celebrare velint. Tertio quia nullo devincitur onere excipiendi confessiones aut parochum coadjuvandi in animarum ministerio, et quoad assistentiam in nonnullis functionibus commode suppleri per binos capellanos nunc ibi existentes et religiosas familias inibi existentes, qui omnes tempore fundationis beneficii desiderabantur.

Archiepiscopus mox defunctus exposita undique confirmat, et propitiam potius sententiam Oratoris precibus pandit. Refert autem dissensum municipum ac praesertim parochi, qui testante eodem Archiepiscopo semper Oratori fuit adversus. Hi siquidem negant tenuitatem redituum, negant persecutiones ac furta, de quibus, inquit parochus, nihil certi compertum est. Auxilia vero quae ex religiosis familiis haberi possunt, animadvertunt,

esse mere spontanea atque eventualia, et impraesentiarum potissimum capellani necessitatem urgere, quia populus eo loci auctus est tertia parte circiter.

Certe ob odia atque inimicitias licere beneficiato abesse a loco sui beneficii cautum in jure est; maxime si constiterit culpabilem causam iis datam non fuisse a beneficiato; et absentiae indultum licet temporaneum protrahi etiam usque dum spes reconciliationis affulgeat. Quod inimicitiae in casu existant absque Oratoris culpa satis ex Archiepiscopi relatione deprehenditur. De tenuitate redituum id sentiunt nonnulli, ut a residentiae lege liber renuntiari possit capellanus, qui ex annuo proventu satis non habet quod ad cultum victumque necessarium est. Viden. Gonzal. in cap. Conquerente. de cler. non resid. Card. Petra in constit. 7. Innoc III. n. 8, S. Congregat. in Lunen. 14. Augusti 1824. §. Perpendendum.

De praejudicio ex absentia Oratoris populo obventuro nullum habuit verbum Archiepiscopus. Videndum tamen erit, num illud ejusmodi sit, ut suadeat cogendum esse beneficiatum residentiae oneri cum gravi suimet discrimine ac damno, ita ut quodammodo praesumpta etiam fundatoris voluntas opitulari videatur.

Scribatur Episcopo administratori, qui audito etiam patrono referat de veritate et indole inimicitiarum.

307. Piscien. — Onerum beneficii.

Die 26. Junii 1858.

Episcopus exponit: rectorem simplicis beneficii sub invocatione S. Lazari erecti in plebania Montis Vettulini, ex decreto episcopali diei 31. Decembris 1484 obligatione teneri, litandi unam missam qualibet hebdomada in altari S. Lazaro dicato; item celebrandi festum S. Josephi, nec non duo anniversaria quotannis, alterum die eidem festo insequenti, alterum post dominicam passionis cum interventu omnium sacerdotum loci; quorum quidem onerum, eorumque satisfactionis mentio ab immemorabili in curiae actis occurrit. Nunc vero plebanum Montis Vettulini praetendere, quod beneficiatus, praeter praedictorum onerum satisfactionem, teneatur ad alterius festi celebrationem, ac praeterea ad assistentiam diebus festivis choro praestandam juxta legem fundationis quam allegat.

Itaque idem Episcopus perpendens, citatam fundationis particulam non convenire cum memorato erectionis decreto anni 1484 et consuetudine posteriori, adeoque haud satis constare de obligatione rectoris beneficii inserviendi parochiali ecclesiae diebus festis, supplici oblato libello postulat ut declarare et decernere possit . . . obligationes rectoris beneficii S. Lazari circa missas et anniversaria eas esse quas antiquissima consuetudo sanxit, solvendo rectorem ab onere servitii chori, si illo teneatur, cum agatur de ecclesia parochiali et satis functionibus provisa, et de beneficio simplici tenuis reditus, cui juxta exponentis opinionem non convenit esse injuncta onera.“ Quatenus demum id denegandum censeat S. Congregatio, instat saltem pro facultate declarandi „actualem rectorem beneficii S. Lazari, canonicum Julianum Vincenti, sua vita durante, non teneri nisi ad illas obligationes, quas praeteritis temporibus adimplevit, scilicet ad unam missam in hebdomada, ad festum

S. Josephi, et ad duo anniversaria, exonerando eum ab omni alio onere, quod expeti posset ob rationes inferius recensendas."

Porro quo res magis pateat observat Episcopus, reditus beneficii attingere, demptis oneribus, annua scuta 48, a qua tamen summa detrahenda modo sunt scuta 12, quae pro pensione favore parochi del Marginone solvuntur. Ex actis vero constare in facto, onera dumtaxat superius recensita a rectoribus hujus beneficii ab immemorabili adimpleta fuisse; nullum vero proferri documentum, quo probetur eosdem ullo unquam tempore chorale praestitisse servitium, imo residentiae legi fuisse subjectos, si excipiantur postremi duo beneficiati; quorum tamen primus per plures annos in altera paroecia commoratus est, alter vero adhuc sospes declarat, se functionibus parochialibus intervenisse ex debito officio parochiani, non ex conscientia hujus oneris. Aliunde vero de contrario aliorum capellanorum facto ex documentis constat, ab anno praesertim 1724 ac per successiva tempora; nec aliter actualis beneficiatus se gessit. Haec porro consuetudo plusquam centenaria ac immemorabilis, quam confirmat etiam constans ac vigens in eadem ecclesia traditio, tanti ponderis videtur Episcopo, ut legitimam constituere valeat praescriptionem, cujus vi beneficiatus a ceteris quae imponi ipsi vellent oneribus exemptus ac solutus censendus sit.

Ad fundationem vero beneficii quod attinet, refert, duo inveniri testamenta condita a quodam Dominico Marci Menici oppidi Montis Vettulini, alterum diei 21. Decembris 1484, alterum diei 24. Decembris ejusdem anni. In primo haec quoad beneficium, de quo res est, habet testator: „Reliquit quod sit aedificatum unum altare in plebe Montis Vettulini tituli S. Lazari per Benedictum olim Cecchi Renieri, Paulum olim Matthei Papi, et Angelum Blaxii Mej patronos dicti altaris et capellae, et sit institutus unus capellanus, qui debeat celebrare missam quotidie, et adjutare ad officiandum chorum. Item reliquit pro dote dicti altaris medietatem domus dicti testatoris, seu valsutam ad spendendum dictam valsutam in una domu, ubi debeat habitare dictus capellanus etc." In altero vero habetur: „Item reliquit et vult, quod dictus presbyter habeat dictum altare, sit obligatus ad faciendum festum S. Lazari cum quatuor presbyteris, et unum officium pro anima dicti testatoris". In decreto vero episcopali diei 31. Decembris 1484 legitur: „Exhibita quidem nobis pro parte dilectorum filiorum Angeli Blaxii Mej, et Bernardini Buxii Raynerii pro se, et Paulo Matthei Papi petitio continebat, qualiter Dominicus Marci Menici mortuus est condito per eum testamento, in quo ultimo testamento judicavit et voluit, quod per suos haeredes fieri debeat unum altare in plebe s. Michaelis de Monte Vettulino sub vocabulo S. Lazari, et voluit patronos dicti altaris praefatum Angelum, Bernardinum et Paulum etc."

Porro super hisce documentis in suae petitionis confirmationem haec adnotat Episcopus: „Praedictam bullam episcopalem loqui de ultimo quodam testamento Dominici Marci Menici, neque diem neque annum hujus actus appositum esse, ideoque probationem affirmativam et claram nullam ex ea erui, utrum ad testamentum diei 21. vel ad alterum diei 24. Decembris referenda sit aut ad aliud posterius; imo in bulla haberi indicium negativum, cum inter patronos qui institerunt pro canonica sanctione, nominetur Bernardinus Buxii Reynerii non autem Benedictus olim Cecchi Renieri in testamento nominatus. Praeterea illam bullam, quae revera est canonica erectio beneficii, nihil indicat de oneribus in praecedentibus actibus ultimae voluntatis praescriptis. Cum igitur ex pluribus capitibus dubia sit lex fundationis,

concludit Episcopus, mihi non videntur alia onera ipsius constitui posse, quam quae statuit consuetudo."

Urget, quod etsi clara foret lex fundationis, attamen consuetudo ipsa contraria constans ac immemorabilis vel praescripserit alia quaelibet onera, vel praesumere jubeat, aliquam quoad legem fundationis innovationem fuisse inductam ex legitimae auctoritatis decreto; quam quidem praesumptionem sequentibus momentis confirmat, nimirum: „Nulla exstat memoria, unquam fuisse celebratam missam quotidianam, aut rectorem residentiam observasse in castello Montis Vettulini et in domo ad beneficium pertinente, ut statuit praetensus fundationis actus. Porro a tempore immemorabili celebratur festum S. Lazari, festum S. Josephi et officium post festum istud." Constat ex alio decreto diei 31. Decembris 1484 Episcopum univisse beneficio S. Lazari vix fundato beneficium S. Antonii sub eodem tecto positum „illud admittens et incorporans" ex defectu redituum, et utrumque contulit cuidam Martino Tomei ex castello Fiorentino, non dioecesano; id quod indicat permutationem aliquam factam, cum simul consistere non possit rectorem beneficii s. Lazari obligatum ad missam quotidianam et chori servitium potuisse satisfacere oneribus quae inhaerebant beneficio S. Antonii."

Denique peculiarem petitionem pro gratia quoad actualem rectorem beneficii legitimis inniti rationum momentis perpendit, quae sunt: primo quia cum obligatione ea tantum adimplendi onera, quae modo adimplet, canonicam institutionem ipse habuit. Deinde quia cum viginti ab hinc annis humaniores literas in seminario doceat, confessiones excipiat, et canonicatum in cathedrali possideat, alio modo inservit Ecclesiae. Praeterea quia ob redituum beneficii exiguitatem haud aliis satisfacere posset oneribus, assistentiae praesertim chorali ope alterius sacerdotis. Tandem quia Ecclesia, in qua erectum est beneficium, non exigit quotidianum chori servitium et aliunde satis provisa est de sacerdotibus, qui functionibus parochialibus assistunt.

Parochus e contra unice innititur fundationis lege in testamento expressa, quae superius relata est. Ceterum ambigendum non est hanc legem fundationis non levem prae se ferre incertitudinem juxta ea quae observanda proponit Episcopus. Item neminem latet, maximam esse immemorabilis observantiae vim sive in linea praescriptiva, sive in linea praesumptiva justi tituli. Quamobrem quidquid jure censendum hac de re sit, decernent EE. VV. an exposita momenta nihil esse innovandum quoad praesentem beneficii conditionem suadeant, habita praesertim ratione ad exiguos ejusdem beneficii reditus; sin minus utrum implorata venia concedenda sit pro actuali beneficiato, cujus favore plures suppetunt indulgentiae adhibendae rationes.

Servetur decretum Episcopi diei 31. Decembris 1484.

3. De oneribus extraordinariis beneficii.

308. Oritana. — Procurationis.

Die 28. Aprilis 1860.

Capitulum ecclesiae collegiatae loci Ceglie Oritanae dioecesis ope sui procuratoris exponit, Episcopum sacram visitationem ibidem peragentem procurationis titulo jus sibi praetendere exigendi summam ducat. 92, quam

ceteroquin excessivam existimant, loco victualium quae a capitulo eidem offeruntur. Hinc ad S. hanc Congregationem recurrunt, ut res ad ss. canonum normam ac praesertim S. Concilii Tridentini sess. 24. cap. 3. de reform., uti par est, definiatur.

Super hujusmodi recursu auditus Episcopus retulit: a vero prorsus abesse quod a capituli procuratore exponitur, cum numquam in mentem ei venerit exigendi aut postulandi pro procuratione sive memoratam taxam ducat. 92, sive etiam victualia; sed cum ipse tempore visitationis commorari soleat in aliquo coenobio ejusdem loci vel in privatis incolarum domibus, sponte praedictam summam exacta visitatione solutam sibi fuisse a capitulo, uti antea antecessoribus Episcopis soluta semper fuerat, veluti constat ex regestris in archivio episcopali asservatis. Denegat vero excessivam censeri posse hujusmodi taxam, perpendens locum illum ab urbe episcopali distare 12 circiter millia passuum in situ alpestri, et numerosum esse populum clerumque plus quam 50 sacerdotum, ad sse ecclesias, capellas urbanas et rurales, loca pia, ideoque Episcopo ibi ad munus explendum longius commorandum saepiusque esse accedendum. Et quamvis in praeteritis visitationibus non potuisset diu manere in illa parochia, cujus aer ipsi haud salubris esset, tamen saepius se illuc proficisci debuisse, imo pluries in decursu unius visitationis ob urgentia negotia, non solum in hibernis rigoribus, sed cum periculo ipsius vitae. Hinc concludit considerandum valde esse an non sit retinenda consuetudo dandi procurationem in pecunia, et in summa statuta ab antiquissimis temporibus, quae firmatur libris rationum mensae episcopalis.“ Addit demum praeter hanc summam, quae a capitulo solvi consuevit, aliud nihil Episcopo visitanti rependi a ceteris ecclesiis et locis piis praedicti loci; ignorare autem se dicit, an praefata summa solius capitularis mensae impensis, vel potius ex quotis conficiatur procurationum solvendarum a reliquis locis ac personis visitationi subjectis.

S. Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 3. de reform. statuit: Monentur praedicti omnes et singuli ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate, christianoque zelo omnes amplectantur, ideoque modesto contenti equitatu famulatuque studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere: interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint, neve ipsi aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, praeter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili, exceptis tamen victualibus, quae sibi ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra, erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id quod erat ab ipsis ante solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero praedicta victualia subministrare, salvo item jure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisve piis locis, aut ecclesiis non parochialibus inito, quod illaesum permaneat. In iis locis seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur.

Itaque ex hac relata dispositione satis luculenter colligitur quid juris obtineat in procuratione exigenda. Patet hinc scilicet, in eo quod praecipue pertinet ad praesentem quaestionem, visitatorem non posse praetendere victualia in pecunia praecise, quamvis antea visitati soliti fuissent solvere certam pecuniae summam loco victualium, sed esse in optione eorum qui visi-

tantur, an malint solvere id quod erat ab ipsis antea solvi certa pecunia taxata consuetum, an vero praedicta victualia subministrare. Quod quidem sancitum etiam est in cap. Felicis 3. de censibus in 6., ubi conceditur facultas visitatoribus accipiendi procurationem in pecunia a volentibus illam solvere; non obstante quod olim id, scilicet pretium moderatae procurationis, in pecunia accipere prohibitum fuerit, in cap. Relata 9. caus. 10. qu. 1, cap. Romana 1. §. Procurationes, et cap. Exigit 2. de censibus exactionib. et procurationibus in 6.

Ad rem praeterea animadvertere praestat, sub procuratione comprehendi omnia quae sunt necessaria pro victu et habitatione, non autem expensas ferendas extra victum, nempe pro vecturis, aliisque hujusmodi, ceu pluribus firmatum auctoritatibus videre est apud Ferrarium v. Procuratio num. 2. et seqq., ibique etiam notatur num. 23. Visitatorem hospitatum a laicis non posse exigere procurationem a clericis, dummodo isti victualia non recusaverint. Haec omnia confirmantur ex resolutionibus hujus S. Congregationis quae a laudato auctore referuntur, ex quibus sane eruitur, quod si in pecunia solvatur procuratio, haec augenda aliquando decernitur cum paupertas intervenit Episcopi, aut multiplicantur dies in visitatione necessarii, attentis ecclesiis pluribus, et locis piis, ceu resolutum fuit in Juvenacen. die 3. Septembris 1740, in qua proposito dubio: „An et in qua summa seu quantitate debeatur Episcopo Juvenacen. procuratio pro visitationibus ecclesiarum et locorum piorum oppidi Terlitii expletis absque solutione per tres vices, scilicet annis elapsis 1734, 1735 et 1736“ S. Congregatio respondit contra capitulum collegiatae Terlitii „deberi pro utraque visitatione in ducatis biscentum, non comprehensis ducatis septemdecim jam solutis;“ ac reproposita causa die 28. Januarii 1742 stetit in decisis.

In themate igitur erit EE. VV. decernere, an permittendum sit capitulo ut victualia praestet Episcopo visitanti, vel potius servanda sit consuetudo, quo victualium loco certa pecuniae quantitas solvatur. Quamvis enim utriusque rei libera ex jure detur optio capitulo, attamen dubitari nequit, quin aliquando stricti juris posthabita ratione, magis expediat certam pecuniae summam taxare, quae Episcopo solvatur, sive nimirum cum ipse diu morari in loco visitationis causa valetudinis nequeat ceu contingit in casu, ut adeo auctis itineris expensis opus habeat illuc saepius accedere; sive etiam ut quilibet conquestionum ac simultatum praetextus procul amoveatur, aliisque de causis, quae cujuslibet cordati viri prudentiam plane non effugiunt. Hoc vero in casu quid quantumve praestandum sit, dijudicandum erit ex peculiaribus temporum locorumque circumstantiis, quae nisi immutatae fuerint, non recedendum ab eo quod constanti observantia invectum et constabilitum fuerit.

Quoad praeteritum solvant; quoad futurum utantur jure suo pro optione ad normam Concilii Tridentini et ad mentem.

309. Melevitana. — Pensionis.

Die 17. Maji 1851.

Jam ab anno 1840 Calcedonius Falson, expeditis literis Apostolicis, coadjutor datus est cum futura successione canonico Venceslao De Bono ejus avunculo, qui praebendam et titulum canonicalem S. Blasii in ecclesia cathedrali Melevitana possidebat. Decedente vero altero ejusdem ecclesiae

canonico Begrina, coadjutus pinguiorem assecutus est vacantem praebendam, jure optionis usus, quod in praefata cathedrali vigere perhibetur: ex quo coadjutor existimans diem advenisse successionis ob secutam ex optione sui coadjuti praebendae designatae vocationem, instetit coram Ordinario, ut in realem illius possessionem immitteretur. Anceps autem Ordinarius tam super facultate optandi, cui coadjutus renuntiasse implicite ei videbatur per impetratam coadjutoriam, quam super jure coadjutoris vel coadjutum sequendi in oprata praebenda, vel dimissam ab eo praebendam obtinendi, dubitationes hujusmodi ad Apostolicam Datariam pro solutione transmisit cum aliis a priorum responsione dependentibus, quae inde ad S. hunc Ordinem pro voto, **uti assolet, dirimendae sunt ablegatae.**

Proponebatur quaestio, quatuor concinnatis dubiorum formulis, in congregatione diei 2 Maji: 1846 at eam maturiori dignam examine et disquisitione reputantes Eminentissimi Patres, dilata resolutione, votum Eminentissimi Episcopi Praenestini exquirendum esse decreverunt. Ast cum vehementius urgeret resolutionem canonicus Falson, in congregatione diei 30. ejusdem mensis, quae proxime secuta est, in eam venerunt Eminentissimi Patres sententiam ut, praevia renunciatione coadjutoriae et cuicumque juri ad praebendam S. Blasii ab Oratore formiter emittenda, ipsimet eadem praebenda, annuente Sanctissimo, literis Apostolicis gratis expeditis conservetur, nisi tamen alius aut alii capitulares, privilegio utentes, illam optaverint; quo casu ultimam, quae expleto optionis turno vacans superesset, assequeretur, citra tamen praejudicium resolutionum, quas pro futuris casibus S. Ordo fuisset daturus cum voto Eminentissimi Episcopi Praenestini. Hinc factum est, ut canonico Philippo Amato per optionem ad praebendam S. Blasii promoto, praebendam exinde vacantem canonicus Falson fuerit assecutus.

Nova tunc promota est quaestio coram Dataria Apostolica a sacerdote Paulo Eliul, cui assignata fuerat annua pensio scut. 35, jam reservata in praefatis literis apostolicis pro coadjutoria super fructibus emunciatae praebendae S. Blasii pro persona nominanda; ceu eruitur ex earumdem literarum tenore. Ita enim Pontifex, postquam verbum fuisset de aliis duabus antiquis pensionibus, eam praebendam gravantibus, expresse disposuit: „Nos hodie ex nunc prout ex tunc et e contra, postquam tamen ad tui favorem successioni praedictae locus factus fuerit, aliam undecim ducat. auri de cam. hujusmodi et jul. septem dictae monetae Rom. cum dimidio alterius julii summam scut. 50. monetae Meliten. constituentium dilecto filio Felici Germanino presbytero Meliten. dioec. per eum quoad vixerit percipiendum per alias nostras literas Apostolicas auctoritate praefata reservavimus, constituimus et assignavimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur, nec non reliquas pensiones annuas literas immunes et exemptas aliorum viginti ducator. monetae hujusmodi pro persona seu personis per nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem quandocumque nominanda, seu nominandis reservari concessimus, prout in supplicatione desuper nunc Nostra **signata plenius quoque continetur.**“

Novissima haec controversia cum scilicet pensio debeatur praefato Eliul super fructibus emunctae praebendae, ac proinde literae apostolicae sint desuper expediendae, necne cum locus amplius factus non fuerit successioni in praefata praebenda favore Calcedonii Falson, cui eventui, quasi conditioni, pensionis ipsius effectuatio ex literarum tenore alligata videri potest; ad S. hunc Ordinem fuit pariter ab Apostolica Dataria remissa pro voto. Quam

ego viro Eminentissimo, cujus votum exquisierat S. Congregatio pro quaestione superius enunciata definienda, a die 6. Martii 1847 transmittendam putavi, ut una cum alia hanc quoque quodammodo connexam quaestionem in voto redigendo discuteret. Sed, quoniam votum hujusmodi hactenus desideratur, et sacerdos Ellul, magnum ex dilatione praejudicium lamentatus, instantissime postremae controversiae definitionem expostulat, eamdem in hodiernis comitiis judicio Eminentissimorum Patrum subjiciendam existimavi.

Pensio est onus reale et inhaeret praebendae, super cujus fructibus constituitur, Gigas. de pension. qu. 40, num. 1. et Tondut. de pension. cap. 19. num. 8. ac proinde transit beneficium oneratum ad illius solutionem, ita ut in omnibus casibus, in quibus praedecessor eam solvere tenebatur, et successor in praebenda eamdem solvere teneatur, uti docet Gigas loc. cit. qu. 39. n. 10. Jus autem ad pensionem vim suam desumit a data, qua signata fuit supplicatio per Pontificem super reservatione pensionis, ita ut ex tunc vere completa gratia dicatur ex traditis per Gigam loc. cit. qu. 40. n. 3, quin pro obligatione in titulari inducenda necessaria sit vel literarum expeditio vel earumdem intimatio et praesentatio; haec enim tantummodo requiruntur ad pensionis exactionem seu ad actionis exercitium, ut monet idem auctor ibi n. 4.

Nec obstare videtur peculiaris circumstantia, qua coadjutor ob optionem coadjuti in praebenda designata non successit, adeo ut dici debeat numquam advenisse tempus ad pensionem solvendam praefinitum. Praeterquam enim ea est coadjutoriae natura, ut veram importet collationem, et quamlibet impediat vacationem, quia licet vacatio succedat post mortem vel cessum coadjuti, virtute tamen clausulae ex nunc prout ex tunc tempus retrotrahitur, et ex praeventione Papae jam consumpta dicitur vacatio, ad rem Rigant. ad regul. Cancell. tom. 3. reg. 26. num 43. et reg. 45. §. 1 num. 33 et 34; illud etiam accedit quod provisio beneficii et pensionis reservatio sunt gratiae omnino distinctae, quamvis contemporaneae, ita ut si provisio sit nulla vel effectum non habeat, adhuc subsistat pensio, nisi nullitas ex defectu juris conferendi procedat, uti ex doctrina Rotae docte notat Card. de Luca de pens. disp. 33. num. 13.

Cum igitur reservatio pensionis a literis coadjutoriae proficiscatur, in quibus gratia plene facta est, nam reservatio dicitur perfecta, licet solutio ad certum tempus differatur, De Luca de regal. disc. 49. num. 9. et de pension. disc. 1. a. num. 22, ac praebendam S. Blasii afficiat, non personam coadjutoris, nisi demonstrationis causa, veluti eruitur ex doctrina Gigantis loc. cit. qu. 62. resolvendum videretur, ut pensio debeatur Oratori ab eo, qui praebendam ipsam optavit tum quia pensio est onus reale, tum quia optio non relevat ab onere pensionis, ceu superius est demonstratum.

Maximum tamen parat obstaculum hujusmodi resolutioni clausula in praefatis literis adjecta de reservandis pensionibus ibidem expressis post expletam tantummodo successionem favore coadjutoris „postquam tamen ad tui favorem successioni praedictae locus factus fuerit." Haec enim clausula conditionem, non autem modum importat. Verba siquidem postquam tamen veram conditionem importare de sua natura tradunt Card. de Luca de pension. disc. 1. num. 17 et Barbosa de dictionibus in dict. 272. num. 2. et in dict. 401. num. 3. Neque aliter sonat in casu clausula opposita ex nunc prout ex tunc et e contra etc. Virtus namque retroactiva, quae huic clausulae conceditur, bene procedit, ut perpendit Card. de Luca loc. prox. cit. num. 20., quando extrema sint habilia,

secus autem ubi res devenit ad casum, a quo incipere non potest; in praefatis autem literis cum nulla adsit juri optandi derogatio, imo nec ulla ejusdem juris cognitio coram Dataria deducta fuerit, libera remansit optio, ex traditis per Riganti in part. l. reg. 9. §. 5. num. 19. et nullum exinde optanti praejudicium illatum esse praesumendum est. Idemque resolutum fuisse in casu fere identico tradit Barbosa de clausulis in clausul. 71. num. 19, ubi scilicet refert casum pensionis reservatae cum hac clausula „tibi ex nunc prout extunc et e contra, postquam aetate legitima tibi suffraganti clericali charactere rite insignitus fueris“ ex qua conditionalem effici gratiam edicit, et hanc conditionem non retrotrahi ad diem gratiae signatae, sed ad conditionis tantum evenientiam gratiam seu reservationem hujusmodi esse referendam, et conditione purificata dicendam esse perfectam. Alia etiam de causa dictam clausulam evincitur meram efficere conditionem, quia scilicet praemissa fuit verbo servavimus, uti de clausulae virtute ad hunc ipsum effectum refert Card. de Luca de ben. disc. 90. num. 51. et 52. Conditionis autem ea vis est, ut gratia sub illa facta stet in suspenso, donec conditio purificetur, ita Barbos. in prax. exig. pens. part. l. qu. 2. num. 3. et articulo plene discusso Rota in Trojana pensionis cor. Queipo impressa post Postium de manuten. ac Tond. de pens. cap. 44. num. 19.

Ast dato etiam quod praedicta clausula non conditionem, sed modum secum ferret, non alia sequeretur conclusio; sive enim modum sive conditionem importet clausula, nihil actum censetur, donec sit plene per implementum justificata, ut notat Barbos. loc. prox. citato a num. l. ad 8., Tondut. de pension. cap. 3. num. 23. In quolibet autem dubio pronuntiandum videtur pro exclusione pensionis; hujus enim exstinctio est favorabilis, quia per eam, ut ait Gigas loc. cit. qu. 99. num. 4, vindicatur libertas beneficio et illius rectori, quae est res inaestimabilis, cum pensio sit onus et servitus quaedam beneficio et rectori imposita, cujus continuatio, prout notat idem auctor, est odiosa. Cui doctrinae consentit etiam Card. de Luca de pension. disc. 49. num. 7 et Rota in praefata Trojana pension. num. 6. et seqq. Quod juris etiam communis praesumptione roboratur, qua sancitur, ut beneficia ecclesiastica sine diminutione debeant conferri, et congrua beneficiato alimenta reservari, ac rem quamlibet in dubio liberam praesumi, ut ibi Rota ratiocinatur. Ex quibus profecto contraria profluit Oratori conclusio.

Huc etiam accedit quod pensio aequiparatur usufructui, et secundum hujus materiam regulatur, ceu forenses opinantur, ita Gigas loc. cit. qu. l. num. 5. et Card. de Luca de pension. qu. 49. num. 9. Jam vero certum est, quod usufructus, sive jure legati, sive ex contractu ad diem incertum depactus fuerit, facit legatum conditionale, quia hoc est proprium conditionis, ut in casum differat obligationem, et proinde effectus in incertum eventum suspenditur, Averan. interpret. jur. libr. 2. cap. 16. num. 5. Praeterea si dies certus adjectus est legato vel conditioni, hunc exspectandum esse patet, ut legatum usufructus peti possit, neque debetur nisi dies veniat et cedat; quamvis non raro fiat, ut dies adjectus sive certus sive incertus sit, non ad implendam obligationem apponatur, quae statim enascitur, sed ad differendam solutionem seu executionem, quod ex peculiaribus dispositionis adjunctis est inferendum, ceu late tradit Averan. loc. cit. cap. 20. Quibus utrunque perpensis, quid sit decernendum in casu, de quo agitur Eminentissimorum Patrum sapientia judicabit.

Non esse locum solutioni pensionis a possessore praebendae S. Blasii.

310. Carpen. — Suspensionis nominationis et pensionis.

Die 29. Julii 1854.

Franciscus Boselli Carpensis ultimo quo decessit suae voluntatis elogio die 4. Augusti 1650 beneficium sub titulo S. Hyacinthi in terra Novi Carpensis dioecesis instituit, jubens „ut haeredes sui teneantur ad solvendum quotannis in perpetuum sacerdoti Novensi ducata 200, ut celebret quotidie missam in parva ecclesia testatoris, exceptis duobus hebdomadae diebus; ... cui sacerdoti relinquit etiam domum ... et vult, ut haeres suus semper jus habeat nominandi sacerdotem.“

In postrema beneficii vacatione, quae contigit anno 1845 clericus Faustinus Boselli filius Aloysii sub die 15. Martii ejusdem anni rescriptum apostolicum obtinuit, quo ad octo annos suspendebatur nominatio rectoris beneficii, et traditis 30 annuis scutatis Nicolao Boselli altero compatrono, impletisque oneribus, reliqui fructus assignabantur in ejus educationem et ecclesiasticam instructionem, et quoad excessum, in sustentationem ipsius Aloysii patris ejusque familiae. Postea vero die scilicet 14. Novembr. 1849 ab S. H. Congregatione impetravit etiam suspensionem duarum ex quinque missis hebdomadalibus gravantibus beneficium, durante tamen indulti prius obtento suspensionis rectoris ejusdem beneficii, eo fine, ut ex hac nova accessione reddituum melius ecclesiasticae clerici indultarii institutioni consultum foret.

Exspirato hoc indulto die 15. Martii anni superioris, Franciscus et Aloysius fratres Boselli dioecesis Carpensis compatroni beneficii supplicem dedere libellum, in quo Franciscus postulat „ut simile indultum concedatur filio suo decenni Vincentio Boselli, qui etsi nunc non imbutus literis tonsuram recipere non possit, tamen felicis exitus spem dare posset.“ Aloysius vero supplicat, ut sibi assignetur summa scut. 30 super ipso beneficio ut multiplicatis necessitatibus familiae suae occurrere possit.“ Accesserunt etiam preces alterius compatroni Balthasari Boselli Mutinensis filii primi indultarii Nicolai, ad hoc ut fructus beneficii adjudicentur filio suo octo annorum, ut ecclesiasticam educationem recipiat; et si alius praeferatur, ut admittatur ad percipiendum eos reditus qui post alimentorum prioris praestationem et onerum satisfactionem reliqui sunt.“ Hisce addendus quartus ac ultimus compatronus Antonius Boselli Mutinensis, qui pariter eodem beneficio frui postulat, „quamvis ei plene renuntiet, si beneficio fruatur Vincentius filius Francisci Boselli, et neque d. Balthasar, neque alii ad percipiendos fructus admittantur.“

Contra horum petitiones solemniter protestati sunt sacerdotes terrae Novi ad hoc ut sarta tectaque manerent jura passivae vocationis, quae ex lege fundationis ipsis competunt.

Una cum Oratorum precibus, ex parte etiam Episcopi supplicem accepi libellum, in quo inter Oratores rem componere studens, instat „ut puero Vincentio B. gratia concedatur (quem prout majorem aetate et suum dioecesanum praeferri vult filio Balthasari, qui extra dioecesim versatur) ut per decennium fructus beneficii percipiat quamvis actu sit ineptus ad tonsuram, ea conditione ut interim administrator ecclesiasticus deductis oneribus quinque missarum in hebdomada comprehensa festiva, solvat non 30 sed 20 scutata annua compatrono Aloysio Boselli, et 20 compatrono Balth. Bosselli Mu-

tinensi, et spernantur protestationes compatroni Antonii Boselli, et quia ipse aptior videtur ad vitae necessitates labore ferendas, et quia ejus praetensiones non ex rationabilibus causis sed personarum affectionibus provenire videntur. Cum vero ex decreto Congregationis Consistorialis anni 1852 dimidium redituum beneficii primo biennio retinendum sit ad effectus ibi descriptos, petitur ut per id tempus Vincentius B. non 20, sed 10 scutata utrique patrono Aloysio et Balth. solvat. His quidem se opponunt sacerdotes Novenses, at aequitas et benignitas Ecclesiae requirere videtur, ut fructus beneficii pro nunc inserviant ad sustendandos infelices compatronos."

Quamvis probandum non sit diu nimis beneficia suo vacare rectore, nec S. Congregatio hujusmodi indulta concedere soleat cum dissensu, multoque magis cum praejudicio interesse habentium; attamen non desunt exempla harum concessionum in durioribus etiam casibus, cum ageretur de patronis paupertate absoluta vel relativa laborantibus, in contradictione etiam interesse habentium, uti in Januen. Capellaniarum 21. Augusti 1819, in Derthonen. Alimentorum 22. Jan. 1820. in S. Michaelis de Clusa 2. Dec. 1775 et 20. Januar. 1776. Eoque facilius hujusmodi indulta concedere suevit S. Congregatio, cum reditus beneficii ad ecclesiasticam adolescentuli patroni institutionem erogandi essent, uti ceteris missis demonstrat exemplum praecedentis indulti.

Ex Episcopi testimonio constat in themate de paupertate saltem relativa Oratorum, qui easdem ob causas postulant praecedens renovari indultum. Quatenus itaque aliqua indulgentia cum iis utendum censeat EE. PP., decernent cui magis favendum sit, et qua ratione subsidium praestandum, an scilicet temporanea suspensione nominationis, ac deputatione ecclesiastici administratoris, vel utrum nominatione rectoris demandata, huic pensionum onus injungendum sit. Qua quidem in re praestat prae oculis habere diversam adolescentulorum qui instituendi sunt aetatem et conditionem, patronorum desiderium, et Episcopi votum.

Esse locum nominationi capellani, ita tamen, ut idem capellanus impletis oneribus teneatur titulo alimentorum suppeditare pro primo biennio scut. 30 aequis partibus inter Oratores Vincentium, Aloysium et Balthasarem dividenda eoque elapso augeatur pensio favore Vincentii usque ad scut. 40 eroganda in ejus ecclesiasticam educationem ad quinquennium, facto verbo cum Sanctissimo.

311. Montis Politiani. — Pensionis.

Die 24. Julii 1858

Vicarius capitularis in postrema episcopalis sedis vacatione supplicem huic S. Congregationi obtulit libellum, exponens „vel a die 13. Martii 1841 concessam fuisse per S. Congregationem Concilii vicario capitulari illius temporis facultatem imponendi pensiones super duas paroecias ditiores, et illas assignandi duabus paroeciis pauperioribus sed ad vitam tantum rectorum quorum favore facienda erat assignatio, videlicet viginti duorum scutorum super paroeciam S. Aegidii (vulgo Gracciano), quae habet reditus scut. 250., itemque sexdecim scutorum super paroeciam S. Vincentii (vulgo Ascianello) quae habet reditus 230 scutorum.

Praefatus vicarius regiam, ut patriae leges ferunt, postulavit licentiam opportunam; sed responsum fuit, ut illae pensiones temporariae idest ad vi-

tam parochorum, quorum favore fiebant, redderentur perpetuae. Idem vicarius pro conscientiae suae tranquillitate sanctionem gestorum a Gregorio XVI. fel. rec. me praesente postulavit, dum Civitatem Plebis invisebat, et obtinuit. Nunc Orator ad lites omnes componendas inter parochos favore donatos, et illos dictis pensionibus oneratos, qui non solum recusant eas solvere, sed et negant sanctionem et authentiam Romanae concessionis, dum alii innituntur civili dispositione quam tribunalia sustinent, postulat facultatem componendi scissuras, et non jam ad vitam tantum parochorum, sed ipsis paroeciis perpetuo pensiones illas assignandi, et etiam ob temporum vicissitudines immutandi."

In posterioribus literis, quas vicarius transmisit una cum authentico S. Congregationis rescripto diei 13. Martii 1841, (quod expositis ab eodem vicario consentaneum est), habetur „sanationem pro re hujusmodi (nempe quoad perpetuitatem pensionis) postulavit vicarius capitularis a. s. m. Gregorio XVI., et obtinuit vivae vocis oraculo pro conscientia sua, sine ullo respectu ad saeculare rescriptum. Nullum exstat de hac sanatione scriptum monumentum, et videtur, ut ego qui aderam intellexi, sanasse Pontificem Gubernii dispositiones, et consensisse pro pensionum perpetuitate eodem ipso anno 1841, quibus solvendis, jam datis subscriptionibus parochi S. Ægidii et S. Vincentii ad paroecias accedentes se subjecerant." Retulit tandem parochos a se auditos perpetuae inpositioni pensionis omnimode refragari.

Revera ad S. Congregationem subinde pervenit supplex libellus parochi S. Aegidii, in quo contendit, obreptionis ac subreptionis vitio infici rescriptum S. Congregationis anni 1841, saltem relate ad praedictam paroeciam S. Aegidii, cum expositum ex errore fuerit, reditus ejusdem pertingere ad annua scuta 250, dum e contra vix attingunt summam scutorum 120, ceu demonstrat exhibito statu activo ac passivo paroecialis praebendae; quam praeterea postremis hisce annis ob vinearum infortunium non leve detrimentum ac imminutionem passam dicit. Ceterum cum pensiones utrique paroeciae impositae, attributae cumulate fuissent parocho loci Cervagnano (qui tamen falsitate precum cognita eas numquam exegit), plane eo jam nunc defuncto, illarum onus una simul cessasse inficiandum non esse addit ad normam praefati rescripti; adeoque jure merito solutionem a se et ab altero parocho pensione pariter onerato detrectari, quae modo aliis parochis facienda esset, quos inter pensiones distributae fuerunt.

Interea temporis provisa Montis Politiani ecclesia de suo episcopo, hic non praetermisit datis literis vicarii capitularis petitionem commendare, ad quamlibet praesertim evitandam inter episcopalem curiam et laica tribunalia, ad quae controversia jam delata est, collisionem; adeoque facultatem sibi fieri postulavit „ut convenienter in perpetuum statuere possit pensiones illas, reducendo eas ad scutata 10 annua, quae distribuantur inter quatuor parochias pauperes . . . De pensionibus autem nondum solutis parochi amice rem componant."

Ex factorum serie habetur quid in jure statuendum foret. Pro perpetuitate enim pensionum suffragari unice posset indultum sanationis vivae vocis oraculo a s. m. Gregorio XVI. concessum; pro earum vero duratione ad vitam saltem utriusque parochi pensione onerati, illorum factum affertur, quippe qui sub hujusmodi perpetuo onere paroeciae possessionem cepere et accepto habuerunt. Sed contra facit S. Congregationis rescriptum quo pensionum impositio decreta fuit ad vitam dumtaxat parochorum, quorum favore

fieri debebat assignatio. Oraculum autem vivae vocis allegari nequit in foro externo, nisi authentico testimonio probetur, Ferraris Bibl. can. v. Oracula n. 6. Acceptatio vero parochorum causam ab errore habere potuit, adeoque nullius efficaciae censeri deberet.

Nihilominus perpendent EE. VV. utrum prudentiae vel aequitatis etiam ratio exigat, ut perpetuitas pensionum, saltem juxta reductionem ab Episcopo propositam, decernatur quamvis res sit in jure odiosissima, praesertim quia agitur de imponendo hujusmodi onere paroeciis; quarum insuper altera, ut asseritur, parum conciliarem congruam reditu excedit, quod prae oculis habendum est.

Pro gratia juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

312. Praten. — Pensionis.

Die 9. Augusti 1862.

Rescripto „dilata et recurrat post annum“ dimissa fuit ab EE. VV. die 22. Junii elapsi anni petitio, quam Veronica e marchionibus Medici-Tornaquinci huic S. Congregationi porrexerat ad prorogationem obtinendam ad decennium indulti annuae pensionis scutatorum septuaginta monetae Florentinae, quo filius ipsius Veronicae Alfredus donatus fuerat Apostolico Brevi diei 21. Augusti 1852 super simplici beneficio titulo S. Ansani in ecclesia Spiritus sancti civitatis Pratensis instituto, de jurepatronatus memoratae familiae Medici-Tornaquinci. Elapso igitur anno eaedem dijudicandae veniunt preces, quae tunc EE. VV. propositae fuere folio inter supplices libellos relato, quo factorum series una cum rationibus vel difficultatibus hinc inde perpendendis ita exhibebatur.

„Praenobilis vir Franciscus Medici Tornaquinci marchio Florentinus, quum in rei familiaris angustia juxta status sui conditionem versaretur, a Sanctissimo D. N., ope Apostolici Brevis expediti die 21. Augusti anni 1852 et executoriali curiae Pratensis decreto muniti die 2. Octobris ejusdem anni, impetravit, ut super simplici beneficio sui jurispatronatus sub titulo S. Ansani in ecclesia Spiritus sancti civitatis Prati instituto, et tunc temporis vacanti, pensio annua scutorum septuaginta monetae Florentinae imponeretur, persolvenda a possessore beneficii pro tempore in ejus filii, Alfredi nomine, educationem eroganda, per decennium proximum tantum duratura, „et proroganda arbitrio S. Sedis quatenus expedire judicaverit;“ cui prorogationi ut beneficiatus subjiceretur diserte in eodem Brevi jussum fuit.

Cum interim Franciscus Medici ad beneficii rectorem nominasset sacerdotem Dominicum Bondacci, hic impositae pensionis et ejus prorogationis arbitrio S. Sedis onus accepto habuit, et religiose perdurante decennio adimplevit.

Cujus quidem terminus priusquam elabatur, Veronica Medici Tornaquinci marchionis Francisci defuncti vidua, supplex coram S. Congregatione adstat, ut ad aliud decennium pensionis indultum pro Alfredo prorogetur, cum hujusce concessionis causae perdurent adhuc, auctae imo fuerint, ut pensionis subsidio nunc quam maxime indigeat.

Huic vero petitioni acriter obstat beneficii rector Dominicus Bondacci, duobus scilicet rationum momentis innixus. Primo quia a vero abest quod familia Medici in rei familiaris versetur angustiis, quae potius conspicuo

censu dives in opulentiae statu juxta conditionem suam vitam agit. Deinde quia beneficium tot praegravatur oneribus manutentionis fundorum, vectigalium, taxae pro seminario, et duarum supra quinquaginta quolibet anno missarum, ut vix redituum integrum dimidium eidem supersit; addens praeterea ob vinearum infortunium, quae maximam dotis beneficii partem constituunt, eosdem reditus valde imminutos esse.

Informationem ac votum rogatus vicarius capitularis dioecesis Pratensis, refert: reditus beneficii, de quo agitur attingere scutatos nummos 280, non deductis oneribus missarum 52, taxae seminarii, et vectigalium, quibus ecclesiastica bona subduntur. Diminutionem vero redituum, praeterquam temporaneo vinearum infortunio tribuenda foret, non comprobari ob auctum frugum pretium, quod uvarum defectum compensavit. Monet Alfredum, cui pensio reservata est, aetatis nunc annorum quatuordecim, usque ab anno 1854 in collegio Cicognini civitatis Prati studiis incumbere, optimis moribus praeditum esse, ac talem se praebere, qualem christianum et nobilem decet adolescentem, et prout postulat dignitas, spectata pietas, et erga Apostolicam Sedem devotio familiae suae, quae ceteris patriciis familiis ad exemplum Florentiae praelucet.

Veritati deinde consentanea dicit quae de oeconomicae rei angustiis ejusdem familiae proferuntur, auctis praesertim post marchionis Francisci funus, ex eo quod ejus morte cessaverit usufructus scutorum octo supra decem millium quo ipse fruebatur, et ob numero plures pensiones ex testamentaria ejus dispositione suis familiaribus prersolvendas, quamobrem aes alienum, quo familiae patrimonium praegravatur, ingentem summam scut. quinque supra octoginta millium et amplius attingit. Quod si florido versari statu familiae hujus conditio videatur, in hanc rem conferre praeprimis observat reditus, quibus, ex materna dote, potiuntur duo Alfredi fratres consanguinei quos in primis nuptiis habuit marchio Franciscus, adeo ut divisione bonorum eveniente exiguum remaneat Alfredo patrimonium.

Quibus ita se habentibus posthabendam censet beneficiati oppositionem, quae utpote irrationabilis impedimento esse nequit, quominus Oratrix voti compos fiat.

Cautum quidem in jure est pensiones beneficiis imponendas eo pacto temperatas et modicas esse debere, ut rectoribus illa supersit pars fructuum, qua onera implere et sustinendae decenti sui tuitioni pro loci et personarum qualitate prospicere valeant, Fagnan. in cap. Nisi, de praebend. num. 27, S. Congregatio in Verulana Pensionis 20. Martii 1830 §. Nihilominus, et in Arboren. Condonationis 18. Junii 1831. §. Ex his, quamvis pensionis reservationi consensum praestiterint, dummodo tamen illam proprio aere persolvere polliciti non sint, Card. de Luca de pension. disc. 16. et 17. S. Congregatio in Firmana Pensionis 17. Martii 1827. §. Postulat. Quamobrem probata redituum tenuitate, vel prorsus delenda pensio, vel ad mensuram diminutionis fructuum reducenda est, Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 92. num. 60, Rota coram Calvalerio decis. 404. num. 1, S. Congregatio in Reatina Pensionis 15. Decembris 1804. §. Postquam. Ceterum praetereundum non est, quod ubi agatur de beneficiis curatis, pensio ita possit imponi, ut salva rectori sit congrua conciliaris; ast vero ad reliqua quod attinet beneficia licet residentialia, ex consuetudine Datariae Apostolicae gravari ad dimidiam usque redituum partem, Rota coram Olivatio decis. 240. num. 10, S. Congregatio in

Caesenaten. Pensionis 26. Februarii 1825 §. Praeterea, et in cit. Firmana Pensionis 17. Martii 1827. §. Praeterea, imo graviorem etiam medietate fructuum per Summum Pontificem imponi posse pensionem maxime si titularis sciens prudens consentiat, Lotter, de re benef. lib. 1. quaest. 41. num. 28, Tondut. de pension. cap. 61. num. 13.

In facto igitur perpendendum, an gravis nimium et immodica censenda sit pensio, attentis reditibus, ita ut delenda sit vel saltem reducenda; vel potius prorogari ad aliud decennium debeat ad formam praecedentis indulti, quod perspectis rei circumstantiis decernent EE. VV. Gratia autem semel concessa facile prorogatur, si eaedem perdurent circumstantiae rerum; cui quidem prorogationi eo minus obsistere posset beneficiatus, quia ad beneficium institutus fuit cum onere eidem se subjiciendi arbitrio S. Sedis.

Vix dum Veronicae Alfredi matri superius enunciatum rescriptum Em. Patrum innotuit, illico subsequenti Julio preces instauravit, et praemonens, si evenerit casus facillimus fortasse divisionis patrimonii inter duos filios prioris matrimonii, sustentatio matris tota filium Alfredum gravaret, unde restrictis magis adhuc viribus patrimonii, difficilius esset providere non solum decori familiae sed etiam educationi filii, rogavit idcirco, ut ante anni exitum memoratae preces huic S. Congregationi reproponerentur. Rursus ergo eidem vicario capitulari mandatum est, ut audiret rectorem beneficii in scriptis super noviter deductis.

Jam a 31. Decembris praeteriti anni noviter imposito sibi muneri satisfecisse respondit vicarius, nil tamen novi retulit, nisi quod rector beneficii, cujus responsum scripto traditum ad hanc S. Congregationem transmisit, „non sibi ipse contradicit, easdem rationes dissensus repetens“ quas antea exposuerat. Iterum enim animadvertit sibi plurima damna praeteritis annis evenisse; familiam Medici Tornaquinci, quae inter illustriores et divitiores sit, non opus habere pensione scut. 70 super beneficio ecclesiastico. . . Et hic, ut addit, credo me debere revelare pactum tacitum inter defunctum marchionem Franciscum (patrem Oratoris) et ejus consobrinum marchionem Aloysium Medici, ex quo pensio scutator. 70 pro parte scut. 40 cederet dicto Aloysio, et pro scut. 30 Alfredo. De hujusmodi conventione nihil habet vicarius capitularis in suis literis; de ea vero dubitari non licet, cum nuper allatum sit, partem pensionis dandam esse Aloysio Medici, quia is petere voluit pensionem pro filio suo causa studiorum.

Ceterum scire praestat, juvenem Alfredum in praesentiarum non amplius esse in memorato collegio Cicognini, ex quo, auctorante civili potestate, perditi homines ibidem regere et docere inceperunt. Majores nunc ergo expensas Alfredi mater sustinere tenetur, ut de civili et religiosa filii educatione sollicita, sanctissimo huic muneri satisfaciat.

Pro gratia prorogationis ad quinquennium pro medietate tantum, facto verbo cum Sanctissimo.

313. Urbevetana. — Pensionis.

Die 28. Januarii 1865.

Quum sacerdos Seraphinus Troscia parochus loci vulgo Monte Gabbione Urbevetanae dioecesis anno 1859 paroeciam resignasset, ab Apostolicae Sedis clementia obtinuit titulo alimentorum reservationem annuae pensionis quin-

quaginta scutatorum cum clausula „Donec provideatur“. Quam quidem summam revera ejusdem successor Ludovicus Galli sedulo pensitavit ad postrema usque tempora, quibus jure decimandi absque ulla compensatione privatus, coepit annuam praestationem Seraphino denegare. Rem tamen tunc composuit Episcopus, qui Seraphino suasit, ut annua scutata decem remitteret, usque dum parocho decimae restituerentur. Verum publicis deinde vectigalibus in dies ingravescentibus, idem parochus quadraginta etiam scutatorum solutioni restitit. Quapropter Episcopus, ut omnem litibus occasionem adimeret, pensionario Seraphino beneficium obtulit de massa in ecclesia cathedrali erectum, cujus reditus 70 annuorum scutatorum esse dicitur. Frustra tamen: pensionarius enim, allegata fide medicae artis periti, qua inhabilis ex morbo ad horarum canonicarum recitationem vel cantum declarabatur, beneficium recusavit.

Hisce in adjunctis Ludovicus Galli supplex adiit H. S. C. die 24. Februarii anni nuper elapsi, exposuitque impedimentum infirmae valetudinis ad choralia munia obeunda esse purum Seraphini praetextum, „cum a pluribus annis exerceat officium coadjutoris (cum annuo stipendio scut. 40) senis et infirmi cujusdam parochi Urbevetani, et consursum iniit pro obtinendo munere in schola publica. Denique relinquens parochiam magnam vim pecuniae retraxit Troscia cum damno parochiae, cujus ecclesia rebus omnibus spoliata reperta est, ita ut in necessarias restaurationes necesse fuerit erogare scut. 250 cujus dimidiam partem Orator bona fide per compromissum assumpsit. Ex his omnibus eruitur Oratorem tantis oneribus gravari, ut nunquam ex praebenda id perceperit, quod ss. canones pastori animarum assignant. Hinc Beatissimum Patrem exorat, ut ab illa pensione liberetur, si Troscia beneficium oblatum acceptare nolit.“

Quas preces cum Episcopus adjuncto suo testimonio commendasset eumdem rogavi, ut pensionarium in scriptis audiret, magisque praecise referret de annuo reditu et oneribus parochialis praebendae. Cui muneri rite satisfecit literis diei 10. Julii 1864, in quibus de reditu paroeciae haec habet: „Decimae quas plebanus actualis his temporibus amisit, juxta documenta in mea curia existentia ad septem circa annua frumenti modia reducuntur. Relate vero ad reditum et annuas expensas praebendae parochialis maxima intercedit differentia inter status quos partes contendentes exhibuerunt; sed sumpto medio inter ipsos, et cum illis jam in curia existentibus et cum relatione publici periti ab ipso Troscia exhibita collato, affirmari posse videtur quod reditus annuus, omissis decimis, et aliis quae jure stolae debentur, scutata 300 certe attingat, et expensae nulla habita ratione de annua praestatione sc. 50 ad scutata 150 adscendant“. Quoad causam autem ob quam Seraphinus oblatum recusavit beneficium ait: „Nec possim nec velim judicium ferre de valetudine sacerdotis Troscia tunc temporis, cum medici testimonium exhibuit; hoc tamen non omittendum existimo, quod scilicet nunc eodem modo ac tempore transacto senescentis parochi coadjutor confessiones fidelium excipit, publicas habet conciones et omnia fere munera parochialia exercet, quae omnia certe vires integras et firmam valetudinem exposcere videntur.“

Sacerdos vero Seraphinus ab Episcopo interrogatus contendit, parochum Galli posse ac debere integram pensionem persolvere. Ait enim paroeciam di Monte Gabione inter ditiora dioecesis beneficia recenseri, ejusdemque reditum in duabus apostolicis bullis in sui favorem expeditis aestimari 183

ducatis aureis de Camera: bonorum vero omnium valorem in publicis censualibus tabulis (quarum profert exemplar) in scutatis 2261, 87 describi. Hinc allato ecclesiasticae curiae testimonio subdit, eamdem paroeciam obnoxiam fuisse anno 1795 pensioni 40 aureorum ducatorum de Camera favore Antonii Paoletti; anno 1823 alteri pensioni ducatorum aureorum 28 favore sacerdotis Federici; anno denique 1845 annuae alimentariae praestationi scut. 100 favore ipsius Seraphini tamquam parochi coadjutoris. Neque hujusmodi praebendae vires satis superque pares ingentibus praestationibus ferendis defecisse ob recentem decimarum jacturam: eae namque in loco Monte Gabione aequivalent decimis episcopalibus, quae ceteroquin pro annuis scutatis 40 sunt locatae, attenta praesertim incolarum paupertate, a quibus integrae decimae exigi nequeunt. Quin imo et adauctos fuisse autumat reditus paroeciae, cujus latissima quaedam ac silvestria praedia ab hodierno rectore aratro fuerunt subjugata. Quamobrem ait intentionem parochi Galli semel atque iterum a provicario generali fuisse reprobatam. Quin aliquid hodie facessit oblatio beneficii de massa. Cum enim ipse Seraphinus sit „subjectum haemophthysi“ haud se posse ait onera ferre beneficii, quod ceterum annua 60 scutata praebet, ceu ex duorum mansionariorum fide constat. Quod si ipsemet parochum Urbevetanum adjuvat, gravi nimis oneri non subest, cum coadjutus integris gaudeat viribus, et ipse coadjutor nonnisi morientium assistentiam perferre debeat. De calumnia tandem redarguit accusationem circa defectum sacrarum supellectilium in ecclesia parochiali dum ab eo regebatur; prolato siquidem s. visitationis decreto, quo de optima supellectilium dote valde imo commendatus fuit, contrarium evincere satagit.

At parochus Galli econtra in novis deductionibus animadvertit, reditum annuorum ducatorum 183 ab ipsomet Seraphino fuisse gratis expositum Apostolicae Datariae, ut facilius pensionem ipse assequeretur: parvi vero esse faciendum valorem parochialibus bonis in tabulis censualibus assignatum, cum certo sciatur ecclesiasticorum bonorum valorem plus aequo in iisdem tabulis extolli. Quod ex eo confirmari autumat, quia ipsemet Seraphinus omnia paroeciae bona locaverat annuis scutatis 224; et quia in praeterlapso possessionis triennio, ex quo ipse sacerdos Galli paroeciam regit, annui paroeciae reditus haud excesserunt scut. 272. 23, dum onera annuam constituunt summam scut 244, prouti ex jurata testium fide demonstrari putat. Nihil autem prodesse ait quod paroecia perferre jam valuerit graviores praestationes; praebenda enim tunc poticbatur decimarum compendio, nec gravissimis hodiernis vectigalibus praegravabatur, nec adeo alieno premebatur aere. Quae quidem decimae frumenti ad septem et octoginta „staja“ pertingebant atque solide exigebantur. Sed paroeciae inopiae accedere inquit, quod pensionarius nedum beneficium de massa sibi oblatum recusavit, sed aliquot insuper ab hinc mensibus capellaniam obtinuit a sodalitio S. Rochi, quin tamen unquam canonicam ejusdem possessionem nactus fuerit, ne pensionem dimittere cogeretur. Calumniam denique haud esse subdit accusationem circa supellectilium defectum in ecclesia, quam Seraphinus resignavit; indebitas enim laudes, quas ea de re s. visitationis decretum exhibet, fraude pensionarius sibi captare consuevit, sacras supellectiles a vicina ecclesia mutuo accipiens.

Post hujusmodi partium deductiones pauca videntur in jure animadvertenda. Pensio enim semel rite imposita, solvenda videtur donec rite cassata exstinctaque fuerit ad ea quae docuit Rota in Romana Pensionis n. 1. cor. Emerix, et decis. 192 n. 1. post Salgad. in labyrint. credit. Legitima autem cassationis causa, quae praecipue urgeri in casu videtur,

tenuitas foret redituum ob superventas calamitates. Quo in themate nemo ignorat Tridentinam sanctionem a pensionum oneribus eximere paroecias, quae centum annua ducata rectori non praebent. Quod pressius firmavit Benedictus XIII. in constit., cujus initium „Quanta pastoribus“, ut rectores magis ad suscepti muneris satisfactionem allicerentur, simulque haberent, quo melius prospicerent ecclesiae ac pauperibus. Haud tamen praetereundum est, parochialem congruam in minori etiam quantitate definitam fuisse a S. Pio V. in constitut. „Ad exsequendum“ ad cujus tramites pluries respondit S. Congr. ac nominatim in Civitatis Castellanae 24. Novembr. 1821 ad II. dub. in Tudertina 27. April. 1822 §. Ut, et in Forolivien. Dismembrationis et applicationis 26. Februar. 1825. At sepositis partium caculis, cum Urbevetanus Episcopus dubitare non permittat, quod annui paroeciae reditus deductis oneribus ad 150 scutata pertingant, ex hoc capite ambigendum pariter non videtur, quod integra adhuc praestari queat pensio, quin et ipsa congrua a Tridentina Synodo praestituta vel minimam patiatur detractionem. Idque praesertim, quia scutatis 150 adjiciendae adhuc forent stolae obventiones, quae ab H. S. O. computari in hujusmodi adjunctis semper-consueverunt.

Recolendum nihilominus est quod pensio, de qua occurrit sermo, reservata fuit Seraphino donec provideretur. De hujusmodi autem clausula, quae sacri patrimonii constitutionibus apponi frequenter solet, ita disserit Card. de Luca de donat. disc. 11. n. 6: „Difficultas in his terminis excitata per Bartholomaeum Brixiensem dicta q. 62 percutit diversam quaestionem, an scilicet hic donatarius teneatur necne acceptare beneficium, seu aliam provisionem per donatorem oblatam vel procuratam: atque ubi justa recusandi causa non accedat, absolutam supponit negativam, ut in effectu est, quoniam cessante justa causa non potest esse in ejus voluntate non acceptare, atque alias habendus est pro acquirente ac possessore, juxta ea quae sub tit. de dote disc. 145 et alibi habentur circa jus detrahendi dotem ex fideicommisso, quod in subsidium competit puellae descendenti, quoniam si ipsa negligit agnoscere hereditatem seu legatum aut alia bona libera sibi obventa, habetur pro obtinente, dictoque beneficio destituta est.“ Quatenus igitur idem censeatur valor illius clausulae in praesenti pensionis materia, neque interim satis constet de idonea capellania a sodalitio S. Rochi pensionario quaesita, erit EE. VV. perpendere, an Seraphinus justam habuerit causam recusandi beneficium de massa sibi ab Episcopo oblatum.

Dilata.

IV. DE VACATIONIBUS BENEFICIORUM.

314. Tiburtina. — Beneficii.

Die 10. Junii 1848.

Per renuntiationem Maximini Trusiani sponte emissam sub die 28. Dec. 1846 simplex vacavit beneficium sub invocatione SS. Fabiani et Sebastiani in terra S. Pauli situm Tiburtinae dioecesis. Sorores Victoria Bracci et Angela Mercanti, utpote ex familia Bonderli descendentes, ad quam praefati beneficii juspatronatus competebat, nominarunt die 2. Martii 1847 presbyterum Ludovicum Conti Victoriae praefatae filium et Angelae nepotem. Verum hujus beneficii possessionem Ludovicus nunquam est assecutus, eo quod Tru-

sianus Maximinus asserens inconsulte se renuntiationem emisisse, eam eapropter contendebat ex S. Pii V. constitutione „Quanta Ecclesiae“, utpote nulli causae innixam nullius roboris esse reputandam. Illud tamen haud est in facto praetereundum, Trusianum renuntiantem habitum et tonsuram clericalem ante ipsam resignationem abjecisse et novissime militiae armatae conscriptum discessisse „per l'armata in compagnia de studenti in Sapienza“ (cohorti armatae juvenum, qui in universitate Romana Sapientiae studiis adscripti erant, nomen dedisse) ceu fidem perhibet parochus S. Marcelli, ubi suum ille fixerat domicilium. Quare Ludovicus Conti, sublatum existimans omne impedimentum, ad memoratum beneficium postulat immissionem.

Rogatus Tiburtinus praesul circa preces haec retulit: „Minime ex ea (renuntiatione) intelligi datum est, utrum certo animi judicio, vel temere et inconsulto potius eam emiserit. Illud tamen verum est, clericales vestes eum minime deferre, et semel atque iterum admonitum fuisse .... Verum dicto audiens minime fuit, et laicorum more versatur in Urbe. Hinc ea ego essem sententia, modo placeat EE. VV. Reverendissimis, ut sex mensium ipsi praefigatur spatium ad deliberandum.“

Caducitatis a beneficio poenae Trusianum subjici non debere triplici ex capite evinci posse videtur ex renuntiatione nimirum sine ulla causa emissa, et non secuta acceptatione Episcopi, quae sane duo prorsus requiruntur ex S. Pii V. constitutione Quanta Ecclesiae, ut renuntiatio suum plenum sortiatur effectum, et demum ob non peractas trinas canonicas monitiones ex praecepto Clement. 2. de vita et honestat. clericorum et nuperae constitutionis Benedicti XIII., cujus initium Apostolicae Ecclesiae.

Porro exulare caducitatis poenam a beneficio quoad primum et secundum caput verba ipsa simpliciter emissae renuntiationis et Episcopi relatio evincunt: „Renuntio“ en tenor resignationis, „ecclesiastico beneficio SS. Fabiani et Sebastiani. Propterea etc.“ Quam renuntiationem nunquam admisit Tiburtinus Antistes, inquit enim: „Quod sacerdos Joannes Ludovicus Conti postulat precibus ... locum adhuc habere non posse videtur ... Hinc de bono Oratoris jure ratio tunc habebitur, cum praefatum beneficium vacuum revera factum esse constabit.“

Patet igitur ex Piana constitutione renuntiationem nondum suam obtinuisse firmitatem. Quod denique tertium caput respicit, ea est nonnullorum canonistarum sententia, ut ad inducendam beneficiorum vacationem ex habitus clericalis dimissione, praeter monitiones legitimas sententia declaratoria requiratur, uti observant Gratian. discept. for. cap. 440. Genuen. in praxi archiep. Neapol. cap. 7. n. 8 et Barbosa in jus eccl. univers. lib. 3. cap. 14. num. 63 circa medium; quam tamen sententiam nunquam accessisse compertissimum est.

Quidquid autem sit de validitate vel nullitate resignationis, certum est, per habitus dimissionem ipso jure beneficii caducitatem incurri, uti communiter docent Giraldi de poenis eccles. part. 2. cap. 4. de apostat. ab ordine §. 5 in fine, et de Nigris de vacat. benef. lib. 1. cap. 5. n. 18 et seqq.; nisi post aliquot dies clericus vestes ecclesiasticas resumpserit; secus enim censetur habitum clericalem habuisse pro derelicto et vere mutasse statum ad tramites Sixtinae constitutionis „Cum sacrosanctum“ et resolutionem S. C. diei 6. Octobris 1612. Sententiam autem declaratoriam requiri quoad amissionem fructuum, uti declarat ipse Barbosa in jur. eccl. lib. 3. cap. 14. n. 65 quia beneficiatus in foro conscientiae ante declara-

toriam judicis nullatenus tenetur ad restitutionem, minime vero quoad amissionem tituli, ac proinde potest beneficium ante declaratoriam judicis a quocumque impetrari.

In casu autem praeter habitus dimissionem militiam secutus est Maximinus; clericus enim factus miles ita censetur a statu clericali alienus, ut videatur ipso facto beneficio renuntiare, quod eo ipso potest per Ordinarium alteri conferri, ut explicat Barbosa loc. cit. num. 31 et 32 et Reiffenstuel lib. 3 decretal. tit. I. §. 5. num. 124; eodem enim modo ex doctorum sententia clericus privatur per militiam sicut per matrimonium, quia assumit statum omnino contrarium et incompatibilem, ex quo ipso facto inducitur beneficii vacatio ex traditis per Giraldi loc. supra cit., Lotter de re benefic. lib. 3 qu. 26. n. 84 et seqq. et de Nigris de vacat. benef. loc. cit. num. 1 et seqq., ubi eam tantum statuit limitationem, beneficium tunc scilicet ex capite militiae vacare, si adscriptus cingulo militari utatur, vel saeva exerceat, vel actu, vel potentia.

At praeterquam prima conclusio sit verior, clericum videlicet eo ipso, quo efficitur miles saeculi, cessasse a militia Christi, et illico beneficiis ob status incompatibilitatem privari, ita ut miles, si redeat ex integro ad clericatum, beneficium non recuperet, quamvis alteri non sit collatum, ceu tenet Barbosa loc. cit. num. 32; certum insuper est Trusianum et cingulo militari fuisse praecinctum, et saeva, seu pugnam non habitu solum, sed actu in superioribus Italiae regionibus exercere. Atque haec, quae de clerico militiam sequente hactenus exposuimus adeo vera sunt, ut nihil intersit, an clericus sit effectus miles Papae, aut alterius principis saecularis, velut totidem verbis exponit de Nigris loc. cit. in addit num. 1, qui num. seq. addit praeterea hoc idem procedere, etiamsi agatur de bello contra Turcas pontificia auctoritate per clericum gesto; licet enim religionis ratio summa sit, attamen status incompatibilitas praevalet; nisi obtineatur indultum, quod juxta facti et temporum circumstantias ab H. S. O. quandoque concessum est.

Die 10. Julii 1848 Sacra etc. censuit rescribendum: Dilata, et cum sacerdos Ludovicus Conti vehementer institisset pro definitiva solutione et Maximinus Trusianus mense Septembri adhuc militaria stipendia mereretur, die 9. Septembris 1848 resolutum est:

Scribatur Episcopo, qui praevia declaratione ad formam juris caducitatis Maximini Trusiani conferat beneficii institutionem Ludovico Conti.

315. Comen. — Dispensationis.

Die 14. Decembris 1850.

Praeter beneficium quod possidet Augustinus Muratti in ecclesia praeposituali Asconae Comensis dioecesis, cujus reditus ad annua scutata 100 assurgit, onera autem in quatuor missis qualibet hebdomada diebus designatis ac praesertim dominico celebrandis computantur et in omnibus praeterea festis solemnibus infra annum, adjecta etiam obligatione inserviendi choro et ecclesiasticis functionibus, si beneficiatus in patria resideat, parochialem quoque administrat ecclesiam Mosonii in plebe Locarni, non tamquam titularis, sed uti mere delegatus et parochi vices gerens: unde non solum pro populo sacrum facere diebus festis, sed omnibus, quae sunt muneris parochialis adim-

plere tenetur exindeque alia scutata 100, comprehensis incertis stolae, eidem quotannis obveniunt.

Alterius ecclesiastici beneficii in oratorio S. Michaelis Asconae fundati nominationem obtinuit Murattius. Illius reditus annua scutata circiter 70 conficiunt, onera vero haec habentur, bis in hebdomada sacrum applicandi in praefato oratorio die dominico non excepto et alio die festo, si recurrat in eadem hebdomada, nisi capellani legitime fuerint impediti vel causa alicujus solemnitatis alio vocati, ac insuper assistendi choro diebus festis ac ceteris functionibus in ecclesia praeposituali praefata, nisi legitime fuerint impediti, licet super hac obligatione facile possit praepositus ecclesiae ex lege fundationis aliqua interveniente causa dispensare. Specialem autem habet hujusmodi fundatio adnexam conditionem, ut, si capellanus aliud obtinuerit ecclesiasticum beneficium vel titulum perpetuum, ipso facto caducitatem incurrat, ipsaque vacet capellania.

Hisce tamen repositis, supplex adest Augustinus Muratti ad obtinendam super incompatibilitate et pluralitate beneficiorum dispensationem, cujus ope ecclesiasticam capellaniam, ad quam recens nominatus fuit, consequi possit, quin aliud beneficium dimittat et curam animarum Mosonii valeat insimul retinere egestatem praetexens familiae numerosae, quam alere et educare tenetur.

Episcopus autem desuper rogatus, postquam hactenus narrata confirmasset, ita sententiam suam aperuit: „Ergo cum Orator Muratti vi beneficii, quod possidet S. Mariae titulo Carmeli teneatur ad missas dominicales et ad tres alias feriales in hebdomada, ad altare et in ecclesia praeposituali Asconae nec non ad chorum et ad functiones sacras, si resideat in patria, jam celebrare non posset missas festivas in oratorio S. Michaelis Asconae, de quibus gravaretur, quando et beneficium de Limonibus obtineret. Capellanus insuper S. Michaelis ex voluntate constituentis renunciare debet hoc beneficium, quotiescunque alio beneficio ecclesiastico aut titulo perpetuo provideatur, prout exposui superius, et esto quidem, ut praepositus Asconae facile dispensare possit super residentia hunc beneficiatum, non semper praepositus gaudet hac licentia, sed interveniente aliqua causa dispensare debet. Salvo praeterea meliori judicio, supplicem libellum domini Muratti inexauditum remittendum censeo: nulla enim est causa et nulla ratio concedendi dispensationem ab eo petitam.“

Triplex est impedimentum, quo detinetur Orator, quominus beneficium, cujus nominationem nuper obtinuit, consequatur, pluralitas nimirum beneficiorum a ss. canonibus in uno eodemque subjecto regulariter vetita, ubi unum beneficium reditus habeat ad sustentationem provisi necessarios, incompatibilitas eorumdem tam quoad onerum implementum, quam ratione residentiae, ac demum fundatoris prohibitio; proindeque triplici indiget dispensatione.

Quoad beneficiorum pluralitatem, licet sit sacris canonibus adversa, prout notatur in Signina 3. Aug. 1771 §. Quoniam, non raro tamen dispensatio legitur concessa per S. hunc Ordinem, ubi tamen rationabiles accederent causae ac praesertim alterutrius tenuitas beneficii, ecclesiae utilitas aut necessitas vel evidens meritorum provisi praerogativa, ut in eadem Signina §. Circumspecta.

Causae autem hujusmodi vel cumulative vel disjunctive concurrentes dispensationem suaserunt nec solum super pluralitate, sed etiam ratione incompatibilitatis, ceu plures testantur resolutiones ac praesertim in Leodien.

4. Julii 1739; in praefata Signina et in Papien. 19. Februarii 1791, maxime si Episcopi votum et interesse habentium accederet consensus et onera etiam per alium possent adimpleri.

At vero frequentiora occurrunt denegatae dispensationis exempla, licet Episcopi ipsius haberetur favorabile votum ac de duobus tantum ageretur beneficiis retinendis, ut in Comen. 8. Julii 1724 et in Alexandrina 29. Augusti 1789 eoque magis, si fundatoris, ut in casu, superadderetur prohibitio, ut in Comen. Indulti 26. Febr. 1707, quamvis res esset de beneficio patronali, et in Maceraten. 18. Maji 1787 confirmata 12. Julii 1788; potissima enim incompatibilitatis ratio, ceu animadvertitur in Firmana Capellaniae 23. Febr. 1782, est fundatoris voluntas.

In casu autem praeter expressam testatoris prohibitionem animadvertendum est unumquodque per se beneficium ab Oratore possessum ad honestam sufficere sustentationem, certe autem utrumque conjunctum. Nulla praeterea accedit ex justis ac legitimis causis ad dispensationem requisitis, non ecclesiae scilicet utilitas vel necessitas, cum Orator honestam tantummodo familiae suae alimoniam prae se ferat, non praeclara ipsius petentis merita, quia de his omnino silet Episcopus, qui ea potius excludere videtur, dum votum suum concessioni pandit adversum.

Negative.

316. Verulana. — Capellaniae.

Die 26. Aprilis 1856.

Aloysius Locatelli loci Ceprano exponit, se anno 1841 cum jam clericus esset, a defuncto patruo suo Vincentio Locatelli ejusdem loci parocho nominationem retulisse capellaniae, quae in ecclesia S. Mariae Majoris praedicti oppidi sub titulo S. Josephi et S. Mariae Gratiarum erecta est. Nuper autem, cum relicto clericali habitu ad nuptialia vota convolasset, caducitatis decretum ab Episcopo sacram peragente visitationem in eum latum fuisse; ex quo pontificiam dispensationem pro capellaniae retentione in conjugali statu ex mera quidem oscitantia non impetrasset. Hinc supplex postulat, ut praevia sanatione revocato caducitatis decreto, sibi liceat capellaniam in administrationem retinere attenta summa qua premitur egestate.

Episcopus super hujusmodi precibus haec habet: „Instituta fuit haec capellania a quondam Fulvio de Bernardis ex voluntate quondam Dominici de Bernardis saeculo XIV. ineunte; juspatronatus sibi suisque reservatum ab institutore videtur, et bona designata, quorum mentio habetur ab anno 1656. Volvente ad exitum saeculo praeterito, dum perduelles Italiam et hasce agitabant regiones, subdiaconus Vincentius Locatelli ab haeredibus familiae de Bernardis patronatus jure fruentibus praesentatus, et civilem a publico notario, republicano praecone adstante, possessionem bonorum capellaniae ejusdem est adeptus. Quin imo asserti patroni iidem facultatem ipsi Vincentio dederunt, ut successorem sibi eligeret; quo jure utens suum nepotem tum clericum per acta publici notarii 6. Decembris 1841 nominavit Aloysium Oratorem, qui videtur bonorum possessionem sua auctoritate cepisse. Nescio profecto quo jure id fuit, sed fuit, et Antecessor meus b. m. die 29. Novembris 1845 protestatus fuit contra illegitimam possessionem non modo, sed etiam adversus bonorum alienationem, quae vulgo dicebatur per-

acta a Locatelli, prout legitur in actis hujus curiae. Siluit tamen usque dum vixit Antecessor meus. Dum autem illic munere meo in visitandis illis ecclesiis functus sum, Vincentius Reali alter de patronis cum coram me questus esset adversus Locatellium jam uxoratum capellaniam injuria retinentem, et institerit, ut Elisaeus Simoni canonicus jam antea ab anno nempe 1845 ad hanc capellaniam ab eo praesentatus canonicam institutionem assequeretur, administratorem elegi canonicum Majuri. Locatellius hac mea sententia ut ita dicam interlocutoria perculsus ad S. V. O. pro capellania retinenda convolavit. Patroni obstant, ut ipse gratiam assequatur; verum ipsi patroni, qui Simoni nominarunt, inquisiti fuerunt de labe simoniae in hac nominatione commissae, sed etsi satis non constitit crimen, tamen praesentatus non assecutus canonicam institutionem fuit; neque mihi in animo fuit illam ei concedere propter dubium criminis simoniae.

„Ut Locatellius hanc capellaniam retineat, libenter non assentirem quoad me. Ipse patronatus jure non fruitur, neque activo neque passivo. Patruus suus eum capellania donavit utens jure quod erat a patronis assecutus, nulla auctoritate sacra auctorante pro una vice uti dixi successorem eligendi. In praesentiarum adsunt filii et nepotes eorum, qui forsan simonia se macularunt, ipsi jure fruuntur patronatus. Praeterea Locatellius idem alteram capellaniam possidet jurispatronatus suae familiae eadem in ecclesia, eodem in altari existentem sub altero titulo S. Mariae Constantinopolitanae. Ceterum nihil dubii, quod capellania S. Josephi sit ecclesiastica. Constat enim apud hujus curiae acta bullas pluries in ejus collatione expeditas fuisse. Reditus autem annuus hujus capellaniae est circiter scut. decem et septem; impensae et onera, missarum nempe viginti quinque, ad scutata septem ascendunt. Causas vero pro sanatione et dispensatione nescio quas possum adducere praeter Locatelli paupertatem.“

Ex iis quae exponit Episcopus satis habent EE. PP., ut quid in re statuendum sit decernant. Quod enim beneficium ipso jure per contractum matrimonium vacet explorata res est ex cap. 1. et 2. cap. Quod a te, cap. Diversis de cler. conjug., Rota decis. 166. num. 3. cor. Peutinger, De Nigris de vacat. benef. lib. 1. cap. 3. num. 2. uti pariter, clericum bona beneficii absque apostolico beneplacito alienantem in caducitatis poenam ipso facto incurrere statuitur in extrav. Ambitiosae de reb. eccl. non alien., De Nigris loc. cap. 34. num. 1; quamvis non satis probatam hanc in facto alienationem innuere videatur Episcopus; hinc ceteris missis quae idem Episcopus observat, ex alterutro hoc capite sustineri videretur decretum caducitatis in Oratorem latum.

Petitae autem sanationi, ac dispensationi pro retinenda capellania in statu conjugali obstat dissensus patronorum, ac praejudicium quod juri alteri nominato fortasse quaesito inferretur; licet enim de simonia insimulata fuerit canonici Simoni nominatio, nihil tamen in probatis hactenus est, Episcopo teste; nec profecto in sola suspicione tantum crimen consistit. Huic accedit Oratorem nec activo neque passivo jurepatronatus frui, cujus praecipue intuitu hujusmodi dispensationes aliquando concedi assolent.

Nihilominus videant EE. PP., an ratione paupertatis ejus precibus indulgendum sit.

Lectum et Orator consulat conscientiae suae.

317. Catanien.

Die 17. Decembris 1825.

Clericus Melchior Zappala Garzias Cataniensis duo beneficia simplicia possidet, alterum di Tridenti, cujus reditus ascendunt ad scut. Rom. 100; alterum vero nuncupatum della Pescaria cujus fructuum tertiam tantum habens partem scuta quatuor annua percipit.

Nulla utriusque beneficii sunt onera praeter horarum canonicarum recitationem; beneficiatum autem di Tridenti fundatum esse dicitur a Joanne Campanista anno 1416 in ecclesia cathedrali Cataniensi ad altare S. Georgii; fundationis tamen tabulae ob praeterita illius civitatis infortunia periere. Ejusdem beneficii jurepatronatus gaudent Episcopus pro tempore, princeps de Belmurgo Panormitanus et Athanasius Taurominii. Vacante beneficio clericus Zappala ab Episcopo et Athanasio nominatus fuit et clericus Carolus Gagliano a principe de Belmurgo fuit praesentatus. Oborta controversia inter praesentatos eaque ad Episcopum tanquam arbitrum delata ipse die 3. Januarii 1804 clerico Zappala beneficium addixit, addita lege, ut fructuum medietatem titulo pensionis ecclesiasticae clerico Gagliano persolveret, etiam in omnibus casibus renuntiationis vel actus hujusmodi, quo beneficium amitteret ante mortem; et clerici Zappala pars legitima bonorum tunc cautio sit pro eo quod interest pensionarii.“ Arbitramentale judicium, a contendentibus accepto habitum, suprema sua auctoritate probavit s. m. Pius VII., tributa ulterius pensionario facultate, ut in statu quoque conjugali frueretur pensione, prout reapse nunc fruitur.

Perfectiorem vitam amplecti et Cassinensem religiosum habitum induere peroptat clericus Zappala; ipsi tamen obicem parant innumera certo oritura dissidia: nam ejus familia impar omnino evaderet, amissis beneficiis, ad pensionem persolvendam. Itaque supplex implorat, ut etiam in statu monastico praedicta beneficia retinere valeat.

Episcopus, quem de more requisivi, Oratoris precibus apprime favet, tum „ut evitetur lis in familia supplicantis si pensionarius peteret pensionem ex legitima beneficiati Zappala, qui nihil perciperet, et tamen 20 uncias Siculas solvere deberet; tum fortius quia sentit obstaculum non esse opponendum vocationi, quae certa esse videtar . . . Propterea censet gratiam Oratori concedi posse, ut duo beneficia retineat.“

Quicumque in ordine regulari religiosam professionem emittit, beneficia, si quae habet, juris dispostitione amittit, quoniam illa tacite renuntiare censetur, cap. 4. de regular. in 6, Zallinger. lib. 1. decret. tit. 9, Devoti in instit. tit. 8. sect. I. Verum ea sunt in themate rerum adjuncta, quae Oratoris precibus esse annuendum aperte suadent.

Profecto clericus quoque conjugatus ecclesiasticam pensionem retinere prohibetur, cap. I. de cler. conjug., Barbos. jus eccles. univers. lib. 3. de pension. cap. 11. num. 50, Rota in Recent. dec. 50. num. 10. part. 5, et Sac. Congr. in Nullius Foropompilii 21. Augusti 1819, quia pensiones ecclesiasticae, etsi beneficia non sint, beneficii tamen loco habentur, quoniam ex bonis ecclesiasticis decerpuntur, et clericis tantum conferri solent S. Pius V. constit. Sacrosanctae 98. in Bull.

Mainard. tom. 4. part. 3. Sixtus V. Constit. Cum sacrosanctum 141. §. 2. ibid. tom. 5. part. 1.

Veniam nihilominus pensiones ecclesiasticas retinendi clericis conjugatis concedit Apostolica Sedes, uti eam S. M. Pius VII. clerico Gagliano indulsit. Potiori ergo jure, praesertim ob bonum pacis, permittendum videtur, ut beneficia in statu monastico retineat clericus Zappala, qui de nihilo sollicitus, nisi quomodo placeat Deo, se totum perpetuo religioni dicare constituit, in cujus commodum cedent fructus, qui soluta pensione supererunt.

Constito de consensu patronorum pro gratia, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

PARS IV.

DE CAPITULIS.

I. DE ERECTIONE CANONICATUUM.

318. Imolen. — Interpretationis voluntatis.

Die 18. Decembris 1852.

Decorem collegialis ecclesiae civitatis Lucensis provehere cupiens cl. me. Card. Franciscus Bertazzoli anno 1828 praeter prioratum, binos canonicatus, totidemque mansionarias erexit, iisdem assignata parte bonorum patrimonialium, ex quibus annuus redibat fructus scutator. 296 et obol. 31. 5. Suam inde singulis symbolam assignaturus hac ratione reditus partitus est „prioratui scut. 80 annua, utrique canonico sc. 69. 57, utrique mansionario sc. 39, quae summa ascendit ad sc. 293. 18; excessus redituum sc. 3 et ob. 13. 5. beneficiatis pro tempore erogetur“. Ast, ut patet, error calculi vel scripturae irrepsit: siquidem partiales summae ceu leguntur in instrumento, non quidem scutat. 293. 18. efformant, sed ad scut. 297. 14. ascendunt: unde non excessus, quem indigitavit fundator in scut. 3. et obol. 13. 5. sed contra defectus obolor. 82. 5. emergit. Hinc orta quaestio est inter mansionarios et canonicos, quomodo scilicet stante praedicto errore pensionum solutio sit facienda: insuper dubitatum est, utrum residuum (si quid residui admittendum erit) pro quota uniuscujusque praebendati, an vero pro virili sit inter ipsos dividendum. Quamobrem mansionarii libellum supplicem remiserunt ad S. Ordinem pro controversiae explanatione, quae tempori praeterito simul et futuro prospiciat.

Quantum ad primam quaestionem, censent canonici, quod quum ex una clare constet ex instrumento de parte singulis assignata praebendatis, et ex altera summa singularum pensionum superet vires massae communis, omnis reductio facienda est quoad mansionarios, qui utpote post alios a fundatore contemplati, id solum ex praesumpta ipsius voluntate ex communi dote accipere debent, quod superest ceteris praebendis detractis.

Contra mansionarii observant, stante errore fundatoris, ejus voluntatem ex instrumento tuto desumi non posse; proinde, juxta juris principium curandum esse, ut ex rerum adjunctis atque ex causis quas auctor ob oculos habuisse censendus est, de ipsius voluntate pronuncietur, S. Congr. in Faventina Legati 19. Nov. 1825. §. Testatorum. Atqui contendunt fundatoris mentem fuisse, ut singulis canonicis obvenirent scut. 67 et obol. 59, non autem scut. 69. 57. Quod ut evincant veluti certum ponunt errorem in

exscribendis numeris; etenim certum est integram dotem constare ex scut. 296. 31. 5. et absurdum esset supponere talem voluisse instituere partitionem, ut integer reditus par non esset praebendis singulis exsolvendis.

Errorem autem patenter inveniri in quota canonicorum, cum pro scut. 67. 59. scriptum fuerit 69. 57. inversa nimirum sede numeris 7 et 9. Misso enim quod, ceteris paribus, in numero composito (69. 57.) facilius quam in simplici (80. aut 90.) error irrepere in casu potest, quia si scribantur scut. 67. 59. omnis evanescit incohaerentia et obtinetur praebendarum summa illa in instrumento expressa scilicet scutator. 293. 18. et residuum scut. 3. 15. 5. uti ex calculo marginali patet.

Documentis insuper probant, fundatorem ante erectionem sciscitatum fuisse, et per acceptas super re literas ipsum minime latuisse, priorem antea habuisse scut. 80. alios canonicos scut. 67. 59. et mansionarios scut. 39. Nulla autem ratio suadet quod fundator ipse canonicis suis praebendam majorem assignare voluerit illa, qua gaudebant canonici praeexistentes, dum quoad priorem ac mansionarios omnimodae paritati studuisse patet.

Argumentum canonicorum parvi faciendum putant, ex eo quod illud obtinere inquiunt quando agitur de voluntate testatoris clara et manifesta, minime autem, quando stante errore, confugiendum est, ut in themate, ad praesumptam et probabilem.

Ad alteram quaestionem quod attinet contendunt prior et canonici partitionem residui, de quo supra, proportionabiliter ad praebendam esse faciendam, quia fundator inter varios praebendatos diversam adhibuit rationem in constitutione praebendae; et verba indefinita intelligenda sunt juxta discriminationem in antecedente dispositionis parte factam, S. Congr. in Sorana Primiceriatus 3. Junii 1843. §. His positis, et quando plures sunt haeredes cum partibus designatis residuum singulis pro haereditate accrescere debet, leg. 13. §. 3. ff. de haered. instituen., Institution. lib. 2. tit. 14. §. 7. eod. tit.

Mansionarii vero pro partitione virili certant, argumento innixi, quod testator nullam innuit distinctionem inter priorem, canonicos et mansionarios, ubi de partitione residuae summae locutus est, sed omnes comprehendit sub generica dictione beneficiati. Regula autem juris est, quod, ubi a lege vel ab homine distinctum non est, nec nos distinguere debemus; maxime in casu, quod ipse testator, ubi distinctionem voluit, expressit; et discretiva locutio validissimum interpretandae voluntatis argumentum esse docuit Rota in Terulen. Benef. 25. Junii 1696. cor. Muto. Communi insuper jure cautum est, quod, si ex pluribus haeredibus ex disparibus partibus institutis duobus eadem res legata sit, haeredes non pro haereditaria portione sed pro virili id legatum habere debent, leg. 69. §. 1. ff. de legat. 1. Richer. univ. jurispr. lib. 2. tit. 24. cap. 2. §. 1314.

Uter ex contendentibus rectius argumentetur, judicabunt Eminentissimi Patres. Rogatus Eminentissimus Episcopus postquam retulerit nullam de partitione praebendarum et residui consuetudinem adesse, eam amplectitur sententiam super utraque controversia, quae mansionariis favet.

Qualecumque autem futurum erit judicium, si tamen plus aequo canonicos percepisse resultabit, ad bonam eorum fidem erit perspiciendum, quam quidem nonnisi a die motae litis evanuisse putandum est.

Firma manente summa in fundatione assignata pro priore et mansionariis, esse locum reductioni quoad utramque praebendam canonicalem in scutis 67 et obol. 59. et residualem summam dividendam esse inter beneficiatos, habita proportione ad respectivam praebendam.

Die 26. Januarii 1856.

Quum hujusmodi rescriptum expeditum numquam fuerit, mansionarii, qui in anteacta propositione contendebant, residualem summam non habita ratione ad respectivam praebendam, sed pro virili inter beneficiatos esse dividendam, iterum quoad alteram rescripti partem, in qua de hujusmodi divisione disponitur, audiri impetrarunt, atque haec in suae sententiae confirmationem momenta rationum addunt.

Primo perpendunt duplicem esse Eminentissimi institutoris dispositionem, alteram nimirum quae ad dotes ac praebendas beneficiatorum, alteram quae ad residualem summam, ac hujus ivisionem refertur, ceu ex ipsa diversa utriusque rei in donationis actu comprehensae natura, et ex locutione duabus in periodis expressa ac distincta dignoscitur. Ex quo arguunt, postremam dispositionem ad normam prioris intelligi ac moderari non posse, quacum nimirum nullo pacto copulatur, ac ideo divisionem residualis summae, de qua ibi sermo fit, aequa lance faciendam esse, uti de re inter plures nullis partibus nominatis dividenda fieri oportet, §. Si plures 6. Inst. de haered. instit. Secus enim frustranea omnino censenda foret haec altera dispositio distincta in periodo comprehensa, cum in una tantum potuisset Eminentissimus institutor de integra disponere summa, debita inter varias praebendas proportione servata.

Difficultatibus post haec ex adverso propositis occurrentes, animadvertunt casui haud congruere legem 13. §. 3. ff. de haered. inst., cum in ea supponatur testatorem pro parte tantum de haereditario asse disposuisse, de altera autem siluisse; ac statuitur partem non designatam partibus designatis accrescere: in praesenti autem specie de universo reditu in donatione comprehenso mentio facta fuit, ac peculiariter quoad singulas quotas dispositum. Idemque proinde sentiendum quoad §. 7. tit. 14. Inst. eod. tit., ubi casus effingitur aliquam superexstare portionem vacantem, quamvis sua cuique haeredi pars assignata fuerit, ac disponitur „partem vacantem singulis tacite pro haereditaria parte accedere.“ Nec secus denique censendum, quoad allegatam doctrinam S. Congregationis in Sorana Primiceriatus 3. Junii 1843. §. His positis, quod nimirum verba indefinita intelligenda sint juxta discriminationem in antecedenti dispositionis parte factam; quod quidem tunc obtinet, cum verba indefinita obscura etiam sint, et cum antecedenti dispositione jungantur ita, ut ab ea interpretationem facile recipiant, quae omnia non concurrunt in themate.

Sed rem praeterea conficiunt ab diversa locutionis forma in utraque dispositione adhibita; observant enim, Eminentissimum Bertazzoli, cum reditus inaequali ratione distribuere voluit inter beneficiatos, eos proprio quemlibet vocabulo pro differentia gradus et officii appellasse „prioratui scut. 80 annua, utrique canonico sc. 69 obol. 57, utrique mansionario sc. 39 etc.;“ cum vero de residualis summae divisione verba fecit, omnes eodem nominasse beneficiatorum vocabulo quod omnibus aeque convenit; ut adeo praesumendum sit, eum aequalem praefatae summae divisionem voluisse: „Quando, inquiunt, Eminentissimus institutor voluit in divisione partitionem, hoc indicavit nominatione gradus et officii; quando distinctionem non voluit, vocabulo omnibus communi beneficiatorum usus est.“ Ac reapse uti prior, canonici ac mansionarii ob differentiam dumtaxat gradus et officii differenti potiuntur praebenda, ita plane ob eamdem ac omnibus communem beneficiatorum, sub qua nuncupantur, qualitatem ad aequalem residualis summae participationem eos admitti necesse est.

Idipsum ex eo confirmant, quod hoc residuum nihil commune habeat cum praebendis, quod idcirco uti suo lubitu erogare potuisset institutor, ut puta favore sacrarii vel capituli, ita cum illud attribui jussit beneficiatis, profecto ad hos pertinere putandum est independenter omnino a praebendis, quarum in divisione facienda nulla habenda sit ratio.

Denique, si quid dubii superesset in casu, aequalitati pariter divisionis favendum esse. „Etenim ubi ambiguum est de portionibus relictorum in testamento (idemque de actu donationis inter vivos), et super his contentio sit, et harum aliunde nequeat haberi certitudo, nulla melior interpretatio fieri potest, quam hinc inde servari aequalitatem, quae justitiae jungitur etc.“ ceu inquit Depretis de interpr. ult. volunt. lib. 3. int. 1. dub. 5. sol. 1. num. 12.

In decretis.

319. Fanen. — Erectionis canonicatus.

Die 5. Junii 1858.

Sacerdos Benedictus Pascolini e terra S. Constantii, testamento diei 8. Februarii 1775 simplex beneficium instituit jurispatronatus suae familiae, onere imposito capellano sacrum quotidie celebrandi et in suae animae suffragium applicandi ad auroram, et dote in fundis rusticis constituta valoris catastalis scut. 378. 18, addita parva domo annui reditus scut. duorum. Tractu vero temporis deperditis fundis et reditibus imminutis ac reductis ad annua scuta 12 tantum, missae quoque reductae fuerunt ad annuas quinquaginta, ac onus celebrationis ad auroram sublatum insuper fuit.

Sacerdos Andreas Bolognesi ejusdem oppidi ultimis tabulis diei 12. Junii 1787 in collegiata ejusdem oppidi ecclesia capellaniam laicalem instituit cum annuo reditu scut. 40, cum onere capellano choralibus interessendi officiis, ceterisque collegiatae functionibus. In securitatem vero assignati reditus cetera sua bona haereditaria onerata et vinculo supposita voluit, eorumque administrationem attribuit archipresbytero pro tempore S. Constantii, quem capellaniae patronum nominavit. Bona haec quae archipresbyter administrat, in tot censibus activis constituuntur annui in praesens reditus scut. 40. Ex eo comparari debent duo cerei ac duae vestes, quas assumunt ii, qui sanctissimum viaticum comitantur, et quod superest pauperibus distribuendum est.

Praeterea Antonius Bolognesi ejusdem terrae S. Constantii postremo suo elogio diei 6. Maji 1807 in praedicta collegiata canonicatum poenitentiarium fundavit, eique pro dote attribuit plures activos census annui reditus scut. 70, praeter fundum rusticum cum domo colonica; et ipse pariter archipresbyterum S. Constantii pro tempore executorem testamentarium nominavit, et in securitatem praebendae poenitentiario assignatae munus eidem concredidit cetera administrandi hereditaria bona, subroganda bonis praebendalibus quatenus haec ob temporum vicissitudines ac infortunia aliquando deperirent. Reditus horum bonorum, quae in censibus activis consistunt, assurgunt in praesens ad annua scut. 30, quae ex S. hujus Congregationis rescripto pro expensis sacrarii collegiatae impenduntur.

Itaque Joseph et Stephanus Pascolini hodierni patroni beneficii quod audit dell' aurora, sacerdos Dominicus Fronsi ejusdem beneficii rector, et archipresbyter S. Constantii Antonius Sorcinelli, uti administrator utriusque haereditatis Bolognesi, supplices coram S. Congregatione adstant, ac facultates necessarias et opportunas postulant „ut duabus haereditatibus Bolognesi

cedere possint omnia bona beneficii dell' aurora cum conditione, ut inde census scut. annuorum 50 desumatur pro erectione canonicatus primo loco praefato sacerdoti Fronsi conferendi cum omnibus oneribus et privilegiis aliorum collegiatae canonicorum et cum obligatione celebrandi 60 missas annuas ad intentionem fundatoris beneficii dell' aurora comprehensis tamen iis, quae pro benefactoribus in genere applicandae sunt."

Jus patronatus activum hujusce canonicatus erigendi, Pascolinii patroni beneficii dell' aurora archipresbytero S. Constantii pro tempore cederent, jus vero passivum suae familiae (in linea tamen masculina) reservarent ita, ut si quis ex suis descendentibus idoneus in vacationibus quocumque tempore adsit, is sit praeferendus extraneis; idoneum vero intelligunt qui intra triennium sacris ordinibus initiari possit; ea conditione addita, ut si canonicus nominatus elapso triennio aut nollet aut nequiret sacros ordines suscipere, ipso facto a jure suo ac possessione canonicatus excidat, et ad novam nominationem patrono devenire liceat.

Praeterea sequentes conditiones addunt: 1) „ut hic canonicus pro commodo populi omnibus diebus festis de praecepto sacrum in collegiata peragere teneatur, a quali obligatione primus tantum institutus Fronsi eximatur pro toto anno 1858. 2) ut canonicatus semper conferatur per bullam ordinariam secundum voluntatem fundatorum beneficiorum simplicium. 3) ut canonicatu vacante reditus ab archipresbytero administrentur et fundationibus Bolognesi addicantur."

Episcopus Oratorum studium valde commendat: „Pergratum (inquit) mihi est quod archipresbytero, canonicis, ac generatim clero S. Constantii bonum admodum testimonium reddere valeam; proindeque si per Apostolicam Sedem peculiares favores impendantur, ut collegiatae illius decus augeatur, utiliter fiet, et mihi jucundum eveniet."

Addit exiguum esse canonicorum numerum in illa collegiata ob suppressionem, quae hoc saeculo ineunte passa fuit, adeoque rectius officia choralia impleri posse ubi augeatur. Implexam quidem videri methodum ab Oratoribus initam, id vero a deficientia mediorum repetendum. Super expositis vero haec animadvertit: „Ad novum canonicatum constituendum opem ferent ex una parte beneficium aurorae dictum pro oneribus missarum quinquaginta in canonicum transferendis, ex altera duae haereditates Bolognesi suppeditando ex residualibus census pro annuo redditu scut. 50, unde exurgat canonicalis praebenda: eae autem haereditates accipient quod superest de fundis praedicti beneficii aurorae. Modo haereditates Bolognesi dant reditum annuum residualem scutatorum circiter septuaginta; detractis quinquaginta pro canonicatu, supererunt viginti; ex recta administratione eorum quae supersunt, itemque fundi pertinentis modo ad beneficium aurorae, in haereditates Bolognesi transferendi, brevi saltem tantumdem exspectari posse videtur, adeo ut vix fiat sensibilis subtractio illa censuum pro annuo reditu scut. 50. ad canonicatum statuendum. Archipresbyter, qui administrator simul exsistit haereditatum praefatarum, auctor est quod firma valeant consistere pia opera ex illis legatis praestanda, quaeque in ejus potissimum levamen cedunt. Quod igitur ad rei substantiam pertinet, eadem commendanda videtur, et multiplici sub respectu probanda."

Ad formam quod pertinet monet Episcopus se audivisse omnes interesse habentes, eosdem nempe, quorum nomine supplex libellus porrectus est, eosque petitionem suam in scriptis confirmasse. De archipresbytero autem adnotat, quod „is quidem haud, stricte loquendo, ad activam nominationem jus aliquod haberet: attamen cum rite administrando haereditates Bolognesi cano-

nicatui erigendo viam paraverit, commoda nonnulla amittat cedendo census praefatarum haereditatum, oneribus firmis permanentibus, onus etiam assumat curandi rectam administrationem fundi, qui modo pertinet ad beneficium aurorae; cum insuper Pascolinii, qui jus habent nominationis activae ad beneficium aurorae, jus istud cedant archipresbytero, is vero id opportunum censeat ut illis faveat, qui in cura animarum ipsum juvant, haud renuerem annuendum, nisi placeret, ut alternis vicibus Episcopo libera collatio maneret. Canonico imponerentur missae 60 applicandae annuatim pro beneficio aurorae (quod modo fert missas 50), comprehensis tamen iis, quas canonicus pro benefactoribus in genere applicare adstringetur. Vix nonnullae missae peculiariter juxta fundationem beneficii aurorae erunt per hanc methodum celebrandae: EE. VV. judicium proferent, an pro bono ecclesiae id concedi valeat."

„Ceterum cautum probe videtur, ne ex familia Pascolini juvenes admodum assumi in canonicos valeant, ut ecclesiasticis reditibus fruantur, habitum vero deinde deposituri."

Commendanda videtur conditio proposita, ut novus canonicus debeat singulis festis de praecepto in ipsa collegiata ecclesia rem sacram facere; eo enim dirigitur, ut sufficiens missarum numerus habeatur. Reliqua item postulata si per Apostolicam Sedem concedantur, beneficium erit utiliter impensum collegiatae ecclesiae quae ex superioribus aevi vicissitudinibus maximum accepit detrimentum."

Ratio petitionis, ceu patet, in eo tota consistit, ut decori collegiatae ac necessitati servitii choralis prospici queat. Post suppressionem enim quae Gallis dominantibus contigit, quatuor tantum canonici cum tribus beneficiariis superstites fuerunt, quibus servitii choralis in praesens onus incumbit. Porro ob publicam necessitatem vel utilitatem, novum non est, ut piae quoque institutiones commutentur, unio beneficiorum permittatur, ac onera etiam missarum reducantur. Ceterum ubi propositam canonicatus erectionem probandam censuerint EE. VV., viderint quomodo adjectis conditionibus annuendum sit.

Dilata, et scribatur Episcopo, qui, auditis omnibus interesse habentibus, magis praecise referat super statu et adjunctis rerum.

Die 27. Septembris 1858.

Hisce mandatis satisfacere studuit Episcopus, cui hac de re scriptum fuit, per literas, quibus adjecit singulorum interesse habentium responsa in scriptis. Tenor porro literarum hic est: „Omnibus accuratius perpensis, haec per me adhuc praestari posse ea in re animadverti, ut nimirum clarius evincerem familiam Bolognesi penitus exstinctam; canonicum poenitentiarium, item mansionarium collegiatae, quorum praebendae si forte jacturam ferrent, ex haereditatum Bolognesi administratione penes archipresbyterum manente reparari deberent, ea de re interrogandos curarem; demum clarius etiam constaret, num archipresbyter ea ratione onera susciperet, ob quae census pro canonicali praebenda conferendi obligantur, ut oneribus illis provisum existat, et quidem sine gravamine et praejudicio successorum.

„De his itaque ad vicarium foraneum probum admodum ecclesiasticum penes S. Constantium scripsi, qui et canonicus poenitentiarius exsistit: is vero responsum dedit, quod hisce adjectum literis mitto, unde exsurgit familiam Bolognesi prorsus esse exstinctam; se ratione praebendae poenitentiariae, nec non mansionarium ratione sui beneficii, penitus adhaerere precibus archipresbyteri, cum praesertim uti certum habeatur, ex meliori administratione fundi beneficii aurorae immittendi in administrationem Bolognesi, brevi hanc

quoad censuum detractionem reparatum iri, adeo ut, si necesse esset pro duobus illis beneficiis servandis opem inde expetere, id praestari aeque valeat, ac modo fieret.

„Onera item omnia archipresbyter in se suscipit ob supradictam rationem, quod nempe administratio Bolognesi coaequanda brevi sit ex meliori administratione fundi spectantis ad beneficium aurorae, adeo ut si aliquatenus ex proprio id praestare debeat, quamprimum fiat in totum eodem modo ac antea, nimirum ex haereditate Bolognesi. Suis vero declarationibus tum archipresbyter, tum antedictus mansionarius rem confirmatam voluerunt, quas pariter ad S. C. remitto.“

„Addo archipresbyterum esse admodum juvenem, ut facile omnia praestare possit; illum vero uti et vicarium foraneum probos admodum viros existere, adeo ut de nulla fraude suspicio ingeri valeat.“

Cum ea, quae in adjectis documentis continentur exposita, collegerit ac retulerit Episcopus, supervacaneum puto documenta ipsa heic exscribere.

Pro gratia juxta petita, servatis tamen conditionibus ab Episcopo propositis; facto verbo cum Sanctissimo.

320. Melevitana. — Divisionis praebendae canonicalis seu executionis literarum apostolicarum.

Die 27. Julii 1867.

In postrema Congregatione superioris anni 1866, quae locum habuit die 22. Decembris, in folio sub hoc eodem titulo a me distributo, quod recolere Eminentiae Vestrae dignabuntur, sequens proposui resolvendum dubium: An decreta dierum 30. Maji 1864, et 11. Febr. 1865 sustineantur in casu, scilicet super executione literarum Apostolicarum, quibus mandabatur Episcopo Melevitano, ut divisis in duas partes bonis antiquae praebendae Ta-Ghar-Barca, eadem bona certa statuta lege duabus novis praebendis assignarentur, quae Ta-Ghar-Barca prima, et Ta-Ghar-Barca secunda nuncupari deberent. Divisio bonorum ita peragenda erat, ut adhibita peritorum virorum opera, integra summa redituum 1560, quae juxta relationem Melevitani Antistitis obvenire quotannis consueverat ex antiqua praebenda, fructus annui scutator. 960, et respectiva bona addicerentur praebendae Ta-Ghar-Barca secundae; alia vero 600 scutata cum suis pariter respectivis bonis Ta-Ghar-Barca primae.

Executoriali decreto sub die 24. Aprilis 1862 et duas novas praebendas Episcopus erexit, et divisionem bonorum ita fieri jussit, ut in Apostolicis literis mandatum fuerat. Postea vero cum peritus Mattheus Zammit divisionem bonorum ita peregisset, ut praebendae Ta-Ghar-Barca secundae, quam interim consecutus fuerant Franciscus Xaverius Vassallo, tot bona assignaverit, quae loco scutator. Melitens. 960, redderent tantum (saltem pro nunc) non ultra scutata 779, ut ipse Episcopus retulit, et hujusmodi divisio approbata fuerit a Melevitano Praesule decreto diei 11. Febr. 1865, memoratus can. Vassallo decreto episcopali haud acquiescens, apud Sacrum hunc Ordinem de praepostera executione literarum Apostolicarum conquestus est. Pertractata itaque quaestione in folio sub dubii formula quam superius enunciavi, Eminentiae Vestrae rescripserunt decreta curiae „nullatenus sustineri, et esse locum novae divisioni per peritos faciendae juxta proportionem in bulla indicatam, facto verbo cum Sanctissimo“; quam resolutionem editam die

22. Decembr. 1866 Beatissimus Pater approbare et confirmare dignatus est in aud. diei 4. Febr. currentis anni.

Canonici Vassallo procurator rescriptum Sacri Ordinis a Sanctitate Sua approbatum, transmittendum illico curavit episcopali curiae, ne forte contingeret, ut can., qui octogesimum annum jam excessit, antea vitae potius quam litis exitum videret; at Episcopus, quin peragi novam bonorum divisionem studeret juxta proportionem in literis Apostolicis indigitatam, ratus est nonnulla adhuc dubia judicio Eminentiarum Vestrarum submittere, ita ad Sacrum hunc Ordinem scribens:

„Canonico Vassallo tanta bona assignata sunt, quanta semper scut. Malt. 960 referunt, et canonico Pullicino plus quam 600 scut. attribui potuerunt, quia pretia locationis a defuncto canonico statuta verum valorem non adaequabant. Supplico igitur declarationem S. Congregationis de sequentibus dubiis:

1. Qualis valor in divisione bonorum considerari debet, utrum valor a defuncto canonico praefinitus, an is, quem statuunt nunc periti?

2. Quomodo ratio divisionis in bulla praescripta intelligenda est?

3. Quanti periti sunt assumendi et a quo nominandi?

Vix perlecto Sacri Ordinis rescripto, et iterum perpensis literis Apostolicis exploratum habere potuisset Melevitana curia, per peritos (sane ab ipsa deputandos, ceu antea jam absque ulla haesitatione fecerat) praefiniendum esse tale fundorum pretium, quod actu, eorum judicio, reddere quotannis debeat scutata 960 uni praebendae, et scutata 600 alteri. In praecedenti divisione peracta a Perito Zammit duplici sub aspectu peccatum esse videbatur 1. scilicet, quod unice pro praebenda Ta-Ghar-Barca secunda (quae obvenit can. Vassallo) definita fuerit pars fundorum eidem praebendae assignanda, reliquis bonis cujuscumque valoris universim relictis praebendae Ta-Ghar-Barca primae. 2. Quod pretium segregatorum bonorum ita determinatum exstiterit, ut eorumdem reditus minime attingeret summam scut. 960, sed actu non excederet scutata 779. Scribit quidem in ultimis literis Episcopus „tanta bona canonico Vassallo esse assignata, quae semper reddere debeant scut. 960," at veritas facti est, ut ipse Episcopus antea retulerat „bona quae canonico Vassallo ejusque praebendae adsignata sunt ad praesens fortasse non ultra scutata 779 ferre .... demptis vero scutatis 779 pro canonico Vassallo, Pullicinio non remanent nisi 781. Ex praedicta itaque divisione dum canonicus Vassallo ex una parte nonnisi scutata 779 consequi in praesens potuisset, ex altera Pullicinio obvenissent scutata 781. Mirum propterea est, quod juxta eamdem peritiam Zammit reditus fundorum pro una praebenda apparerent imminuti, pro altera excrescerent. Quod statui nullatenus potuit, nisi in manifestam subversionem dispositionis literarum Apostolicarum.

Non opus sane est, ut Sacra Congregatio, quae jussit, ut divisio bonorum antiquae praebendae fiat per peritos ad tramites bullae, doceat nunc quot iidem periti esse debeant, et a quo eligendi sint; quoad proportionem vero in eadem bulla indigitatam, supervacaneum etiam esse videtur, quod curia Melevitana expostulat. Admisso enim juxta Episcopi relationem, bona omnia antiquae praebendae reddere quotannis scutata Melit. 1560, praescriptum est in bulla Apostolica, ut ex iisdem bonis tot fundi segregari debeant per peritos, quot ferre valeant annua scutata 960, et illico consequens erit, 1. quod reliqui fundi qui supererunt ferant reditus scutat. 600. 2. quod proportionalis regula divisionis constitui debeat inter scutata 960 ex una parte et 600 ex altera.

Forsan ex iis, quae curia retulit, suspicari licet bona antiquae praebendae excedere annuos reditus scutatorum 1560, et exinde haud improbabile est, ut eadem curia serius ad hunc S. Ordinem redeat, ut doceatur, an et qua praecise regula fieri debeat divisio inter utramque praebendam cujuscumque excessus redituum ultra praedictam summam, et ita octuagenarius canonicus Vassallo longius et forsan in aevum exspectare cogatur reditus suae praebendae. Perpendant itaque Eminentiae Vestrae, utrum expediat hujusmodi dubium praeveniendo decernere, ut quatenus Sanctissimo placuerit, quaelibet superexcedentium bonorum quota dividi debeat ad tramites proportionalis regulae, quae jam statuta est in literis Apostolicis diei 5. Aprilis 1862.

Ceterum ipse canonicus Vassallo iteratis literis rogat, ut ex auctoritate Eminentiarum Vestrarum tandem aliquando curia Melevitana persentiat urgens esse, ut literae Apostolicae debitum consequantur effectum, quem adhuc exspectant ab anno 1862.

Esse locum novae divisioni et aestimationi omnium bonorum per 2 vel 3 peritos a curia deputandos faciendae juxta actuales eorumdem bonorum reditus et assignatis uni praebendae scut. 960, alteri vero 600; quilibet redituum excessus infra scut. 1560 eadem proportione tribuatur duabus novis praebendis facta pariter inter utramque praebendam aequa partitione fundorum quorum reditus valent excrescere, facto verbo cum Sanctissimo.

II. DE COLLATIONE CANONICATUUM.

321. Melevitana. — Indulti.

Die 31. Januarii 1852.

In collegiata perinsigni insulae Gaudensis vulgo det Gozo tres supra viginti numerantur canonici una cum dignitatibus, quos inter quinque jurispatronatus laicorum reperiuntur subjecti. Capitulares hujus ecclesiae, aliarum collegiatarum insulae Melitensis experientia docti, unanimiter supplicarunt, ut, quoties a patronis laicis privilegio fundationis utentibus adolescens nominetur, qui in tenera sit constitutus aetate, vel is etiam, qui nondum sacris sit insignitus ordinibus, quod saepe saepius contingit „canonico a patrono laico nominato detur praebendae possessio, quae ei titulus ordinationis esse possit, et fructus tribuantur, sed ante ordinem subdiaconatus susceptum stallum in choro et usus vestium choralium ei denegetur; ut solvat stipendium pro missa conventuali per turnum cantanda; ut ipse ab omnibus punctaturis eximatur, sed ne punctaturis aliorum quidem frui possit ante possessionem stalli in choro.“

In id enim consilii ea de causa venerunt Oratores, quia contigit non raro in aliis tamen insulae collegiatis numquam in sua, ut hujusmodi nominati a laico patrono in minori aetate nacti praebendae possessionem, majores postea effecti nuntium praebendae et clericalibus vestibus mittentes vitam postea duxerint in saeculo praecedenti statui parum consonam, imo penitus quandoque difformem. Ex quo dedecus ecclesiae et capitulo, cujus antea membra fuerunt, universoque etiam clericorum coetui derivare putantes, veriti, ne propriae ecclesiae quid simile contingat, propositum excogitarunt remedium, cujus approbationem exquirunt, ea potissimum ratione, quod maxima civium existimatione gaudeat eorum ecclesia adeo, ut ipsi non invideant cathedrali, cui in officiatura sunt prorsus aequales; quodque inter laicalis jurispatrona-

tus praebendas vel decanatus numeretur, quae tertia est ejusdem capituli dignitas.

Patroni novae huic provisioni suum in scriptis haud denegarunt assensum, ipseque probavit Episcopus, qui hoc iusuper cautum vellet in concessione, „ut vocatus institutus gestando habitus clericales teneatur interesse horis canonicis, atque inservire ecclesiae praedictae ad instar aliorum clericorum saltem diebus dominicis et festivis de praecepto, in quibus subjaceat fallentiis, et percipiat distributiones ipsis diebus correspondentes.“

Haud est profecto ambigendum, quin electio ministrorum ecclesiae, et collatio beneficiorum, ut de idoneis sinceraque vocatione pollentibus personis perficiatur, summopere debeat optari. Neque minus est lamentanda temporum nostrorum conditio, quibus prava invaluit consuetudo pueros ut plurimum de patronalibus beneficiis providendi; qui clericalem habitum aliorum voluntate gestantes, ecclesia interim debitis fraudata servitiis, grandiores effecti vel habitum ipsum dimittant, vel lucri tantum aviditate permoti habitum quidem deferant, sed vitam vestibus non conforment; exindeque non ecclesiae solum, sed ecclesiastico etiam coetui non parvum derivet detrimentum. Hinc haud penitus improbandum videretur susceptum ab oratoribus consilium; quamdam enim exhibet prudentiae, justitiaeque, pene dicam, speciem ita ut ipsorum petitio repulsam non mereatur, praesertim cum illius capituli praebendae sint omnes, ut ipsi asserunt, presbyterales, ac proinde nulla ex nova methodo vis inferretur vocatis ad s. ordinem debito tempore suscipiendum, quod a praeexistenti obligatione dimanat, ac unanimis praeterea patronorum et Episcopi sententia et consensus accedat.

Re tamen maturius examinata, perpendendum est nulla juris communis dispositione canonicos ecclesiae collegiatae ad s. ordinem suscipiendum adstringi, simplices imo clericos decimum quartum aetatis annum attingentes habiles ad hujusmodi praebendas reputari, ut expresse cavit Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. et universim docent auctores adducti per Gallemartium loc. cit. neque ad assecutionem modo, sed etiam ad retentionem, quin aliter de ipsis dignitatibus sit praescribendum, docente Card. De Luca in adnot. ad S. Conc. Trid. disc. 24. num. 4. Eamdemque prorsus legem de quatuor praebendis, quarum occurrit sermo, haud exclusa dignitate decanatus, in peculiaribus fundationibus institutores servandam esse mandarunt: hae siquidem neque actu neque habitu sunt presbyterales, licet ceterae hanc qualitatem prae se ferant.

Propterea novum esset omnino expetitum indultum, cujus exempla in antecessum reperire minime datum est: neque solum juri communi et generali ecclesiae universalis praxi adversaretur, sed maximum quoque confoveret abusum, vel saperet injuriam, cum libera daretur ex una parte facultas hujusmodi provisis reditibus praebendarum per longissimi temporis intervallum, ac toto forsan quibusdam vitae tempore perfruendi, quin onera sustinerent adnexa, violatis etiam impune residentiae legibus: ex altera vero clericis praesertim bonae voluntatis maximum interdiceretur juris exercitium, debiti retardarentur honores. Hic namque notatu dignum est enunciatas praebendas non solum activo sed etiam passivo juripatronatus esse subjectas: it aut praestitus a patronis assensus non modo futuris patronis praejudicium inferret, sed nulla ratione ligaret passive vocatos proprio jure venientes, de quorum maxime praejudicio contenditur.

Ceterum nec sane admittendum videtur malum, de quo queritur capitulum, seu dedecus ex degeneri exemplatorum clericorum vitae consuetudine, quod profecto nunquam capitulum afficere potest saltem penes sanioris homines

consilii, veritas namque ex corruptis aut praejudicatis hauriri non debet. Neque similiter casus, quos capitulum pertimescit, adeo frequenter occurrunt, imo perraro admodum evenire solent, et in collegiata Gaulensi a plusquam bissaeculari ejusdem existentia nunquam hactenus evenerunt, it aut considerari debeant quasi totidem regulae generalis exceptiones. Haud autem expedire videtur juri communi et praxi universalis ecclesiae derogationis vulnus inferre non absque levi privatorum praejudicio, ut malo cuidam extraordinario ac singulari paretur impedimentum.

Non expedire, et notificetur Episcopo.

322. Vintimilien.

Die 11. Julii 1846.

Sacerdos Vincentius ..., qui pluribus abhinc annis canonicatum obtinet in collegiata ..., vindicato sibi ac familiae suae per trinas conformes sententias judiciales jure patronatus vacantis in eadem ecclesia canonicatus Anselmi, hujus institutionem ab Episcopo exquisivit ad alterum dimittendum paratus. At Episcopus ob non rectam vivendi rationem praefati Vincentii, quem pluries animadvertere coactus fuit, quemque ecclesiasticis beneficiis minime dignum censet, institutionem petitam eidem concedere recusavit. Quia vero ob difficultates in procedendo inveniri solitas ad privationem canonicatus, quo ille jam gaudet, devenire non existimaverit nec sine processu denegatam alterius institutionem sustineri posse praeviderit, satius duxit adire Principem Sacratissimum efflagitans, ut Vincentius retento in titulum canonicatu, quem possidet annui reditus scut. 8 et computatis distributionibus 15 vel 16 scut., alterius, qui ad illum spectat titulo juris patronatus, administrationem assequi posset, cum jure percipiendi fructus ad quinquennium arbitrio Ordinarii deinceps prorogandum. Duplex ex hac concessione bonum derivare arbitratus Antistes, primum scilicet, quod hac ratione non confertur irrevocabiliter indigno canonicatus, cujus annuus reditus scut. 50 vel 60 comprehensis distributionibus attingit: alterum quod consulitur spirituali ipsius Vincentii bono, cum ex metu non obtinendae prorogationis ad meliorem frugem sese fortasse recepturum moresque suos, ut ecclesiasticum virum decet, compositurum esse confidit. Legitimam exinde concessionis causam ex eo adstruit Episcopus, quod memoratus Vincentius vera laboret inopia atque aere praegravetur alieno; eidem favent ipsius fratres compatroni, qui libenter in gratiam expetitam consentiunt neque ab ea Vincentius ipse dissentire videtur, ac monet, exulare cujuslibet praejudicium, cum nemo nec in ipsa familia nec extra illam existat passive vocatus. Tandem concludit, sese capitulum minime audivisse, prout a S. Congr. fuerat excitatus, ne eidem momenta, quibus ad gratiam impetrandam movetur, cum dedecore ipsius Vincentii pandere cogeretur. De illius vero rationabili dissensu haud esse timendum affirmat, quia, cum 22 in ea collegiata enumerentur canonici, unius defectum chori et ecclesiae servitio officere non posse arbitratur.

Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia suspensionis quoad fructus grossos tantum, impletis oneribus deputato administratore ecclesiastico ad triennium arbitrio Episcopi, quo tempore elapso iterum recurrat et Episcopus referat de vita et moribus Vincentii, utrum scilicet indubia dederit resipiscentiae signa; facto verbo cum Sanctissimo.

323. Montis Falisci. — Dispensationis.

Die 26. Septembris 1857.

Exstat in collegiata ecclesia S. Jóannis Baptistae oppidi Valentani praebenda canonicalis sub titulo animarum purgantium, quam Julianus Corradi ultimis exaratis tabulis anno 1737 fundavit. Praeter chorale servitium, onus beneficiato imposuit fundator tres per hebdomadam missas celebrandi vel celebrare faciendi, iis pro dote assignatis bonis, ex quibus 25 circiter scut. reditus quotannis obvenit. Reliquit autem jus nominandi ac praesentandi in perpetuum favore Francisci Corradi et Francisci Angeli ejus filii, haeredum universalium eorumque successorum in infinitum in linea masculina et feminina et exstinctis dictis lineis favore haeredum etiam extraneorum.

Dimissa hac praebenda die 19. Decembris anni superioris a clerico Josepho Bonasera, ultimo et immediato possessore, post lata per episcopalem curiam consueta edicta ad monendos patronos, die 28. Januarii hujus anni aliqui ex patronis nominarunt clericum Gregorium Corradi, adjecta reservatione obtinendi ab Apostolica Sede dispensationem super impedimento aetatis, quippe qui natus die 6. Januarii 1847 annum decimum aetatis agit. Die vero 2. Martii insequentis alii patroni praesentarunt Alexandrum Castiglioni puerum fere septennem, natum nempe die 22. Augusti 1850, addita conditione impetrandi a Summo Pontifice super defectu aetatis et clericatus dispensationem. Utrimque itaque ad S. hanc Congregationem supplices libelli pro dispensatione porrecti sunt.

Super hisce haec habet Episcopus: „Cum nullus passive vocatus appareat, cui praejudicium inferatur, alterutro ex praesentatis Apostolicum indultum concedi posse videtur, ut, suspensa manente institutione usque ad legitimam aetatem, deputetur beneficio idoneus administrator, qui satisfactis oneribus, tradat reliquos reditus praesentato studiis vacanti.“

„Sed uter eorum Apostolica gratia dignior habendus? Uterque bona indole instructi, et ad ecclesiasticum statum proclives apparent; adeunt enim frequenter ecclesiam, sacerdotibus ad aram operantibus libenter inserviunt, et piis functionibus compositi et devoti intersunt. Canonici ecclesiae collegiatae super utriusque petitione capitulariter auditi, nullum obicem posuere, quominus vel unus vel alter Apostolicum indultum consequatur.“

„Interim ex una parte adstat Gregorius Corradi clericali tonsura insignitus, in majori aetate quam alter constitutus, ideoque proximior ad removendum a se canonicum, quo obstringitur, impedimentum, et fundatori per virilem sexum conjunctus, atque a patronis agnatis praesentatus. Ex altera parte adest Alexander Castiglioni minor quidem aetate, et duplicis indigens dispensationis, sed majoribus pressus rerum familiarium angustiis, et majori suffragiorum numero stipatus. Quatuor enim supra sexaginta patroni eum praesentarunt, dum alterum nominarunt decem et octo. Et quamvis ex numero suffragiorum pro Castiglioni demantur decem novem, quia lata a patronis septennio minoribus, et alterum latum a muliere illiterata, quae ad crucis signum non admovisse manum dicitur, attamen remanent ejus favore quadraginta quatuor suffragia, quae longe excedunt illa a Corradi exhibita. Nec, ait Castiglioni, obest, se a solis cognatis, Corradi autem ab agnatis et cognatis praesentatum. Cum enim fundator jus nominandi reliquerit „favore Francisci Corradi et Francisci Angeli ejus filii haeredum universalium eorumque successorum in infinitum in linea masculina et feminina“, nullum discrimen posuit inter agnatos et cognatos, ideoque nullam illi supra hos praela-

tionem jure vindicare possunt. Et nequidem officit, pergit Castiglioni, quod ipse a parentibus, eorumque filiis suffragia postulaverit: hoc enim egit etiam Corradi. Nec perperam, nam juspatronatus in themate non videtur haereditarium, bene vero familiare; quamvis enim testator patronos futuros vocaverit successores Francisci, et Francisci Angeli Corradi; attamen patet in casu successores idem sonare, ac descendentes. Subdit enim fundator „et exstinctis dictis lineis favore haeredum etiam extraneorum.“ Haereditarium igitur tunc erit jus patronatus in casu, cum linea Corradi exstincta fuerit. In praesentiarum retinendum est uti familiare, ac proinde filii cum parentibus jure praesentandi potiuntur. At etiamsi haereditarium esset, vel mixtum hoc juspatronatus, et ideo demi a numero suffragiorum deberent ea, quae filiifamilias tulerunt, semper numerus major superest pro Castiglioni. Septem enim filii familias nominarunt Corradi, triginta vero sex praesentarunt Castiglioni. Pro illo itaque superessent suffragia undecim, pro hoc vero octo supra viginti, quemadmodum ex computatione et collatione suffragiorum resultat.“

Quibus praehabitis, cuinam ex Oratoribus Apostolicum indultum concedendum sit, summae EE. VV. sapientiae decernendum relinquit.

Tot rerum adjunctis, quae comprobantur in praesenti specie, exstantibus, gratiam dispensationis super defectu aetatis vel clericatus denegari non solere plura pandunt exempla resolutionum hujus S. Congregationis, ceu in Asculana Capellaniae super dispensatione 22. Augusti 1750 et in Neritonen. Abbatiae 22. Nov. 1760, aliisque plurimis.

Cui vero favendum sit, judicabunt EE. VV. iis probe perpensis quae in sua relatione satis luculenter edisserit Episcopus. Singula enim quae in utroque postulante concurrunt adjuncta, magno haberi solent in pretio ad effectum impetrandae dispensationis. Animadversione autem dignum occurrit, quod Corradius per virilem sexum fundatori sit conjunctus, dum ignoratur an Castiglionius ulla sanguinis conjunctione ad ejusdem familiam pertineat, de quo quidem nulla in memorata relatione vel in precibus mentio fit. Idem praeterea Corradius parochi testimonium ad suam paupertatem probandam exhibet, quippe ejus pater bonis fortunae caret, et onere premitur alendi quinque filios in tenera aetate constitutos. Ceterum utri gratia concedatur, nemini fieri injuriam palam est; redituum autem exiguitas prohibere videtur, quominus utrique consuli valeat, ope scilicet pensionis alteri alterius favore imponendae, ceu hisce in casibus in more habet S. Congregatio.

Quem demum cumque praeferendum censeant EE. PP., in suspenso manere deberet institutio, quousque is ad aetatem legitimam non pervenerit, ac interea idoneus beneficio administrator foret deputandus, ut satisfactis óneribus, reliquos reditus pro nominati alimonia tradat, ceu idem Episcopus proponit. Clausula insuper in similibus indultis addi generatim solet, ut indultarius quamvis ad aetatem canonicam pervenerit, quae pro collegiatis est quatuordecim annorum, attamen non antea ad chorum admittatur, quam decimum octavum aetatis annum attigerit.

Pro gratia dispensationis et habilitationis favore clerici Corradi suspensa interim ejus institutione quousque non pervenerit ad canonicam aetatem ac deputato idoneo ecclesiastico administratore, qui satisfactis oneribus superexstantes reditus eidem tradat, ita tamen ut Orator ipse choro interesse nequeat, nisi expleto 18. anno aetatis suae; facto verbo cum Sanctissimo.

324. Camerinen. — Declarationis rescripti.

Die 17. Septembris 1859.

Inter controversias propositas in folio pro Congregatione diei 5. Junii 1858 ea sexto loco recensebatur quae piam dispositionem marchionis Eugenii Maculani respiciebat. Cum enim ex ejus haereditaria substantia erigendi essent post quadriennium ab ejus morte quatuor canonicales praebendae in collegiali ecclesia S. Venantii, collato activo jure patronatus in familiam Maculani; passivo vero favore descendentium marchionis Ruperti ac defuncti Venantii fratrum Maculani; cumque elapso jam quadriennio cumulus bonorum haud satis suppeteret pro quatuor canonicatibus erigendis; institerunt patroni, ut demandata duorum canonicatuum erectione, reditus eorum assignaretur favore utriusque filii Venantii necnon alterius filii Ruperti Maculani. Proposito hinc dubio „An et quomodo sit annuendum precibus Ruperti et filiorum Venantii Maculani in casu“ datum fuit responsum „Affirmative juxta votum Archiepiscopi post erectos tamen tres canonicatus.“ Votum autem Archiepiscopi in eo erat, ut erigerentur interim bini canonicatus assignata unicuique dote scutorum 1200, utque praedicti canonicatus „optari possent a duobus descendentibus e lineis marchionum Ruperti et Venantii.“

Ad tramites resolutionis tres per Archiepiscopum erecti sunt canonicatus ac erectionis actus rite patronis denunciatus est. Inde evenit ut clericus Carolus Maculani defuncti Venantii filius annorum quindecim, nec non Rupertus Maculani pro suo filio Irnesio annor. quindecim ecclesiasticae militiae nondum adscripto, ambo passiva vocatione donati, petierint ab Archiepiscopo ad tramites testamenti, applicari favore utriusque adolescentis reditus duorum ex tribus canonicatibus erectis, „ut facilius studiis incumbere possint.“

Porro haud parum anceps haesit Archiepiscopus circa hujusmodi preces: dubitavit nimirum, an reditus canonicatus petentibus esset tribuendus ad effectum de quo supra, absque eo quod, etiam cum dispensatione apostolica, in canonicatus possessionem sint respective immittendi: et in casu affirmativo ambigebat num participatio redituum locum habere posset per totum illud tempus quo opus erit ad explendum regulare studiorum curriculum, etiam in scientiis non sacris; vel potius cohibendum sit ad aetatem a ss. canonibus praescriptam ad consequendum canonicatum juxta consuetudinem illius capituli. Utque tutius super hujusmodi negotio procederet maluit s. ordinis sententiam exquirere, datis ea propter literis quibus, panditis hinc inde rationibus dubitandi, effusa prece responsum consultissimum praestolatur.

Dubia hisce momentis innituntur: „Preces Oratorum censet Archiepiscopus esse concedendas, praesertim cum uterque adhuc inhabilis sit ad institutionem obtinendam, quia in ista collegiata, quae jura ecclesiae quasi cathedralis praetendit, omnes praebendae sunt sacerdotales et constanti consuetudine observatur, ut ad conferendum canonicatum minori 21. annis dispensatio vel venia Apostolica requiratur. — Ex altera parte dubium aliquod mihi obvenit ex §. Verum enim vero restrictus resolutioni praemissi.“

Reassumpto folio diei 5. Junii anni superioris facile erit Eminentissimis Patribus responsum edere, quo dubium omne eliminetur. Interim haud praetereundum, nuper preces dedisse Rupertum Maculani, quibus postulat, ut quoniam ob dubium ab Archiepiscopo promotum immissio filii sui in canonicatus possessionem protelari debuit, fructus nihilominus canonicatus eidem tradantur a die peractae praesentationis; quod consecuturum confidit intuitu praesertim suae paupertatis. Quatenus hujusmodi votis obsecundare placeat,

viderint Eminentissimi Patres, an eadem aequitate utendum sit erga Venantii filium.

Affirmative ad utrumque, usque dum 21. aetatis annum explererit et consulendum Sanctissimo tam pro suspensione collationis ac habilitatione ad percipiendos fructus praebendarum deputato idoneo administratore, qui impletis oneribus residuales reditus tradat indultariis, quam pro assignatione reddituum a die erectionis canonicatuum usque ad praesens et Archiepiscopus curet, ut iidem indultarii studiis sedulo vacent.

325. Fabrianen. — Canonicatus.

Die 2. Augusti 1856.

Postremis tabulis diei 18. Januarii 1677 Didacus Merli canonicatum instituit in collegiata ecclesia a S. Nicolao nuncupata in civitate Fabriani, haec quoad juspatronatus activum et passivum praecipiens: „Exstinctis lineis masculinis haeredum a testatore instituendorum eorumque successorum capitulum S. Nicolai liberam habeat collationem . . . cum conditione tamen expressa, ut canonicus eligendus doctor vel civis sit et saltem in sacris constitutus. . .“

Cum nuper canonicatus vacasset per obitum ultimi ejus possessoris; antequam capitulum S. Nicolai (cui nunc devolutum est jus nominandi) ad novi rectoris electionem deveniret, sacerdos Nazarenus Gili supplicem dedit libellum huic Sacrae Congregationi in quo exponens, civica propria dicta se qualitate carere, quamvis Fabriani natus sit, domicilium ibidem semper habuerit, et viginti quinque ab hinc annis capellani choralis munere in eadem collegiata fungatur, postulat super hujusmodi defectu dispensari, ut ad vacantem canonicatum optare possit.

Episcopus relata particula testamenti, et addita commendatione de vita et moribus Oratoris, a suo promendo voto abstinet. Monet autem alterum adesse loci sacerdotem Franciscum Moretti a familia veri civici gradus descendentem, qui ad canonicatum contendit et Oratoris petitioni obstat; quod si civium nomen juxta communem loquendi usum usurpandum sit de iis, qui origine, adlectione, ac domicilio ad civitatem pertinent, alios exstare plures qui pro assequendo canonicatu instant.

Ubi quaestio ex jure communi dirimenda foret, plane in discrimen revocari non posset civica Oratoris qualitas, quippe qui Fabriani natus est, ibique fixum domicilium habet, juxta textum in leg. 7. Cod. de incolis lib. 10: „Cives quidem origo, manumissio, allectio, vel adoptio; incolas vero (sicut et divus Hadrianus suo edicto manifestissime declaravit) domicilium facit“; nec ideo dispensatione indigeret. Verum non ad omnia quis vere civis interdum est reputandus. Dum de testamentis agitur, videndum quaenam fuerit testatoris mens et voluntas sive ex locutione adhibita, sive ex peculiaribus temporis ac loci circumstantiis. Porro contradictor Moretti sustinet, cives in casu eos dumtaxat haberi oportere juxta Fabrianense statutum qui secundo civico gradu cohonestantur, quosque institutionis beneficii tempore peculiari vocabulo nuncupabant „Cittadini di consiglio“. Eo magis quia testator ad canonicatum vocaverit doctores qui in Picena provincia aequiparati erant „ai Cittadini di consiglio“ juxta notissimam constitutionem s. m. Xisti V.

Hinc, concludit, petitam dispensationem Oratori concedendam non esse, ex qua sibi nempe, qui inter contendentes ad canonicatum unus est hujusmodi qualitate insignitus, praejudicium immineret.

Lectum.

326. Goritien. — Canonicorum honorariorum.

Die 14. Januarii 1860.

De jure praesentandi Suae Majestati Caesareae canonicos honorarios in metropolitana ecclesia Goritiensi Archiepiscopum inter ejusque capitulum exagitatur quaestio, quam Archiepiscopus idem verbis hisce proponit: „Ante quatuor circiter menses (idest mense Julio anni 1857) Sua Majestas Caesar. Reg. Apostolica ad meam propositionem tres canonicos honorarios ecclesiae metropolitanae Goritiensis nominare dignata est. Capitulum metropolitanum, cui haec nominatio ex officio notificata fuit, oretenus et scripto demonstrare conatur sua jura fuisse laesa, cum propositio et respective nominatio canonicorum honorariorum absque consensu capituli locum habere non possit. Ad tuendam suam sententiam capitulum sequentia refert:

„Regula est recepta in curia et rota Romana, collationem canonicatuum et praebendarum in cathedrali ecclesia simul ad Episcopum et capitulum pertinere, Fagnan. Card. de Luca, Rigant. etc.

„Decisum est, horum canonicorum honorariorum creationem fieri non posse ab Episcopo sine capituli consensu, S. C. C. in Fulginat.

„Canonici creati ad simplicem honorem sine praebenda et sine ope ad illam dicuntur habere nomen sine re, et nomenclaturam vacuam et inanem, cum per talem creationem nihil omnino consequantur, nec stallum in choro, Fagnan:

„Ad hanc remonstrationem capituli labefactandam provocavi ad bullam sa: me: Leonis Papae XII. pridie cal. Julii 1828, quae incipit: „Locum Beati Petri“ quaeque de circumscriptione dioecesium in Istria et Dalmatia, in specie de organisatione dioecesis Goritiensis agit. In bulla memorata inter alia haec leguntur: „Utque sacrorum splendidus apparatus augeri valeat, facultatem Episcopis impertimur, ecclesiasticos viros in sacris ordinibus constitutos, ex Majestatis suae consensu, adsciscendi in canonicos honorarios, qui statutum canonicorum capitularium numerum non excedant, quique licet residentiae legibus non adstricti chorali tamen habitu et stallo fruantur.“

Capitulum metropolitanum vero non obstante claro textu bullae mox citatae persistit in sua opinione defendens, jus consentiendi in electione canonicorum honorariorum per bullae verba citatae non esse ademptum. Regulam esse, Episcopum non posse creare canonicos honorarios absque consensu capituli. Si Papa bo: me: Leo XII. huic regulae, seu juri communi derogare voluisset, derogationem expresse commemorare debuisset. Quod cum factum non sit, supponendum est, capitulum in jure consensus permansisse.

Ego vero arbitror, capitulum in errore versari, dum credit, esse regulam, sive jus commune, ut in electione canonicorum Episcopus et capitulum aeque concurrant. In jure canonico enumerantur taxative casus, in quibus consensus capituli est necessarius. Quantum mihi constat, inter ejusmodi casus electio canonicorum non occurrit. Hac in re valet jus particulare cujuslibet ecclesiae. Electio enim canonicorum diverso modo fit in diversis capitulis. In aliquibus jus eligendi est penes capitulum, in aliis penes capitulum et Episcopum, in aliis juspatronatus viget. In ecclesia v. g. Goritiensi ad

omnes canonicatus patroni laici praesentant, excepto uno, quod liberae collationis archiepiscopalis est. Quae cum ita sint, in adsciscendis canonicis numerariis sive effectivis in ecclesia metrop. Goritiensi de consensu capituli sermo esse nequit.

„Etiam canonici honorarii non utique eodem modo assumuntur. Posito regulam esse, canonicorum honorariorum creationem fieri non posse ab Episcopo sine capituli consensu, pro ecclesia metrop. Goritiensi regula stabilita fuit per bullam „Locum Beati Petri“ in qua jus nominandi canonicos honorarios conceditur Episcopo, qui praevie consensum Suae Majestatis requirere debet; de consensu capituli bulla non loquitur. Huic bullae non possunt praejudicare, quae a capitulo adferuntur; sunt enim aut decisiones particulares, aut opiniones canonistarum, quorum auctoritas certe minor est, quam textus omnino clarus bullae recentioris „Locum Beati Petri“ de 1828.

„Demum observandum est, in Austriae dioecesibus Germanicis, quantum mihi constat, ubique canonicos nominari a Sua Majestate ad propositionem respective Episcopi, qui consilium capituli requirere possunt; ast aliud est consilium, aliud consensus.

„Licet ego non dubitem, me hac in re proprio jure usum fuisse, cum tamen capitulum jus suum violatum esse censeat, et mihi supplicaverit, ut hanc rem Apostolicae Sedi decidendam proponerem, desiderio capituli morem gerens, Vestrae Sanctitati humillime supplico, ut oraculo suo benignissime decidere dignetur: An Archiepiscopus Goritiensis in creandis canonicis honorariis praeter consensum Suae Majestatis Apost. etiam consensum capituli metrop. requirere et habere debeat?“

Verum quidem est, doctorum sententiam magis communem retinere, collationem canonicatuum in ecclesiis cathedralibus simultaneam esse Episcopi cum capitulo. Ita praeter laudatos Fagnan. quaest. in cap. Cum ecclesia Volaterna de elect. ex num. 2. et in interp. cap. Postulantis; Card. De Luca lib. 12. p. 1. discept. 1. docent Mandos. ad regulam 18. q. 14. num. 2. Gonzal. ibid. gloss. 45. num. 36, Azor. p. 2. lib. 6, cap. 25. quaest. 9. Lotter lib. 27. num. 2. Leuren. p. 2. for. benefic. q. 670. num. 1. Ferraris sub vocab. canonicatus, Schmalzgrueber t. 3. p. 1. num. 48.

Animadvertit tamen Schmalzgrueber tit. 2. part. 1. num. 48. hac in re maximi esse faciendam consuetudinem. Ex his itaque quae exponit Archiepiscopus sive in jure sive in facto viderint EE. VV., quid in themate judicandum putent.

Non requiriri consensum capituli.

III. DE PRIVATIONE CANONICATUUM.

327. Reatina.

Die 22. Martii 1830.

Decem et quatuor elapsi sunt anni, ex quo Fridericus Crispolti in Reatina cathedrali ecclesia presbyteralem possidet canonicatum. Is subdiaconatus ordine tantum insignitus Apostolicum saepius impetravit indultum, quo sibi liceret canonicalem praebendam retinere ac fructus omniaque emolumenta percipere, quin ad diaconatus et presbyteratus ordines ascenderet. Postremum indultum cum ad finem nunc vergere sentiat, ejusdem confirmationem suppliciter ab H. S. O. expostulat, „attento justo et gravi timore, quo afficitur

ob augustam sacerdotalem dignitatem.“ Addit se gravi laborare inopia ideoque, si canonicatu privaretur, nulla sibi suppeteret ratio, qua et sui et trium sororum alimoniae prospicere possit. — Episcopus, quem pro informatione et voto de more rogavi, rescripsit sui capituli sententiam precibus Oratoris minime adversari, cui se assentiri profitetur hisce innixus rationibus: „Quamvis praebendae canonicales sint omnes presbyterales, tamen non desunt exempla dispensationis ab aliis obtentae pro susceptione ordinum diaconatus et presbyteratus non longe a nostris temporibus. Addam, quod, si canonicus Crispolti praebenda privetur, non est illi, unde victum sumat ob gravem ejus familiae ceteroquin nobilis inopiam, dum e contra subdiaconus jus habet vivendi de altari. Mores Oratoris tales sunt, quos laude dignos esse dicam et, si scientia non praeeminet, obedientia, humilitate et ecclesiae amore mihi carus est.“

Pro gratia prorogationis indulti ad quinquennium; facto verbo cum Sanctissimo.

328. Terracinen. et Privernen.

Die 24. Martii 1832.

In ecclesia collegiata S. Joannis, quae in oppido Somnensi Terracinensis dioecesis existit, peculiari constitutione hoc sancitum est, nempe: „Canonici, qui infra annum non promovebuntur seu promoti non sunt ad s. ordines, vel saltem ad subdiaconatum, careant ipso jure loco canonicatus.“ Ne in hanc poenam incideret canonicus Antonius Pontecurvi, jam dudum petiit, ab H. S. O., ut sibi unius anni dilatio ad s. ordines suscipiendos impertiretur, ad eamque rem facile obtinendam retulit, se nec legitimam habere aetatem, nec satis congruum patrimonium sibi ob sui patrui absentiam posse constituere. Episcopus pro informatione et voto rogatus ita respondit:

Constitutionis articulus per se patet. Verum quaestio remanet, an casui nostro definiendo sit appositus. Nam si sermo sit de tempore primo usque ad 4. Aug. 1830, quo die datae videntur preces, certe non potest canonicatu destitui Antonius Pontacurvi, cum aetas et sufficiens patrimonium, ut ipse exposuit, defuissent et ad summum dispensationem a dicta lege petere poterat, sicuti fecit. Si vero sermo sit de tempore, quod est a die 4. Aug. 1830 usque ad praesentem diem, tunc non ex defectu voluntatis Oratoris, qui imo pluries a me petiit, ut ad subdiaconatus ordinem illum promoverem, sed quod promotus non fuerit usque adhuc, a me uno Episcopo est repetendum, utpote eum sacra ordinatione haud dignum existimo. Nam post admissum scelus contra sextum praeceptum, quod publicum Somneni est, eum e Somneno removi, et Piperni per varios menses commorari praecepi, ac tandem commiseratione motus Ceccanum remisi, ut in conventu Passionistarum exercitia spiritualia perageret, sicuti peregit. Verum Somnenum Oratorem redeuntem non se gesisse ut vere poenitentem mihi a pluribus relatum fuit. Ideo sicuti renui, ita nunc renuo ei manus imponere. An autem casus hujuscemodi praevisus existat in dicta lege capitulari, non audeo definire, sicuti rescripsi etiam canonicis praedictae ecclesiae collegiatae, sed exponendus isti S. Congregationi. Si licitum est in via media incedere, meum judicium esset, hoc in casu, S. Congregationem Oratori tempus determinare pro susceptione s. ordinis subdiaconatus, quo elapso si Episcopo videbitur, manus illi imponere, consulat conscientiam suam, et imponat; si non, elapso tempore et non facta illi impositione manuum, canonicus Orator canonicatu destitutus habeatur.“

De his, quae detulit Episcopus, certior fortasse evasit canonicus Orator; adeoque supplices iterum preces huic S. Ordini pro unius anni dilatione porrexit, ac plura simul adduxit testimonia, quibus de suis ipse bonis moribus plane indubium fore confidit.

Pro gratia prorogationis ad sex menses tantum absque spe ulterioris prorogationis; eoque termino elapso, quatenus Orator se sacra ordinatione haud dignum praebuerit, nec perinde ad s. subdiaconatus ordinem ascenderit, Vicarius Apostolicus contra eumdem procedat per sententiam declaratoriam ad privationem canonicatus ad formam constitutionis capitularis, et praesens resolutio habeatur loco intimationis.

329. Romana. — Caducitatis.

Die 15. Julii 1848.

Anno vix elapso a possessione canonicatus in collegiata ecclesia S. Hieronymi Illyricorum in Urbe Joannes Antolovich, cum scientia necessaria careret ad ss. ordines suscipiendos, suadentibus canonicis triennii prorogationem imploravit, ut studiis interim vacando idoneus efficeretur, exponens: „Quamvis fel. rec. Sixtus V. in bulla, qua erexit hoc capitulum, ss. ordines non requisierit, ad majorem tamen conscientiae tranquillitatem gratiam expostulat,“ et voti compos factus est a rec. mem. Pontifice Gregorio XVI. per rescriptum Eminentissimi Card. in Urbe Vicarii diei 15. Martii 1845. Triennio proxime exspiraturo cum nihil adhuc in scientiis profecisset, alterius triennii prorogationem petiit eum in finem, ut sese in patrium seminarium Diacovariense in Syrmio recipiens, ibique studiis impense vacaturus optatam ss. ordinum collationem assequi mereretur. At acriter obsistente capitulo, cui Eminentissimus Card. Titularis ex voto etiam Card. Eminentissimi in Urbe Vicarii obsequebatur ob gravissima rationum momenta (quae tamen tum quia hodiernam controversiam non videntur attingere tum etiam quia summatim inferius per capitulum recensentur, minime referenda putavi) preces jure merito repulsam passi sunt.

Rebus ita se habentibus, capitulum die 12. Martii proxime praeteriti, triduo scilicet antequam praefatum indultum exspiraret, duos deputavit canonicos ad Eminentissimum Card. Titularem, ut voluntatem suam aperiret atque auctoritatem interponeret ad canonicum Antolovich praebenda annexisque juribus despoliandum; deputati autem retulerunt capitulo responsum Eminentiae Suae, qui declaravit, canonicum Antolovich secundum praescripta S. Concilii Trid. et secundum constitutiones nostras capitulares, quae ut unusquisque canonicus sacros receperit ordines requirunt gradum canonici, cum isti conditioni non satisfecerit, amisisse et per consequentiam jure choro interveniendi et fructus canonicatus percipiendi esse privatum. Cujus decreti tenorem capitulum notificari curavit Antolovich, ut dicta decisio die 15. immediatam recipiat executionem.“ Graves continuo apud hunc S. Ordinem querelas excitavit Antolovich adversus memoratum decretum postulans, ut ex rationum momentis inferius enucleandis in sui canonicatus possessione manuteneretur. Preces remisi ad Eminentissimum Titularem, ut audito capitulo S. Congregationem super delata controversia instructam reddere et votum suum dignaretur aperire.

Interea factum est, ut pendente hujusmodi recursu canonicus Antolovich prohibitus fuerit per capitulum, ne choro et processionibus, quae inciderunt, interesset; ex quo protestationem formiter misit ad capituli camerarium pro

omnium jurium suorum praeservatione ac praesertim restitutione fructuum ac destributionum cujusvis generis, quibus hactenus privatus est, similemque reclamationem apud actā S. Congregationis exhibuit.

Vir Eminentissimus appellat primum in suis literis ea, quae ad primas Oratoris preces S. huic Ordini retulit, quorum summa in capituli deductionibus, quas ille transmittit, infra referendis habetur; memorat deinde praefatum decretum a capitulo, se antea urbanitatis gratia audito, fuisse prolatum ac postea prosequitur in haec verba: „Novi equidem ad juris communis tramites opus fuisse, ut canonicae prius adhiberentur monitiones. Ast canonici sentiunt ipsas monitiones fuisse quidem necessarias post elapsum annum a die possessionis; sed cum canonicus Antolovich indulti triennium expostulaverit et impetraverit per Eminentissimi Vicarii tribunal, hoc exspirato quin s. subdiaconatus ordinem receperit, canonicatum etiam ipso jure amisisse censendus est.“

Contendit capitulum adnexam esse canonicatui ss. ordinum susceptionem tam ex universali sanctione Concilii Trid. quam ex bulla fundationis, constitutionibus capitularibus collegiatae S. Hieronymi aliisque peculiaribus dispositionibus ipsam collegiatam respicientibus. Conc. siquidem Trid. haec in s. 22. c. 4. disponit: „Quicunque in cathedrali vel collegiata ecclesia in subdiaconatus ordine constitutus non sit, votum in hujusmodi ecclesiis in capitulo non habeat. — Si vero, qui . . . officia, praebendas, portiones ac quaelibet alia beneficia in dictis ecclesiis obtinent aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt adnexa, videlicet ut alii missas, alii evangelium, alii epistolas dicant aut cantent . . . teneantur justo impedimento cessante infra annum ordines suscipere requisitos.“ Neque ab hujusmodi praescriptione deflexit Sixtus V. fel. rec.; collegiatam siquidem erexit juxta genericas juris sanctiones cum mensa capitulari, sigillo et arca communibus aliisque collegialibus insignibus.

Obligationem deinde desumunt ex capitularibus constitutionibus, quae cum injungant cuique canonico servitium hebdomadale in divino officio et sacris functionibus peragendis, missarum praesertim conventualium celebrationem cum cantu per turnum, necessario ordinem sacerdotalem requirunt; absque eo enim perspicuum est non posse injuncto oneri satisfieri.

Hisce consonat decretum visitationis anni 1725 in haec verba: „Celebrent canonici missam conventualem pro fundatoribus nec celebranti liceat applicare sacrificium in satisfactionem alterius propriae obligationis.“ Omnem denique dubitationem submoveri arbitrantur canonici ex quodam Brevi s. m. Pii VI., ubi haec praecipiuntur: „in casu vacationis per cessum vel per decessum alicujus personae obtinentis beneficium cujusvis generis inter capitulares, debeat capitulum intra octo dierum terminum eligere et subrogare totidem sacerdotes pro integro chori servitio, quot sunt deficientes.“ Ex quibus omnibus satis patere concludit capitulum canonicorum obligationem ss. ordines suscipiendi ac proinde justum fuisse defendit memoratum caducitatis decretum.

Quod si ex juris dispositione caducitas Oratoris locum non haberet ob ss. ordinum defectum, adhuc tamen praefati decreti justitiam ob pravam ejus vitae consuetudinem totis viribus conantur evincere. Et primo quidem cum ille sit „tabula quaedam rasa“ ita referente Eminentissimo Urbis Vicario, nullam adhibuit addiscendi curam, prout debuisset ad tramites indulti superius enunciati, ab anno enim 1845 refert Eminentissimus Titularis ex atte-

statione praefecti studiorum in collegio Romano a publicis saltem frequentandis scholis eum abstinuisse. Deinde ita vino deditum renunciant canonicum Antolovich, fidem perhibente Eminentissimo Cardinali Vicario, ut cauponis frequenter adsit cum omnium admiratione, ex ebrietate semel in propriae domus ingressu nudus repertus fuerit, saepius in publicis viis prolapsus et in vinculis constrictus vel a nocturnis excubiis, quia per urbis vias vagabatur, vel ab urbana militia, quia fuerat cum caupone rixatus, quod novissimo mense Aprilis accidisse narrant capitulares. Illum praeterea arguunt de familiaritate et consuetudine cum hominibus infimae notae, ex quo magnum inferunt dedecus sive ecclesiastico coetui, sive praesertim collegio canonicorum, quos inter ipse receptus est.

Hinc non mirum, si ab ipsa legatione Austriaca, suadente licet capitulo, literae depreçatoriae datae fuerint Eminentissimo Urbis Vicario, ut canonicum Antolovich praebenda spoliatum cogeret ad patrios lares remeare, prout vir ipse Eminentissimus testatur.

Injustitiam vero decreti praetensae caducitatis pluribus ostendit Orator. Primo enim, si ordines sacri, ceu sustinet capitulum in canonicis S. Hieronymi requirerentur, necesse omnino fuisset canonicas adhibere monitiones, prout optime visum est Eminentissimo Titulari in scientia ss. canonum optime perito. Id enim expresse tradit Fagnan. tom. I. cap. Cum in cunctis de elect. §. Inferiora n. 39. de obtinentibus in cathedrali vel collegiata dignitates, praebendas et quaelibet alia beneficia ad form. c. 4. sess. 22. ubi hanc affert S. Congregationis sententiam: „S. Congr. . . . saepius declaravit, obtinentes dignitates, praebendas vel portiones in praedictis ecclesiis non esse ipso jure beneficio privatos, sed tantummodo posse privari, si contumaciter renuerint suscipere ordines suis beneficiis adnexos.“ Falso autem petunt canonici exceptionem ex indulto triennali; nam certum est ex gratia Pontificia omnia jura siluisse, eaque exspirata rem fuisse in pristinum restitutum aeque ac nullum intercessisset indultum.

At res compertissima est, ad canonicatus possessionem in themate haud prorsus requiri ordinem sacrum, non ex Concilio Trid.; hoc enim in cit. sess. 22. cap. 4. eum, qui in sacris ordinibus non est constitutus, privat tantum voce in capitulo. In secunda vero parte de iis tantum ecclesiis loquitur, in quibus adest praebendarum et ordinum distinctio, quod non verificatur in collegiata S. Hieronymi. Praeterea indubitati juris est hanc obligationem ex jure communi ad solas cathedrales ecclesias esse cohibitum, ad collegiatas autem non protendi. Sufficiat prae omnibus referre auctoritatem praestantissimi Bened. XIV. in lib. 12. de syn. dioec. l. 4. §. 5; ubi dicit plura esse beneficia, „quae ex ipsa juris dispositione praeter clericalem tonsuram aut minores ordines nihil ultra requirunt, ut sunt canonicatus ecclesiarum collegiatarum, quarum scilicet canonici, nisi propriis constitutionibus obstringantur ad suscipiendum ordinem sacrum, haud sane ad id arctantur jure communi, quod nihil in eis requirit praeter aetatem annorum 14 et clericalem tonsuram.“

Idemque firmat Fagnan. in tom. I. cap. Cum in cunctis de elect. n. 85 allata S. Congregationis declaratione: „quod ad collegiatas attinet, Concilium reliquisse eas circa aetatem canonicorum in illis terminis, in quibus erant ante Concilium, nempe ut sufficiat aetas 14 annorum.“ Eandemque doctrinam firmat pluribus De Nigris de vacat. benef. l. 2. cap. 9. n. 6. et seqq. et Gratian. discept. foren. tom. 3. c. 482 n. 1. seqq.

Non ex peculiaribus ecclesiae statutis deinde requiruntur s. ordines: Bulla siquidem fundationis nullibi s. ordinem praescribit, eoque minus capitulares constitutiones; praeterquam enim turnaria hebdomadarum divisio inter canonicos ac missarum conventualium celebratio et cantus in qualibet collegiata singulis demandatus requiritur, quin tamen personale onus inducat iis, qui in sacerdotio non sunt constituti, cum agatur de onere a jure communi non praescripto, expressa requiritur illius mentio; in dubiis enim recurrendum est ad dispositionem juris communis et pronunciandum pro libertate. Neque magis favere potest capitulo demandata per Breve Pii VI. sacerdotum electio in casu vacationis cujusvis ex beneficiis capitularibus; haec siquidem praescriptio illos tantum respicit, qui uti conductitii ad chori servitium assumuntur durante tempore vacationis minime vero eos, quibus beneficia praedicta in titulum conferuntur, ceu jam in alia Romana diei 25. Sept. 1842 de alio beneficio seu capellania ejusdem capellaniae definitum est.

Denique non ex consuetudine loci de s. ordinis necessitate constat. In pluribus siquidem Urbis collegiatis canonici reperiuntur, qui in minoribus tantum sunt ordinibus constituti: Imo adest res judicata per hanc S. Congregationem in causa Romana juris interessendi capitulo et percipiendi distributiones diei 18. Maji 1686, in qua quoad canonicos collegiatae S. Mariae in Cosmedin decisum fuit eos compelli non posse ad suscipiendum s. subdiaconatus ordinem, itemque in alia Romana 16. Febr. 1704 definitum est quoad canonicum collegiatae S. Eustachii. in qua prodiit resolutio: „Orator non molestetur.“ Prior vero cum fuisset iterum proposita, instante archipresbytero confirmata fuit hac edita resolutione die 13. Nov. 1689: „In decisis et amplius ac pro necessitate in posterum Eminentissimus Card. Diaconus agat cum Sanctissimo quoad futuros canonicos instituendos.“ Eandem profecto dispositionem collegiatae S. Hieronymi aptandum fore urget Antolovich, praesertim cum Sixtus PP. V. in fundatione eam gaudere voluerit iisdem juribus, praerogativis et privilegiis, quibus aliae Urbis collegiatae potiuntur. Nec sibi nocere posse autumat expeditum indultum, utpote hoc hortatu canonicorum ex errore fecit et falsa causa, ac insuper ex notissimo juris principio utile per inutile non vitiatur.

Quibus positis evidentissime patere arbitratur injustitiam decreti capitularis caducitatem Oratoris secum ferentis ob defectum ss. ordinum, ac proinde non solum fructus praebendae, sed omnes etiam distributiones fore sibi restituendas, cum injuste fuerit prohibitus a capitulo sive ad chorum sive ad processiones accedere, ac praeterea non esse amplius ex hoc capite in canonicatus possessione molestandum. Quodsi Oratoris mores ac vitae ratio capitulum offendat et aliquam mereantur correctionem, seu etiam canonicatus privationem, protestatur non esse congruam hanc judicii sedem, ubi disceptatio cohibetur ad justitiam vel injustitiam memorati decreti ob defectum ss. ordinum tantummodo decernendam, praesertim cum alia profecto esset procedendi ratio in caducitate ob non susceptionem ss. ordinem ab illa, quam Tridentina synodus praescribit in privatione beneficii ob pravam vitae ac morum consuetudinem.

Non esse locum caducitati ob non susceptionem ss. ordinum et fructus ac distributiones omnes esse restituendos; in reliquis capitulum utatur jure suo ad formam ss. canonum.

IV. DE OFFICIO DIVINO A TOTO CAPITULO DEBITE PERSOLVENDO.

1. Mutatio loci officiaturae.

330. Venetiarum. — Servitii chori.

Die 23. Martii 1861.

Sa. me. Pius VII. bullaribus literis incipien.: „Ecclesias quae“ expeditis die 24. Septembris anni 1821 titulum ac dignitatem patriarchalis ecclesiae in basilica S. Petri di Castello Venetiis suppressit, transtulitque ad basilicam S. Marci, in qua sedem et cathedram patriarchalem una cum novo capitulo perpetuo constituit, hanc tamen inter cetera legem adjiciens: „Ut autem praefata basilica S. Petri de Castello perpetuis futuris temporibus suum, quoad fieri potest in hisce novis rerum circumstantiis, decus ac splendorem conservet, praecipimus et mandamus, ut in diebus festis S. Petri Principis Apostolorum, et S. Laurentii Justiniani Veneti Protopatriarchae . . . novum capitulum patriarchale S. Marci servitium chori et sacras functiones in eadem S. Petri de Castello basilica quotannis explere teneatur, atque idcirco ipsum patriarchale capitulum et clerum similibus diebus ab explendis in dicta ecclesia S. Marci divinis officiis eximimus et dispensamus.“

Cum novis conficiendis statutis operam nuper dederit patriarchale capitulum, dubium ortum est, utrum in vim praecitatae dispositionis capitulum ipsum teneatur etiam primas vesperas praedictarum solemnitatum S. Petri Principis Apostolorum et S. Laurentii Justiniani in eadem basilica S. Petri persolvere ac celebrare, prout hucusque factitatum est; qua de re S. Congregationis oraculum supplici oblato libello exposcitur.

Coactis comitiis in ea quidem unanimes fuere sententia capitulares, quod obligatio capitulo S. Marci imposita a Piana bulla cohiberi debeat ad servitium ecclesiasticum diei utriusque festi in naturali et civili significatione accepti, minime vero extendi ad vesperas pervigilii. Quamvis enim verba diebus festis lato sensu sumpta comprehendant etiam servitium chori in primis vesperis, attamen, cum agatur de dispositione, quae exceptionem facit legi servitii choralis in basilica S. Marci regulariter praestandi, quaeque non leve secum fert onus, praesertim pro canonicis senioribus, ratione habita distantiae ecclesiae S. Petri ab altera S. Marci, eo quidem temporis adeundae vel quo magis riget hiems, vel aestus canicularis fervet; hinc strictae interpretationi locus esse videtur, ita ut verba ad eam non sint protrahenda significationem, quam diserte non exprimunt. In cujus rei confirmationem advertunt, scopum a Summo Pontifice intentum et in bulla expressum omnino deficere quoad primarum vesperarum celebrationem in praedicta ecclesia, ad quam fideles conveniunt quidem frequentes diebus enunciatarum solemnitatum, in pervigilio autem deserta ferme manet.

Patriarcha informationem ac votum, auditis interesse habentibus, rogatus, hoc unum rescripsit, nimirum: „Verum est, quod capitulum exposuit; dispensatio, si ea opus esset, nullum produceret malum effectum. — Archipresbyter ecclesiae S. Petri di Castello, quamquam ei displicet capitulum non jam primis vesperis intervenire, tamen justis capituli rationibus adductus non se opponit et declarat ne populum quidem hoc male sentire, cum in parvo numero dictis vesperis praecipue festi S. Laurentii Justiniani assistat.“

Ex hisce quae exposita sunt duo praecipue obstare videntur capitularium petitioni; alterum est, quod dies festi, quando praesertim agitur de sacris officiis, in sensu juris a vesperis pervigilii ad vesperas insequentes incipere atque absolvi intelliguntur, ceu monet Benedictus XIV. in instit. eccles. 13. num. 8. ex concilio Compendii habito sub Gregorio IV. anno 833 quod etiam in capite primo de feriis describitur. Alterum est quod haec praxis in capitulo S. Marci hucusque servata fuerit, ita ut etiam ad primas vesperas in basilica S. Petri celebrandas se teneri plane intelligeret. Consuetudo autem optima legum interpres tum ex civili jure (l. 36. ff. de legibus), tum ex canonico (cap. Cum dilectus 8. de consuetudine) censetur.

Nihilominus videant EE. VV., utrum peculiares rerum circumstantiae a capitulo expositae aliter judicandum suadeant, sin minus tales eae sint, ut derogari bullae dispositioni, juxta Patriarchae votum, rite queat, quatenus de obligatione capituli etiam quoad celebrationem vesperarum pervigilii utriusque festivitatis in ecclesia S. Petri revera constare videatur.

Lectum.

331. Tuscanen. — Indulti.

Die 8. Julii 1854.

Ducentis circiter passibus a civitate Tuscaniae vetusta ac insignis exstat ecclesia Deo in honorem S. Mariae Majoris dicata. Collegium canonicorum inibi dudum erectum horas canonicas singulis diebus festis persolvere, plura obire anniversaria, sacrificia offerre, ac praeterea missam conventualem pro benefactoribus in genere quotidie sine cantu applicare obstringitur, quin tamen eidem diebus feriatis canonici adstare compellantur. Accidit autem ut saeviente hieme valde incommodus ad eamdem ecclesiam canonicis et capellanis pateat aditus, et vix aliquis fidelium ad eam soleat se conferre: cumque intra civitatis moenia aliam canonici habeant ecclesiam S. Laurentio nuncupatam, idcirco ab anno primum 1824 ad quinquennium, dein per alias prorogationes obtinuerunt, ut a die prima Novembris usque ad totum mensem Martium servitio chori, ceterisque ecclesiasticis functionibus ac missarum oneribus quae in praefata collegiata adimplenda forent, in altera ecclesia S. Laurentii satisfacere possent; cum obligatione tamen sese conferendi singulis sabbatis non festivis de praecepto ad collegiatam ecclesiam, ut ibi missam pro benefactoribus celebrarent.

Exspirato jam usque ab anno 1848 ultimo indulto, vel injuria temporum praeteritorum, vel obscitantia, uti inquit Episcopus, haud sollicitos sese praebuere canonici pro nova prorogatione obtinenda, ac solum mense Martio p. p. suas ad hoc renovarunt preces, addentes tamen ut tempus concessionis prorogetur a die prima Decembris ad totam quindenam paschalem, et in perpetuum, ut praecludatur aditus hujusmodi oblivionibus, et propriae conscientiae tranquillitati consultum sit.

Rogatus Episcopus informationem ac votum, hic suis literis diei 3. Aprilis p. p. primum de utriusque ecclesiae conditione verba faciens, animadvertit, ecclesiam S. Laurentii quae sita est intra moenia civitatis, cui etiam inest paroecia, ceteras ecclesias excellere, quia in ea corpora ss. martyrum majorum patronorum civitatis asservantur, atque ideo frequentem in eam fidelem populum convenire. Ecclesiam vero S. Mariae Majoris extra civitatem exstare, in loco dissito et valde incommodo praesertim hiemali tem-

pore, atque hinc sacris functionibus quae inibi celebrantur neminem unquam adesse, si excipiantur festa Annunciationis B. Mariae V. ejusdemque Assumptionis. Quibus perpensis per haec verba concludit: „Fateri debeo ecclesiam collegiatam S. Mariae, praeterquamquod multum incommodum, maxime in hieme, canonicis et beneficiatis afferat, etiam fidelibus nullius utilitatis esse, praecipue tempore paschali, quo nullus accedit non modo ad sacras functiones, sed nec etiam ad poenitentiae et eucharistiae sacramenta excipienda, imo nec accedere possunt, cum in ecclesia S. Mariae nec asservetur sacra eucharistia, nec adsint confessionalia, quae quidem incommoda non reperiunt in ecclesia S. Laurentii, quemadmodum experientia habetur in iis annis, quibus major hebdomada et dies paschatis incidunt in mense Martii. Itaque cum causae quarum vi hucusque hujusmodi indultum retulerunt canonici Oratores, verae et justae sint non modo, sed constantes et perpetuae, uti iterum affirmant, et aliunde cum dilatio indulti ad totam quindenam paschalem nimis diuturna non sit, excuperem, cum mei muneris sit majora, quo possum modo, fidelibus praebere media ad bona exercenda opera, ut capituli preces benigne excipiantur."

Ex praemissis patet easdem perdurare in themate causas, ob quas translationis indultum concessum, ac toties prorogatum fuit. Quae quidem cum constantes ac perpetuae sint, perpetuum etiam indultum suadere videntur. Divini imo cultus augmentum, ac majus christiani populi bonum, ut illud longius, ad totam nempe quindenam paschalem, protrahatur expostulant.

E contra cum maxime intersit, ne ea, quae sacris ministeriis dedicata sunt, temporum injuria adolescant, et ex hominum memoria excidant, ceu monet Conc. Trid. sess. 21. c. 7. de ref., profecto ne ecclesia S. Mariae Majoris percelebre antiquitatis monumentum jam nunc fere deserta in tristissimam hanc dijiciatur conditionem, valde praecavendum est.

Praevia condonatione quoad praeteritum, celebrata unica missa cum cantu et assistentia totius capituli in ecclesia S. Mariae Majoris, pro gratia quoad futurum juxta votum Episcopi ad decennium, excepto tamen festo Sanctissimae Annunciationis, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 1. Februarii 1868.

Ad exitum properante etiam hoc Sacri Ordinis indulto, rursus anno 1864 institit capitulum, uti pro novae concessionis gratia, ita etiam pro ampliori indulgentia, ejusque perpetuitate. Rogavit siquidem ut divina officia in perpetuum celebrari valerent in ecclesia S. Laurentii per majorem anni partem exceptis tantum aliquibus mensibus tempore vernali et autumnali.

Hujusmodi preces, defuncto interim Eminentissimo Episcopo Bedini, propitio sustentabantur suffragio vicarii capitularis Tuscanensis ecclesiae, qui audito capitulo perpensisque adductis causis, arbitrabatur concedendum fore novum indultum, idemque ita ampliandum, ut Oratores chori servitium aliaque officia, nec non anniversaria et missas legatorum obire et celebrare possent in ecclesia S. Laurentii a die 1. Nov. ad totam quindenam paschalem, nec non a die 1. Julii ad integrum Augusti mensem, reliquis vero anni partibus in collegiata. Ex audientia tamen Sanctissimi die 14. Novembris praedicti anni rescriptum fuit: „pro gratia prorogationis ad aliud decennium ad formam praecedentis induiti, in reliquis relatum."

Haud acquieverunt canonici Oratores ad hujus rescripti dispositionem, et die vigesima Maji anni 1867 novis exhibitis precibus, adductisque iterum, et magis forsan enucleate peculiaribus facti circumstantiis, adjunctisque

omnibus, quae ad rem plurimum facere arbitrati sunt, instanter rogarunt ut officium divinum obire possent mensibus Maji, Junii, Septembris, Octobris in ecclesia S. Mariae, reliquo tempore in ecclesia S. Laurentii. Re quidem vera etsi pauca in supplici libello invenerim, quae jam in praecedentibus exposita non fuerant, nihilominus quia eo tempore novus electus Episcopus ad dioecesim accessit, malui eumdem etiam audire, ut ipsius informatione et voto acceptis, rem in consessu EE. VV. proponerem, antequam rursus de ea, si opus esset, ad Sanctissimum Patrem referrem.

Canonici tum in primis, tum etiam in postremis precibus animadvertere non destiterunt, ecclesiam S. Mariae Majoris non modo hiemali tempestate, sed etiam aestiva nonnisi gravissimo cum incommodo adiri posse, ita ut novissime rogati hac super re duo illius regionis medici unanimi testimonio retulerint de periculo valetudinis, cui obnoxii essent canonici, si aestuante vel frigescente coelo templum illud ingrederentur, ut ibi diurnas horas persolverent. Quapropter cum iidem medici vetuerint, ut valetudinarii illuc accederent, et canonicorum numerus per se exiguus sit, et saepe minuatur adhuc ob aegritudinem alterutrius, vel ob loci distantiam, vel etiam ex eo quod prior capituli in parochiali ecclesia S. Laurentii suo munere fungi teneatur, non raro accidit, ut chorale servitium, et sacrae functiones non eo, quo par est, decore peragantur. Praeter haec vero constanter perpendendum exhibuere, in veteri illa ecclesia inutile prorsus et impotens evasisse collegium canonicorum ad spiritualia subsidia fidelibus offerenda, cum vel nemo ad illam accedat, nec sacra eucharistia ibidem asservetur, nec confessionalia reperiantur; quae quidem commoda praesto sunt in ecclesia S. Laurentii, in qua sedulam canonici navant operam in excolenda vinea domini, cum magna utilitate fidelium, qui frequentes ibidem conveniunt.

Hae sunt canonicorum deductiones: super his autem reverendissimus praesul, quae sequuntur retulit: „Tribus fere abhinc elapsis annis (ab ultimo scilicet indulto) ipsi canonici nova edocti experientia, ac urgentiori coacti necessitate supplicem libellum exhibuerunt . . . Rationes quas adducunt in examen vocavi, nec latum quidem unguem a veritate absonas esse agnovi . . . quare, ut ecclesiae collegiatae debitus honor concilietur, cum populi et capituli utilitate ac necessitate, Oratorum vota favorabiliter excipienda esse arbitror et enixe deprecor, ita tamen ut ipsi divina officia, et legatorum onera in ecclesia S. Laurentii valeant obire a die 1. Julii ad totum mensem Augusti, et a die 1. Novembris ad integrum Aprilem subsequentis anni, reliquis vero mensibus in collegiata implere teneantur, in qua insuper quolibet die sabbati, qui festivus non fuerit, conventualis missa celebranda erit, nec non agendo de more solemnitas Annuntiationis B. M. V. et ejusdem Assumptionis supplicatio incipienda, addita lege, ut in hoc postremo festo per integros octo dies post divina officia de sero adstante capitulo sacra functio in honorem Beatissimae Virginis solemniter fiat in ecclesia S. Laurentii.“

Ad haec, si quid pro meo munere licet animadvertere, pauca sapientiae EE. VV. submittam. Non agitur in themate de reductione servitii chori aut onerum missarum, sed tantummodo de ejusdem servitii et celebrationis missarum translatione ab una in aliam ecclesiam; quapropter si justis de causis vel necessitatis vel utilitatis utroque in casu procedendum sit, faciliori, ut videtur, indulgentia permitti potest prae reductione simplex translatio, in qua sane minus remittitur, Sacr. Congr. in Tranen. 22. Nov. 1738, et in Salernitana Servitii chori 23. Junii 1821. §. Verum. Causas vero hujusmodi translationis, scilicet tum servitii choralis, tum missarum

recenset Frances de eccl. cathedr. cap. 7. de caus. trans. per tot. et has inter videre est difficultatem locorum ex aeris intemperie: can. si quis etiam de consecr. dist. I. et cap ad audient. de eccl. aedif. Nec alienum est a disciplina sacri ordinis, ut ob coeli inclementiam et difficilem accessum indulgeatur quod majus est, nempe ut chorale servitium ad mediarias et tertiarias reducatur, ut in Ferentina Servitii chori 3. Aug. 1782, in Cusentina 23. Junii 1838. §. Canonicos, in Firmana 27. April. 1844.

Quod si causae hucusque adductae legitimae reputatae sunt favore eorumdem Orato um quoad eam anni partem, quae intercedit a die 1. Novembr. ad integram quindenam paschalem, judicent Eminentiae Vestrae, utrum ex iisdem fere rationibus, et ex his, quae mox retulimus ex libellis canonicorum, et ex literis Episcopi, idipsum permittendum videatur etiam pro aestivis mensibus Julii et Augusti. Statuere praeterea dignentur, num indulti gratia in perpetuum concedenda sit, ceu perpetuae videntur esse ejusdem causae, vel potius ad tempus quod magis consonum est praxi Sacri hujus Ordinis.

Ceterum si Eminentiae Vestrae censuerint annuendum esse canonicorum votis, per exceptiones, quae hucusque appositae fuerunt in praecedentibus indultis, et per ulteriores conditiones, quibus indulgentiae ampliationem alligari cupit Episcopus, satis provisum esse videtur, ne vetus ecclesia deserta omnino fiat omnique cultu spoliata; quod cavendum diligenter est juxta praescriptum Conc. Trid. in sess. 21. cap. 7. de reform.

Dilata et scribatur Episcopo juxta mentem.

Die 18. Julii 1868.

Mens fuit, ut Episcopus magis praecise referret super oneribus missarum, legatorum, anniversariorum, sacrarumque functionum, quae ab ecclesia S. Mariae Majoris ad S. Laurentii transferendae forent: quinam reditus cuique praebendae inesset; an chorale servitium quotidie praestetur, et utrum incolae penes veterem ecclesiam inhabitent. His omnibus satisfecit Episcopus, et quoad primum onerum tabellam transmisit, ex qua erui videtur universa onera annuatim adimplenda in ecclesia S. Mariae esse triginta tria anniversaria, et missas lectas tres supra tercentum. Ex his decem anniversaria celebrantur certis anni diebus infra octo menses, in quibus officiaturae translatio efflagitatur; cetera ad libitum, vel in reliquis quatuor mensibus recoluntur.

Missae vero centum et octo celebrandae sunt ad libitum infra annum: reliquae stata die in hebdomada vel in mense dispertitae reperiuntur ita, ut plurimae incidant in praedictis octo mensibus. Praeter haec aliae non videntur adesse in S. Maria sacrae functiones, quae transferendae forent. Solemnia enim sacra, quae de more fiunt tum die Annuntiationis, tum Assumptionis B. M. V., sub indulto non cadunt, sed manent juxta petita in veteri ecclesia.

Transmisit praeterea Episcopus singulos praebendarum status, qui in s. visitatione exhiberi solent, ex quibus patet prioralis praebendae reditus ab omni onere solutos ascendere ad scut. 238. 76; ceterarum vero praebendarum uniuscujusque scut. centum attingere. Chori servitium ad dies festos tantum coerceri extra omnem dubitationis aleam esse ait, nec ullum exstare documentum, quod hujusmodi praxi et statuto capitulari adversetur. Prope vero ecclesiam S. Mariae Majoris nemini incolatus esse, nec esse posse subdit non modo ob aedium defectum, sed et ob aeris inclementiam et loci squallorem.

His, quae Eminentissimus Episcopus nuper in facto retulit addendum est, quod adnotatum exstitit in folio pro congregatione diei 1. Februarii 1868 distributo, quod ut ex benignitate reassumant EE. VV. iterum adprecor. Utrum vero adductae causae tantae sint, ut mereantur et choralis officiaturae et aliorum onerum translationem derogando piae fundatorum voluntati, sapientia et religio EE. VV. judicabit. Illud in jure addendum puto, quod quoties in facto intercesserit evidens ecclesiae necessitas vel utilitas, onerum translationem indulgere consuevit S. H. O., ut videre est in Bononien. 28. Julii 1724 et in Comen. Translationis missarum 24. Novembris 1764, praesertim si nec divini cultus detrimentum, nec populi incomodum pertimescendum foret ut in una Leodien. Reductionis et translationis 24. Maji 1823 et in Lunen. Sarzanen. Reductionis 17. Septembris 1831. §. Ex. Neque ex hoc defunctorum animae suffragiorum jacturam patiuntur, cum missae sacrificium quacumque in ecclesia celebretur eodem semper modo defunctis prodesse tradit Pasqualig. de sacrif. missae quaest. 449. n. 9. §. Hisce. Verumtamen caute semper processit S. Congregatio in translationibus indulgendis ut videre est in una Montis Alti Absolutionis, reduct. et translationis 21. Julii 1832, praesertim cum in ecclesia, ex qua transferendae sint missae, corpora testatorum, quibus parentandum est, sepulcro condita fuerint. Hac de causa missarum translationem denegavit S. Congregatio in Lucana, Reductionis, translationis et absolutionis 4. Dec. 1833.

Pro gratia juxta votum Eminentissimi Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

2. Anticipatio vesperarum.

332. Amalphitana. — Servitii chori.

Die 26. Februarii 1859.

Canonici ex-cathedralis ecclesiae civitatis Ravello exponunt: in eorum ecclesia, in qua officiatura choralis non est quotidiana, consuetudinem invaluisse, ut diebus dominicis aliisque festivis, quibus non succedit alius dies festus, unde canonici ad chorum accedere deberent, secundae vesperae mane post celebrationem missae conventualis recitentur. Cum vero ex mero arbitrio invectam atque adeo illegitimam esse noverint hujusmodi consuetudinem, humili studio postulant, ut, praevia absolutionis venia quoad praeteritum, praedicta consuetudo pro futuro tempore Apostolica sanctione confirmetur. Cum enim major capituli pars canonicis parochis constet, graves quibus premuntur parochiarum regendarum curas impedimento esse asserunt, quominus ad vesperarum recitationem tempore ab ecclesiae disciplina praestituto conveniant.

Super oblatis precibus haec significanda censuit Archiepiscopus: „Ecclesia ex-cathedralis Ravelli capitulo numerato gaudet, quod dignitatibus sex, ac totidem hebdomadariis praeter canonicos decem constare deberet: at deficiente populo, illorum quoque decrevit numerus, et in praesenti vix septem reperire fas est, qui nulla potiuntur praebenda, sed singulis de communi mensa scutata circiter viginti obtingere possunt. Onera vero eisdem incumbentia sunt, choro inservire quolibet sabbato et dominico die ad vesperas, et ad horam tertiae, et ad missam conventualem, quae in Domini festis ceterisque solemnioribus anni diebus debet celebrari cum cantu. Officium praeterea integre recitare tenentur in festis Beatissimae Virginis, Sanctorum

Apostolorum, S. Josephi, S. Pantaleonis martyris principalis patroni, S. Barbarae, ac die secunda et tertia Novembris, ac per totam majorem hebdomadam, primis tribus diebus exceptis, in quibus una missa cum cantu celebratur. Tandem toto tempore adventus et quadragesimae qualibet secunda, quarta, et sexta feria omnes ad missam cum cantu celebrandam convenire, uti et in festo S. Marci, ceterisque rogationibus missae ac processioni interesse, ac in festis unius praecepti missae conventuali satisfacere coguntur. Jure legati demum capitulum gravatur missis planis sexaginta, et anniversariis octo pro quolibet anno.

„His praemissis clare patet, ecclesiam praedictam sacerdotum versari defectu, et animarum curam per quatuor paroecias distribuam, eorumdem, qui canonici sunt, operam sibi vindicare, neque per alios hujusmodi ecclesiarum necessitati suffragandi adest copia. Antiquitus una cathedralis ecclesia exstabat titularis paroecia, unde in ea tantum fons baptismalis reperitur erectus, quo e singulis modo existentibus paroeciis infantes regenerandi afferri debent. Ab anno vero 1604 auctoritate Episcopi Biennio oleum infirmorum ac sacrosancta eucharistia penes dictas ecclesias asservatur. Quamobrem canonici minime devincti quotidiano servitio illas capellas quodam privilegio regebant, et deinde in paroecias erectas de illis provideri hactenus necessitate consueverunt, quae ad horae spatium vel minus ab ecclesia excathedrali distare videntur, accessu licet non facili ob vias praeruptas ac incedentibus summo labore. Horum intuitu vesperas de mane praemittere, uti in precibus exponitur, benigno favore Eminentissimi Patres concederē dignentur, ne animarum cura detrimentum ullum patiatur, et divino cultui hac in parte pro viribus satisfieri valeat.“

Cum pro canonicarum horarum recitatione in choro certa praestituta sint tempora, quae servanda omnino sunt, nisi interdum adsit justa et rationabilis causa differendi vel anticipandi, videndum an allatae in themate causae ejusmodi sint, quae expositam consuetudinem probandam, ad tempus saltem, suadeant. S. autem Congregatio hujusmodi concessiones juxta rerum et circumstantiarum varietatem aliquando largita est, saepe etiam denegavit, ceu patet ab exemplis relatis in Civitatis Castelli, Servitii chori 16. Julii 1853 proposita inter summaria precum. Quod si aliquando consuetum ordinem inverti permissum est ob aeris vel ecclesiae frigiditatem, aliasque consimiles causas, unde iteratus ad ecclesiam accessus grave incommodum canonicis afferret, eo vel magis in pretio habenda adducta in precibus causa videtur, prospiciendi scilicet spirituali fidelium bono et curae, quod majoris partis canonicorum supplicantium onus est.

Pro gratia juxta votum Archiepiscopi ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

333. Neapolitana. — Servitii chori.

Die 20. Aprilis 1850.

Usque ab anno 1841 preces dederunt huic S. Ordini canonici ecclesiae collegiatae S. Joannis majoris in civitate Neapolis, facultatem postulantes recitandi vesperas diebus tantum ferialibus de mane immediate post missam conventualem. Ex lege siquidem fundationis vel statuto diebus ferialibus chorale servitium demandatum est primicerio, canonicis et hebdomadariis alternatim per hebdomadas explendum in cantu missae conventualis tantum, et in recitatione vesperarum hora competenti post meridiem, diebus vero fe-

stivis omnes convenire debent qui choro addicti sunt, et missae conventuali horam tertiam vel nonam juxta temporum diversitatem praemittere tenentur cum cantu.

Causam vero pro petita anticipatione seu reductione servitii choralis obtinenda adducebant redituum capitularium diminutionem, et longaevam quorumdam canonicorum aetatem, quibus valde incommodus, attenta etiam distantia illorum habitationis ab ecclesia collegiata, ad eamdem bis in die reddebatur accessus. Exponebant insuper vespertinum servitium, ex quo redituum diminutio contigerat, absque venia fuisse praetermissum, ut capitulares ex aliis honestis muneribus conveniens lucrum sibi quaererent ad decentem ipsorum exhibitionem comparandam.

Eminentissimus Archiepiscopus super precibus rogatus retulerat: „Reditus collegiatae ad annua duc. 700 circiter ascendunt praeter praebendam ducatorum ann. 4 vel 5. Sunt 14 canonici incluso primicerio, ita ut quisque circa 50 duc. recipiat. Olim reditus majores erant ex emolumentis funerum profluentes; sed nunc hae cadaverum associationes cesserunt propter coemeteriorum institutionem et augmentum congregationum laicarum.“ Deinde addens Archiepiscopus, rationem esse habendam tenuitatis redituum et variarum canonicorum occupationum concludit pro concessione imploratae anticipationis vesperarum, usquedum reditus augeantur ad sufficientem Oratorum sustentationem.

Cum autem instantia canonicorum nondum fuisset proposita, opportunum judicavi hodiernum Eminentissimum Archiepiscopum super precibus percontari, qui breviter respondit sese omnino opinioni antecessoris sui adhaerere.

Anticipatio vesperarum, quae petitur in casu, aequivalet verae reductioni choralis servitii; concesso enim indulto, accessus ad ecclesiam et chori servitium, quod juxta capitularia statuta duabus vicibus quotidie, mane scilicet et vespere praestandum est, ad unicam tantum reducitur vicem in horis matutinis, quod profecto aliquod cultui ecclesiae parare potest detrimentum. Neque justa causa juvari Oratores videntur, eam reponentes in redituum imminutione. Id siquidem in more positum est, ut 30 vel 40 annua scutata sufficiant a singulis choro addictis percipienda pro choralis servitii reductione deneganda, veluti adnotatur in Civitatis Castellanae 22. Januarii. §. Pro reductione, in Puteolana 26. Februar. §. Erit, in Aretina 9. Julii. §. Sed. et in Verulana 17. Septembris. §. Haud, quae omnes anno 1842 fuerunt coram S. H. O. propositae. Canonici autem Oratores tria vel quatuor scutata romana supra quadraginta ex communi massa singuli percipiunt.

At vero hujusmodi regula generica est, nec mathematica consideratione accipienda est: illius enim regulae ratio praecipuum habet fundamentum in praesumptione, quod annua summa, ut supra enunciata, pro congrua canonicorum sustentatione sufficiat; in contraria autem hypothesi, licet annui reditus summam praefatam excedant, ex S. Ordinis praxi choralis servitii reductio denegari non solet; nam, si reditus decenti inservientium exhibitioni pares non essent, missarum etiam reductionem interdum concessit, ut in Calaritana 22. Febr. 1823. Jam vero haec adamussim in themate concurrere uterque testatus est Archiepiscopus; neque mirum videri potest, si loci ratio habeatur; in urbe siquidem regni principe majores profecto quam alibi expensae requiruntur pro congrua canonicorum sustentatione. Redituum insuper tenuitati longaeva etiam nonnullorum canonicorum aetas adjicitur, qui magnum persentiunt incommodum ex repetito accessu ad collegiatam eodem die, habita praesertim ratione distantiae habitationis illorum ab ecclesia.

Accedit quod strictim sumpta petita anticipatio dici nequit vera servitii reductio, sed horae tantummodo commutatio, cum integra persolvatur officiatura a fundatore vel statuto praescripta. Neque detrimentum obvenit ecclesiae cultui, cum diebus tantum ferialibus expetitum cohibeatur indultum, quod novum equidem non est, nam pluries similia dedit haec S. Congr., ac praesertim in Caven. et Sarnen. 14. April. 1832 concessum est capitulo Sarnen. ex parvo numero inservientium, ad quinquennium, nisi prius numerus canonicorum augeretur. Quatenus vero simile canonicis Oratoribus indultum impertiri placeat Eminentissimis Patribus, ad tempus limitari illud expediet, adjecta clausula nisi prius augeantur reditus juxta votum Eminentissimi Archiepiscopi.

Animadvertendum denique est absolutione et sanatione etiam Oratores indigere quoad praeteritum, cum proprio marte id perfecerint, quod absque Apostolica venia facere nequibant.

Consulendum Sanctissimo pro absolutione et condonatione fructuum perceptorum arbitrio Eminentissimi Archiepiscopi; quoad futurum non expedire.

3. Anticipatio matutini.

334. Nucerina. — Anticipationis Matutini.

Die 20. Aprilis 1850.

Sentinum vulgo Sassoferrato est oppidum Nucerinae dioecesis satis amplum, cujus major incolarum pars in planitie degit, et reliqui collem incolunt, in cujus summitate templum exstructum est in honorem S. Petri, cui duodecim inserviunt canonici per alternas hebdomadas. Quamvis ecclesia haec collegiata a commodiori oppidi parte, quam plerique incolunt canonicorum, passibus fere tercentum et non amplius distet, iter tamen ad illam brumali praesertim tempore valde asperum experiuntur ascendentes, cum collem ipsum, quo oppidum est aedificatum, undique fere Appennini montes proxime circumstent. Ex quo fit, ut templum ipsum, ab alio quolibet aedificio sejunctum, summo frigoris rigore horis maxime matutinis teneatur, unde divinas laudes concinentes in officiatura longius protracta grave persentiant incommodum. Huc accedit, quod canonici occurrere volentes spirituali animarum bono tempus matutinum impendant in administratione sacramentali poenitentiae, quod brevioribus hiemalibus diebus incompatibile redditur profecto cum longiori chori servitio, quod in recitatione matutini cum laudibus et reliquis horis canonicis usque ad nonam inclusive, et in cantu missae conventualis absque ulla interruptione persolvitur.

Hisce rationibus permoti supplices porrexerunt preces canonici, ut privilegium consequerentur recitandi matutinum cum laudibus post vesperas et completorium diei praecedentis a die prima Novembris usque ad feriam tertiam majoris hebdomadae, quod insuper ad vigiliam S. Marci evangelistae, ac ad triduum rogationum efflagitant protendendum. Huic petitioni canonicorum favorabile dedere suffragium vicarius primum capitularis, ac novus deinde adlectus Episcopus, quibus preces pro informatione et voto fuere remissae.

Ea profecto est ecclesiae universalis disciplina ut in omnibus cathedralibus et collegiatis ecclesiis horae canonicae debitis temporibus recitentur, ita nimirum ut horae matutinae de mane, vespertinae autem de vespere persolvantur, cui laudabili disciplinae absque gravi causa non esse derogandum

notat Fagnan. libr. 1. decret. cap. Consuetudines de consuetud. num. 14. et S. Congregatio in Cingulana Servitii chori 29. Martii 1817. §. Primum dubium et Caven. indulti 24. Martii 1832. §. Ea primis, alibique passim. Ubi tamen aliqua necessitatis causa concurrat, denegare non solet eadem S. Congregatio opportunum indultum, quo horae canonicae alio, quam praestitutum est, tempore recitentur: imo rem totam in hac materia componendam remittit arbitrio Ordinariorum, ceu innumera testantur exempla, ac praesertim quoad anticipationem matutini cum laudibus videre est in Abulen. 23. Januar. 1790, in Cingulana 29. Martii 1817 in Pisauren. 27. Aprilis in Casalen. et Massanen. 14. Decembris 1822 et in Aunecien. 13. Martii 1841.

Nihilominus haud una eademque solet esse ratio, quae in similibus indultis concedendis servatur. Quoties enim causa concessionis est suapte natura perpetua, veluti aeris inclementia, regionis intemperies, loci situs alpestris, vel nimis protracta officiatura in horis matutinis cum brevioribus hiemis diebus conjuncta, nulla temporis limitatione coarctari solet indultum, ut in citatis Abulen. Cingulana, Pisauren. et Annecien. Sin autem causa, ob quam indultum postulatur, sit temporalis et variabilis, quales sunt parvus inservientium numerus, aetas nonnullorum ingravescens et adversa valetudo, vel demum necessitas administrandi poenitentiae sacramentum per capitulares, ad quinquennium vel decennium cohiberi solet indultum, cujus rei habetur exemplum in cit. Casalen. et Massanen. diei 14. Decembris 1822. Quoniam insuper hujusmodi indultum anticipandi matutinum cum laudibus post completorium diei praecedentis, ut plurimum, pro tempore hiemali postulatur, ut in casu, addi propterea consuevit clausula dummodo elapsa sit hora tertia post meridiem.

Hisce praehabitis, dijudicabunt Eminentissimi Patres quodnam conveniat responsum precibus canonicorum Oratorum, cum ex duabus causis ab iisdem adductis una perpetua videatur, quia rigor hiemalis, situs ecclesiae collegiatae, et longius chori servitium matutinum semper durare censentur, altera autem temporanea, quia adaucto confessariorum numero, necessitas administrandi hujusmodi sacramentum ex parte canonicorum fortasse cessabit.

Non expedire.

335. Balneoregien. — Servitii chori.

Die 25. Junii 1864.

In cathedrali ecclesia Balneoregiensi ab antiquis temporibus, ut referunt statuta capitularia diei 10. Januarii 1808 ab Episcopo Cordella approbata, consuetudo viguit „post completorium praecedentis diei (sunt verba cap. 3. constit. capitul.) recitandi matutinum sequentis diei toto tempore quadragesimali, ac in iis feriis adventus praecedentibus dies festivos, quibus concio habetur“. Etsi nil contra hujusmodi consuetudinem animadvertendum habuerint praedecessores hodierni Episcopi, non ita tamen huic visum est, qui cum agnoverit, ut ipse ait, capitulum Tipherni Tiberini aliaque cathedralia capitula reputasse divinarum laudum pensitationem exsolvendam esse horis antemeridianis in quadragesima, licet aliqui ex choralibus consuetudinem afferrent praemittendi die antecedenti matutinas horas, idipsum pro sua cathedrali ecclesia in examen revocandum censuit. Quare consentientibus studiis capitulares conventus habiti sunt; canonistarum doctrina discussa, et sapientium responsa exquisita; donec tandem exposita quaestione ab eodem Episcopo in

prima relatione status ecclesiae suae ad hanc Sacr. Congregationem, responsum ipse accepit sub die 20. Decembris 1858, quo necessitas afferebatur ratihabitionis hujus Sacr. Ordinis, ut adducta consuetudo canonicis suffragari valeret.

Vix duobus elapsis mensibus ab hujusmodi Sacrae Congregationis responso capitulum supplicem Sanctissimo Domino Nostro libellum exhibuit expostulans „facultatem anticipandi matutinum tempore quadragesimali secundum antiquam consuetudinem et id quidem, ut horis matutinis confessionibus audiendis vacare possint unica tantum parochia existente.“ His super precibus die 12. Martii 1859 rogatus est Episcopus informationem et votum utque referret super asserta consuetudine, sin minus de legitima concessionis causa. At nullum per quatuor annos responsum datum est, et interim capitulum licet propitium suis precibus rescriptum exspectans, laudabili pietate et obedientia, ut habet Episcopus, generalibus rubricarum ordinationibus satisfecit.

Attamen initio hujus anni novas Sanctitati suae preces capitulum porrexit, quibus, adducta prius antiqua consuetudine juxta capitulares constitutiones, ut supra, ita prosequitur: „Ultimis 4 annis, quibus ex obedientia erga Episcopi mandatum longaeva consuetudo anticipandi matutinum interrupta est, experientia docuit, hoc modo tempus deficere confessionibus audiendis et aliquos canonicos impediri, quominus praesertim diebus festis hora populo commodiore missam celebrent. Itaque humillime capitulum gratiam expetit, ut omnibus diebus quadragesimae et adventus, diebus festivitates praecedentibus, tribus diebus rogationum, diebus festis protectoris S. Bonaventurae et conprotectoris S. Hildebrandi, quibus mane processio habetur, diebus quatuor temporum et vigiliarum S. Apostolorum, quibus secunda missa cantatur, post completorium diei praecedentis matutinum et laudes recitare possit.“

Iterum ergo rogatus est Antistes Balneoregiensis, prout anno 1859, idemque decretum transmissum fuit; isque literis 2. Febr. hujus anni, mentem suam aperiens: „existimo, ait, distinguendum esse chorale servitium, ne canonicorum petitio commendetur a nimis facili pastore ad destructionem; sed cedat ad aedificationem quam petunt Apostolica concessio.“

„1. Distinctio: aut agitur de quadragesimali tempore, aut de aliis diebus in postremo libello indicatis, et antea mihi reticitis.“

„2. Distinctio: aut chorale obsequium ab universo psallentium coetu adimpletur, aut deficiunt capellani, aut deficit insuper una ex massis canonicorum.“

„Praejactis his distinctionibus, statuendum videretur.“

„1. Si integrum sit canonicorum et capellanorum die praecedenti servitium, posse matutinum cum laudibus diebus indicatis praemitti, servatis ritibus pro majori solemnitate prout in duplicium liturgicorum distributione et prout in constitutione.“

„2. Si deficiant capellani, sed commune sit servitium pro canonicis, posse tota in quadragesimali periodo ac in feriis adventus praecedentibus dies festivos, in quibus concio habetur, pariter matutinum cum laudibus praemitti.“

„3. Si canonicorum una sit massa devincta, altera vacans, tunc Episcopi expediret petendam esse veniam ad actum tum ad obedientiae professionem, tum ad prudenter rerum adjuncta pensanda, ne obligatio die sequenti ab integro corpore satisfacienda a minori parte die praecedenti exsolvatur.“

„Infrequens non est, ob causas in libello expressas, aliasque eventuales, quatuor, quandoque tres adstare, aliqua vice nec tertium paratum esse ad chori implementum.“

Nullum quidem dubium, quin chori servitium juxta ecclesiae leges certis statutis horis persolvendum sit: Clementina siquidem de celebr. missar. cap. 1. palam decernit ut in cathedralibus, regularibus, et collegiatis ecclesiis horis debitis devote psallatur. Quod ipsis praeterea nominibus canonicarum horarum, et suis respectivis hymnis satis aperte indigitatur. Quanam autem hora recitandum sit matutinum cum laudibus (laudes enim a matutino non sejunguntur nisi in nocte Natalis Domini, ceu auctoritate Amalarii docet Benedict. XIV. Instit. eccl. 24. n. 9. et 107. n. 20.) non eadem semper praxis in Ecclesia fuit. Olim Christiani, ut refert Card. Bona tract. de div. psalmod. cap. 4. §. 3. n. 2. tribus primis vigiliis tres nocturnos divisim, quarta vero vigilia laudes recitabant. Tantus erat ardor caritatis ut quater in nocte surgerent ad orationem. Tempus mediae noctis pro matutino praescribitur cap. 1. de celebr. missar. in fin., ubi dicitur per hanc horam expleri illud psalmi 118 „media nocte surgebam ... ergo his temporibus laudes Creatori nostro super judicia suae justitiae referamus.“ Haec autem nocturnae orationis methodus vix extra religiosorum monasteria in ecclesiis saecularibus hodie perseverat, et dum matutinum et laudes juxta communem usum in privata divini officii recitatione licite praemittuntur post completorium diei praecedentis, ut post D. Thomam in Quodlibet 5. quaest. 13. art. 28. ceu omnes doctores tenent, quia „quantum ad ecclesiasticum officium, et solemnitatum celebrationem dies incipit a vesperis,“ in choro tamen hujusmodi anticipatio locum non habet, nisi ultimis diebus majoris hebdomadae; sed inducta est consuetudo et disciplina, ut matutinum et laudes circa auroram paulo ante ortum solis recitentur. Quod nomen ipsum matutini clare ostendit, et aurorae mentio, quae in laudibus incidit magis comprobat: Bened. XIV. inst. eccl. 24. n. 9. et de syn. dioec. lib. 13. c. 9. n. 13.

At licet hora recitandi matutinum mane diei immutari non debeat, consentiunt tamen doctores, posse Episcopos ex rationabili causa in hac temporis circumstantia, licet tantum ad actum, dispensare. Haec vero Sacra Congregatio die 12. Novembr. 1644 consulta ea super re „censuit petitam facultatem recitandi matutinum post completorium praecedentis diei esse concedendam, pro arbitrio tamen Episcopi, lib. decr. 17. pag. 379. Benedict. XIV. loc. cit.

Re quidem vera cum ad hujusmodi gratiam obtinendam justa aliqua causa requiri soleat, non raro ab Apostolica Sede rejectae fuerunt canonicorum preces ad memoratum effectum exhibitae, ceu videre est apud Gardellini decr. authent. Congr. SS. Rituum n. 102. 105. 111. et 4062. et in Parmen. 31. Maji 1794, in qua cum anticipatio matutini expostularetur ob frigiditatem non coeli sed ecclesiae ex marmore constructae, Sacra haec Congregatio ad dubium: „An sit concedendum indultum etc.“ respondit: „Negative.“ Contraria tamen non desunt exempla ob rationabiles causas, quae in porrectis precibus exhibitae huic Sacro Ordini aliquando fuerunt. Et his praetermissis exemplis, quae propitium sortita fuerunt effectum ob climatis rigorem et ob frigus horis matutinis nimis incommodum, et sanitati corporum perniciosum, uti in Montis Pontiani 26. Junii 1723 aliisque ab ipso Benedicto XIV. de syn. dioec. l. c. allatis; binas afferam Sacr. hujus Ordinis resolutiones ad casum de quo agitur aptiores.

Praemittam canonicos Oratores indultum anticipationis exoptare, ut tuta conscientia longius quo fieri poterit matutinis horis in ecclesia cathedrali, quae unica in civitate parochia est, excipiendis fidelium confessionibus vacent, cujus sacramenti administratio valde Deo accepta est, et magnopere

animabus proficua, ita ut ob bonum publicum et publicam utilitatem, quandoque onus audiendi confessiones etiam oneri celebrationis missarum praeferri meruerit, quoties de alterutrius reductione quaestio proponeretur, ut in Aquen. 19. Dec. 1772. Jam vero in Casalen. 21. Sept. et 14. Dec. 1822, cum anticipatio matutini expostularetur inter alias causas ob theologi et poenitentiarii officium, et ob munus ad fidelium confessiones excipiendas pluribus canonicis concreditum, et magnum obveniret fidelibus detrimentum, quoties ob recitationem matutini cum laudibus mane diei festi ab hujusmodi administrando sacramento canonici distraherentur, ad dubium: „An et quomodo sit concedendum indultum in casu," responsum prodiit: „Affirmative arbitrio et conscientiae Episcopi ad decennium facto verbo cum Sanctissimo." Et in Massanen. 14. Decembris ejusd. anni 1822 eodem proposito dubio, eadem causa audiendi confessiones concurrente, rescriptum est: „Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium facto verbo cum Sanctissimo.

Accedit in casu, non agi in exhibitis precibus de nova gratiae concessione, sed de confirmatione immemorialis consuetudinis, quae licet in facto interrupta fuerit quatuor his ultimis annis, ne canonici Episcopi voto se opponerent, neve per inobedientiam communem pacem turbarent, in jure tamen adhuc perseverasse reputari posset, cum idem canonici ubi ex literis S. Ordinis resciverunt, eamdem consuetudinem S. Sedis approbatione indigere, statim a Sacratissimo Principe ratihabitionem expostularunt, et exspectantes usque felicem precum suarum successum ab antiquo ecclesiae Balneoregiensis more recesserunt. Dum vero eamdem ratihabitionem orant, non in proprium commodum gratiam expostulant, sed ut melius fidelium utilitati et necessitati provideatur. Quare nec Episcopi propitio suffragio destituuntur, licet idem suffragium certis nonnullis conditionibus limitetur, quae sapienti judicio Eminentiarum Vestrarum subjiciuntur. Item ab Eminentiis Vestris perpendendum est, utrum vetus consuetudo approbanda, vel potius indultum concedendum sit; in utroque vero casu utrum adducta a canonicis causa pro iis etiam diebus suffragetur, quae in precibus indigitantur, licet vetus consuetudo nonnisi quadragesimale tempus et ferias adventus respiciat, quae festivos dies, quibus concio habetur, praecedunt.

Pro gratia juxta votum Episcopi ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

4. Reductio officii.

336. Lauretana. — Dispensationis.

Die 23. Aprilis 1853.

Penes cathedralis Lauretanae capitulum ab immemorabili viget consuetudo, ut, obvenientibus solemnibus aut extraordinariis functionibus in eadem basilica frequentissime absolvendis, unde longius, quam par est, choralis officiatura protrahitur, Episcopus rogatu capituli dispenset a chorali recitatione horarum sextae et nonae ac completorii, prout rerum adjuncta suadere videntur. Dubitavit hodiernus Episcopus, utrum toleranda in posterum sit hujusmodi consuetudo, quod causae fuit, ut deputati a capitulo supplici libello ab S. H. O. postularent, ut definiretur, capitulum manutenendum esse in possessione hujusmodi indulti, ac proinde Episcopo fas esse dispensationem, gravibus concurrentibus causis, elargiendi.

Ex ejusdem Episcopi relatione eruitur, consuetudinem, de qua supra, reapse in cathedrali vigere: addit praeterea ob unicitatem ecclesiae, in qua

omnia sacra sive ordinaria, sive extraordinaria absolvuntur, praesertim solemnia missarum, quae votivae nuncupantur, quaeque quotidie diva in aedicula fiunt, officiaturam praefatam saepe saepius die multo provehi; hinc licet et ipse fateatur, sacros canones huic consuetudini adversari, tamen rem ita componi ac temperari posse proponit, nimirum „quoties hujusmodi dispensationem dari contigerit, a capitulo crederem de hac facultate rogandum esse Episcopum, cui si videbitur, utique ipse sinat ut horas illas canonicas, vel sextae vel nonae vel completorii, loco universi capituli hoc onere exempti tres tantum qualibet vice, idest canonicus, beneficiarius, et clericus beneficiarius alternatim, seu ut vulgo ajunt, per turnum, aut in choro, aut extra chorum in alio sacello pro ejusdem Episcopi arbitrio voce remissa dicant.“

Postremo animadvertendum in facto dispensationem concedi solere hisce in casibus, nimirum, quando Episcopus pontificalia agit, quando solemnes gratiarum actiones sunt exsolvendae, vel missae cum cantu votivae tam pro vivis, quam pro defunctis celebrandae, vel cadavera associanda, aliaeque adventitiae functiones peragendae, cum concio habetur, vel quando sanctuarium visitatum petunt principes et cardinales, qui ad ecclesiae januam a capitulo et clero excipiendi sunt, aliisque extraordinariis functionibus.

Nemo nescit, integrum divinum officium a canonicis in choro esse persolvendum, Trid. synodus sess. 24. cap. 12. de reform. maxime si agatur de ecclesia cathedrali vel de insigni collegiata, in quibus, quidquid invectum fuerit in divini cultus detrimentum etiam ex immemorabili consuetudine, tamquam abusus et corruptela reprobatur. Solet quidem quandoque ob gravissimas causas, ut puta, ob aeris inclementiam, ecclesiae distantiam, et difficilem accessum, vel ob praebendarum tenuitatem chorale pensum a S. Ordine moderari, illud cohibendo ad tertiariam vel mediariam; vel ad certos dies, uti plura in thesauro resolutionum prostant exempla: ast nullum datum est reperire, in quo integrum capitulum ab officii choralis parte, praesertim pro enunciatis in facto circumstantiis, fuerit dispensatum.

Ast quoniam exploratum est, frequentiam functionum in unica ecclesia explendarum non levis oneris atque incommodi choralibus esse, ideo viderint EE. PP. utrum probandum saltem sit temperamentum ab Episcopo propositum, quo integritati choralis officiaturae prospectum videtur.

Abusum de quo agitur, non esse tolerandum.

Die 17. Decembris 1853.

Capitulum Lauretanae ecclesiae inimica resolutione perculsum deductiones in sui favorem pinguiores affert, quae huc redeunt.

Compertissimum est, capitulum jus habuisse ab immemorabili pacifica possessione comprobatum dispensandi se, cum solemnia pontificalia occurrunt, ab recitatione completorii post primas vesperas, nec non sextae et nonae post pontificalem missam; similiter ab immemorabili jus implorandi eamdem veniam ab Episcopo vel ejus vicario, cum extraordinariae functiones fiunt, aut ob musice concinentium choros (quod in eo perinsigni templo haud est infrequens) aut ob solemnes supplicationes; nam hisce in casibus choralis officiatura sero nimis post meridiem protraheretur. Idcirco factum est, ut, non obstante inimica resolutione edita a S. Rituum Congregatione die 16. Martii 1833 super consimili petitione facta a Civiplebensi capitulo, omnem suspicionem tunc primum obortam circa Lauretanum capitulum in animo Episcopi, eliminaverit idem Episcopus Bernetti rescripto die 17. Januarii 1846 per clausulam, ut nihil innovetur, attentis nimirum exceptionalibus causis ac

specialibus rerum adjunctis, quae pro Lauretana ecclesia militant; uti ex archivio capitulari, miscell. vol. 30.

Porro nullum in eodem archivio denegatae hujusmodi dispensationis monumentum exstat; quin et varia exempla prostant indultorum quae hac desuper re Lauretani Episcopi praebuere, ceu factum fuit sub die 2. Decembr. 1751, cum ob concionem capitulum expostulabat dispensari a sexta et nona sicut usus invaluerat ab immemorabili tempore propter multas et longas ecclesiae functiones; et sub die 9. Januarii 1757, quo ab completorio dispensatum fuisse constat ob hymni Ambrosiani cantum pro reddita incolumitate Benedicto Pontifici fel. record. XIV., missis aliis factis, quae idipsum revincunt.

Praeterquamquod illius cathedralis ecclesiae unicitas efficit, ut omnes inibi sacrae functiones peragendae veniant, ut puta tridua, novenae, sacra exercitia, doctrina christiana, solemnes gratiarum actiones, missae cantatae pro vivis vel defunctis, associationes cadaverum, solemnes receptiones Principum et Cardinalium etc. Quibus addendum crebro evenire, ut eo intervallo, quod intercedit inter matutinum et horam tertiam, tres aut quatuor missae, quandoque etiam sex, ex stricto jure canendae sint, ut adeo recitandae tertiae tempus, ac celebrandae conventualis missae, nonnisi post meridiem suppetat; quibus potissimum in casibus ab immemorabili dispensare visum fuit. Atqui nedum immemorialis, sed centenaria quoque consuetudo „etiam in actibus ecclesiae praejudicium divinique cultus decrementum inferentibus, plenam amplissimamque inducit cujuscumque melioris tituli, ac proinde Apostolici etiam beneplaciti praesumptionem.“ Ita post Urban. VIII. in constit. Romanus pontifex, Barbos. de pot. Ep. alleg. 25. num. 72. Gratian. discept. foren. cap. 867. num. 50. Rota in Romana oblationum 25. Jan. 1725. §. 5. S. Congr. in Avenionen. Capellaniae 16. Sept. 1780. Potissimum in themate, ubi de immemorabili possessione, ac justi tituli existentia haudquaquam ambigendum; ita ut vi ejusdem consuetudinis incipi soleat ab immemorabili post mediam noctem Nativitatis Domini privatorum sacrorum litatio, cujus legitima causa exstitit unius ecclesiae existentia ac notabilis valde supra centenarium, haud exceptis regularibus, sacerdotum numerus: atque haec eadem ecclesiae unicitas causa fuit, cur Innocentius Papa XII. anno 1698, dispensaret ab integra chorali officiatura, ut publicis spiritualibus exercitiis locus fieret.

Ob idque in dioecesana synodo, quae fuit etiam Apostolica auctoritate suffulta, part. 3. tit. 10. num. 7. habetur: „In diebus in quibus juxta rubricam cantandae sunt duae missae conventuales indulgemus, ut si in quadragesima ob concionem vel aliquam processionem extraordinariam vel aliam ob causam divina officia longius protracta fuerint, tunc, impetrata tamen prius licentia a vicario generali, una ex illis non cantetur; volumus tamen ut celebretur privatim in altari chori.“ Et ibidem part. 3. tit. 9. num. 7.: „Quando fit processio Sanctissimi Rosarii remanent in choro duo, et submissa voce dicunt completorium.“ Quae consuetudo habita atque sancita fuit non obstante contraria generali Tridentini dispositione in sess. 24. cap. 24. de reform. Neque haec contraria dispositio praeterire sane poterat animadversionem tot doctissimorum ac piorum illius ecclesiae Antistitum, quos inter recensentur Gherardi, Paoli et Bellini ss. canonum peritissimi, qui ob justas atque extraordinarias causas elargiri dispensationem existimarunt.

Quamvis nonnisi improprie dispensatio dicenda sit, cum nihilominus canonici in choro bini bini soleant submissa voce dictas horas persolvere,

Quibus positis abusus nomine haud venire capitulo videtur ea consuetudo, quae praeterquam non sit in divini cultus detrimentum, adaugendi potius illius causa observatur; nam ad extraordinarias plurimasque functiones peragendas locus et tempus postulat, ut aliqua in choro praetereatur divini officii recitatio; ceu exemplo est festus ejusdem domus translationis dies, quo ob suetam confluentiam vicinorum Cardinalium Antistitum, pontificalium celebrandorum gratia, vesperae post primam noctis horam producuntur, et missa pontificalis ultra duas post meridiem procedit. Quin de praejudicio quidpiam recenseatur, quod per strictam divinae officiaturae observantiam canonicorum immineret valetudini.

Quod si hujusmodi consuetudo, tot rationum specialibus innixa momentis, minus aequa videatur Eminentissimis Patribus, supplex se praebet capitulum, ut saltem in deteriore hypothesi sancire dignentur sequens, quod submittit, remedium, ut nimirum quando dispensatio a dicta recitatione choralis necessaria est, dictae horae in choro vel in alia qualibet capella basilicae privatim a tribus sub-hebdomadariis canonico, beneficiato et clerico beneficiato recitentur. Quod vel maxime consentaneum est Ordinarii voto jam relato in folio diei 23. Aprilis hujus anni. Interim EE. VV. erit perpendere, utrum conciliari dispositioni sess. 24. cap. 12. de ref. exceptionem constituere valeant peculiares capituli circumstantiae, vel saltem per praefatum remedium sit ei prospiciendum.

In decisis et ad mentem; mens est, consulendum esse Sanctissimo, ut facultates impertiantur Episcopo dispensandi in singulis casibus necessitatis onerata ejus conscientia.

337. Spiren. — Dispensationis.

Die 8. Julii 1854.

Capitulum cathedralis ecclesiae Spiren. exponit, quod a primo quo Episcopatus Spiren. restitutus est tempore, exceptis festo Nativitatis Domini et feriis hebdomadae sanctae majoribus, quibus et matutinum cum laudibus et vesperae in choro dicuntur, integrum in choro non celebretur officium, sed precum persolutio in feriis ad horas minores primam, tertiam, sextam, et nonam, dominicis vero diebus et festivis ad sextam et nonam reducta sit, ita tamen ut clerici omnes missae solemni intersint et vesperis. In hoc autem, qui anno 1827 auctore tunc temporis Episcopo invectus est, choralis officiaturae ordine nihil innovatum est, nisi quod post vesperas, quibus nunc diebus dominicis et festivis omnes intersunt clerici, completorii persolutio accesserit.

Quamvis itaque capitulares probe intelligant hujusmodi morem a ss. canonum praescripto ac ecclesiastica disciplina abhorrere, attamen cum capituli Spirensis conditionem eam esse censeant, quae impedit, quominus choralis officiaturae obligationi integre satisfieri queat, humiliter petunt, ut usus hucusque servatus et in futurum retinendus benigne confirmetur.

Hisce autem rationibus capitulares nituntur: „Ut regimen dioeceseos Spirensis (inquiunt), sic quoque parochiae ejusdem civitatis administratio tum canonicos, tum vicarios capituli multimodis gravat laboribus. Equidem omnes cathedralis canonici examinandis et praeparandis clericis et curatis, nec non ut consiliarii Episcopi regimini ecclesiae continuo inserviunt, cujus servitii eo major cura gerenda est, quo propter civiles, quae in Palatinatu et in dioecesi Spirensi vigent, leges et institutiones proprias difficiliores causae discutiendae

sunt ac resolvendae, ideoque ut ecclesiae jura vindicentur, frequentius cum gubernio est conferendum. Cum praeterea dictae, quae in commutationis Gallicanae vestigiis radicantur, leges bona ecclesiae plerumque propria publice declararint, unde nonnumquam controversiae moventur, hinc praesertim ut ista ecclesiae bona vel conserventur, vel restituantur, quasi dissertationes magni momenti et argumentis firmatae in extenso elaborandae sunt, quo labores canonicorum non parum augentur. Insuper praetermittendum non est, unum canonicorum esse ecclesiae cathedralis parochum variis et diversi generis laboribus districtum, alium ordinariatus secretarii munere fungi, alterum esse a secretis capituli, alterum esse professorem, adeoque ipsum decanum capituli, qui et vicarii generalis et officialis vices gerit, docentium in seminario clericorum in subsidium esse, alios denique aliis functionibus dare operam. Vicarii vero partim animarum curae inserviendo tempus insumunt et vires, partim ad exscribendas ordinationes, et instruendos in religionis doctrina studiosos adstricti sunt.

Episcopus omnia haec veritate niti confirmat, et canonicorum precibus suas etiam adjicit, subdens: „His praenominatis officiis alia etiam sunt accessura si, uti spero, ad juventutis studiosae instructionem et educationem, disciplinas theologicas in seminario episcopali augere queam, et viris ex gremio capituli aut ex vicariis idoneis committere.“ In postrema autem status suae ecclesiae relatione haec quoad numerum et conditionem canonicorum habet: „Ecclesiae cathedralis capitulum duas habet dignitates, praepositum et decanum, et octo canonicos, dein sex praebendas fundatas in quibus hucusque tamen propter penuriam sacerdotum, in qua plures adhuc parochiae et vicariae vacant, quinque tantum adsunt praebendarii, seu vicarii: duorum canonicorum alter partes theologi agit, alter, qui simul parochus ejusdem ecclesiae est, officium poenitentiarii habet.“

Canonici praesertim ecclesiarum cathedralium integrum divinum officium in choro quotidie recitare debent, Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. de ref., ita ut nec in vim immemorabilis consuetudinis, nec ex Episcopi auctoritate hujus oneris expertes fieri possunt. Hinc etsi ob justam causam, nimirum ob aeris inclementiam, ecclesiae distantiam, ac difficilem accessum, vel praebendarum tenuitatem choralis pensi reductio concedi, illudque cohiberi soleat ad tertiariam vel ad mediariam, aut ad certos dies, attamen vix ullum suppetit exemplum quo S. Congregatio ab officii choralis parte integrum capitulum dispensaverit. Non eodem tamen jure censeri posse videntur causae quas in medium afferunt Spirensis ecclesiae canonici. Munia siquidem, queis detinentur laudabilia plane sunt, quaeque legitimam praebent causam, ut singuli indultum a choro abessendi, dummodo congruus supersit choralium numerus, obtineant, haud vero universis prosunt pro communi choralis servitii reductione, quod quidem in divini cultus, cui primario addicti sunt, detrimentum vergeret. Ceterum eo etiam abnormior mos a capitulo Spirensi servatus apparet, quod horae prima et tertia, quae in feriis recitantur, dominicis aliisque festis diebus omittantur, tum quod ad paucos adeo dies cohibita sit matutini cum laudibus persolutio. Licet enim S. Congregatio ob expositas superius causas quotidiani servitii reductionem permiserit, attamen consuevit ab hujusmodi indultis excipere adventum, quadragesimam, festa etiam reducta, octavas privilegiatas, festumque S. Titularis, uti ceteris missis patet ex Cusentina 23. Junii 1838.

Nihilominus summo in pretio habendae sunt peculiares Spiren. dioecesis circumstantiae. Hinc ubi assiduum chori servitium impedimento reapse sit canonicis, quominus recensitis muneribus in maximam dioecesis utilitatem

vacent, aliquid de juris rigore, ad tempus saltem (quum rerum circumstantiae mutari possint) remittendum esse videretur. Quod si ita censuerint EE. PP., decernent etiam, num expediat magis alternum per hebdomadas chori servitium concedere, quod ab S. Ordinis disciplina absonum non est.

Demum, attenta bona fide, praeteritarum omissionum absolutio deneganda non videtur in themate.

Praevia condonatione quoad praeteritum celebrata unica missa cum cantu et assistentia totius capituli quoad futurum pro gratia reductionis ad septennium, ita tamen, ut integrum persolvatur officium in diebus solemnioribus, feriis majoris hebdomadae et in die commemorationis omnium fidelium defunctorum et missae conventuali praemittatur hora tertia in diebus dominicis aliisque festis de praecepto, firma remanente celebratione ejusdem missae conventualis ceteris diebus etiam sine assistentia capituli, si ita expedire Episcopo videatur, facto verbo cum Sanctissimo.

338. Rossanen. — Unionis paroeciarum et servitii chori.

Die 24. Januarii 1857.

Anno 1828 quum Archiepiscopus tunc temporis Rossanen. sacram perageret visitationem, paroecias seu potius vicarias numero duodecim, in civitate Rossani (quae duodecim mille incolis constat) exstantes, ad novem reduxit. Praeterea statuit, ut canonici qui toto anno per quartarias choro inserviebant, tempore quadragesimae per alternativam seu mediariam chorali servitio incumberent; simul tamen eos eximens ab obligatione recitandi psalmos poenitentiales vel graduales aliasque preces in feriis ab iisdem recitari antea solitas, nec non ab onere canendi missam feriarum, quam, excepta missa rogationum, in lectam seu privatam commutavit. Exinde etiam pro novo imposito onere interessendi choro per mediariam tempore quadragesimali, consuetudo invaluit, quam ab eodem Episcopo repetunt canonici, ut diebus dominicis canonici omnes assistant missae cantatae conventuali tantum, minime vero integro officio, uti antea assistere tenebantur, exceptis horis sextae et nonae, quas qui de turno erant post missam cantatam persolvebant.

Haec disciplina ad hunc usque diem servata fuit, quum pro certo haberetur, Archiepiscopum Apostolico beneplacito auctum hujusmodi decreta tulisse. Nunc vero diligenti perquisitione in archivio curiae et capituli peracta, nullum hujusce rei documentum reperire datum fuit. Quapropter modernus Archiepiscopus dubitans de horum firmitate decretorum, nomine etiam capituli postulat, ut quatenus opus sit, praevia quoad praeteritum tempus sanatione, pro futuro etiam decreta eadem S. Sedis auctoritate confirmentur.

Ne quid porro rei definiendae desiderandum supersit, una cum praefatis decretis, transmisit Archiepiscopus capitularem deliberationem, in qua rationes referuntur quibus decreta innixa sunt, et cetera habentur scitu necessaria. Ratio reducendi numerum paroeciarum ea fuit, quod pleraeque Rossani familiae ejus non sint conditionis, ut filios in seminario institui curent, vel ecclesiasticum eisdem patrimonium pro sacris ordinibus constituere valeant; ex quo sequebatur principalem ecclesiam summa laborare sacrorum ministrorum penuria. Huic autem malo non melius occurri potuisse, quam suppressione nonnullarum paroeciarum, quarum reditus partim dotem efformarunt sex capellaniarum in patrimonium et subsidium adolescentium, qui aptiores servitio

ecclesiae judicarentur; partim attributi sunt ceteris paroeciis, quae praebenda minus congrua fruebantur.

Quoad exemptionem a recitatione psalmorum poenitentialium vel gradualium, animadvertunt canonici, nulla ad hoc opus esse S. Sedis confirmatione; siquidem ex bulla S. Pii V. omnes qui utuntur breviario Romano, ab hoc onere soluti edicuntur, ceu declaravit etiam S. Rituum Congregatio apud Gardellin. num. 141. In reliquis vero habita ratio fuit adjecti oneris inserviendi choro per mediariam in quadragesima contra immemorabilem in capitulo vigentem consuetudinem.

Quoad reditus praebendarum chorique servitium haec habent. „Chorum quavis quatuor hebdomadarum frequentant sex canonici et sex, qui dicuntur participantes. Quota fallentiarum, quam quisque continua assistentia lucratur, ascendit ad 4 ducata et obol. 50; praeter haec et alia parva emolumenta adventitia unusquisque ex massa communi circiter 50 ducata annua mon. Neap. percipit.“

Quamvis odiosa in jure sit paroeciarum suppressio, ex necessaria tamen causa permitti posse, post text. in cap. Vacante 26. de praebend. docet Reiff. jus can. lib. 3. tit. 12. §. 2. num. 39, et S. Congregatio in Sutrina 27. Maji 1809. §. suppressioni. Utrum causae superius expositae necessitatem hanc, vel utilitatem saltem secum ferant, judicabunt EE. VV. Animadvertendum vero heic est, non exinde divino cultui detrimentum illatum fuisse; nam ecclesias, in quibus paroeciae suppressae fuere, divino cultui addictas perpetuo fore decreto suo Archiepiscopus edixit ac jussit.

Videndum praeterea, an cetera quoad chori servitium decreta et sancita probanda sint. Duo enim animadversione prae ceteris digna videntur. Alterum scilicet quoad inductam tempore quadragesimae mediariam; quippe ex constanti S. Ordinis disciplina, cum reductio conceditur servitii choralis ad mediariam vel tertiariam, excipi perpetuo solent, nisi aliter peculiares suadeant circumstantiae, tempora adventus et quadragesimae, omnes dies festi et solemniores, in quibus omnes interesse adiguntur, ceu in Bituntina 15. Septembris 1770, et in Conversana 23. Junii 1838. Alterum quoad intermissam praxim ut integrum capitulum assistat divino officio diebus dominicis, quippe hi dies excipi etiam solent in praefatis indultis. Quae quidem eo magis in pretio habenda, siquidem perpendatur, satis congrua praebenda canonicos potiri.

Nihilominus praeter rationes a capitulo expositas, ponderandum etiam quod Archiepiscopus monet, nimirum „qualemcumque innovationem praxis hodiernae parere posse admirationem in populo et displicentiam eorum qui ista innovatione onerantur.“ Denique haud spernenda praesumptio Apostolici beneplaciti quoad decreta de quibus agitur, quod quidem non defuisse hucusque canonici bona fide rati sunt; ut adeo, quatenus nec ad cautelam pro futuro confirmatio concedenda videatur, sanatoriam saltem quoad praeteritum non immerito sibi adpromittant.

Nihil pro nunc innovandum et Episcopus curet, ut frequentius chori servitium praestetur tempore quadragesimae et adventus nec non diebus dominicis.

339. Sorana. — Reductionis servitii chori.

Die 18. Julii 1857.

Canonici collegiatae ecclesiae S. Stephani oppidi Fontana, qui, uti narratur in contemporanea causa Sorana Canonicatuum, quatuor olim,

sex modo praeter archipresbyterum numero sunt, supplici oblato libello postulant, ut quotidianum quo tenentur chori servitium reducatur ad omnes dies festos de praecepto, comprehensa integra octava Sanctissimi Corporis D. N. J. C., diebus Veneris mensis Martii, et hebdomada majori, firmis manentibus primis ac secundis vesperis in omnibus solemnitatibus primae classis. Petitionis fundamentum est redituum tenuitas et inculpata diminutio, exiguus canonicorum numerus, et onus, quod ipis impositum est, coadjuvandi archipresbyterum in cura animarum.

Episcopus statum activum ac passivum redituum collegiatae ab eisdem canonicis exaratum transmisit, ex quo patet, reditus olim cuique canonico attributos attigisse summam ducat. 93. 07. 6., nunc vero non excedere ducat. 66. 96, ex quibus ubi detrahantur onera, supersunt singulis canonicis duc. 48. 66, non computato stipendio missarum pro qualibet praebenda in ducat. 16. 75. Ipse autem Episcopus pro reductione suas addit commendationes, etiam ratione oneris coadjuvandi parochum, quod onus adhuc esset ampliandum praecipue ad populum in doctrina christiana instruendum. In statutis enim capitularibus onus coadjuvandi parochum ad haec cohibetur, nimirum tam in audiendis confesssionibus quam in aliis sacramentis administrandis. Denique, ait Episcopus, servitio chori ita reducto causa remota est, cur praedecessor meus Lucibello missas capitulo incumbentes reduxit. Hanc ob rem et quia non satis constat, Episcopum Lucibello debita fuisse praeditum facultate ad missas reducendas, capitulum post obtentam gratiam petitam antiquum missarum numerum absolvere posset.“

Perspicuum est ex Sacro Concilio Tridentino et canonicis sanctionibus ad chorale servitium persolvendum universos canonicos quotidie teneri maxime vero ubi accedant, sicuti in praesenti casu, statutum et observantia ab ipsius capituli erectione invecta. Ita S. C. in Neritonen. 7. Junii et 12. Julii 1760 in Vercellen. 5. Junii 1790. Tridentina quoque synodus dum in sess. 24. c. 12. permisit capitularibus trimestres vacationes, salvas tamen voluit earum ecclesiarum constitutiones, quae longius servitii tempus requirunt. Porro ad effectum hujusce obligationis, ex constanti ejusdem Sacrae Congregationis sententia redditus censentur sufficientes, qui ad annua scutata triginta vel quadraginta pertingunt. Verumtamen et in hoc casu aliquando S. Congregatio peculiaribus accedentibus circumstantiis, et praesertim imminutione redituum, reductionem servitii choralis concessit, uti in Aliphana, et Cerretana Servitii chori 28. Augusti 1841. Peculiaria autem rerum adjuncta, praeter redituum imminutionem, favent Oratoribus canonicis; exiguus scilicet numerus, onus coadjuvandi parochum, demum Episcopi votum.

Ubi itaque precibus annuendum sit, praeter dies festos et octavam Corporis Christi, ab indulto excipi viderentur debere juxta S. Congregationis praxim tempora etiam adventus et quadragesimae, ac octavarum Nativitatis Domini, et Paschatis Resurrectionis D. N. J. C., ceu in Cathacen. 5. Sept. 1699 et in Castri Maris 30. Julii 1735. Videndum praeterea an probandae sint ceterae quas episcopus proponit conditiones, tum ampliandi onus coadjutoriae curatae, tum ad primaevum numerum evehendi onera missarum, reducta ex decreto Episcopi Lucibello anni 1830; quamvis reductionis causa in decreto expressa hactenus perseverare videretur.

Lectum.

340. Moguntina. — Servitii chori.

Die 12. Septembris 1868.

Ex relatione visitationis ad SS. LL. ab Episcopo Moguntino Leopoldo Kaiser anno 1841 exhibita, S. Congregatio deprehendit, capitulum illius cathedralis horas canonicas quotidie in choro minime persolvere. Quare literis in responsione eidem Episcopo missis monuit, ut canonici de divini officii taliter persolvendi modo rationes exponerent, veniamque, supplici transmisso libello, S. Pontificem efflagitarent.

Monitis paruerunt canonici, et anno 1847 alteram ad SS. LL. visitationem explente eodem Episcopo, libellum Sanctissimo obtulerunt, veniamque petieruut. Verum attento obitu Episcopi Kaiser neque literis ejusdem fuit responsum, neque capituli precibus satisfactum. Quapropter anno 1867 iterum Sanctissimo porrecto libello haec exposuerunt canonici: „Divinum chori officium in cathedrali ecclesia neque quotidie, neque integre celebratur, sed solum certis quibusdam diebus atque sequenti ritu.“

„Omnibus diebus dominicis et festivis cantatur tertia in choro et assistit capitulum summo sacro, post meridiem cantantur vesperae et completorium. Hujusmodi tamen officium penitus cessat mensibus Septembri et Octobri quo tempore nimirum alumni episcopalis nostri seminarii alias semper officio divino cathedralis assistentes domi ferias agunt. Item convenit capitulum in choro singulis feriis octavae Corporis Christi assistens solemni missae conventuali: item in vigilia Pentecostes; atque insuper feriis rogationum ac festo S. Marci assistit processioni litaniarum; ceteris anni diebus missa non cantata, absente capitulo, pro benefactoribus celebratur. Officium integrum recitatur tantum feria V. VI. et sabbato hebdomadae sanctae; die vero natali D. N. J. C. cantantur laudes, et die commemorationis omnium fidelium matutinum cum laudibus.

„Iste vero ordo in cathedrali nostra observatur a tempore, quo capitulum Moguntinum per concordatum gallicum iterum institutum est. Nam Reverendissimus Episcopus Josephus Ludovicus Colmar piissimae memoriae vir anno Domini 1802 divini cultus in cathedrali celebrandi ordinem capitulo suo proponens continuo declaravit se quidem desiderare, ut in ecclesia sua cathedrali quotidie divinum officium in choro persolvatur, attamen rerum adjunctis id non permittentibus jam tunc ordinavit, ut supra exposito ritu et ordine capitulum in cathedrali rem divinam faceret. Atque talis modus usque ad nostra tempora receptus est.

„Hanc vero consuetudinem gravibus rationibus fulciri paullisper declarare nobis liceat. Capitulum nostrum ex decano et sex tantummodo canonicis constat, qui haud parum occupati sunt negotiis ecclesiasticis. In nostra enim dioecesi quae 229,000 fideles complectitur, praeter membra capituli, viri alii praesto non sunt, quibus adjutoribus Episcopus utatur pro diversis muneribus administrationis suae, ita ut capitulares omnes et singuli constituant collegium episcopalis ordinariatus et continuo sessionibus deliberatoriis, evolvendis actis, concipiendis literis administratoriis, dijudicandis causis in litigioso tribunali officialatus Episcopalis, perfungendis episcopalibus commissionibus etc. vacare debeant. Praebendati autem seu vicarii, quorum ecclesia cathedralis quatuor tantum habet, quotidie pluribus matutinis et postmeridianis in cancelleria episcopali laborant, uno excepto qui episcopali convictui puerorum ad sacerdotium aspirantium praefectus est. Et quum neque seminario clericali, quod 70—80 alumni frequentant, ea subsidia praesto sint,

ut omnes lectores ex propriis sustentare valeat, hinc factum est, ut non solum rector seminarii, qui simul docet disciplinam theologiae moralis, canonicus sit, sed ipse etiam decanus capituli theologiam dogmaticam, tertius canonicus jus canonicum explicet, quartus homileticam, et quintus demum capitularis philosophicas tradat disciplinas. Observandum praeterea, in civitate Moguntina, quam praeter extraneos et plura millia catholicorum militum plus quam triginta millia incolarum catholicorum inhabitant, dempto clero cathedralis non adesse nisi quatuordecim vel quindecim sacerdotes saeculares animarum curae adscriptos. Accedunt quidem sex patres societatis Jesu et sex patres e Franciscali Cappucinorum familia ab aliquot annis hic feliciter invecti, qui tamen persaepe extra civitatem Moguntinam degunt, praesertim in sacris missionibus aliisque pastoralibus officiis per dioecesim peragendis. Hinc nihilominus tam canonici quam praebendati rerum necessitate tenentur, ut et confessiones audiant tam saecularium quam monialium, et verbum Dei praedicent, et, si quae alia in animarum cura obveniunt, operam suam navent.

„Quamvis autem rationes adeo graves obstent, nihilominus desideramus et nos maximopere, ut officium divinum quamprimum quotidie ab omnibus capitularibus in choro persolvatur, neque desides erimus in conquirendis mediis, quae ad obtinendum hujusmodi finem exoptatum feliciter conducere possint. Sed certe non facile hocce negotium expediri et impedimenta obviantia nonnisi paullatim superari possunt. Enimvero cathedralis ecclesia Moguntina inter amplissima et augustissima Germaniae templa censetur, et ejusdem chorus cum suis stallis instructus est pro antiquo metropolitano clero, nimirum pro 24 canonicis et 36 vicariis. Pro hoc immenso spatio dominicis diebus ab alumnis seminarii quoad maximam partem occupato, qui tamen aliis diebus sine gravissimo studiorum detrimento chorali officio praesentes esse nequeunt, septem canonici cum quatuor praebendatis ad officium eo quo deceat decore persolvendum certo non sufficiunt, praesertim cum inter eos unus alterve semper aut aetate et infirmitate gravatus aut gravioribus et urgentioribus negotiis ita non raro sit occupatus, ut licet invitus abesse tamen a choro cogatur.“

„Quibus ex causis humillime supplicamus Beatitudini Vestrae, ut praefatum ordinem a fundatione novi Episcopatus Moguntini introductum, a capitulo ad hunc diem optima fide servatum rerumque necessitate commendatum, postmodum etiam nobis liceat in peragendo officio divino observare, donec difficultatibus superatis res tota meliori quo fieri potest modo ad normam et praescriptum ecclesiae ordinari queat.“

Episcopus, ad quem hujusmodi preces remisi pro informatione et voto, eas rerum veritati inniti testatur, commendatque, „ut venia benigne impertiatur praesentem retinendi praxim, donec remotis contrariis impedimentis permissum erit officium divinum publice quotidie, ut decet, in choro persolvere.“

Hac factorum expositione praemissa paucas in jure animadversiones ut subjiciam oportet. Scitissimum est unumquodque beneficium dari propter officium: officium vero beneficiis cathedralium et collegiatarum adnexum in chorali servitio consistere. Hoc autem patet ex Concilio Viennensi sub Clemente V. Quod officium singulis capitularibus personaliter incumbere apertissime declaravit Tridentina Synodus sess. 24. c. 12. de reform. atque Benedictus XIV. in percelebri constit. Cum semper oblatas atque in instit. 107. §. 1. et synodo dioec. lib. XIII. cap. 12. Idem confirmavit S. haec Congreg. in Setina chori 21. Januarii 1786, in Bitun-

tina Servitii chori 15. Sept. 1770. Nec suffragatur, si qua est consuetudo. Constitutione enim Pii IV., quae incipit: In principis apostolorum, quaelibet consuetudo concilio Trid. contraria nulla et irrita declaratur. Quae constitutio singula ejusdem Tridentini capita afficit, ut docet Benedictus XIV. inst. eccl. 60. num. 7. Hinc Barbosa de off. et potest. Episc. alleg. 33. num. 131, 133. tradit, omnes canonicos et dignitates teneri psallere in choro, omnibus diebus et horis debere interesse, seclusa qualibet consuetudine vel statuto. Ex praxi vero S. H. Congregationis colligere fas est ab officio chorali exemptionem constanter denegatam esse, etsi immemorabili inniteretur consuetudini ut videre est in supra memorata Setina 21. Januarii 1786. Albanen. 1789 et Ariminen. Servitii choralis 13. Septembris 1862. Ne vero capitulares propter alia officia a servitio chorali distrahantur, et ut facilius ad id alliciantur, per quotidianas distributiones (quae in capitulo Moguntino desiderari videntur), remedium afferri potest ad mentem Concilii Tridentini sess. 21. cap. 3. et sess. 22. cap. 3, sess. 24, c. 12. de reform. et praxim H S. Congregationis, cujus exempla prostant in Cattaren. 13. Februarii 1841. Triventina 3. Aprilis 1841. Monasterien. Visitationis SS. LL. 6. Dec. 1845 et Tergestina 23. Novembris 1850.

Hae sunt generales juris dispositiones, quas tamen aliquando temperavit S. Congregatio pro casuum diversitate et peculiaribus circumstantiis. Aliquando enim vacationes duorum vel trium mensium concessit canonicis, qui ceteroquin nullo excepto anni tempore quotidie choro interesse tenebantur in Atrien. 5. et 19. Dec. 1722 aliquando chori servitium ad turnum per mediarias vel ternarias redegit ut in S. Severini 13. Julii 1725, in Castri Maris Servitii chori 30. Julii 1735, Trauen. 22. Novembris 1738, Civitatis Castellanae Reductionis 6. Augusti 1808, Bituntina Servitii chori 15. Septembris 1770, Firmana Servitii chori 4. Augusti 1817, Conversana 20. Decembris 1834. Reduxit etiam ad dies festos tantummodo, excepto tamen tempore adventus, quadragesimae et aliis per annum solemnioribus diebus, ut est in Ferentina 3. Augusti 1782, Cathacen. 5. Septembris 1699 Castri Maris 30. Julii 1735, Albanen. 29. Augusti 1789, Cusentina Servitii chori 23. Junii 1838. Non raro etiam legitimis gravioribusque intercedentibus causis S. Congregatio indulsit partem tantum divini officii, aliquas scilicet horas canonicas in choro persolvi, ut traditur in una Tergestina et Justinopolitana 23. Novembris 1850 §. Respicit. Inter causas autem parvum canonicorum numerum recenseri evincitur ex eadem Tergestina §. Legitima. Quibus perpensis videant EE. PP., an expositae a canonicis rationes probandae omnino sint. Animadvertant, quod canonici Moguntini jugiter vacare coguntur negotiis ecclesiasticis tum penes cancellariam episcopalem tum in spiritualibus ministrandis ingenti Christi fidelium numero in eadem civitate degentium, ob ecclesiasticorum defectum, ut ipse Episcopus testatur. Profecto non absonum ab ecclesiae disciplina videtur chori servitium reduci pro tanto spirituali bono fidelium, ad quod et ipsa choralis officiatura ordinatur. Imo S. Congregatio hujusmodi intervenientibus causis chori servitii reductionem indulsit vel ad tempus tantum, vel donec eadem causa perduret, ut colligitur in una Massanen. 14. Decembris 1822, Mazarien. 20. Dec. 1862 et S. Hippolyti Servitii chori 28. Januarii 1864. Et eo magis veniam mereri videntur Moguntini canonici, quo magis sollicitos sese praebuerunt in antecessum in missa conventuali pro benefactoribus in genere litanda. Cum enim missa conventualis praecipuam partem constituat divini

officii ad tradita per cap. Cum creatura de celebr. miss. Gavant. in rubr. missal. tom. I. part. I. tit. 17. rub. 2. et H. S. Congr. in Mazarien. 18. Martii 1826 et Terracinen. seu Privernen. Missae conventualis 15. Septembris 1827, hinc dici absolute nequit, canonicos Moguntinos divinum officium quotidie omisisse.

Dilata et scribatur Episcopo ad mentem.

5. Indulta alternativae et tertiariae.

341. Squillacen. — Servitii chori.

Die 16. Septembris 1854.

Episcopus Squillacen. supplici oblato libello exponit, capitulum suae cathedralis ad quotidianum et nunquam interruptum, si unum excipias vacationum mensem, chori servitium adstringi; quod cum impedimento sit, quominus capitulares sacrarum scientiarum studio, ceterisque in dioecesi necessariis muneribus vacent, eorumdem capitularium nomine postulat, ut choralis officiatura ad alternas hebdomadas reducatur.

Capitulum constat duodeviginti canonicis, quibus sex addendi capellani, qui mansionariorum munere funguntur. Ex canonicis quindecim sunt primae erectionis, quos inter sex numerantur dignitates, tres secundae erectionis. Canonici, excepto cantore, quae secunda dignitas est, et propria praebenda fruitur annuorum ducat. 200, separatas non habent praebendas, quas injuria temporum amiserunt, sed communi massa distributionum potiuntur, ex qua quilibet ex canonicis primae erectionis, qui choro semper interfuit annuos ducatos 60. Canonici vero secundae erectionis ducatos quindecim percipiunt; ac ex bonis ejusdem massae solvunt quotannis capellanis viginti septem tritici mensuras, vulgo tommoli, aeque inter eos partiendas.

Praeter communem massam fruuntur etiam communeria quam vocant, receptitia, quae ex pluribus missarum et anniversariorum legatis constituitur, ex qua canonicis primae erectionis annui ducati 100 et canonicis secundae erectionis, ceterisque simplicibus loci sacerdotibus, qui ad communeriae participationem admittuntur annui ducati quinquaginta obveniunt. Licet autem dispar sit emolumentum, paria tamen singulis missarum onera adimplenda incumbunt.

Quo vero alternativae officiaturae magis prospectum sit, sibi proponit Episcopus, ad duodenarium numerum capellanos chorales augendi.

Contra Episcopi petitionem perpendi posset, canonicos omnes onere adstringi, ut quotidie choro intersint, quin ullum exstet certum vacationum tempus ss. canonum jure praefinitum, Clement. 1. in fin. de reliq. et vener. sanctor. et Clement. 2. in ver. certis horis de aet. et qualit. Fagn. in cap. Ad audien. 15. de clericis non resid. num. 15. Quin suffragari valeat Concilium Tridentinum, quod dum sess. 24. cap. 12. de reform. concedit canonicis, ut abesse possint trium mensium spatio, salvas nihilominus edixit earum ecclesiarum constitutiones, quae longius servitii tempus requirunt. Et ad tramites hujus conciliaris dispositionis sacra haec Congregatio canonicis adstrictis ecclesiae servitio ultra novem menses, consuevit trium mensium vacationem denegare, teste eodem Fagnano in cap. Licet num. 48. et seqq. de praebend.

Attamen, cum ex Garciae testimonio de benef. part. 3. cap. 2. num. 311. „dura videatur residentia totius anni, atque oporteat maxime

juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquid ad recreationem corporis et animae," saepe eadem haec sacra Congregatio severitatem indulgentia temperavit, ac modo ob aeris insalubritatem, modo ob imminutos reditus, justamve aliam ob causam, vel vacationes ad tres menses ampliavit, ceu in Isernien. 26. Junii 1723. in Vercellen. Servitii chori 19. Junii 1790. et in Ipporegien. Servitii chori 20. Martii 1830. vel etiam indulsit, ut canonici per alternas hebdomadas choro inservirent, veluti in Bituntina Servitii chori 15. Septemb. 1770. et in Recanaten. Servitii chori 21. Novemb. 1829.

Hoc vero in casu, ne divinus cultus detrimentum patiatur, apponi solet conditio, ut tempore adventus et quadragesimae, aliisque infra annum solemnitatibus omnes inserviant, uti ceteris missis videre est in Cathacen. 5. Sept. 1699. lib. 49. decret. pag. 311. et 312. in qua indultum fuit, ut canonici per mediarias inservirent, „ita tamen ut diebus dominicis, et festis de praecepto tempore adventus et quadragesimae, ac octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. J. C. ac sanctissimi Corporis Christi, ultra medietatem capitularium qui non erunt de servitio missae et vesperis inservire teneantur." Et in Castri Maris Servitii chori 30. Julii 1735 idem concessum fuit indultum ad formam rescripti in Cathacen. Servitii chori 5. Septembris 1699.

Perpendendum in themate, deperditis praebendis, valde imminutos esse capituli reditus. Hos solis constare distributionibus, quos ideo non integros percipient canonici nisi assidue divinis intersint. Plura esse officia pro bono dioecesis necessaria, quae ob quotidianum et continuatum chori servitium canonici obire nequeunt. Imo ob eamdem rationem nec divini verbi praedicationi, nec sacris disciplinis, uti par est, eos incumbere posse, ceu monet Episcopus, qui praeterea addit etiam salutem canonicorum ex continuata psalmodia detrimentum pati.

Pro gratia juxta petita exceptis diebus dominicis et festis tam de praecepto quam reductis, nec non festis titularis, tempore adventus et quadragesimae, ac Octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis D. N. J. C. ac Sanctissimi Corporis Christi, ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

342. Collen. — Servitii chori.

Die 24. Aprilis 1858.

Capitulum ecclesiae cathedralis Collen. decreto S. hujus Congregationis anni 1692 obtinuit, ut singuli canonici tribus per annum mensibus a choro vacare possent, et quotidianas simul distributiones percipere, ac si personaliter interessent, ea tamen sub lege, ut non ultra tertiam illorum partem eodem tempore abessent, et ut diebus solemnioribus et tempore adventus ac quadragesimae omnes choro interesse deberent. Ab eo temporis usus invaluit ac viget adhuc, ut ad complendas duas tertias partes illorum qui chorale servitium toto anni curriculo obire tenentur, tamquam praesentes haberentur ii etiam, qui ex infirmitate aliave justa causa ab hujusmodi servitio jure excusantur.

Nunc vero ejusdem capituli canonici, qui sexdecim numero sunt comprehenso archipresbytero, cui animarum cura adnexa est, et poenitentiario, exoptantes vacationum beneficio perfrui potissimum in feriis autumnalibus, supplici oblato libello ab S. Congregatione postulant „sanationem pro

praeterito et gratiam, ut firma remanente conditione, ut ex justa causa absentes habeantur praesentes, relinquatur prudenti judicio Episcopi facultas determinandi quovis temporis momento numerum eorum, qui choro assistere debent, ne servitium ecclesiae detrimentum patiatur.“

Super oblatis hisce precibus Episcopus adnotat, chorale servitium a capitulo laudabiliter semper absolutum fuisse, quamvis supra exposita methodus invaluerit. Refert singulorum canonicatuum reditus annuam conficere summam scut. 60, quorum duae tertiae partes pro distributionibus quotidianis assignatae sunt. Ita vero rem componi posse censet, nimirum, „1. Quod officium chorale a tertia parte (quinque scilicet canonicis graviori poena multandis si absint) una cum capellanis persolvi licite valeat diebus ferialibus duorum mensium autumnalium, salva tamen lege, quod omnes canonici interesse debeant in festis solemnioribus, et duae tertiae partes diebus dominicis. 2. Quod reliquis anni mensibus semper duae tertiae partes choro assistere teneantur; in his vero computari possint, qui ex dispositione ss. canonum, licet absint, censentur tamen praesentes, et distributiones lucrantur. 3. Quod in adventu et quadragesima, et solemnioribus festis omnes simul intersint juxta morem hujus cathedralis, et sanctiones ecclesiasticas.“

Canonici ut methodum tueantur computandi in numero inservientium etiam eos, qui legitime absunt, vetustissima innituntur consuetudine, quae constanter a saeculo et amplius sine ulla Episcoporum querela et chorali servitii detrimento servata est. Addunt, anno 1705, cum super praedictae consuetudinis legitimitate dubitatio exorta esset, tunc temporis canonicos S. hanc Congregationem pro dubii declaratione consuluisse, et quamvis ignoretur, an et cujusmodi data fuerit declaratio, constat tamen, eamdem et in posterum methodum servatam fuisse, quod quidem argumento est, declarationem ipsam praxi eidem consentaneam fuisse, ceu ex Episcoporum silentio praeterea confirmant.

Qua super re notandum est, quod cum in rescriptis S. Congregationis tertiam partem vacare posse generatim enuncietur, haec tertia pars pro regula ordinaria computanda esse videretur juxta numerum canonicorum qui capitulum constituunt, nulla ratione eorum habita, qui legitimo detinentur impedimento ne choro vacent. At vero infitiabitur nemo, quin exceptionem id patiatur eo in casu, quo contingeret plerosque legitimo impedimento teneri in classibus quae juxta turnum obire servitium debent, ita ut choralis officiatura eo quo par est decore expleri nequeat. Quod quidem, cum ab incerto rerum eventu pendeat, certa ac stabilis norma constitui nequiret, sed prudenti arbitrio Episcopi permittendum, rem peculiaribus hisce in casibus componere, respectu habito ad necessitatem servitii ecclesiae, ceu in simili casu censuit S. Congregatio in Santandrien. VV. SS. LL. 26. Januarii et in Pinnen. Vacationum 7. Junii 1856 propositis inter supplices libellos.

Quatenus itaque praedictam consuetudinem probandam judicaverint EE. PP., quam ceteroquin bona fide Oratores canonici secuti hucusque sunt, reliquum est, ut definiatur, quomodo concedendum iisdem sit ut juxta numerum ab Episcopo praefiniendum, ac etiam ultra tertiam partem mensibus praesertim Octobris ac Novembris simul abesse possint. Porro Oratores in medium proferunt quotidiani servitii onus, quod plerisque eorum magis grave accidit ob distantiam ecclesiae cathedralis, et difficultatem accessus. Nec praetereunt, plures praebendas praeterito saeculo exeunte fuisse suppressas, unde canonicorum ac redituum imminutio, et adeo majoris ceteris superstitibus accessio consecuta est.

Pluries S. Congregatio in suis decretis edixit Episcopi arbitrio relinquendum esse, quota canonicorum pars abesse simul possit, ceu in Abulen. 1581. lib. 3. decretor. pag. 79. in Cremonensi 18. Septembris 1662. lib. 23. decretor. pag. 298. in Farfen. 13. Novembris 1655. lib. 19. decretor. pag. 582. Sed juxta recentiorem disciplinam suevit hunc numerum ipsamet praefinire, eumque ultra tertiam partem protrahi vetat, ceu patet ab rescriptis quae referuntur in Terracinen. et Setina 23. Novembris 1771. §. Praeterea. Nihilominus videndum, an legitima subsit ratio in casu ut exceptio fiat pro mensibus autumnalibus, praesertim cum servatis conditionibus ab Episcopo propositis, chorali servitio satis exinde consultum videatur.

Praevia sanatione ac condonatione quoad praeteritum pro gratia juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.

343. Lycien. — Servitii chori.

Die 30. Julii 1864.

In insigni collegiata ecclesia loci Campi Lyciensis dioecesis divinum officium quotidie persolvitur, ita tamen ut dum integrum capitulum, dignitates nempe canonici et participantes omnes festivis diebus aliisque festis anno 1818 per s. m. Pium VII. abrogatis, ad chori servitium inde a primis vesperis tenentur, ferialibus aliis diebus quinta tantum beneficiatorum pars cum una ex dignitatibus divinam psalmodiam peragat. Contra vero in ecclesia cathedrali ejusdem dioecesis capitulum in duas partes dividitur, et unaquaeque vicissim per quindecim continuos dies choro interest, addita tamen lege, ut pars altera a quotidiano servitio vacans festivis diebus etiam suppressis missae conventuali, secundis vesperis et completorio praesens adsit; nec non matutino et laudibus in solemnioribus anni festivitatibus.

Mense Octobri superioris anni capitulum praefatae collegiatae ecclesiae supplicibus precibus Sanctissimum D. N. rogavit, ut quoad servitium chorale normam ecclesiae cathedralis, a qua dependet, sequi possit, easdemque preces Carmelus can. Cosna ex delegatione vicarii capitularis datis literis ita commendabat, ut firma permanente actuali capituli divisione Sanctitas Sua dispensare et ordinare dignetur, ut servitium chorale ecclesiae collegiatae ad normam cathedralis instituatur. Quumque acceptis his precibus et literis adhuc superesset dubium, quos scilicet usus cathedralis ecclesiae Oratores sequi cuperent, hac super re rogatus est vicarius capitularis, qui clare distinguens differentiam utriusque capituli quoad divisionem in duas et in quinque partes choro quotidie inservientium, et quoad servitium festivis diebus ab omnibus praestandum, reposuit, capitulum loci Campi tantum quoad ultimam partem usum ecclesiae cathedrali sequi velle. Praecisis ergo verbis Oratorum preces eo tendunt, ut festivis diebus onus integri servitii uni tantum parti incumbat, reliquae vero quatuor partes ad missam conventualem, secundas vesperas et completorium, ad matutinum vero et laudes nonnisi in solemnioribus obligentur.

Tunc mandatum est eidem vicario capitulari, ut transmissa particula statutorum ad rem facientium referret de annuo reditu et oneribus praebendarum, comprehensis distributionibus, de numero choro inservientium, et de legitima reductionis causa.

Ex vicarii literis constat, collegiatam ecclesiam adnumerare septem supra viginti canonicos cum annuo cuilibet reditu duc. 101 (quorum duc. 100 titulo distributionum) et sexdecim participantes quorum unusquisque duc. 60 in singulos annos habet. In statutorum art. 2. haec leguntur: „In ipsa collegiata officium quotidie absolvitur, diebus festivis a primis vesperis ab omnibus dignitatibus, canonicis et participantibus diebus autem ferialibus cum interventu quintae tantummodo partis canonicorum, participantium et inservientium.“ Causae tandem quas ad preces sustentandas afferre se posse canonici existimant, haec a vicario capitulari in suis literis indigitantur: Capitulum se nimis gravatum existimat, quia secundum modum hucusque servatum unusquisque choro servire debet fere per duas anni partes, quod nimium est, si consideratur, servitium chorale in ista ecclesia ex mera devotione inceptum esse et reditus nonnisi ratione missarum celebrandarum percipi.

Etsi non jure divino sed tantum ecclesiastico, ut observat Benedictus XIV. inst. eccles. 107. §. 1. n. 7. et 8, manifesta tamen lege canonici aliique clerici cuicumque ecclesiae sive cathedrali sive collegiatae adscripti tenentur, ut quotidie divinum officium in eadem ecclesia persolvant. A qua juris communis dispositione, si quando Apostolica Sedes dispensare aliqua in parte non renuit, quotidianae officiaturae servitium congrua reductione moderando, nonnisi ob justas easdemque graves causas id concessisse docemur, vix ac resolutiones huj. Sacr. Ordinis consulimus. Et licet rara non prostent exempla in quibus permissum est canonicis per mediarias, ut ajunt, vel etiam per tertiarias divinum officium persolvere, cautum tamen constanter reperimus, ut a reductione servitii exciperentur dominici dies aliique festivi, feriae adventus et quadragesimae, nec non nonnullae majorum solemnitatum octavae, uti in Cathacen. 5. Septembr. 1699 lib. decr. 49. p. 311 et 312, in S. Severinae 13. Julii 1725, Castri Maris 30. Julii 1735; Tranensi 22. Nov. 1738; Bituntina 15. Sept. 1770; Ferentina 3. Augusti 1782; Conversana 20. Dec. 1834; Signina 16. Dec. 1837, Cusentina 23. Junii 1838.

His praehabitis, ad petitionem canonicorum loci Campi quod attinet, adnotandum imprimis est, eosdem ea exemptione a chorali servitio gaudere, cujus exemplum reperire mihi datum non est in thesauro Sac. hujus Congregationis, scilicet ut per quinarias tantum si ita loqui licet, ferialibus diebus choro adsistant. Dum vero quoad festivos dies normam cathedralis ecclesiae sequi posse Oratores cupiunt, nullatenus animadvertendum esse autumant, beneficiatos cathedralis per mediarias tantum seu alternatim choro interesse, ideoque gravius respective onus sustinere Non immerito praeterea dubitare licet, quod juxta modum hucusque usitatum per duas tertias anni partes choro ipsi deserviant, cum si quintae anni parti ferialium dierum festivos omnes de praecepto, aliosque suppressos addas, paulo majorem tertia anni parte dierum numerum invenies. Sed dato etiam quod octo menses hujusmodi servitio compleantur, quatuor saltem vacationum menses adhuc supersunt, qui longe excedunt indulgentiam a Tridentinis Patribus definitam.

Ajunt postremo loco Oratores, chorale servitium prout modo sustinetur ex mera tantum devotione incepisse, antequam ecclesia ad collegiatae dignitatem eveheretur, quin pro chorali onere aliquod adsit emolumentum; at neminem latet erectionem collegiatae secum ferre solemnem et publicam divini officii recitationem, et beneficia ipsa simplicia ad canonicalem dignitatem evecta naturam suam immutare, ceu apprime ad rem nostram ex communi jure animadvertitur in una S. Hippolyti 23. Januarii huj. anni. Ceterum

quod asserunt super defectu cujuscumque emolumenti pro chorali servitio, minime consonum veritati videtur, cum duc. 100 in singulos annos titulo distributionum Oratores percipiant.

Gravis profecto ex his omnibus contra porrectas preces oritur difficultas, quae major etiam fieri videtur, perpensis annuis reditibus qui sane nec absolute nec respective tenues reputari valent; vestrum tamen erit, Eminentissimi Patres, judicare, quid ad supplicem libellum rescribendum sit.

Lectum.

344. Isernien. — Servitii chori.

Die 12. Martii 1853.

Urbs Isernia praeter cathedralem septem alias enumerat ecclesias, quae olim partim a clero saeculari, partim a regulari officiabantur. Post regularium suppressionem ita clerus imminutus est, ut totum in iis ecclesiis servitium ab unis capitularibus ecclesiae cathedralis viginti sex inter dignitates, canonicos, atque hebdomadarios pertingentibus explendum sit. Unde evenit ut major ecclesia divini cultus detrimentum persentiat; nam capitulares partim celebratione missae, partim in excipiendis confessionibus, partim demum verbi Dei praedicatione in dictis ecclesiis diebus festis et dominicis distenti, chorale pensum ea qua par est sedulitate absolvere nequeunt, quandoquidem illud accedit, ut ecclesiae ita per civitatis ambitum positae sunt, ut divina officia in iis praetermitti non possint, quin frequens populus divinis destituatur auxiliis, et ceteroquin nec omnibus facilis ad cathedralem accessus, nec ea apta ad frequentem novem fere millium hominum multitudinem capiendam.

Quibus ita se habentibus, Episcopus remedium quaerens, supplex postulat levem servitii choralis reductionem, ut nimirum choralis officiaturae alternativa per hebdomadam inducatur favore canonicorum atque hebdomadariorum ordinis presbyteralis quoad dies festos, necnon tempore adventus, quadragesimae, atque octavae Corporis Christi. Hac enim inducta methodo confidit, fore ut cathedralis cultui et chorali officiaturae prospectum sit, et populus in ceteris ecclesiis ministros promptos habeat per quos religionis officia explere possit.

Quaesivi ab eodem Episcopo, cur non magis expediat ut urgente necessitate indulgeatur capitularibus celebratio tempore choralis officiaturae, servato inter eos potioritatis ordine, utque ipsorum nonnulli ad fidelium confessiones excipiendas deputentur. Responsum accepi, per peculiaria indulta nec facile propositum scopum obtineri posse, et ceteroquin fomitem facile praeberi dubiis ac dissensionibus inter capitulares. Unam propositam alternativam agnosci quae rerum conditioni prospicere possit.

Statuit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. obtinentibus in cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, aut portiones, non licere ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse; simulque expresse sancivit, ut salvae earum ecclesiarum constitutiones remanerent, quae longius servitii tempus requirunt. In themate, si tempora superius notata excipiantur, chori servitium videtur esse alternativum, haud vero continuum. Dubitandum igitur, num ulterius reducendum sit, et causae expositae illud suadeant. Jamvero praecipuum canonicorum officium est, ut debitas in choro laudes statuto tempore Deo persolvant, accessorium vero, ut populi spirituale bonum curent; praecipuum ergo munus pro accessorio

non est deserendum. Permittitur quidem canonicis choro quandoque abesse vel ad audiendas confessiones, vel missas celebrandas. Ast dum id legitima tantum concurrente causa et citra muneris ac stipendii rationem de consensu superioris admittitur, non adeo tamen est facienda, ut reductionem choralis servitii suadeat. Accedit vix credendum, omnes capitulares aeque idoneos esse ad spiritualia subsidia populo praestanda, ideoque gratiam non esse tribuendam, quae etiam ad immerentes protendatur.

Num autem capitulares emolumentum ex officiis quae explent in ecclesiis recipiant, haud indigitatur. Si enim mercedem aliquam reciperent, durius cum ipsis agendum esset. Ast si res aliter sit, aliqua S. hujus Congregationis indulgentia digni videntur; nam de populi necessitate testatur Episcopus. Res itaque ita temperanda esset, ut servitio chori juxta laudabilem consuetudinem seu statutum, simulque praedictae populi necessitati consulatur, quod fieri posset, si Episcopo facultas ad tempus tribuatur, ut pro diebus et horis dispensationem concedat abessendi a choro iis capitularibus, quorum operam in confessionibus audiendis vel missis litandis vel concionibus habendis in dictis ecclesiis necessariam et utiliorem noverit. Eoque pronius in hanc sententiam inclinandum esset, quia sperandum videtur, sacerdotum penuriam in civitate Iserniae perpetuam non fore, adeo ut aliquando per alios sacerdotes, quam inservientes choro spiritualia subsidia populo in iisdem ecclesiis parari possint.

Quoad reductionem servitii choralis lectum: sed pro facultate Episcopo ad quinquennium dispensandi a choro eos, quos necessarios atque idoneos ad officia in enunciatis ecclesiis obeunda judicaverit, ita tamen, ut capitulares sic deputandi amittant distributiones quotidianas pro diebus et horis, si ob officia in iisdem ecclesiis explenda emolumentum recipiant.

345. Pinnen. — Vacationum.

Die 7. Junii 1856.

Canonici ecclesiae cathedralis Pinnen. anno 1723 ab S. hac Congregatione indultum impetrarunt abessendi quotannis per duos menses a servitio ecclesiae cum suetis clausulis, ut interessent omnes diebus festis totius anni et diebus adventus et quadragesimae, et numquam a servitio ultra tertiam partem eodem tempore abessent. Episcopus tunc temporis Maffeius hoc indultum executioni committens statuit, ut canonici, qui erant uti in praesens numero quindecim comprehensis tribus dignitatibus, in tres diaetas seu classes dividerentur, altera ex dignitatibus unicuique classi praefecta, ita ut dum duae classes quotidie choro interessent, tertia per turnum hebdomadalem vacaret, exceptis diebus in rescripto notatis. Methodus haec fruendarum vacationum anno 1805 in usu non invenitur, singuli enim canonici pro suo quisque lubitu vacabant; exeunte imo anno super iis tantum fallentiis multabantur quae duos menses excedebant conciliarium vacationum. De hac consuetudine quae sensim sine sensu irrepserat quidam canonici angi coeperunt, quam ideo anno 1814 summi Pontificis auctoritate confirmari postularunt. Oblatis precibus responsum prodiit: „Servetur decretum S. Congregationis diei 10. Aprilis 1723. Nihilominus canonici freti quodam Episcopi, quem uti fertur S. Sedis responsum latebat, decreto ad eorumdem canonicorum instantiam eodem anno edito, invectam servarunt consuetudinem vacandi praesertim ad libitum, quae in praesens adhuc viget. Quoad condo-

nationem autem fallentiarum pro duobus vacationum mensibus non eadem semper ratio obtinuit. Hanc enim praxim reprobavit anno 1832 Episcopus Ricciardonius, quam tamen canonici restituere anno 1850 proprio marte non dubitarunt.

Qua ideo super re anxii nunc nonnulli ex canonicis cathedralis, supplici oblato libello postulant declarari, primo an servanda sit methodus vacandi ad libitum, seu potius statuendae iterum sint classes ad formam decreti Episcopalis anni 1723, deinde an tertia pars seu quaelibet classis quae vacationum beneficio fruitur computanda sit juxta numerum 15 canonicorum, quot capitulum constituunt, seu poties excludendi sint, qui legitime impediti choro interesse nequeunt; postremo an approbanda sit exemptio a punctaturis pro duobus vacationum mensibus, et (cum in capitulo Pinnen. duo adsint libri alter in quo fallentiae, alter in quo interessentiae puncta notentur, juxta quae fit distributionum partitio) an puncta ut ajunt mala detracta ex libro fallentiarum adjungenda sint punctis bonis libri interessentiae ut canonici eo temporis absentes lucrari valeant quotidianas distributiones.

Episcopus de more auditus, sessionis capitularis hoc desuper negotio acta transmisit; ipse autem de aliis dubiis silens, votum suum pandit solum quoad methodum vacandi, quam per classes iterum statuendam censet, ut chori servitio magis consultum sit.

Plerique canonicorum sustinent comprobandam esse consuetudinem vacandi ad libitum, uti pervetustam et episcopali decreto anni 1814 recognitam et confirmatam; praesertim cum chorale servitium nullum exinde detrimentum patiatur, nam in praesens sex praeter canonicos adsunt in cathedrali Pinnen. beneficiati qui ad quotidianum servitium obstricti sunt. Pariter contendunt canonicos tempore vacationum absentes eximendos esse a punctaturis, atque adeo distributionibus frui, 1. quia id fert pariter antiquissima consuetudo, 2. quia absentes ex indulto habendi sunt, inquiunt, uti praesentes ad effectum percipiendi fructus, quorum tertia pars in eodem capitulo efformat fundum distributionum quotidianarum, 3. quia hoc privilegium indultum sibi putant indirecte saltem ab rescripto S. Congregationis anni 1723 quo res Episcopi arbitrio et conscientiae commissa fuit, et Episcopus reapse anno 1814 canonicis concessit ut a punctaturis vacationis tempore exempti forent, 4. tandem, quia canonici anno 1723 vacationibus frui postularunt prout iis fruebatur concathedrale capitulum Atriense, in quo absentes in mensibus conciliaribus a punctaturis absolvuntur.

E contra nihili facienda ducunt Oratores canonici hujusmodi rationum momenta ducta ab consuetudine et ab interpretatione rescripti S. Congregationis. Consuetudo enim intercepta mansit quoad methodum vacandi jam ab anno 1814 ob S. Sedis rescriptum, quo classium constitutio ad tramites primaevi rescripti S. Congregationis in vigorem revocata fuit; et quoad exemptionem a punctaturis ab decreto Episcopi anni 1832, ceu in facti specie narratum est. Rescriptum autem S. Congregationis perperam in contrarium detorqueretur sensum, in quo nimirum non ultra tertiam partem canonicis vacare eodem tempore permittitur, eique apprime respondet executoriale decretum Episcopi Maffei, quod semel suum sortitum effectum nequibat dare locum alteri decreto anni 1814 rescripto ipsi repugnanti. Cum autem in eodem rescripto nullum de exemptione a punctaturis verbum exciderit, nulla alia interpretatio adhiberi potest, quam quae juris dispositioni consentanea sit, qua nimirum statuitur, ut canonici tempore vacationum absentes quotidianas non lucrentur distributiones.

Quamvis olim S. Congregatio arbitrio Episcopi et capituli aliquoties reliquerit, ut statuerent, quo numero canonici simul abesse possent, ut apud Benedictum XIV. instit. 107. §. 6, nihilominus juxta recentiorem disciplinam assolet per se hunc numerum praefinire, quem ultra tertiam partem protrahi vetat, ceu patet ab ipso rescripto pro capitulo Pinnensi edito, ac ab exemplis similium rescriptorum, quae referuntur in causa Terracinen. et Setina 23. Novembris 1771. §. praeterea. Tantum igitur abest, ut singulorum canonicorum arbitrio id permitti possit; sed quo chori servitio probe consultum sit necessitas potius erumpit certas constituendi classes canonicorum, quorum cuique suo tempore abesse liceat.

Quandoquidem vero in rescriptis S. Congregationis tertiam partem vacare posse generatim enuncietur, videretur hanc tertiam partem pro regula ordinaria computandam esse juxta numerum canonicorum, qui capitulum constituunt, nulla ratione eorum habita qui legitimo detinentur impedimento ne choro adsint. At vero dubium non est, quin exceptionem id pati debeat eo in casu, quo contingeret adeo magnum esse numerum legitime impeditorum in classibus, quae juxta turnum ad servitium tenentur, ut choralis officiatura eo quo par est decore expleri nequeat. In quo quidem, cum res pendeat ab incerto rerum eventu, certa ac stabilis norma constitui non potest; sed prudenti Episcopi arbitrio relinquendum est in peculiaribus hisce casibus rem componere respectu ad necessitatem servitii ecclesiae habito, ceu in simili fere casu consuerunt EE. VV. in causa Santandrien. VV. SS. LL. proposita inter supplices libellos in congregatione mensis Januarii proxime elapsi.

Quoad exemptionem a punctaturis animadvertere praestat ex Tridentina Synodo sess. 24. cap. 12. de reform. canonicos absentes a choro haud lucrari quotidianas distributiones, etiamsi absint tempore vacationum, nisi speciali privilegio aucti sint, easque praesentibus accrescere; S. Congregatio in Illerden. Absentiae et distributionum 3. Martii 1792. ad I. dubium et in Oriolen. 6. Decembris 1794. §. Quatenus, nec contrariam suffragari consuetudinem, quae utpote a sacris improbata canonibus abusus et corruptela est potius dicenda, monet eadem S. Congregatio in Derthonen. Constitutionum capitularium 12. Septembris 1829. §. Dubium IV. ac pluribus allatis resolutionibus docet Fagnan. in cap. Cum omnes num. 34. et seqq. de constitut. et in cap. Licet num. 92. de praebend.

Quamobrem ubi in themate canonici absentes pro mensibus conciliaribus distributionibus privari debeant, nulla jam subesset ratio, cur puncta mala e fallentiarum libro pro eo temporis extrahenda et punctis bonis adjungenda sint. Ceterum in qualibet hypothesi unum tantum efformandum esse fallentiarum jibrum censet Episcopus, ut quaelibet confusio vitetur.

Firma manente decreto S. Congregationis anni 1723 tertiam canonicorum partem, qui simul abesse possint, computandam esse ex integro capitulo exceptis casibus legitimi impedimenti, in quibus integrum sit Episcopo numerum choralium praefinire habito respectu ad necessitatem servitii ecclesiae: absentes vero amittere quotidianas distributiones.

346. Melevitana. — Reductionis servitii chori.

Die 31. Januarii 1863.

Canonici insignis collegiatae ecclesiae S. Paulo naufrago dicatae in civitate Valletta Melevitanae dioecesis supplicem Sanctissimo libellum exhibuerunt,

humiliter exponentes se ad formam statutorum ejusdem collegiatae quotidiano servitio chori teneri, quod tamen, exceptis adventu, quadragesima, festo Corporis Christi usque ad feriam sextam (incl.) post octavam, dominicis, aliisque festis de praecepto, nec non nonnullis aliis anni festis, quibus omnes interesse choro obligantur, quoad reliquos dies ex consuetudine alternis hebdomadibus adimpletur.

Afferentes ergo tenues esse reditus praebendarum, eosque etiam imminutos fuisse ex dismembratione parochiae a capitulo, et gravi incommodo capitulares affici in chorali servitio ob maximos calores, quibus aestivo tempore Melitensis insula aduritur, rogarunt Sanctissimum Patrem, „ut possint quatuor mensibus aestivis per tertiariam officium chorale adimplere ideoque dispensentur, si opus fuerit, a mediaria et quatuor diebus, qui in id tempus incidunt, et quibus, quamquam non sint dies festi, tamen omnes choro interesse debeant.“ Ceterum canonicorum numerus in praesentiarum ex novis fundationibus ad unum et viginti adauctus est, et curae animarum onus, licet dismembrata jam fuerit paroecia, a capitularibus sustinetur.

Haec ex canonicorum libello et ex primis Archiepiscopi literis, quibus preces ipsae Sanctissimo Patri commendabantur. Cum vero laudatus Antistes rogatus fuerit, ut magis praecise referret de annuo reditu et oneribus canonicatuum comprehensis distributionibus, novis ipse literis diei 5. Septembr. praeteriti anni mandatis Sacr. Congregationis obsequens tenuitatem redituum uniuscujusque canonicatus demonstrat peculiari quodam adducto schemate, quod ad calcem hujus foliis Eminentiis Vestris exhibetur. Singulos praeterea canonicos ait, exceptis decano, primicerio, et duobus canonicis fundationis Vargas, ex fructibus parocciae excipere quotannis scutata triginta circiter monetae Melitensis; „distributiones vero non haberi nisi ex eo quod titulo punctariae solvit unusquisque canonicus, si choro non intersit. Cuique enim canonico certa summa ex fructibus suae praebendae titulo punctariae in casu absentiae solvenda constituta est, quae archipresbytero et praeposito est quadraginta scutatorum Melitensium pro singulis annis, caeteris vero canonicis triginta.“

His in facto expositis adnotandum in primis est Tridentinos Patres ab imminuendo chori servitio non parum alienos fuisse, cum sess. 24. c. 12. de ref. concedentes trium mensium vacationes, salvas voluerunt earum ecclesiarum constitutiones, quae longius servitii tempus requirunt. Cui sanctioni semper adhaerendum duxit Sacra haec Congregatio, uti testatur Benedictus XIV. Inst. eccles. §. 6. n. 31. quoties peculiares locorum circumstantiae ab ea recedendum non compulerint.

Inter causas vero, ob quas S. H. O. ulterioris temporis vacationes concedit, redituum tenuitas praecipue et aeris inclementia adnumerantur, quibus sane occurrentibus circumstantiis servitium chori imminuendum et vacationes ampliandas rescripsit, tum ut alternis vicibus chori servitium per canonicos adimpleretur ut in Castrimaris 30. Julii 1735 tum et per tertiarias, ceu videre est in Bituntina Servitii chori 5. Septembr. 1770, in qua plures afferuntur hujus Sacr. Congregationis resolutiones ad rem facientes, et proposito dubio „an dignitatibus etc. sit concedendum indultum inserviendi choro et ecclesiae per tertiariam in casu“ responsum prodiit: Affirmative, et detur decretum in Tarraconen. 23. Martii 1765, exceptis etiam anniversariis. In specie vero memoratae Tarraconensis, cum quatuor tantum abesse potuissent a choro canonici, indultum est, ut sex in posterum abesse valerent.

In themate de hujusmodi legitimis causis non dubitatur, petitamque reductionem eo vel magis se consecuturos sperant canonici, cum ex concessione

gratiae nullum obventurum sit detrimentum divino cultui, septem canonicis choro intervenientibus, qui praeterea, ut inquit Episcopus, „sufficienti numero presbyterorum et clericorum stipendio conductorum hoc in munere adjuvantur. Ac propterea officium chorale, qua decet gravitate et decore semper persolvere possent. Suas igitur commendatitias literas Episcopus his verbis concludit: „Munus chorale aestivo tempore, Melitae praesertim, ubi gravissimi sunt aestus, maximo est incommodo. Ad salutem curandam his mensibus rusticatio ac balnea videntur necessaria. Queis non tam commode perfrui potest, qui singulis diebus vel altera quaque hebdomada choro in urbe interesse debet."

Sapientiae Eminentiarum Vestrarum erit judicium ferre quid porrectae preces mereantur, interim ego addam, quatuor aestivi temporis festos dies, de quibus supra in precibus canonicorum, festum esse S. Rochi, S. Laurentii Justiniani, Exaltationis S. Crucis, et S. Mariae Virginis de mercede.

Prout exponitur non expedire.

V. DE MISSA CONVENTUALI.

347. Clodien. — Prorogationis indulti.

Die 14. Februarii 1857.

S. haec Congregatio rescripto diei 4. Aprilis 1846, quod a Sanctissimo D. N. benigne approbatum et confirmatum episcopali decreto executioni commissum fuit insequenti mense Octobris ejusdem anni, capitulo ecclesiae cathedralis Clodien., attentis peculiaribus circumstantiis veniam benigne concessit ad decennium, applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere diebus dominicis et festis de praecepto etiam suppressis dumtaxat; item celebrandi in choro missas feriarum et vigiliarum sine cantu et cum applicatione libera, nec non applicandi diebus ferialibus missam conventualem sancti vel feriae etiam pro anniversariis, ita tamen ut post missas sancti vel feriae ita applicatas, loco exequiarum, post liturgiam canonici in choro recitarent psalmum De profundis cum precibus et oratione juxta anniversarium diei. Elapso itaque decennio Episcopus supplici oblato libello postulat, ut perdurantibus nunc etiam iisdem causis praedictum indultum ad aliud decennium prorogetur, comprehensis etiam anniversariis solemnibus, si forsitan in indulto anni 1846 non fuerint inclusa, nec non iis anniversariis, quae fundata ante annum 1846 hoc decennio effectum sunt consecuta.

Cum eaedem perdurant causae, indulta semel concessa prorogare assolet S. Congregatio. Plures autem afferebantur causae ad obtinendum praesens indultum jam inde ab anno 1846; quae praecipue erant exiguus canonicorum numerus, et tenuitas praebendarum. Exponebat scilicet Episcopus in suis precibus, canonicos cathedralis, cum antea viginti numero essent, postea ad octo tantum reductos fuisse, comprehensis theologo et poenitentiario; et hosce unos chori pondus sustinere, deficientibus mansionariis vel capellanis; praebendas canonicales singulas scut. annua 55 vix reddere, ita ut merito timor subesset fore, ut actuales canonici illas resignarent, quin reperiri posset, qui accepto habere vellet. Praeterea addebat, capitulum in festis non solemnibus canere solitum esse vesperas defunctorum, praeter vesperas diei currentis. Hae itaque causae praefati indulti concessionem, uti par erat, suasere S. Congregationi; quibus nunc perseverantibus, eamdem S. Ordinis indulgentiam sibi pollicetur Episcopus.

De anniversariis vero, quae solemni ritu celebrantur, haec ubi in praecedenti indulto (quamvis generalibus concepto verbis) comprehensa non esse videantur, decernent EE. PP. an comprehendi nunc debeant, una cum anniversariis, quae ante annum 1846 relicta, intra praeteritum decennium effectum sortita sunt, uti nunc primum postulat Episcopus. Ceterum aliqua subesse posset difficultas quoad illa anniversaria, quae licet ante concessionem indulti relicta fuissent, attamen intra decennium nedum effectum sortita, sed insuper a capitulo accepto habita sunt. Ex nova enim acceptione, novam sibi imposuit capitulum obligationem, et jus tertio quaesitum legitime fuit, quod ideo cum nova urgens ac justa causa non supervenerit, violare nefas videretur. Attamen perpensa difficili in qua versatur capitulum rei oeconomicae conditione, erit EE. PP. decernere, an hac etiam in parte Episcopi precibus favendum sit.

Pro gratia prorogationis indulti ad aliud decennium ad formam praecedentis; ita tamen, ut ab indulto excipiantur anniversaria, quae a capitulo accepto habita sunt intra praeteritum decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

348. Hydruntina. — Missae conventualis.

Die 3. Martii 1860.

Cum ecclesia Mallearum in dioecesi Hydruntina sita anno 1853 ad collegiatae dignitatem evecta fuerit, capitulo incumbit inter alia obligatio missam conventualem quotidie canendi et applicandi pro benefactoribus in genere.

Clerus autem huic ecclesiae adscriptus jam superiori ineunte saeculo dotationem acceperat a quodam sacerdote Ignatio Ricci, cum onere adnexo celebrationis quotidianae divini officii, et missae cantatae, praeter aliam missam quotidianam pariter cum cantu, quae tamen anno 1758 ad lectam reducta fuit exceptis 30 circiter missis quae in feriis quadragesimae cantari deberent; nec non tandem praeter alias biscentum missas lectas quae ex indulto Apostolico anni 1843 ad 190 quotannis celebrandas reductae fuerunt. Accedunt praeterea plura alia missarum legata, quae cum superioribus collata, post ultimam reductionem anni 1843, efficiunt quotannis numerum totalem 3678 missarum lectarum et 426 cum cantu. In qua reductione Archiepiscopus executor adjunxisse videtur huic numero missas 75 lectas et unam solemnem infra octavam defunctorum, ultra nocturnum mortuorum per singulos menses in satisfactionem legatorum, quorum quacumque ex causa reditus deperditi essent.

Capitulum hisce oneribus gravatum petiit, ut reducatur obligatio missae conventualis quotidie cum cantu pro benefactoribus in genere applicandae ad dies festos tam de praecepto, quam suppressos, et ut reliquis diebus retineatur methodus cantandae missae per turnum a canonicis et sacerdotibus pro supradicto fundatore Ricci.

Archiepiscopus rogatus informationem et votum, retulit: „praedictum clerum 27 (vi regii decreti anni 1830) praebendas praestare, quae partim a canonicis, partim a beneficiatis possidentur, una cum parocho seu archipresbytero. Hujus praebenda seu congrua est 200 ducatorum cum onere tantum missam pro populo festis diebus celebrandi Quoad ceteras portiones, licet vario modo et quantitate, ex massa capitulari pro dignitate, varia aetate ac servitio a singulis percipiebantur, dum clerus et ecclesia nulla dignitate fuit decoratus: evecta autem anno 1853 ex concessione ac bulla Pii IX.

ad collegiatae dignitatem, nova redituum divisio inter portionarios est instituta. Et singuli quidem tum canonici, tum simplices portionarii actu ex ecclesiae reditibus (quaecumque fuerit quantitas portionum in praedicto regio decreto definita aut supposita) percipiunt praebendam annuam ducatorum 70 circiter, et interdum pro vario aut incerto olearum reditu, aliquid ultra hanc quantitatem. Canonici vero 12 percipiunt ultra hanc aequalem singulis portionariis quantitatem, summam ducatorum 240, varia tamen ratione inter ipsos dividendam; cum sex priores annuos ducatos 25, posteriores vero sex annuos 15 percipiant.

„Onera vero hactenus aequaliter ab omnibus capitularibus in ternarias divisis implenda, sunt publica celebratio divinorum officiorum, prout fit in cathedralibus, vi testamenti reverendi quondam domini Ignatii Ricci, qui anno 1739 Mallearum clerum pinguis patrimonii sui cum hoc onere haeredem scripsit, necnon onus missarum planarum 3678 et aliarum cum cantu 426, summatim 4104 pro legatis omnibus, prout exposuit clerus in supplici libello, et habetur in reductione anni 1843; qui missarum numerus in viginti sex portionarios divisus, singulis incumbit onus celebrationis annuae 160 circiter.

Hinc sententiam suam pandens, prosequitur: „Putarem ut, firmo permanente statuto, quod omnes tum canonici, tum portionarii simplices in ternarias aequaliter missarum onera pro fundatore Ricci et pro aliis cleri legatis impleant, celebretur etiam pro benefactoribus in genere missa a solis canonicis dominicis et festis omnibus diebus, nec non in feriis quadragesimae, quatuor temporum ac vigiliis, in quibus ecclesiastica lege cantari debent duae missae, quorum dierum numerus 150 esse solet, quique in quindecim canonicis divisus, grave onus singulis minime videri debet. Missae vero cum cantu quae praedictis diebus pro fundatore Ricci celebrari deberent, celebrentur lectae. Et quamvis congrua portio ducatorum 200 parocho adsignata, lege positiva nonnisi ad missas pro populo celebrandas ipsum obliget, rationabile tamen mihi videtur, quod cum ipse primas inter canonicos teneat, et praefata portio ex cleri reditibus exeat, partem saltem obligationis hujus celebrando pro benefactoribus omnibus sicut ceteri canonici subeat. Quoties autem missam conventualem cantare debet, missam pro populo alteri eadem die celebrandam assignet.“

Notissima est constitutio Benedicti XIV. Cum semper oblatas, qua praecipitur, ut sacrum pro benefactoribus in genere in omnibus ecclesiis cathedralibus et collegiatis quotidie canatur et applicetur. Attamen ut ibidem etiam notatur, quando canonici exiguis admodum potiuntur praebendis, solet Sacra Congregatio „perspecto rerum statu, quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere ad festos tantummodo dies reducere.“ Hinc propter praebendarum tenuitatem, temporaneam reductionem concessit in Brugnaten. Missae conventualis 22. Maji 1830 proposita die 26. Junii ejusdem anni, in Civitatis Plebis Mis. conv. 24. April. 1830; pariter in Mazzarien. Mis. conv. 22. April. 1826, et in Senogallien. Mis. conv. 16. Dec. 1854, per summaria precum proposita. Ad id vero tenues censet praebendas quae, demptis oneribus, vix attingant 30 vel 40 scutata, ut in cit. Civitatis Plebis, aut 50 ut in cit. Senogallien.

In themate autem notatu dignum est, quod sex quidem canonici 95 ducatos, sex vero 85, reliqui tandem omnes 70 quotannis percipiunt; at, praeter onus divini officii, obligatio unicuique eorum incumbit satisfaciendi quotannis 160 missis lectis vel cantatis. Unde, ut notat Archiepiscopus, praeterquam quod missa conventualis in illa ecclesia non desideretur „additio alterius missae quotidianae cum cantu certe grave onus esset clero, qui

ultra missas praedictas, debet etiam persaepe missas alias cum cantu celebrare tum pro anniversariis, tum ac frequenter, ut pio offerentium voto fiat satis; unde fit ut saepe duae aut tres missae sint cantandae, et aliquando quatuor occasione funerum."

Quod vero addit de archipresbytero, satis concordare videtur cum citata Benedicti XIV. constitutione: Cum semper oblatas.

Pro gratia reductionis juxta votum Archiepiscopi, facto verbo cum Sanctissimo.

349. Senogallien. — Missae conventualis.

Die 16. Decembris 1854.

Canonici insignis ecclesiae collegiatae Corinaltensis exponunt, ab anno 1827 quo capitulum redintegratum est, usque ad diem primam Junii anni 1850 se missam conventualem pro benefactoribus numquam applicasse; quo demum anno scilicet ab tunc temporis Ordinario primum de eorum obligatione moniti ad officium revocati sunt. Cum autem pro parvo eorum numero ac tenuitate praebendarum grave nimis sibi esse sentiant onus quotidianae applicationis, praesertim cum ad quotidianum etiam chori servitium teneantur, humili prece postulant tum absolutionem quoad praeteritas omissiones, tum ejusdem oneris reductionem ad dies festos tantum.

Ab Eminentissimo Episcopo, quem informationem ac votum rogavi, accepi, praebendatos chori servitio addictos quatuordecim esse, decem nimirum canonicos, una cum archipresbytero parocho, et quatuor mansionarios in curae exercitio coadjutores. Excepto archipresbytero, cui ex decimis annua scut. 213 obveniunt, et duobus canonicis jurispatronatus, qui percipiunt quotannis scut. 84, ceteri canonici et mansionarii reditus annuos pariter ex decimis scut. 60 habent, illorumque alter scut. 50. Mansionarii praeterea emolumentis utriusque stolae fruuntur; qui tamen una cum archipresbytero missam pro populo per turnum applicare tenentur. Canonicis jurispatronatus onus alteri sexaginta, alteri quinquaginta missarum incumbit. Reliqui canonici per turnum hebdomadalem missam ad meridiem celebrare, cum libera tamen applicatione, debent. Non exstat massa distributionum.

Quibus praemissis, ita mentem suam aperit Eminentissimus Episcopus: „Quoad primam petitionis partem haud inopportunum praenotare invenio, in redintegratione hujus capituli nil specialiter provisum fuisse circa onus missae pro benefactoribus quotidie celebrandae, non sane, quia necessarium fuerit id praescribere, quod jure nostro, ac praesertim sanctione encyclicae: „Cum semper oblatas" s. m. Benedicti XIV. ipso facto veniebat, sed quia ex eo processit, ut canonici ad hanc obligationem vel ab initio minime adverterint, donec apposito decreto, cui statim obtemperarunt, excitarentur. Quare cum tam diuturna missarum omissio ignorantiae potius, quam culpae tribuenda sit, ob eam rationem, et etiam ne turbandi sint in eorum bona fide praedecessorum canonicorum haeredes, qui de rata omissionis tenerentur, aequum esse censerem, si debitum usque ad effectum dicti decreti per benignam absolutionem remittatur, imposita tantum Oratoribus aliqua satisfactione, quae discretioni EE. VV. digna et congrua videri possit."

„Nunc, ex quo missam pro benefactoribus quotidie applicant iidem Oratores queruntur de nimis gravi onere, quod ajunt fructibus eorum praebendarum minime congruere. Nec satis prodesse autumant eidem oneri ferendo subsidium pii relicti, quod ex diruta capella S. Mariae de Ponte per dispo-

sitionem rescripti S. Congregationis EE. et RR. diei 16. Maji 1840 fundis capitularibus hoc titulo adjectum fuit, unde synodalem eleemosynam missarum sexaginta vel septuaginta vix percipiunt. Et revera haud divites esse dixerimus canonicos vel mansionarios, qui pro annuali stipendio octoginta, sexaginta, vel quinquaginta scutatorum quotidie chorali operi mancipantur, ita ut si alius adesset modus, quo possent ulterius suppetiari ad missam pro benefactoribus singulis diebus impendendam, esset sane adhibendus. Ast haec spes in beneficiorum qua versamur penuria cum minime effulgeat, mihi nil reliquum est, quam ut hanc instantiae partem prudentissimo judicio Vestro prorsus committam libentissime eidem accessurus. Vosque EE. PP. ea praeclara discretione ac pietate qua praecellitis, re bene perpensa, definietis, utrum eadem petitio juxta preces excipienda sit, vel potius obligationem missae pro benefactoribus ad dies festos, et sacri adventus, et quadragesimae reducere tantum deceat.“

Quod attinet ad absolutionem, quam canonici petunt ob praeteritas omissiones, nihil addendum superest iis quae hac de re sapienter perpendit Eminentissimus Episcopus. Ubi enim bonae fidei ac ignorantiae hujusmodi omissiones tribuendae sint, ac ignoratio rerum, quae ad proprium pertinent officium, in casu excusatione digna videatur, deneganda fortasse non esset absolutio, praesertim cum de impotentia supplendi constet. Nam bona fides, et impotentia supplendi justa semper absolutionis causa S. huic Ordini visa est, ceu in Marsorum 28. Aprilis 1827 ad 2. dub. et in Civitatis Plebis 24. Aprilis 1830 ad 5. dub. Ceterum ubi absolutio concedenda sit, exigit Sacri hujus Ordinis disciplina, ut aliqua salutaris poena imponatur, ceu vel ipse Eminentissimus Episcopus animadvertit. Cujus quidem rei recens exstat exemplum in Vintimilien. Missae conventualis diei 20. Decembris 1851 ubi ad 1. dubium: „An et quomodo consulendum sit Sanctissimo circa missam conventualem quotidianam non cantatam, neque applicatam in casu? et ad 3. dubium: „An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro absolutione quoad missas de feria non applicatas in casu? Ad utrumque responsum fuit: „Affirmative, celebratis infra annum tribus missis cum cantu, integro adstante capitulo, pro omnibus omissionibus.“

Quod spectat ad reductionem missae conventualis, de qua in altera supplicis libelli parte agitur, quamvis ab cap. Cum creatura de cel. miss. et ab notissima constitutione Benedict. XIV. „Cum semper oblatas“ canonicis tum cathedralium, tum collegiatarum districte praecipiatur quotidiana missae conventualis pro benefactoribus in genere applicatio; attamen ubi canonici exiguis admodum potiantur praebendis, nec ad canonicorum levandam inopiam praesto sit ratio a Tridentino Concilio sess. 24. cap. 15. de ref. praescripta, assolet Sac. Congregatio, ceu traditur in cit. constitutione „perspecto rerum statu, quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere ad festos tantummodo dies reducere.“ Hinc ob praebendarum tenuitatem temporaneam reductionem concessit modo ad dies festos etiam reductos, uti in Brugnaten. Missae convent. 22. Maji 1830, modo ad dies festos tantum de praecepto, uti in Mazzarien. Missae convent. 22. Aprilis 1826. Ad id vero tenues censet praebendas, quae demptis oneribus triginta saltem, vel quadraginta scutata non attingunt, veluti in Civitatis Plebis Missae convent. 24. Aprilis 1830. §. Verum.

In themate autem notatu dignum est, capitulum Corinaltense onere premi quotidiani servitii choralis, quamobrem tenues fortasse censendae sunt praebendae, quamvis summam scutat. 40 excedant, queis hujusmodi onus

respondet. Quod si itaque imploratam reductionem concedendam consuerint EE. PP., definient, utrum ad dies tantum festos cohibenda sit, ceu petunt capitulares, seu potius extendenda etiam ad sacrum adventum, et quadragesimam, ceu proponit Eminentissimus Episcopus.

Celebratis tribus missis cum cantu, integro adstante capitulo, pro gratia absolutionis ac condonationis quoad praeteritas omissiones, et reductionis per quinquennium proximum tantum quoad futurum ad dies festos de praecepto, nec non ad adventum et quadragesimam, facto verbo cum Sanctissimo.

350. Olomucen. — Missae conventualis.

Die 27. Aprilis 1861.

Capitulum metropolitanae ecclesiae Olomucensis reductionem circa sacra conventualia de feria tempore quadragesimae celebranda suppliciter implorat, ita videlicet: „1. Si in directorio dioecesano occurrit officium de feria, semper celebretur missa conventualis de ea, cum cantu et assistentia ad altare chori, 2. si vero in directorio occurrit officium alicujus festi infra quadragesimam, tunc celebranda sit in altare chori solummodo missa conventualis de festo occurrenti, addita commemoratione feriae, prout habetur in rubrica directorii pro tali die, cum cantu et assistentia, et quidem post nonam ratione jejunii observandi et commemorationis feriae, ita tamen, ut eodem tempore in aliquo altari laterali sacrum lectum de feria cum applicatione pro fundatoribus persolvatur.

Hujusce reductionis causam repetunt Oratores canonici ex gravissimo incommodo quod ipsi, praeprimis senes ac valetudinarii, persentiunt ex diuturno trium vel quatuor horarum servitio ea in regione, ubi frigus fere intolerabile per id temporis redditur. Proferunt etiam difficultatem inveniendi cantores, qui cum exiguo quod rependitur stipendio velint aut possint per nimium temporis spatium suo muneri satisfacere. Mouent eapropter, nonnisi superiori anno rubricae praeceptum hac in re ad praxim fuisse deductum, cum antea in Olomuc. ecclesia, prout in aliis illarum regionum cathedralibus et collegiatis, ob hiemis asperitatem usus contrarius invaluerit; sed experientia in hieme proxime elapsa peracta, de nimia illius praxis difficultate se edoctos fuisse.

Archiepiscopus rogatus, ut referret de qualitate servitii choralis, numero choro inservientium, et legitima reductionis causa; haec ad rem habet: „Quoad qualitatem servitii choralis, obligantur vigore statutorum capituli metropolitani omnes canonici residentiales, vicarii penes ecclesiam metropolitanam curati, nec non et constituti ad eamdem ecclesiam choralistae laici, ad chorum, qui usque ad hanc horam, non obstantibus quibuscumque impedimentis, suo ordine et ritu accuratissime habetur. Et quidem adesse debent sub poena carentiae solitae portionis, nisi legitime et canonice impediantur, tum in matutino et laudibus, tum in missa conventuali, itidemque, si contingat celebrari alteram de vigilia seu feria, vel vero tandem si interdum accidat tertiam quoque offerri fundatam pro defunctis. Similiter tenentur eidem praelaudati interesse in choro sub eadem poena horis minoribus, spatio inter missas intercedente, persolvendis, nec minus tandem suo tempore et vesperis et completorio.

„Quoad numerum choro inserventium, frequentare deberent chorum canonici omnes, de regula tredecim atque omnes illi choralistae numero octo

laici. At vero numerus ille perraro plenarius esse solet. Vicarii etenim curati, animarum quoque curam exercentes, quia ecclesia metropolitana simul parochialis est, semper adesse nequeunt omnes; ex canonicis, qui sunt debiles et senio confecti, quales quoad majorem partem semper conspiciuntur, omnibus chori partibus interesse similiter non valent. Nunc temporis e. g. septem ex canonicis sexagesimum, unus 78, aliusque 80 vitae annum excessit.

„Quapropter quoad causam reductionis integra conscientia singula illa motiva a capitulo metropolitano exposita confirmare debeo. Aspera enim in regionibus nostris bruma hiemali, per medium anni fere durante, quae non raro ad 20. gr. r. attingit, impossibile sane dignoscitur, tribus atque pluribus saepe horis continuis in ecclesia commorari, in qua nec ullus chorus hiemalis existit, neç ullo modo haberi et institui potest.

„Quapropter ut capitulum illud Olomucense eo certius obligationibus chori respondere, atque remotis, quae pro expositis circumstantiis insuperabilia dici possunt, impedimentis, eo strictius ad ejusmodi officia teneri possit, meum duxi omnino preces ejusdem Apostolicae gratiae in quantum valeo commendare.“

Quaestio non est, num praeter missam conventualem pro celebritate diei, canonici alterius missae de feria in enunciatis diebus celebrationem praetermittere omnino possint; sed in eo tantummodo versatur petitionis objectum, num scilicet ex gratia a cantu et successiva litatione hujus missae de feria (quae absolvi deberet post nonam, uti missa de festo celebrari deberet post tertiam juxta rubricae praeceptum) dispensari canonici debeant. Atqui pluries S. Congregatio ob parvum canonicorum numerum, vel ob grave illorum incommodum ex diuturno servitio, hujusmodi dispensationes ad tempus, prout rerum postularent adjuncta, impertita est, praesertim cum non de remittenda litatione, sed de dispensando a cantu secundae vel tertiae missae ageretur, ceu in Derthonen. Constit. capit. 12. Septembris 1829 ad 3. dubium, et in Firmana Missae conventualis 19. Aprilis et 7. Jun. 1845.

Videndum igitur num ob allatas causas petitum indultum Oratoribus sit concedendum, praesertim vero num contemporanea in alio altari sacri lecti celebratio permittenda; quae ceteroquin non certe longum temporis spatium absumeret et si successive fieret, ut adeo sine gravi canonicorum incommodo rubricae praeceptum etiam quoad tempus celebrationi praestitutum servari posse videretur.

Dilata ad sequentem.

Die 1. Junii 1861.

Rescripto „Dilata ad sequentem“ dimissus fuit supplex hic libellus in postrema congregatione EE. VV. exhibitus.

Praeter ea, quae jam adnotata in facto habentur, juverit heic addere quae in ultima relatione status suae ecclesiae diei 11. Januarii 1859 quoad metropolitanae capitulum exponebat Archiepiscopus; nimirum canonicos antiquorum statutorum, quibus ad postrema usque tempora usi fuerant, revisionem et correctionem proprio motu aggressos fuisse eum in finem, ut omnia sacris canonicis sanctionibus et in specie rubricis missalis, breviarii, et caeremonialis adamussim conformarentur. Qua correctione perfecta et Archiepiscopi approbatione jam munita, omnia et singula chori frequentationem concernentia, secundum praefatas rubricas, ad unguem intereá observari testabatur Archiepiscopus.

Sed experientia primo anno facta, grave nimis, ceu canonici in supplici exponebant libello, ipsis accidit novorum statutorum praescripto quoad missarum conventualium celebrationem adhaerere; hinc illarum reductionem impetrare e re sua duxerunt ob momenta rationum in praeterito folio benigne ab EE. VV. recolenda.

Pro gratia juxta petita ad septennium; facto verbo cum Sanctissimo.

351. Rothomagen. — Missae conventualis.

Die 16. Decembris 1854.

Archiepiscopus Rothomagen. exponit, capitulum suae metropolitanae rescripto Sanctissimi diei 7. Januarii 1853 obtinuisse ad quinquennium reductionem missae conventualis ad dies tantum festos de praecepto. Nunc vero novam suboriri difficultatem. Etenim, inquit, ecclesia titularis simul metropolitana est et parochialis. Quatenus est metropolitana, eo conveniunt canonici; quatenus vero est parochialis, ibi missa dominicarum dierumque festorum de praecepto, uti in qualibet paroecia, pro populo celebratur adstante non tantum capitulo, sed etiam magno fidelium concursu. Ubi igitur missa pro benefactoribus loco missae parochialis celebretur, adstabunt quidem canonici, populus vero missae, cui intererit, non habebit applicationem. Quod si missa pro benefactoribus ante vel post missam parochialem celebretur, tunc cum magno apparatus et publicae aedificationis dispendio missae parochiali canonici non aderunt.

Quapropter supplex expostulat, ut vel missa pro benefactoribus celebranda quibuslibet diebus festis de praecepto absente capitulo celebrari possit, vel si adesse capitulum debeat, ut eadem missa pro benefactoribus non diebus festis de praecepto, sed una dierum intra quamlibet hebdomadam celebrari possit.

Rogatus autem idem Archiepiscopus, ut referret, quid obstet, quominus ad tramites ss. canonum et resolutionum S. C. duplex celebreter missa, nempe altera pro benefactoribus in genere adstante capitulo, altera autem a parocho, hora tamen distincta; easdem allegans causas in petitione expositas, nihil praeterea addendum censuit.

Porro utrique petitioni refragari videntur juris communis dispositiones. Nam quoad primum, qua postulat Archiepiscopus, ut missa conventualis absque capituli assistentia celebrari possit, tralatitium in jure est, missam conventualem partem esse divini officii, quam ideo ab universo capitulo persolvi convenit. Notissima pariter est constit. Benedicti XIV. Cum semper oblatas, qua praecipitur, ut sacrum pro benefactoribus in genere in omnibus ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis quotidie canatur, et applicetur; quod quidem omnium capitularium prae se fert assistentiam. Haec autem obligatio eo magis canonicos Rothomagenses perstringere videtur, ex quo jam indultum reductionis ad dies tantum festos obtinuerunt; a qua quidem haud eximere se poterunt ob assistentiam, quam missae parochiali praestant: non enim proprii muneris officium ob ea quae praeter officium sunt opera praetermitti decet.

Quoad alteram vero petitionis partem, qua translationem saltem celebrationis missae conventualis ad feriatos dies postulat, obstat indultum quo ad dies festos conventualis celebratio reducta est, quamobrem haec determinatio ad dies festos non numerum tantum dierum, sed qualitatem etiam respicere, seu onus ipsi quoque diei affixum esse videtur.

Aliunde vero, cum canonici utrique missae tam conventuali, quam parochiali diebus festis adesse cogi non possint, non levem ingerunt difficultatem ea, quae perpendit Archiepiscopus, sive loco parochialis, sive hora distincta missa conventualis celebretur. In primo enim casu, adstabant canonici, sed populus missae cui interierit non habebit applicationem; in altero vero, cum magno publicae aedificationis dispendio, missae parochiali canonici non aderunt. Porro nemo non videt summopere interesse, quod fideles missae parochiali intersint, ut uno animo unoque spiritu cum sacerdote celebrante Deum exorent, et opem divinae misericordiae per Jesum Christum implorent; atque idcirco speciali ratione pro se et populo preces, et sacrificium offerre debet sacerdos, qui „pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis,“ quemadmodum ait Apostolus in epist. ad Haebreos 5. 1. Hinc nomine conventus in antiquis canonibus designari solet missa solemnis, in qua populus cum suo pastore unum efficit coetum, unamque repraesentat ecclesiam, ceu notat Benedictus XIV. de synod. dioec. lib. 11. cap. 14. num. 7. Nec minus profecto divino cultui augendo interest, ut sacrum parochiale cum canonicorum assistentia solemniter peragatur, ut christianus populus qui ei adesse assolet, ad divinarum laudum celebrationem sacrorum ministrorum exemplo excitetur.

Igitur ut exposita, quantum fieri potest, vitentur incommoda, nisi satius videatur ab assistentia missae conventuali praestanda canonicos dispensare, nihil est reliqui, quam ut ejusdem missae concedatur translatio ad alium quemque in hebdomada diem, quo canonici absque gravi incommodo utrique missae interesse queant; de quo quidem recentissimum exstat exemplum in Clodien. VV. SS. LL. proposita inter supplices libellos in congregatione mensis Julii proxime elapsi, in qua capitulo cathedralis Clodien. indultum est, ut in diebus dominicis in quibus applicare tenetur missam pro aliis festis in iisdem dominicis diebus interdum incidentibus, applicationem missae pro benefactoribus infra hebdomadam transferre posset.

Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia translationis missae conventualis ad aliam infra hebdomadam diem Archiepiscopi arbitrio definiendam durante reductionis indulto; facto verbo cum Sanctissimo.

352. Clodien. — Visitationis sacrorum liminum.

Die 29. Julii 1854.

Exponit Episcopus, quod singulis festis de praecepto etiam suppressis capitulum cathedralis applicat missam conventualem pro benefactoribus. In festis patrocinii S. Joseph, et Nativitatis S. Joannis Baptistae, aliisque sex circiter una aut altera interdum in dominicis incidenti, sive ex legato, vel aliis ex causis idem capitulum quoque tenetur applicare in cathedrali missam pro iisdem festis. Quamobrem supplici postulat prece, „ut capitulum his diebus applicare possit missam conventualem pro festis, infra hebdomadam applicationem missae pro benefactoribus transferendo, prout ex constitutione Benedicti XIV. Cum semper oblatas de licentia Episcopi parochi egentes faciunt.“

Idem Episcopus a me rogatus, ut audito capitulo referret, utrum festa enunciata sint de praecepto, vel etiam reducta, et num integrum capitulum adstet missae conventuali (quam diebus ferialibus ex indulto S. Congregationis cum libera applicatione celebrat) retulit: „Ex festis enunciatis sunt de praecepto sequentia, videlicet S. Joseph Sponsi B. M. V. patrocinii ejusdem

S. Joseph, et ss. mm. Felicis et Fortunati patronorum hujus civitatis et totius dioecesis; sunt autem reducta festa Nativitatis S. Joannis Baptistae, et S. Michaelis Archangeli; non sunt de praecepto, nec reducta, sed tantum una aut altera interdum incidit in die dominica, festa S. Antonii Patavini, B. M. V. de monte Carmelo, S. Liborii, S. Laurentii Justiniani, et S. Bellini. Ex legato tenetur capitulum hujus cathedralis applicare missam in festo S. Joseph, et in quinque SS. Joannis Baptistae, Michaelis Archangeli, Liborii, Laurentii Justiniani, et Bellini; in reliquis vero patrocinii S. Joseph, SS. Felicis, et Fortunati, S. Antonii Patavini, et B. M. V. de monte Carmelo ipsum capitulum tenetur applicare missam in cathedrali aliis ex causis. Integrum capitulum adstat missae conventuali diebus ferialibus.“

Ex relatione status ejusdem ecclesiae colligitur, capitulum cathedralis octo tantum canonicis constare, eosque exiguis admodum praebendis potiri.

Quamvis canonici cathedralium et collegiatarum vel ex rubricis generalibus, vel ex legatis aliisve titulis ad plures quandoque uno die missas canendas et applicandas teneantur, sarta tectaque nihilominus manere debet missae conventualis applicatio pro benefactoribus in genere; a qua nimirum nec aliarum missarum onera, nec contraria quaelibet consuetudo eos eximere valet, uti patet ex constitutione Benedicti XIV. „Cum semper oblatas“. Quandoquidem vero Episcopus innixus iis, quae eadem constitutio quoad translationem applicationis missae pro populo statuit, missam conventualem ad feriatos dies in enunciatis casibus transferri postulat, praenotandum est, missae parochialis determinationem ad dominicos aliosque festos dies de praecepto, non numerum tantum dierum, sed qualitatem etiam respicere, sive onus ipsi quoque diei affixum esse, ceu monet S. Congregatio in Fesulana 16. Junii 1770. §. Quae hactenus; nec secus de missae conventualis applicatione sentiendum, quando ad eosdem plane dies ope dispensationis, uti in casu, reducta sit. Hinc non facile petita translatio concedenda videretur, praesertim, quia iteratam quamdam onerum reductionem id secum ferret, quin ulla novae indulgendae reductionis ratio in medium proferatur.

Ex altera parte perpendendum cum P. Cavalieri tom. 3. oper. liturg. cap. 8. ad decret. 15. num. 3. ibi: „Quoniam missa festiva uberiorem prae feriali non affert fructum, et dilatio v. g. e die dominica in feriam secundam vix aliquod detrimentum infert . . . nos diceremus, quod scrupolose hac in re non est adeo progrediendum, ut si occurrat causa, non possit parochus in diebus festivis pro aliis celebrare, quin missam parochialem per alium teneatur supplere, sed ipse eamdem celebrare valeat in sequenti feria. In hisce casibus, aliisve similibus populus non censetur, nec rationabiliter esse potest invitus“; quae quidem ob identitatem rationis missae etiam conventuali congruere palam est. Quamobrem ubi petita translatio concedatur, non grave patientur detrimentum benefactores, cum de brevi dilatione agatur, praesertim cum integrum capitulum etiam ferialibus diebus missae conventuali assistat, quod quidem ad animarum suffragium valde confert. Videant igitur EE. PP., utrum habita ratione ad parvum canonicorum numerum, queis forsan grave nimis est duplicem missam cum cantu eodem die celebrare, novum hoc indultum capitulo Clodien. concedendum sit.

Pro gratia juxta petita ad quinquennium; facto verbo cum Sanctissimo.

353. Maceraten. — Missae conventualis.

Die 31. Martii 1860.

In bulla erectionis collegiatae Urbisalviae, dioecesis Maceratensis, expeditae die 31. Maji anni 1839, particula haec legitur: „Praeposito autem, tribusque praedictis canonicis, aliisque singulis canonicis, et beneficiariis seu mansionariis onus imponimus apud collegiatam ecclesiam personaliter residendi, nec non collegialiter missam conventualem canendi pro benefactoribus in genere, itemque recitandi et canendi in choro horas canonicas, cum diurnas, tum nocturnas, aliaque divina obeundi officia singulis diebus dominicis, aliisque festis diebus etiam reductis, atque etiam diebus officii duplicis ritus primae et secundae classis, in majori hebdomada, et aliis quoque diebus ab eodem executore praescribendis.“ Cum vero Episcopus occasione s. visitationis anni 1858, decrevisset: „ut in posterum mansionarii hujus collegiatae ecclesiae obligati sint per hebdomadam collegialiter canere et applicare pro benefactoribus in genere juxta bullam erectionis collegiatae“; hinc hodierni mansionarii ejusdem collegiatae, qui duo numero sunt, nempe Nicolaus Palazzetti, et Dominicus Minnoni, existimantes hujusmodi obligationem ex citata bullae particula impositam sibi non fuisse, ad S. hanc Congregationem recurrunt, ut episcopale decretum revocetur.

Ab relatione Episcopi et deliberatione capitulari colligitur, statuta capitularia de obligatione applicandi missam conventualem pro benefactoribus in genere nullam facere mentionem; hujusmodi vero applicationem, uti et chorale servitium, praescriptam fuisse diebus dominicis, aliisque festis diebus etiam reductis, et ceteris ut supra diebus qui in bulla erectionis indicantur; non adesse vero massam distributionum, ex qua stipendium desumatur pro iis, qui praedictam missam applicant, cum ad id obligatus quisque in vim bullae memoratae sui ratione officii censeatur. Ipse tandem Episcopus cum canonicis sustinet, mansionarios ab hujusmodi obligatione ex bullae praescripto eximi non posse.

Momenta rationum a mansionariis allata haec sunt: Decretum episcopale, inquiunt, unice innititur hisce verbis bullae erectionis „Praeposito .... canonicis et beneficiatis onus imponimus ... collegialiter missam conventualem canendi pro benefactoribus in genere“: atqui verba haec ad assistentiam tantummodo referuntur cum cantu praestandam in choro missae conventuali, minime vero onus mansionariis imponunt canendi missam ad altare: secus enim vocabulum collegialiter ibidem adhibitum sensu vacuum esset. Quam quidem interpretationem confirmant ex consuetudine, cum ab erectione collegiatae revera canonici tantum missam conventualem per turnum, mansionariis in choro adstantibus et canentibus, semper celebraverint. Hoc ceteroquin onus, seclusa bulla erectionis, nullimode ipsis imponi, nec ex statutis capitularibus, quae hac de re silent, neque ex bullis nominationis et possessionis, quae mansionariis unice servitium chori praescribunt. Eamdem praxim obtinere observant in aliis dioecesis collegiatis, ac in ipsa insigni collegiata S. Salvatoris Maceratae exstante, quae constitutionibus capitularibus cum illis collegiatae Urbisalviae simillimis regitur. Addunt quod, cum duo tantum sint mansionarii, si alter missam canere deberet, huic celebranti canonicus saltem in munere diaconi inservire deberet, quod quidem choralis disciplinae praescripto consentaneum non est. Denique non praetereunt discrimen inter praebendas canonicales et beneficiales existens omnino postulare, ut majus onus canonici perferant prae mansionariis, quibus ceteroquin nullum retribueretur emolumentum pro novo hoc onere cui subdi vellent.

Canonici e contra tuentur, ex verbis bullae erectionis supra citatis manifestum esse, a mansionariis uti et a canonicis non tantum in choro, sed et ad altare missam conventualem canendam esse; tum quia in bulla limitatio seu distinctio a mansionariis invecta inter chorum et altare nulla fit; tum quia si interpretatio a mansionariis allata admittatur, sequeretur absurdum quod canonici etiam ab hujusmodi obligatione exempti forent, cum memorata bullae verba ad canonicos et mansionarios indiscriminatim referantur; tum quia, si mens Pontificis fuisset ut mansionarii in choro tantum missam conventualem canere, seu eidem assistere tenerentur, id quidem disertis verbis edixisset, ceu expresse edixit immediate post, canendas scilicet esse in choro horas canonicas. Deinde provide hoc onus mansionariis etiam impositum fuisse animadvertunt ob parvum canonicorum numerum (quatuor jurispatronatus ecclesiastici animarum curae addictorum et quatuor jurispatronatus laicalis), quibus capitulum collegiatae constat; praesertim, cum evenire possit, ut ii, qui sunt de jure patronatus laicalis, sacerdotio insigniti non reperiantur, vel a choro abesse studiorum causa debeant, ceu in praesens accidit, et reliqui canonici in animarum cura simultane essent detenti.

Nihil porro constitutionum capitularium silentium officere autumant, ex quo sat est obligationem hujusmodi in bulla diserte praescriptam fuisse. Peculiares vero bullae nominationis et possessionis primitivae et originariae praescriptioni non adversantur, nec adversari possent. Pariter non suffragari ajunt consuetudinem, quae quadragenaria ad legem contra jus inducendam requireretur; ceteroquin hac de re jam a primordiis erectionis collegiatae actum fuisse memorant, „et, inquiunt, canonicos quidem hucusque se non opposuisse, sed hoc inde evenisse, quod primi mansionarii clerici fuerint et hac ex causa ne reditus quidem perceperint.“ Hinc perperam aliarum afferri collegiatarum consuetudinem; haec enim traduci nequit ad exemplum pro collegiata Urbisalviae, in qua viget lex scripta, nempe bulla erectionis aliter praecipiens. Denique non putant canonici, eorum assistentiam in munere diaconi mansionario celebranti chorali disciplinae adversari, vel proprium dedecere ordinem ac dignitatem; ac insuper nihil impedit, quominus alius quivis sacerdos aut clericus in sacris mansionario assistere possit; „quia, addunt, canonici ut diaconus et subdiaconus nonnisi praeposito in missa solemni, quod evenit festis primae classis, assistere tenentur, ut apparet ex decreto S. Rituum Congregatione 7. Julii 1759 in Maceraten. (Gardellini n. 4131.)“

Cum missa conventualis divinorum officiorum pars praecipua sit, hinc ambigendum non videtur, quin non solum canonici, sed beneficiati etiam seu mansionarii ad illius applicationem pro benefactoribus in genere obstricti sint, ceu colligitur ex celebratissima constitutione Benedicti XIV. cui initium Cum semper oblatas ibi: „Hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiae, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates, sive canonicatus, sive mansionariatus, sive beneficia choralia obtinent, et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.“ Idipsum habetur ex doctrina ejusdem Pontificis, in inst. eccles. 107. §. 12. num. 79. ibi: „Deprehendimus a canonicis nostrae metropolitanae missam conventualem pro benefactoribus generatim applicari, aliter tamen a mansionariis fieri consuevisse, cum eamdem missam celebrare ad ipsos pertinet. Qua de re sacram visitationem peragentes decreto cavimus ne in posterum a mansionariis id negligeretur etc.“ Eamdemque sententiam secuta videtur S. Congregatio, uti in Sce-

pusien. Missae conventualis 6. Maji 1797. §. Verba, in Januen. Missae conventualis 27. Julii 1839. §. Jam vero, et in Monasterien. Visitationis SS. LL. 6. Decembr. 1845. §. Ex adverso.

Solet quidem beneficiatis pro cantu missae conventualis provideri per eleemosynam ex massa distributionum desumendam, juxta relatas resolutiones S. Congregationis et alibi passim, ac diserte cavetur in cit. constitutione Cum semper oblatas; attamen perpendendum erit ab EE. VV., an dispositio hujusmodi convenire etiam possit in casu, quo et massa distributionum ad hoc destinata non exstet, et mansionarii non in substitutionem canonicorum, ceu pluribus in collegiatis fit, sed una cum ipsis per turnum ratione suae institutionis ad missae conventualis celebrationem obligentur. Ubi enim mansionarii Oratores in vim bullae erectionis hujusmodi obligatione obstricti censendi sint aeque ac canonici, dum plane huic muneri sua vice satisfaciunt, haud praetendere posse viderentur extraordinarium ullum stipendium, quo canonici ipsi carent.

Servetur decretum Episcopi.

354. Sorana. — Missae conventualis ac reductionis.

Die 28. Aprilis 1860.

In collegiata et parochiali ecclesia sub invocatione S. Bartholomaei Sorae exstanti consuetudo viget, ut missa conventualis pro benefactoribus in genere tribus tantum infra hebdomadam diebus, dominico die comprehenso, applicetur, reliquis vero diebus pro particularibus benefactoribus missae a canonicis celebrentur, ceu ex vetustissimis regestris et ss. visitationum actis quae initium sumunt ab anno 1666 colligitur. Item ad hujusmodi missarum legata quod attinet, decretum exstat anni 1774 quo illius temporis Episcopus utendo ceu ibi edicitur facultatibus a summo Domino Nostro Papa habitis, indulsit, ut duae missae perpetuae pro qualibet hebdomada relictae ex legato Fulviae Celli reducerentur ad annuas missas 35, et ad eumdem numerum reduci mandavit alias duas missas perpetuas pro qualibet hebdomada ex legato Zenobiae Celli. Insuper anno 1836 duae missae hebdomadales ex legato Zeppa, ad unam tantum per hebdomadam reductae fuere, injuncto tamen canonicis onere applicandi missam ferialem omnibus diebus quatuor temporum, ac in vigiliis festorum D. N. J. C. et B. M. V., quae quidem reductio peracta asseritur decreto tunc temporis Episcopi, quin tamen vel ipsum originale decretum vel authenticum ejus exemplar inveniri potuerit, sed ejus rei mentio dumtaxat habetur in regestris missarum ejusdem anni 1836.

Quibus expositis Soranus Episcopus S. hanc Congregationem supplex adit expostulans, ut declaretur, num probanda sit consuetudo vigens in praefata collegiata quoad applicationem missae conventualis tribus tantum hebdomadae diebus, et quid sentiendum sit quoad memoratas missarum reductiones. In quo quidem, si quid minus recte gestum fuerit, benignam pro praeterito tempore absolutionem exorat.

Ad rem vero adnotat Episcopus chori servitium in collegiata esse quotidianum, quod praestant archipresbyter parochus et quatuor canonici qui nuncupantur di massa; hisce addendi alii duo canonici jurispatronatus laicalis, qui tamen choro assistere tenentur diebus tantum festivis, et canonicus demum honorarius, qui, cum absque praebenda sit, chori servitio non adstringitur. Nec bullam fundationis collegiatae, nec statuta capitularia reperire

datum fuit in archivio sive episcopali sive capitulari. Ex transmisso vero schemate status collegiatae apparet, reditus attingere ducatos 630. 84. onera vero missarum et vectigalium ac expensas pro vino, cera etc. ducatos 311. 21. 6, ut adeo ex duc. 319. 62. 6. qui supersunt, archipresbytero parocho duc. 117. 85. ½, et cuique canonico duc. 50. 44. obveniant. Hi reditus solis quotidianis distributionibus constant, et ex hisce praeterea detrahendae sunt expensae quae aliquando occurrunt pro sacris paramentis reparandis, aliaeque expensae ad tuitionem fabricae ecclesiae, ad lites sustinendas, ac cetera hujusmodi necessaria. Sed advertit Episcopus magnum equidem non esse numerum missarum massae inhaerentium, et satis e contra superque congruam esse eleemosynam, quae pro hujusmodi missis et anniversariis assignata est, et a canonicis percipitur. Hinc dubitans de valore peractarum reductionum, existimat legitimam non subesse causam, ut a lege quotidianae applicationis missae conventualis canonici eximantur.

Ex constitutione Benedicti XIV. incipien. Cum semper oblatas districte praecipitur canonicis tum cathedralium, tum collegiatarum quotidiana missae conventualis pro benefactoribus in genere applicatio, et ibidem S. Pontifex §. 12. Episcopos alloquens edicit „Itaque date operam ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus, quod nempe dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiae benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis missae conventualis.“ Ac denique contrariam quamlibet hac in re consuetudinem etiam immemorabilem minime tolerandam esse statuit in §. 16. ibi: „Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.“

Nihilominus ubi praebendae, quibus canonici potiuntur tenues nimis censeantur, ut huic oneri respondeant, solet S. Congregatio, ceu traditur in cit. constitutione „perspecto rerum statu, quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere ad festos tantummodo dies reducere.“ Ad id vero tenues censet praebendas quae demptis oneribus triginta vel quadraginta scutata non attingunt, ceu in Civitatis plebis Missae convent. 24. Aprilis 1830. §. Verum.

In praesenti itaque specie, quatenus ex praemissis vigens consuetudo quoad determinatam conventualis missae applicationem ad aliquos dies tantum infra hebdomadam haud consistere videatur, decernent EE. VV. utrum ea privilegio Apostolico roboranda sit, ut nihil in posterum innovetur. Duo equidem praeter ea quae observat Episcopus huic obstare consilio praecipue videntur; primum nimirum, quod tenues forsan juxta mentem S. Congregationis non sunt praebendae, quibus canonici hujus collegiatae potiuntur: alterum quod cum quotidianum ibidem sit chorale officium, non integre illud absolveretur, pratermissa scilicet missa conventuali, quae pars ejus est; qua quidem in re rigorose perpetuo se gessit S. Congregatio, quae potius non ab omnibus, sed per turnum permisit praestari chori servitium, illudque ad dies tantum festos reduxit, quam ut ne integrum absolveretur officium, quibus diebus explendum est, ceu patet a pluribus exemplis relatis in Grossetana Servitii chori 22. Novembris 1856.

Ad reductionem vero missarum quod attinet, cum reductiones anni 1774 ex delegatione Apostolica, uti in episcopali decreto asseritur, peractae fuerint,

vix est, quod de illarum validitate dubitandum supersit. In discrimen tantum revocari posset valor reductionis anni 1836, cum deperdito episcopali decreto ignoretur qua auctoritate indulta fuerit. Hinc viderint EE. VV. utrum eam confirmari, quatenus sit opus, expediat.

Denique, quidquid judicandum sit super expositis, absolutionem vero quoad praeteritas omissiones concedendam suadet bona fides in qua canonici absque dubio versati videntur.

Quoad missam conventualem nihil esse innovandum, donec reditus non augeantur. Servandas vero esse reductiones utriusque legati Celli. Et quoad legatum Zeppi supplicandum Sanctissimo, quatenus opus sit, pro confirmatione reductionis.

355. Herbipolen. — Missae conventualis.

Die 2. Junii 1860.

Episcopus haec exponit: „Ex quo vi conventionis inter Sanctissimum Dominum Pium VII. Summum Pontificem, et Majestatem suam Maximilianum Josephum Bavariae Regem initae capitulum ecclesiae cathedralis Herbipolensis noviter erectum est, usus hucusque erat, ut dignitarii et canonici missam conventualem quotidianam legerent, praebendati autem sive vicarii munere hebdomadarii in choro fungerentur. Cum autem nunc postuletur, ut etiam vicarii sive praebendati in turnum celebrandae missae conventualis intrare debeant, humillime rogo, ut clementissime mihi permittatur sequentes duas quaestiones Eminentiis vestris omni qua par est reverentia ac devotione decidendas submittere.

„1. An eodem modo, quo dignitarii, et canonici, etiam praebendati sive vicarii teneantur ad celebrandam missam conventualem? Et si forsan affirmative.

„2. An tunc etiam juxta eumdem turnum dignitarii et canonici, sicuti hucusque vicarii sive praebendati, munere hebdomadarii in choro fungi teneantur?

„Addo quod reditus annui sint sequentes: Pro utroque dignitario praeposito et decano 3000 florenorum, pro quolibet e quatuor canonicis senioribus 1600 florenorum, pro quatuor canonicorum juniorum quolibet 1400 florenorum, pro quolibet e tribus vicariis senioribus 800 florenorum, et pro quolibet e tribus vicariis junioribus 600 florenorum. Addo porro, quod tam ambobus dignitariis, quam quatuor canonicis senioribus, sicut et tribus vicariis sive praebendatis senioribus habitatio assignata sit.“

Scriptum fuit eidem Episcopo ut audito capitulo ac vicariis referret, an praeter praebendas adsit etiam communis massa distributionum quotidianarum, et earumdem portio assignata sit etiam pro cantu quotidiano missae conventualis; ac responsum hujusmodi accepi: „Vi conventionis inter Sanctissimum D. Pium VII. Summum Pontificem et Majestatem suam Maximilianum Josephum Regem Bavariae die 5. Junii 1817 initae reditus tum sedis episcopalis tum capituli ecclesiae cathedralis in bonis fundisque stabilibus constituendi essent. Quia autem horum bonorum ac fundorum extraditio ex parte gubernii civilis nondum facta est, reditus ipsi ex aerario publico hucusque pecunia, et quidem quolibet mense pro parte rata, solvuntur, ita quidem, ut dignitarii, canonici, et vicarii quotannis summam pecuniae illam eamque integram percipiant, quam literis meis designavi . . . Cum itaque hoc modo quilibet dignitarius, canonicus, et vicarius reditus suos integros ipse

percipiat, nec alia bona capitulum cathedrale possideat, hinc est, quod praeter praebendas nulla adsit massa communis distributionum quotidianarum, ac proinde etiam portio nulla pro cantu quotidiano missae conventualis assignata sit.

„Interim (exceptis diebus dominicis, festis de praecepto, aliisque aliquibus festis non de praecepto quidem, attamen ritus majoris, e. g. ss. apostolorum, in quibus missa solemnis cantatur), diebus ferialibus missa conventualis quotidiana sine cantu celebratur, et inter eam horae minores tertia, sexta, et nona a choro recitantur. Dignitarii et canonici juxta ordinem dignitatis et senii hanc missam legunt et pro fundatoribus et benefactoribus applicant, vicarii autem, pariter juxta turnum senii, munere hebdomadarii in choro funguntur. Porro hi iidem vicarii diebus dominicis et festivis per annum vesperas, quae cantantur, celebrant, exceptis vesperis iis, quas vel Episcopus vel dignitarii cantant.“

Juxta doctrinas late expositas in Maceraten. Missae conventualis nuper proposita inter summaria precum in Congregatione mensis Martii p. p. patet, celebrationem et applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere incumbere nedum canonicis, sed beneficiariis quoque, mansionariis, aliisque, quocumque appellentur nomine, chori servitio addictis. Ceterum pluries S. Congregatio decrevit, ut hujusmodi celebrationi provideretur per eleemosynam ex massa distributionum desumendam, ceu constat ab exemplis relatis in Monasterien. Visitationis SS. LL. 6. Decembris 1845.

Cum vero in praesenti casu constet non adesse hujusmodi massam distributionum, unde eleemosyna haec desumatur, videndum, an nihilominus praedictum onus imponendum sit etiam vicariis, ut illud una cum canonicis per turnum subeant, sola praebenda qua fruuntur contenti, ceu quoad mansionarios resolutum fuit in cit. Maceraten.; seu potius expediat decernere, ut communis massa per contributum conficiatur, ex qua eleemosyna tam pro dignitariis et canonicis, quam pro vicariis missam conventualem celebrantibus desumi in posterum debeat, ceu in simillimo casu decisum fuit in cit. Monasterien., in qua proposito 1. dubio: „An vicarii ecclesiae cathedralis Monasterien. missam conventualem pro benefactoribus gratis applicare teneantur; seu potius illis pro hac applicatione stipendium debeatur a capitulo in casu“ responsum fuit: „Negative ad I. partem; affirmative ad II. ex massa conficienda prudenti judicio Episcopi per contributum ex reditibus omnium praebendarum.

Ceterum illud praeprimis interest, ut quotidiana missae conventualis applicatio, sive a solis canonicis, sive a mansionariis in canonicorum substitutionem fiat, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis non desideretur. In casu autem quaedam veluti choralium munerum distributio canonicos inter et vicarios consuetudine invecta esse videtur, ut illi nimirum missae conventualis applicationem curarent, isti hebdomarii officio fungerentur. Hinc ubi ab hujusmodi consuetudine recedendum videatur, et mansionarii sive gratis, sive cum stipendio ad missae conventualis applicationem una cum canonicis sustinendam obligentur, decernendum, an munus etiam hebdomadarii omnibus, dignitariis scilicet et canonicis non exceptis, commune reddendum sit.

Vicarios teneri ad applicationem missae conventualis per turnum una cum canonicis, soluto tamen eisdem stipendio ex massa conficienda prudenti judicio Episcopi per contributum ex reditibus omnium praebendarum. Munus autem hebdomadarii explendum esse a dignitariis et canonicis diebus festis tantum.

355. Firmana. — Servitii chori.

Die 27. Augusti 1859.

Canonici et beneficiati collegiatae ecclesiae S. Pauli loci Civitanova Firmanae dioecesis, indultum humiliter expostulant choro alternatim inserviendi, eodem modo quo usque hodiedum ex consuetudine inservierunt; necnon privilegium recitandi pridie post completorium, matutinum cum laudibus sequentis diei, infra octavam Corporis Domini, aliisque diebus, quibus processiones vel extraordinariae functiones hujus officii partis impletionem impedire possent. Insuper indulgentiam petunt unam semper missam conventualem celebrandi cum cantu, quando juxta rubricas missae conventuales de feria vel de vigilia etiam cantandae forent, quae missae in casu horarum recitationis tempore legerentur. Ecclesiae utilitate nituntur, quae ex liberiori exercitio archipresbyteri, animarum fere decem mille curam gerentis, derivaret.

Eminentissimus Archiepiscopus de more rogatus pro informatione et voto, retulit: „In praefata collegiata divini officii recitatio quotidie urget: quindecim sunt choro addicti, et feriatis diebus, quadragesima et adventus exceptis, necnon infra octavam Corporis Domini, aliisque paucis, ab immemorabili tempore alterna vice, septem id est in uno, et octo in altero turno, interesse consueverunt.

„Scutata octoginta cum onere missarum triginta circiter quilibet canonicus percipit; beneficiatus sexaginta cum missis viginti quatuor, et scut. quadraginta cum missis sexdecim choralis clericus: quoties missae computentur juxta reductionem, quam suppliciter jam expostularunt.“

Deinde Eminentissimus Vir de iis loquens, quae praeter alternativam petuntur, ecclesiae utilitatem in eorum favorem affert; et votum emittit, ut postulantium preces exaudiantur.

Quoad primam petitionem, perspicuum est ex S. Conc. Trid. et canonicis sanctionibus universos canonicos ad chorale servitium persolvendum quotidie teneri. Attamen ob peculiares circumstantias S. Congregatio alternativam saepe indulsit. In themate autem immemorialis habetur consuetudo, quae beneplaciti Apostolici praesumptionem prae se fert, ut tradit Rota in Barchinonen jur. paroch. 3. Martii 1777. §. 2. coram Ratto; S. Congregatio in Anagnina Nominationis 25. Januarii 1823. §. Animadverterunt; quaeque in titulo fuit ut simile indultum concederetur in Casertana Indulti 16. Januarii 1846. Insuper S. Congregatio in una Cassanen. sub mense Junii 1589 Episcopo respondit, modum alternandi per hebdomadam non esse sublatum a Concilio, dummodo tamen novem integris mensibus ecclesiae inserviatur, juxta Trid. sess. 24. cap. 12. de reform., ceu relatum legitur in una Castri Maris Servitii chori 30. Julii 1735. §. Bona.

Recoli etiam meretur, in alternativae indultis consuetas clausulas ab hoc S. Ordine addi solere, ut dies speciatim determinentur, quibus omnes simul choro interesse tenentur.

Ad secundam quod attinet, hora recitandi matutinum mane diei non debet immutari in cathedralibus et collegiatis ex Clem. I. de celeb. miss. Aliquando tamen S. Congregatio matutini anticipationem post completorium praecedentis diei concessit, testibus Braschio in prompt. synod. cap. 88. num. 18, Bened. XIV. inst. 107. §. 4. 22; praesertim ob acris intemperiem, ingravescentem canonicorum aetatem aliasque consimiles causas, ut videre est in Cingulana Servitii chori 29. Martii 1817, in Casalen. 21. Septembris 1822, Massanen. Reductionis onerum 14. Dec.

1822 et in aliis. Quod si aliquando permissa est anticipatio, ut grave canonicorum incommodum praepediatur, ponderandum occurrit, an sufficiens ratio deduci non queat ex eo, quod divinum officium, quod essentialiter ad chorum pertinet, si mane recitetur, detrimentum pati posset. Animadvertere tamen juvat, concessioni ut plurimum temporis limitationem accedere, remque arbitrio Episcopi judicandum relinqui, sicut ex praecitatis resolutionibus verificari potest.

Quoad tertiam tandem petitionem omnibus notum est, missam conventualem cum cantu celebrandam esse, imo non tantum primam, sed et reliquas esse cantandas, si ex rubrica plures missae conventuales eadem die occurrant; et horas canonicas debito tempore, numquam vero tempore missarum conventualium esse persolvendas. Hujusmodi reductiones fuerunt ob speciales circumstantias rogatae in Firmana, Missae conventualis 19. Aprilis 1845; S. Congregatio autem, quamvis concesserit, ut secunda et tertia missae conventualis legerentur, officii tamen recitationem harum missarum tempore faciendam omnino denegavit. In casu autem de legitima gratiae obtinendae ratione merito dubitari posset. Oratores enim quum minime innuant, sese confessionibus audiendis vel alio modo auxilium archipresbytero praestare, levanda onerum gravitas solum archipresbyterum spectare videtur, cui cura animarum incumbit. Verum juxta Trid. sess. XXIV. c. 12. ob evidentem ecclesiae utilitatem potest canonicus a choro abesse, ita quidem ut praesens habeatur et distributiones percipiat. Jamvero, ex ecclesiae disciplina, tali absentiae jure fruitur, qui canonicatum et parochialem animarum curam in eadem ecclesia habet, dum curam actu exercet; S. Congregatio in Maceraten. 23. Aprilis 1768; Senogallien. Reductionis servitii chori 23. Februarii 1856.

Praevia sanatione ac condonatione quoad praeteritum pro gratia reductionis choralis officiaturae ad mediariam exceptis tamen diebus festis, octava Corporis Domini ac tempore quadragesimae ac adventus nec non pro facultate anticipandi matutinum cum laudibus juxta petita diebus tantum festis ab Eminentissimo Archiepiscopo determinandis ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo; in reliquis lectum.

357. Colonien. — Visitationis SS. LL.

Die 17. Decembris 1859.

Eminentissimus Archiepiscopus Coloniensis in relatione status ecclesiae ad hanc S. Congregationem transmissa, dubium proponit: an canonici collegiatae Aquisgranensis sua statuta de chori frequentatione missaeque conventualis applicatione tuta conscientia sequi possint, et desuper hac re sequentia refert:

„Capitulo Aquisgranensi in bulla incipiente De salute animarum postquam concessa fuit facultas condendi statuta eodem modo et forma, quibus capitulis ecclesiarum cathedralium licebat, canonici illius temporis de chori frequentatione condiderunt statutum a praedecessore meo Ferdinando Augusto confirmatum, hujus tenoris: „§. 13. Singulis diebus saltem missarum solemniis ab introitu ad finem, si non toti officio divino, intersint praepositus et canonici, nisi morbus gravis aut absentia legitima in ecclesiae negotiis eos excuset, qua quidem praesentia sola non modo fructus suos facient, sed negligentes etiam quinque argenteis mulctentur in usum sacristiae impendendis. Vicarii vero omnibus officii horis et summo sacro intersint; qui sine

licentia aberunt, eamdem mulctam committunt.“ Praeterea §. 16. provisum est, ut die dominica, in festis duplicibus primae et secundae classis nec non in duplicibus majoribus canonicus hebdomadarius legat in choro capitula, responsoria, orationes etc., ceteris vero diebus per hebdomadam vicarii legant. Hinc canonici putant, se ad chori frequentationem ulterius quam his statutis expressum habetur, non teneri. De missae autem conventualis applicatione invenitur statutum hujus tenoris: „§. 19. Ceteri quoque canonici diebus dominicis missam conventualem pro iis applicabunt, qui bene fecerunt basilicae nostrae, ceteris diebus per hebdomadam intentione libera. Fundationum obligationibus erga congruum stipendium satisfiat.“

Capitulum Aquisgranensis ecclesiae (quae in vim bullae De animarum salute pro circumscriptione regni Borussici editae a s. m. Pio VII. die 16. Julii 1821 ad collegiatae honorem evecta fuit) unica praepositi dignitate et sex canonicis constat, praeter vicarios, qui et choralibus muneribus addicti sunt. Exploratum porro est ex concessa facultate condendi statuta, non potuisse capitulum aliquid contra communis juris pontificii dispositiones statuere, quamvis statutis Ordinarii confirmatio accessisset, quod non solum praeceptum habetur ex cap. Quod super 9. de maj., sed etiam a praefata constitutione in memoriam revocatur, in qua summus Pontifex neo-erectis capitulis cathedralibus potestatem concedit, (§. 18.) „ut ipsi de chori quotidiano servitio ... et quibusvis aliis de rebus ... quaecumque statuta ... licita tamen et honesta, et sacris canonibus, constitutionibus apostolicis, decretisque Concilii Tridentini minime adversantia sub praesidentia, inspectione, et approbatione respectivorum Archiepiscoporum et Episcoporum edere, atque edita declarare ... libere et licite valeant.“ De capitulo autem Aquisgranensi eadem constitutio prosequitur: §. 47. „Hujusmodi capitularibus ... facultatem condendi statuta iisdem modo et forma quibus de capitulis cathedralium ecclesiarum supra luculenter dictum est, tribuimus et impertimur.“

Ad praesentem itaque speciem quod attinet, prima postulati pars versatur circa servitium chori. Recitatur quidem singulis diebus in praedicta ecclesia totum divinum officium nocturnum et diurnum, sed a solis vicariis, quum canonici fructus suos faciant, dummodo missae conventuali intersint, quam si non frequentant, quinque argenteis mulctantur. Qua in re duo perpendenda occurrunt, alterum quoad assignationem punctaturae seu multae, quam incurrunt, qui non intersunt missae conventuali dumtaxat, quaeque loco distributionum stare videtur; alterum quoad modum praestandi chorale servitium. Quoad primum vero, et si juri magis consentaneum sit magisque conveniens, ut pro singulis horis canonicis aequa fiat punctaturarum vel distributionum partitio, validum tamen censetur statutum, ut pro quibusdam tantum horis assignetur distributio vel mulcta, Barbosa jus eccles. lib. 3. cap. 18. num. 83. Pignat. tom. 1. cons. 130. num. 9. Pirh. de cleric. non resid. num. 98.

Quoad alterum vero, haud sustineri videtur statutum, vel saltem interpretatio, quam statuto dare vellent canonici, ut nimirum ad solam praesentiam in missae sacrificio et non ultra sese obligatos putent, uno excepto canonico hebdomadario, qui diebus festivis recitationi officii interesse debet. Id enim contra legem et praecipuam obligationem qua ex communi jure canonici tenentur personaliter interessendi quotidie integris divinis officiis et psallendi in choro aperte pugnare videtur, Gonzalez part. 7. de cleric. non resid. Conc. Trid. sese. 24. cap. 12. de ref. Benedictus XIV. de syn. dioec. lib. 13. cap. 9, ubi contraria consuetudo veri abusus nomine compellatur, ac talis esse declaratur.

Alterum postulati caput missam conventualem respicit, quae in collegiata Aquisgranensi quotidie quidem celebratur, sed solis diebus dominicis juxta §. 19. statuti pro benefactoribus in genere applicatur. Nemo autem nescit, missam conventualem non solum celebrandam esse ex praescripto quotidie, sed et pro benefactoribus in genere applicandam, ceu declaravit Benedictus XIV. in celebratissima encyclica Cum semper oblatas. Quae quidem obligatio applicandi viget non solum in collegiatis ecclesiis, in quibus memoria benefactorum obliterata est, sed in quibuscumque etiam noviter erectis, in quibus nomina benefactorum noscuntur, ceu resolvit S. Congregatio in Nullius S. Rufilli prov. Raven. 8. Aug. 1761. Quam obligationem in themate remittere nequit statutum, quod non a Sede Apostolica, sed ab Ordinario tantum, propria ut videtur auctoritate, approbatum et confirmatum fuit.

Esse locum reformationi statutorum, ita ut facta aequa multae quinque argenteorum partitione pro singulis horis canonici toti officio divino interesse et missam conventualem pro benefactoribus in genere quotidie applicare teneantur. Supplicandum tamen Sanctissimo pro gratia reductionis servitii alternis hebdomadis, exceptis diebus festis etiam suppressis.

Iterum proposita eadem causa in folio, ad sequentia dubia:

I. *An et quomodo sit locus reformationi statutorum capitularium quoad chori frequentationem in casu?*

II. *An et quomodo constituendus fundus distributionum in casu?*

III. *An consulendum sit Sanctissimo pro absolutione a praeteritis omissionibus in casu?*

S. Congr. die 12. Sept. 1868 respondit: Ad I et II. *Affirmative in omnibus juxta votum Archiepiscopi.* Ad III. *Affirmative, imposito onere unius missae cum cantu, integro adstante capitulo et quinque missarum lectarum ab unoquoque canonico et a praeposito celebrandarum; facto verbo cum Sanctissimo.*

VI. DE RESIDENTIA CANONICORUM.

358. Limburgen. — Residentiae.

Die 24. Novembris 1860.

Episcopus Limburgensis supplici libello Sanctissimo D. N. exhibito et S. Congregationi remisso haec exponit: „Vi bullae quae incipit „Provida solersque“ cum quatuor canonicis hujus meae cathedralis, primo nempe, tertio, quarto, et quinto, qui simul parochi sunt ecclesiarum Limburgensis, Dietkirchensis, in Altavilla, et in libera civitate Francofurtensi ejusque territorio, super dictarum retentione paroeciarum apostolica auctoritate dispensatum fuerat, cum hoc tamen, quod curae animarum paroeciarum hujusmodi per idoneos vicarios ab Ordinario servatis servandis ad formam canonicarum sanctionum approbandos et instituendos opportune provideatur.

„Ultimae huic laudatae bullae sanctioni per longam annorum seriem satisfactum non est, ita ut dicti quatuor canonici, deficiente omnino salario vicariis eorum instituendis necessario, parochiarum canonicatibus suis unitarum sive incorporatarum administrationi operam dederint, atque ideo a munere quod ceu canonicis ecclesiae cathedralis Limburgensis, nec non consiliariis Episcopi eisdem incumbit, abstracti exstiterint, donec paucis ab hinc annis,

uti Sanctitati Tuae tunc retuli, petitionibus meis cedens serenissimus Nassoviae Dux, modo utique tantum provisorio, salarium annuum 1600 florenorum, quo bini canonicorum primi et tertii vicarii sustentarentur, assignavit.

„Quod ad quartum canonicum spectat, nulli quidem parcam operae, ut et ipse, cum canonicatus, quocum parochia in Altavilla est conjunctus, quique modo vacat, denuo conferetur, vicario et illic constituto, Limburgi sedem suam figat atque instar primi et tertii canonici solis canonicatus sui officiis occupetur, nec dubito, quin conatus hac in re a me exercendos optatus sit secuturus effectus, praesertim si a S. Sede Apostolica benigne foveatur.

„Majores autem ea, quam executioni laudatae bullae quoad quintum canonicum, simul parochum Francofurtensem, dare non omittam, opera offendet difficultates. At et hic spe erigor fore, ut si Sanctitas Tua mea obsecundare dignabitur molimina, iisdem posthac non desit successus. Hisce enim a te, Beatissime Pater, humiliter peto, ut cum actuali nuper installato canonico quinto, nempe domino Eugenio Theodoro Thissen, eatenus dispensare digneris, ut quemadmodum provisorio modo usque huc me jubente jam fecit, amplius per aliquod tempus, forte per annum unum, relaxata hic Limburgi residendi obligatione, Francofurti qua administrator parochiae ad S. Bartholomaeum morandi ipsi fiat facultas, donec scilicet et ipsi vicarius, quem memorata bulla praescribit, sufficiatur. Quod si literis dispensatoriis, quas enixe efflagito, eam dispensationis conditionem aperte significaveris, ut videlicet quantocius dictum vicarium constitui vi bullae incipientis „Provida solersque“ omnino necesse sit, magno ea declaratio mihi erit usui, quo facilius senatui Francofurtensi persuadeam, quod Dux Nassoviae quoad parochias Limburgensem et Dietkirchensem concessit, et ipsum quoad parochiam ad S. Bartholomaeum concedere debere, eam nimirum annuam pecuniae summam assignare, quae vicario juxta bullam superius memoratam pro dicta parochia constituendo sufficiat.“

Quamvis Episcopi petitio juris sanctionibus manifesto adversetur, et citatae bullae dispositioni, attamen cum praesto non sit aliud medium, quo et residentiae legi qua canonicus obstringitur satisfiat, et parochiae una simul provideatur, excipienda benigno responso videretur, ita publicae necessitatis et utilitatis postulante ratione. Ceterum provisorie et temporanee cum praefato canonico curato dispensandum exorat Episcopus, quousque nimirum salarium vicario constituendum a civili gubernio assignetur, ceu cum ceteris canonicis animarum curae praepositis factitatum est anteacto tempore, quum scilicet vicarii curati auxilio destituerentur.

Pro gratia juxta petita, facto verbo cum Sanctissimo.

359. Terracinen. et Setina.

Die 17. Decembris 1836.

Vincentius Caltri Setinae collegiatae ecclesiae canonicus obtinuit a Terracinensi Episcopo Prati, dum Apostolici Administratoris munere in ea dioecesi fungebatur, capellaniam in aedicula erectam vulgo di Torre tre Ponti, quae decem passuum millibus a civitate distat. Praecipuum quod capellaniae inhaeret, onus est, ut singulis diebus festis capellanus sacrum inibi facere teneatur; quapropter cum laudatus canonicus matutinum chori servitium singulis festis derelinquere adactus sit, S. H. O. deprecatur: ut attentis tenuissimis reditibus sui canonicatus, qui ad congruam sustentationem nullo modo sufficit, et propter id quod de dicta collegiata ecclesia benemeritus sit, ob

longum et assiduum servitium, ad majorem conscientiae suae tranquillitatem benigne sibi concedatur facultas retinendi istam capellaniam cum canonicatu."

Hodiernus Episcopus de more rogatus remittit primo capituli votum, quod ita se habet:

„Cum reditus annuus canonicatus, quod obtinet R. D. Coltri, deductis necessariis expensis, vix ad medietatem debitae congruae ascendat, et cum chorus solis diebus festivis detrimentum non sentiat ex illius absentia ob sufficientem canonicorum numerum; cum praeterea per multos annos servitium ecclesiae praestiterit, atque etiam nunc diebus non festivis praestet, cum denique in vera necessitate versetur et eo magis illo subsidio sit dignus, quia per multos jam annos pluribus suis nepotibus orphanis necessaria subministraverit, credimus salva conscientia dari posse requisitum capituli consensum."

Allegat deinde statum activum et passivum canonicatus et capellaniae, ex quo constat reditus canonicatus ab oneribus liberos summam attingere scutatorum viginti unius et obolorum 70: proventus autem capellaniae scutatorum circiter 54. Denique concludit Episcopus: „Aliqua revera incompatibilitas inter ista duo officia adest, cum capellanus nequeat choro collegiatae adesse diebus festis de mane, sed solum horis vespertinis et feria secunda cujuslibet hebdomadae, quibus solis diebus chori servitium urget, attamen servitium hujusmodi detrimentum non patitur ex absentia canonici Coltri, quapropter puto posse petitam gratiam concedi, ut ejus non minus quam mei conscientiae consulatur."

Attentis peculiaribus circumstantiis et in casu, de quo agitur, pro gratia, arbitrio et conscientia Episcopi, amissis distributionibus quotidianis; facto verbo cum Sanctissimo.

360. Comaclen. — Capellaniarum et canonicatuum super compatibilitate.

Die 30. Martii 1867.

Supplici libello huic Sacro Ordini exposuit Episcopus Comacli in vallibus suae dioecesis nonnulla reperiri oratoria, quibus praeest capellanus cum onere in iisdem oratoriis celebrandi singulis diebus festis aliaque praeterea pietatis officia ibidem explendi. Mos autem a plurimis annis invaluit, ut etiam canonici ecclesiae cathedralis ad hujusmodi capellaniarum assecutiones admitterentur, quemadmodum nunc etiam temporis quatuor ex canonicis totidem retinent capellanias. Ad juris tramites, ait Episcopus, hujusmodi capellaniae non videntur in casu esse incompatibiles cum canonicatu. Licet enim canonici ad hoc, ut munera capellaniarum adimpleant, partem choralis officiaturae dimittere debeant, inspecto tamen fallentiarum libro manifeste constat, praefatos canonicos intra cujuslibet anni spatium haud excedere tres conciliares vacationum menses, imo ex ipsis nonnullos recensendos esse inter diligentiores qui chorali servitio satisfaciunt. Ad summum exceptionem fieri posse addit adversus canonicum qui capellaniam retinet vallis Caldirolo. Hic enim residere tenetur in praedicta valle tribus continuis mensibus, Octobr. scilicet Novembr. et Decembr. usque ad pervigilium Nativitatis Domini; et quamvis hoc trimestrali tempore possit interdum Comaclum accedere, ipsius tamen fallentiae permissos vacationum menses longe exsuperant.

His enarratis, rogavit Episcopus, ut Eminentiae Vestrae definire dignarentur, utrum juxta ea, quae proposita sunt, praedictae capellaniae recenseri

debeant inter incompatibiles cum canonicatibus, quibus quodammodo et in facto ex antiqua consuetudine adnexae reperiuntur. Et dato quod reapse incompatibiles judicentur, petiit idem Antistes, ut „ratione bonae fidei actualium possessorum et gravissimarum circumstantiarum particularium, cleri penuriae et possessorum redituum tenuitatis, ipsi a S. Sede impetrent condonationem quoad praeteritum et veniam quoad futurum, vita durante, arbitrio et conscientia Ordinarii.“

Perlectis his literis, haud satis ad rem probe definiendam visa sunt, quae in his continebantur; rescriptum proinde fuit Episcopo, ut super proposita quaestione capitulum audiret, et magis praecise deinde referret de annuo reditu et oneribus praebendarum canonicalium, comprehensis distributionibus, et de emolumento capellaniarum, simulque Sacrum Ordinem instrueret, utrum capellaniae conferantur in titulum, et chori servitium detrimentum patiatur.

His mandatis obsequens Episcopus votum capituli transmisit una cum schemate omnium redituum et onerum canonicatuum et capellaniarum, docuitque praeterea capellanias minime conferri in titulum, cum extraneae prorsus sint a natura ecclesiastici beneficii. Capitulum vero adnotat in suo voto, capellanum Caldirolo adhibita majori diligentia, quod quidem fieri potest absque gravi ejus incommodo, evitare posse fallentias in diebus solemnioribus, illasque trium mensium minuere; ceterum nullum chorali servitio detrimentum obvenire monet ob absentiam quatuor canonicorum, cum eorum vices suppleant canonici qui Comacli morantur. Ex praedicto autem schemate hoc eruitur: Fructus praebendae canonicalis sub titulo Sanctissimi Sacramenti recensentur in scutatis annuis 29, distributiones in scut. 14. 68. capellania vero vallis Caldirolo eidem adjuncta reddit scut. 114. 32. Canonicatus a S. Lucia habet ex fructibus praebendae scutat. 35. ex distributionibus scutat. 14. 68, et capellania di valle Lepri scutat. 64. Ex canonicatu sub invocatione S. Vincentii obveniunt in fructibus scut. 41. in distributionibus scut. 14. 68; ex secunda autem capellania di valle Caldirolo scutat. 64. Demum canonicatus S. Christophori exhibet beneficiato annua scutat. 72. cum distributionibus scutat. 14. 68, et capellania di valle Gurone scutat. 64. Onera canonicorum praeter chorale servitium, continentur in quibusdam missarum celebrationibus praeter conventualem, capellaniarum vero fere eadem in omnibus sunt, scilicet onus explicandi populo sacrosancta evangelia, et vallium incolas instruendi circa ea, quae credenda et observanda sunt ad animarum salutem consequendam. Scire tandem est, oratoria longe distare a Comacli civitate spatio duarum horarum.

Non agitur in themate de capellaniis, quae proprie dictis beneficiis aequiparantur, sed de mero officio, quod canonici adimplendum suscipiunt praeter onus choralis servitii ratione canonicatus ab ipsis sustinendum. Haud inquirendum propterea videtur, utrum in casu locum habeat decretum Conc. Trid. in cap. 17. sess. 24. de reform. in quo Tridentini Patres respectum habuisse videntur ad pluralitatem titulorum beneficialium, ut colligitur ex verbis: Quando unus plurium officia occupat clericorum, et rursus: Neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi: Sacr. Cong. in Bitecten. 22. Nov. 1721. §. Transitum et in eadem 6. Dec. ad III. dub. Nec pariter discutienda venit praesens quaestio ad regul. 1. cancellar. super incompatibilitate, quae limitatur ad veri nominis beneficia, teste Rigant. comm. ad eamd. reg. §. 2. n. 9.

Exclusa vero incompatibilitate ratione tituli canonici, potest tamen incompatibilitas exsurgere respectu habito ad exercitium oneris capellaniis ad-

nexum: Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 29. n. 18. Sacr. Congr. in Firmana Capellaniae 15. Septembr. 1770. §. Verum. Et revera cum capellani ex lege suscepti muneris necessario abesse debeant singulis festis diebus a chorali servitio, ut missam in oratoriis vallium celebrent, hoc ipso impediuntur, quominus satisfaciant oneribus canonicatuum, qui tamen continuam simplicem et praecisam residentiam important. Objiciunt quidem, capellanias in themate exigere residentiam discontinuam, attamen circumstantia residentiae discontinuae ad incompatibilitatem excludendam, (si ratio desumenda est a jure, quod sequimur in beneficiis) verificari debet in utroque beneficio, juxta Rigantium in cit. reg. 1. §. 8. num. 14. et 15, et Sacram Congreg. in Florentina Capellaniar. 6. Junii 1863. §. Equidem. Nec multum in themate facienda esset consuetudo, quam a longissimo tempore invaluisse Episcopus retulit: docet enim Rigantius l. c. n. 28. quamcumque consuetudinem praeter Apostolicam dispensationem hac super materia non admitti, et Sacra Congr. in cit. Florentina ad dub. An et quomodo servanda sit adducta consuetudo in casu, rescripsit Negative in omnibus.

His sane juris principiis utimur in themate incompatibilitatis: rursus tamen animadvertere non omittam, severas conciliorum praescriptiones super pluralitate beneficiorum et eorum incompatibilitate haud afficere laicales capellanias aliaque pia relicta, quae beneficialibus legibus non subjacent: Fagnan. in cap. Ad audientiam n. 120. de rescr. Sacr. Congr. in Montis Alti 26. Febr. 1825. Licet itaque officium capellani in Comaclensibus vallibus ratione exercitii adversetur oneribus canonicatuum: perpendant tamen Eminentiae Vestrae choralia munia rite et decore persolvi posse in praefata ecclesia per interessentes canonicos, et integrum novem mensium servitium praestari solere etiam diligenter saltem a tribus canonicis, qui capellanias retinent. Inspecta itaque tenuitate redituum canonicalium, ceterisque facti adjunctis, et praesertim conditione locorum in quibus oratoria vallium reperiuntur, decernant utrum quatuor praefatis canonicis, quatenus ex jure interdicta videatur retentio capellaniarum, ex Apostolica saltem auctoritate attentis peculiaribus adjunctis permittenda sit juxta Episcopi Oratoris preces, praevia etiam in hac secunda hypothesi absolutione quoad praeteritum, quam inspecta bona fide iidem quatuor canonici promereri videntur.

Dilata et ad mentem.

Die 19. Decembris 1868.

Mens erat, quod literae Comaclensi Episcopo darentur, ut de negotio universo notitias traderet uberiores, praesertim quoad capellaniarum onera, cum ex facti specie dubitari posse videretur, iisdem capellaniis animarum curam inesse, saltem quoad spiritualem assistentiam infirmis praestandam.

Reverendissimus Episcopus, cui statim S. O. mens prodita fuit die 20. Augusti labentis anni sequens dedit responsum, quod operae pretium est ad verbum hic transcribere, ut probe quaestio dirimi valeat: „Postquam hanc dioecesim adivi, illico istius S. Consessus mandatis circa vallium capellanias a nonnullis canonicis habitas, morem gerere haud omisi. Itaque non solum quae in tabulario meo documenta servantur lustravi; sed quosque etiam capellanos audivi. Et hoc audisse optime mihi contigit. Novi enim non amplius capellanorum titulo honestari, nullo amplius onere, scilicet vallium custodibus et piscatoribus sacrosancti evangelii explanandi, doctrinae christianae rudimenta tradendi, recitandique cum iis in communi singulis sabbati vesperis B. V. M. rosarium, veluti alias, gravari. Sunt sacerdotes duobus

abhinc circiter annis, qui ut missas in vallium oratoriis singulis anni dominicis, festisque tum totius ecclesiae, tum cujusque oratorii propriis diebus celebrent, sunt deputati, et ob id statutum pro incommodo, cum sacrificium minime applicent, accipiunt stipendium, exclusis victualibus et largitionibus consuetis, aliisque similibus, quae canonicum praesertim capellanum Caldiroli ita alliciebant, ut ibi cum lucro quidem proprio, sed non levi canonicalis dignitatis dedecore, per tres menses continuos sub obtentu quotidianae missae celebrationis moram trahere in deliciis haberet. Sed illis deficientibus delinimentis non levia hujus capellani incommoda evanuerunt, et non amittendae distributionis ac ecclesiae servitii maxime eidem modo cordi est. Et dato duorum dierum festivorum continentium casu pro eo quo incenditur vallis Caldiroli amore, ibi primum solummodo diem agit otiosus, sed contentus; sed post secundi festi sacrum, quod summo mane litat, domum redit, ut ad ecclesiam pergat muneribus suis functurus, ne fallentiis obnoxius fiat. Nec diversimode se gerunt tres alii capellani canonici.

Cum ita se res habeant, nihil restat, quod sapientiam istius S. Congregationis immorari amplius debeat de canonicatuum et capellaniarum Comaclensium incompatibilitate.“

Haec de novo afferuntur. Caetera quaestionem respicientia in cit. supplici libello prostant, quem iterum perlegere EE. VV. grave non erit.

Praevia absolutione quoad praeteritum quoad futurum ad mentem.

VII. DE PRAECEDENTIA IN CHORO.

361. Firmana. — Praecedentiae.

Die 18. Maji 1850.

Ex duodecim canonicis, quibus constat ecclesia collegiata Montis Sancti in Firmana archidioecesi, quatuor sunt simplices clerici. Nulla adest inter ipsos hierarchica ordinum distinctio, et ab ipso tempore fundationis collegiatae, quae contigit anno 1754, canonici antiquiores, licet simplices clerici, super eos, qui fuerunt possessione posteriores, licet sacerdotes, tam in choro et capitulo, quam in processionibus praecedentiam servaverunt. Et quamvis in ipso fundationis limine capitulares constitutiones conditae fuerint, ab Archiepiscopo Borgia approbatae, ac in iisdem capite primo paragrapho quinto notanter ita de praecedentia cautum sit: „Praepositus primum locum teneat, deinde canonici presbyteri, diaconi, et subdiaconi, demum clerici juxta suorum ordinum gradum, et admissionem ad canonicatum“ contraria tamen consuetudine factum est, ut praecedentia, nullo facto discrimine clericos inter et sacerdotes, regulata fuerit non jam ab ordinum gradu, sed a tempore receptionis inter canonicos, veluti superius innuimus.

Aloysius Giardetti, inter canonicos cooptatus aegre tulit quatuor, qui jam inde ab anno 1840 aderant, clericos sibi sacerdoti in choro et processionibus anteferri, coram Eminentissimo Archiepiscopo Ferretti, qui meritissimus inter S. Congregationis Patres adnumeratur, de hujusmodi praxi juri communi penitus adversa conquestus est primum; ac postea de consilio praeclarissimi ejusdem Archipraesulis S. hunc Ordinem adiit, praecedentiam in choro et processionibus sibi supra clericos canonicos, licet possessione anteriores, decernendam esse precatus. Eminentissimus Archiepiscopus super precibus auditus partium animadversiones transmisit, animi vero sui sententiam non aperuit. Cum autem, silentibus partibus, nulla hactenus capta

fuisset resolutio, hodiernum Eminentissimum Archiepiscopum percontati sumus, qui retulit res in eodem statu esse, quo anno 1840 reperiebantur, et, licet nulla amplius facti controversia fuerit exorta, clericos tamen nec fuisse promotos, nec in posterum promovendos spem ullam affulgere. Ne igitur quaestio maneat diutius in suspenso, pauca adnotabimus in facto ex partium animadversionibus excerpta, ac deinde nonnulla subdemus in jure, quo tutior dari possit resolutio.

Canonici in resolutione capitulari, quam de re habuerunt, unanimiter senserunt pro consuetudine servanda, quam clericis ab ipsa collegiatae fundatione favere probant seniorum loci testimonio, et auctoritate sacerdotis Pierandrei, qui sese a pluribus fide dignis audisse testatur quemdam canonicum Pierangeli alias tentasse, quod hodie canonicus Giardetti, et quamvis illi suffrageretur Eminentissimus Archiepiscopus Paraciani, pontificio rescripto factum esse asserit, ut nihil innovaretur; cujus rei tamen nullum haberi monumentum in archivio capitulari testantur canonici. Quae autem praescribuntur de praecedentia favore sacerdotum in paragrapho quinto capitis primi constitutionum capitularium, referenda esse ajunt ad paragraphum proxime praecedentem, in quo de processionibus tantum sermo est, quamvis quoad processiones etiam fuerit huic legi consuetudine derogatum. Canonicorum sententiae suffragatur vel ipse patronus collegiatae Camillus Campagnoni Marefoschi, nec solum ratione consuetudinis, sed insuper virtute bullae ipsius erectionis, et subsecuti actus possessionis, quia tam in illa, quam in isto primi, qui fuerunt canonici designati, nulla servata ordinis distinctione, clerici et sacerdotes permixtim enumerantur juxta seriem eorum in elencho per patronum exhibito descriptam. Ex quo non tantum vi consuetudinis, sed potius virtute primaevae institutionis praecedentiam ratione anterioritatis possessionis, non autem ordinis firmatum esse concludit.

Hisce autem reponit canonicus Giardetti, consuetudinem nullo esse habendam in pretio, quia non solum est juri communi contraria, sed eam insuper tum sacrae Urbis Congregationes, tum S. Rotae auditorium, quibuslibet praerogativis roboratam, reprobarunt. Inter fabulas autem amandandum observat factum canonici Pierangeli, vel saltem pontificium rescriptum, de quo fit mentio, cum nulla exstet nec in archivio capitulari, nec alibi illius rei memoria. Quod autem ratiocinatur capitulum circa capitulares constitutiones abhorret a recta et logica loquendi ratione; nam cum in praecedentibus paragraphis leges praefiniantur de servitio a canonicis praestando in choro et processionibus, quintus paragraphus, in quo methodus praecedentiae praescribitur, ad alios omnes praecedentes ex regula correlativorum habere debet relationem, non autem ad solum partum, qui proxime praecedit, et de processionibus tantummodo disponit. Hac vero firmata regula, facile patet nullam mereri considerationem, quae a patrono tam vi bullae erectionis, quam subsecuti actus possessionis afferuntur, cum capitulares constitutiones paulo post a canonicis redactae, et ab Archiepiscopo approbatae satis declaraverint, quid indistinctae canonicorum sacerdotum et clericorum nuncupationes per simplicem enunciativam importarent, dum in illis solemniter et expresse praecedentia sacerdotum super omnes alios ordine inferiores sancita fuit atque firmata.

Haec in facto. In jure autem traditur generalis regula a Ceccop. tom. 1. lucubr. canonical. libr. 1. tit. 11. num. 2.: „Inter canonicos cujuslibet ecclesiae tam cathedralis, quam collegiatae respective praecedit, qui prior fuit in possessione canonicalis praebendae.“ Nec fallit regula in cathedralibus vel etiam aliis ecclesiis, in quibus praebendae secundum ordinem hierarchicum sunt distinctae; quamvis enim in istis gradus servetur praecedentia, in

eodem vero gradu anterior possessionis semper praefertur posteriori, licet hic majori ordine vel dignitate praefulgeat, Ceccoper. loc. cit. num. 8. et seqq. Eoque magis traditam regulam servandam esse contendit idem auctor in collegiatis ecclesiis, in quibus nulla adsit hierarchica praebendarum distinctio, nullo prorsus instituto discrimine inter clericos et sacerdotes, quia primo qualitas sacerdotii non est connexa essentialiter canonico collegiatae, iste enim non eligitur ut sacerdos sed ut clericus: deinde quia praeeminentia est fructus praebendae, et datur ob servitia ecclesiae praestita secundum anterioritatem in possessione „ascendere enim reputatur honor, descendere dedecus.“ Regula autem generalis majus robur acquirit, ubi conformis accedit consuetudo, quae in materia honorifica semper est attendenda „in materia de praecedentia consuetudo est valde potens, ac magis aestimatur, et attenditur, quam ipsa lex.“ Ceccoper. loc. cit num. 23. qui paulo superius numer. 16. S. R. C. resolutionem citat in una Urbis diei 30. Augusti 1632, quae hactenus tradita confirmat, ac est tenoris sequentis: „Canonici collegiatae, antiquiores tempore, licet non sint ordine presbyteri, praeferendi sunt presbyteris, ubi viget talis consuetudo.“

Iis autem e diametro adversantur, quae praecipit Innocentius III. in cap. Statuimus de major. et obed. ibi: „Statuimus ut presbyteri primum locum, diaconi secundum, subdiaconi tertium habeant, et sic de reliquis observetur ordinatim, etiamsi posterius admittantur.“ Huic juris communis dispositioni aptissime consonant plures S. R. C. resolutiones, ac praesertim Romana S. Mariae ad martyres per viam legis universalis edita, et Pontificio oraculo Alexandri VII. confirmata die 27. Septembris 1659; quae veluti posterioris datae esset abrogatoria alterius a Ceccoperio citatae: decrevit enim Sanctitas Sua: „Canonicos sacerdotes, quamvis possessione canonicatus posteriores, ubi praebendae non sunt distinctae, semper et ubique praeferendos esse canonicis inferioris ordinis, etiamsi possessione canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum impraescriptibilem declaravit.“ Huic consonat altera ejusdem Congregationis resolutio in Monopolitana diei 17. Novembris 1674, in qua declaratum insuper fuit, quod jus praecedendi semel adeptum ex sacerdotio nunquam amittitur, etiam postquam ipsi canonici clerici fuerint effecti sacerdotes, ac demum in Sutrina diei 17. Augusti 1707 quas refert Scarfant. in animadversion. ad Ceccoper. loc. supra cit. num. 15. et seqq. Hujusce autem dispositionis ratio innui videtur in expositione praefatae causae Romanae „ne scilicet solemnia, quae potestatem sacerdotalem exigunt, inibi sileant, et vacet sacrificio ara, sacerdote et ministris perperam destituta“ sive, quod idem est, ut clerici ad sacros ordines suscipiendos alliciantur et excitentur.

Eamdemque adamussim sententiam secuta est S. haec Congregatio in Albanen. Praecedentiae diei 14. Decembr. 1816. Quod si quandoque ab hac regula declinavit, non ex simplici consuetudinis elemento id factum est, sed quia praeter consuetudinem peculiares aderant circumstantiae, quae considerationem mererentur, ceu ad rem facit resolutio in Albinganen. Praecedentiae diei 9. Septembris 1843, in qua licet consuetudo adduceretur, nihilominus favore clerici capta fuit resolutio „attentis peculiaribus circumstantiis.“ Prae oculis nimirum habuerunt fortassis Eminentissimi Patres regulam traditam a Gardellin. tom. 5. collect. pag. 27, ubi cum prius statuerit, quod canonici occupent digniorem locum ratione ordinis, non possessionis, casus exceptionis reponit in simultaneo concursu consuetudinis

et peculiarium circumstantiarum, subdens „limitationes vero respicere consuetudinem, et circumstantias particulares pro casuum diversitate.

Serventur constitutiones capitulares.

362. Civitatis Castelli. — Praecedentiae.

Die 11. Augusti 1855.

In cathedrali ecclesia civitatis Castelli immemorabilis viget consuetudo, qua praecedentia canonicis indistincte datur non juxta cujusque dignitatem, sed habita tantum ratione ad potioritatem possessionis; ita ut clericus, qui canonicatum obtinet aliis canonicis etiam presbyteris noviter receptis tum in sede chorali, tum in tabella seu catalogo canonicorum, in quo distinguitur ordo, seu tertiaria vel hebdomada servitii choralis, praecedat. Ad hujus consuetudinis tramites clericus Ricci, qui obtenta pontificia dispensatione super defectu aetatis et ordinis ineunte anno 1851 canonicatum in cathedrali assecutus est, praecedentiam habuit ab duobus presbyteris canonicis qui post ejus possessionem interea temporis recepti fuere. At vero capitulum in comitiis habitis mense Martio anni superioris innixum decretis S. Rituum Congregationis praesertim in Calaritana diei 22. Septembris 1827 praefatam consuetudinem uti abusivam eliminandam censuit, et juxta captam resolutionem canonicum Ricci ad ultimam in choro et in catalogo sedem amandandum curavit.

Hic in suo jure se laesum existimans supplici oblato libello ad S. Congregationem recursum habuit rogans, ut quatenus capitularis resolutio confirmanda sit, haec pro futuro tantum tempore vigere decernatur et nihil quoad praeteritam observantiam innovetur.

Episcopus, audito capitulo, quod suam sententiam pluribus momentis rationum protuetur, refert, canonicales praebendas separatas, et omnes ejusdem ordinis nempe presbyterales esse. Constitutiones capitulares nihil habere ad rem. Suam deinde sententiam pandens censet, ab enunciato S. Rituum Congregationis decreto favore canonici Ricci non esse recedendum consuetudinis praetextu. Quoniam vero Orator queritur, quod a tabella seu catalogo in quo juxta possessionis ordinem canonicorum nomina referuntur fuerit remotus, existimat, locum quem ipse in tabella obtinuit, adhuc retinere posse: „Ipse enim (inquit), quamvis sedere debeat in inferiori loco post canonicos presbyteros, licet recentiores in possessione, canonicus semper erit in possessione antiquior, et in jure fruendi exemptionibus vel privilegiis, quae antiquioribus canonicis competunt, salvo semper praecedentiae jure ad tramites enunciati decreti de quo solum in ipso est sermo. Ne itaque alia instauretur controversia, novaeque exoriantur difficultates, expediens erit ut iste Sacer Ordo ad hoc etiam suo responso provideat.“

Pluribus S. hujus Ordinis resolutionibus firmiter jamdiu constitutum est, ut ubi distinctae sunt per ordines praebendae servari debeat collegii gradus, ubi vero collegium careat distinctis praebendis servetur praecedentia juxta dignitatem personae, et in pari dignitate juxta possessionis anterioritatem, ut discusso articulo declaratum est in Romana praecedentiae 27. Novembris 1790 et in Albanen. praecedentiae 14. Decembris 1816. Quod etiam statuitur a S. Rituum Congregatione, ceu patet ex allegata Calaritana, in qua revocantur etiam decreta in Sutrina die 13. Julii 1629 et in Monopolitana 17. Nov. 1674 apud Gardellin in Collectan. sub num. 4481. pag. 36. append. 3. tom. 8.

Duo autem contra hujusmodi dispositionem objicit Orator, nimirum contrariam consuetudinem immemorabilem, quae non impugnatur, et Apostolicas bullas, quibus dispensatus ipse fuit super defectu presbyteratus, ac ideo ceteris presbyteris quoad omnia jura et privilegia par effectus; cum idem sit sive quis habilis sit ex natura, sive ex dispensatione. Et ad primum quod attinet, quamvis in quaestionibus de praecedentia tanta sit vis consuetudinis, ut ad jus tribuendum sufficiat, etiamsi dispositio juris communis esset contraria, ceu tradit S. Rota cor. Seraph. dec. 964. num. 1. cor. Merlin. decis. 70. num. 17: attamen hac desuper re permulta exstant S. Congregationis Rituum decreta, quae refert Pignatell. tom. 3. consult. canon. 53. num. 12. et seq., ex quibus contraria firmatur sententia. Sit pro omnibus decisio, quae prodiit in causa Urbis S. Mariae ad martyres sub diebus 29. Martii et 27. Septembris 1659 articulo formiter discusso in Congregatione ordinaria habita coram Sanctissimo, quamque proinde Pontificis Alexandri VII. auctoritate firmatam pro regula ubique locorum servandam esse docet Scarfant. ad Ceccop. luc. canon. lib. 1. tit. 11. n. 15, et advertitur in collect. decret. auth. Congr. S. Rituum in adnot. ad causam Terracinen. sub num. 4462. Porro in ea firmatum legitur: „Canonicos sacerdotes, quamvis possessione canonicatus posteriores, ubi praebendae non sunt distinctae, semper et ubique praeferendos esse canonicis inferioris ordinis etiam possessione canonicatus anterioribus, non obstante immemorabili consuetudine, quam abusum impraescriptibilem declaravit. Cujus quidem dispositionis ratio ea esse videtur, nedum quia semper indecorum est clericum sacerdoti praeferri in Ecclesia Dei: sed et quia per istam praecedentiae legem „praebendati ad susceptionem sacrorum ordinum nedum alliciuntur, sed suaviter impelluntur, et qui primo ordinatus gradum ordinis semel adscenderit ab antiquiori praebendato pari ordine postmodum insignito, ne stallo pellatur, imo jus praelationis semel adeptum numquam amittat“ ceu monet Pignatell. consult. cit. num. 27.

Quoad alterum objectum, compertum est, dispensationes stricti juris esse, ita ut dispensatio concessa ad unum finem non sit producenda ad alium, neque ad consequentiam etiam ex majoritate rationis, praecipue ubi consequentia non est omnino necessaria, et tertia praejudicium inferat, cui favet juris communis dispositio, ceu monet Leuren. forum benef. part. 3. sect. 1. cap. 4. §. 8. quaest. 516. num. 4. Atqui in Apostolicis literis Orator super duplici quo laborat ordinis et legitimae aetatis defectu dispensatus est ad hoc dumtaxat ut „canonicalem praebendam ejusque fructus percipere possit“, ceu praefatae literae se habent.

Nihilominus decernent EE. PP., an Oratori annuendum sit in eo, quod postulat, ut nimirum lex haec in themate retrotrahi non debeat ad actus jam secutos, sed futuris tantum casibus aptetur, ita ut ipse praecedentiae jure, in cujus quasi possessione versatur, privandus non sit. Perpendit enim, capitulares qui passi sunt, ut ipse ad tertium locum gradum faceret, ac praecedentiam super noviter provisis canonicis haberet, tacite juribus suis nuncium misisse, quibus ideo integrum amplius non est contra factum, quod ipsis consentientibus evenit, insurgere. Siquidem ob peculiaria rerum adjuncta ab regula alias constituta ipsam R. S. Congregationem quandoque recessisse monet Gardellin. in adnot. ad causam Terracinen. superius cit., uti etiam egit S. haec Congregatio in causa Albinganen. Praecedentiae resoluta die 9. Septembris 1843 favore fundatoris canonicatus. Ad dubium enim: „An et cui sit danda praecedentia in casu“ respondit: „Attentis peculiaribus circumstantiis, affirmative favore canonici Acquaroni.“

Demum in deteriori hypothesi, videant, an Episcopi sententia excipienda sit, ut nimirum canonicus Ricci, licet ultimam in choro sedem occupare debeat, locum tamen, quem modo in tabella obtinet adhuc retinere possit. Quamvis enim in citatis S. Congregationis Rituum decretis de sede tantum chorali mentio fiat, attamen cum eadem ratio militet etiam quoad ceteros praecedentiae ordines, eamdem plane dispositionem obtinere oportere in omnibus pariter videretur.

Iterum proponatur.

Die 22. Septembris 1855.

Propositus fuit hic supplex libellus in postrema congregatione habita die 11. proxime elapsi mensis Augusti. Sed scissis utrimque EE. VV. suffragiis, nulla edita resolutione, illum iterum proponi mandatum fuit.

Benigne itaque reassumpto folio tunc distributo, grave non sit EE. PP. rem denuo examini subjicere ac definire, quid hoc in negotio consilii capiendum sit.

Resolutionem capitularem esse servandam.

363. Nicoteren. — Stalli.

Die 23. Februarii 1850.

In ecclesia cathedrali Nicoterensi apud Calabros, ubi omnes indistincte canonicatus annuis ducatis viginti, comprehensis distributionibus, potiuntur, vario licet titulo nuncupentur, praebendam vero quilibet canonicatus ac dignitas majorem vel minorem generatim habet adnexam, in more positum erat, ut quoties aliquis ex capitularibus assequeretur, seu potius praebendam una cum titulo permutaret, quod eidem titulo antianitatis competebat (nulla enim adest ordinum distinctio) ad ultimum stallum, habita novae possessionis ratione, descenderet. Haec praxis obtinuit usque ad annum 1847 quo sub die 5. Julii dignitates et canonici capitulariter congregati, perpendentes hanc stalli mutationem nonnisi cum canonicorum laesione contingere, novamque methodum nec fundationi, nec regni legibus adversari, unanimiter decreverunt quod quilibet ex capitularibus, quoties ad alium canonicatum, seu praebendam promoveretur, illud in posterum stallum retineret, quod tempori priscae admissionis in capitulum, non autem novae possessionis responderet. Haec capituli resolutio Episcopali decreto, ut futuris perpetuo temporibus servaretur, die 25. Augusti insequentis rite communita fuit ac roborata.

Hinc factum est, ut canonicus Laureana, cum mense Majo anni 1848 alteram obtinuit praebendam titulo S. Nicolai distinctam, antiquum juxta novam inductam methodum, nemine reclamante, retinuerit stallum. At non ita res processerunt mense Februario 1848, quando canonicus Corso expeditis literis apostolicis, prisca dimissa praebenda, alteram obtinuit titulo sancti Martini decoratam: priusquam enim hujus possessionem acciperet, canonicus Cipriani recens in collegium cooptatus, adversus praenarratam capituli resolutionem protestatus, indixit canonico Corso, ut si novae praebendae possessionem capere vellet, ad ultimum stallum ipsi foret descendendum. Ex parata oppositione hic novae praebendae distutit possessionem, donec capitulares iterum ex Episcopi jussu legitime congregati die 19. ejusdem mensis plenis suffragiis, uno tantum discrepante, resolutionem die 5. Julii 1847 qua confirmandam, qua convalidandam, si opus esset, censuerunt.

Hisce praenarratis, Episcopus ad pacem inter capitulares constabiliendam enixas dedit huic S. O. preces, ut suprema Pontificis auctoritate praedictam capituli resolutionem sanciret, et confirmaret, quippe quae majus ecclesiae et chori servitium respiciat, ac optimum virtutis incitamentum reputetur. Precibus eidem Episcopo remissis ut capitulum et canonicum Cipriani in scriptis audiret, ac alia nonnulla factorum monumenta referret, quae ad rem pertinere videbantur, nec non particulas capitularium constitutionum ad rem facientes transmitteret, praeter ea, quae hactenus exposita sunt, nullas habere capitulum constitutiones, novam insuper de re capituli convocationem haud expedire respondit, ne novae excitarentur turbae, quas die secunda Julii 1849 cum propositum fuerit capitulum super eadem quaestione convocare, adeo graves in publica ecclesia cum magno populi scandalo, qui ad sacrum conventuale convenerat, exortas lamentatur, ut ipsemet praesentia sua jurgium excitatum componendum curare debuerit. Preces deinde instantissime renovat pro sanctione et confirmatione praefatae resolutionis capitularis tam ad pacem capitulo restituendam, quam ne canonicus antiquior ad pinguiorem praebendam promotus loco praemii ex amissione superioris stalli, antianitatis et praecedentiae praejudicium persentiat, quadam veluti degradatione multatus. Eoque magis imploratam sanctionem expedire opinatur, ne jurgia et dissidia recrudescant, dum impraesentiarum canonicus Antonius Corso in suo prisco stallo persistit secundum primam possessionem, neque canonicus Cipriani usque adhuc sese opposuit.

Praemittere juvat non agi in themate de vera optione, licet idem sit omnibus reditus quoad canonicatus, et mutatio praebendarum tantummodo contingat: praeterquam enim mutatur titulus canonicatus, nova etiam intercedit collatio, quae profecto locum non habet, ubi verae optionis existit privilegium. Regula autem certissima inducta est in ecclesiam, ut quoties dimisso titulo prioris canonicatus, quem quis possidebat, alterum, mediante nova collatione, adipiscitur, priorem quoque praecedentiam amittat, ultimoque sedere debeat in loco ex traditis per Ceccoper. lucubr. canon. libr. 2. tom. 1. tit. 3. num. 10. et firmavit S. Congr. in Firmana stalli 2. Decembris 1843. Cui dispositioni consona erat adamussim consuetudo, quae in ecclesia vigebat Nicoterensi. Omnis igitur quaestio eo spectat, an capitulum novum statutum praefatam destruens consuetudinem condere valeret.

Licet denegata sit capitulo potestas condendi statuta, quae non solum juri communi, sed etiam juri Pontificio adversentur, Ceccoper. loc. cit. lib. 4. tit. 11. num. 32. vel etiam circa ea quae respiciunt statum universalem ecclesiae sine Episcopi vel sedis Apostolicae approbatione, Scarfant. ad Ceccoper. loc. cit. tit. 6. num. 22. nulla incidit dubitatio tamen, quin possit capitulum statuere circa ea quae tantum interesse solius capituli, sive administrationem sive honorificentiam respiciant, proprium scilicet regimen politicum seu oeconomicum, ceu unanimiter tradunt Gonzalez in decret. lib. 1. tit. 2. de constit. cap. 6. num. 5. et Scarfant. loc. cit. tom. 2. lib. 4. tit. 6. num. 23. et tom. 3. addit. 1. num. 15. et 16. ac etiam contra suae ecclesiae consuetudinem cum Episcopi consensu, si aliqua subsit causa, qualis reputatur majus ecclesiae servitium, nec non id totum, quod canonicos alliciat ad ipsius ecclesiae obsequium, ac propensius servitium praestandum, idem auctor loc. cit. tom. 2. lib. 4. tit. 6. num. 23. et tit. 11. num. 45. et seqq., ubi exemplum adducit statuti vel consuetudinis de jure optandi introducendo, quod fieri a capitulo posse omnes consentiunt.

Quibus praehabitis, nemo non videt jure suo usum capitulum Nicoterae in novo statuto condendo quoad retentionem stalli in casu mutationis prae-

bendarum, praesertim cum Episcopi consensus accesserit per decretum ab eodem interpositum. Siquidem nulla adest expressa dispositio in jure Pontificio, qua ultimum stallum assignetur canonico praebendam permutanti, sed regula superius memorata tantum ab interpretibus ss. canonum inducta, desumpto argumento ex cap. Cum certum de major. et obedientia tit. 3. lib. 1. decret. ubi tamen Gonzalez num. 9. expresse notat capitulo non denegari potestatem statuendi circa locum in sedendo aut subscribendo. Et S. ipsa Congregatio retentionem stalli permisit cuidam canonico in Sutrina Stalli 7. Julii 1770 quia omnium canonicorum, uno tantum refragante, consensum retulerat, eamdemque gratiam alteri denegavit in Callien. Praeeminentiae 18. Augusti 1792 quia plurium habebatur dissensus; ex quo profecto argui licet rem totam a capituli potestate seu voluntate pendere.

Hinc concludendum videtur capitulum Nicoterense laudabili ductum ratione majoris ecclesiae servitii, ac praemii diligentioribus comparandi legitime statuisse contra priorem consuetudinem, accedente Episcopi consensu, maxime cum unanimi prorsus resolutione tam die 5. Julii 1847 quam die 19. Februarii 1849 novam methodum invehendam et confirmandam decreverit; ac proinde imploratam ab Episcopo confirmationem haud denegandam censerem, peculiaribus praesertim ex causis ab eodem adductis. Canonicus vero Corso in qualibet hypothesi ab antiquiori stallo minime removendus esset, attenta illius bona fide capitulari statuto subnixa, et facto canonici Laureana confirmata.

Ultimo loco animadvertendum est eam esse constantem S. Congregationis praxim, ut quoties in aliqua ecclesia cathedrali vel collegiata capitulares deesse constitutiones agnoverit, Episcopum moneat ut capitulo terminum praefigat ad capitulares conficiendas constitutiones ab eodem Episcopo approbandas.

Servetur conventio capitularis ab Episcopo approbata.

364. Fulginaten. — Praeeminentiae.

Die 5. Julii 1856.

Sacerdos Joannes Angelini in collegiata S. Mariae Majoris Hispelli canonicus et decanus, dimisso quem possidebat, alterum nuper in ea canonicatum obtinuit. Ne igitur juxta consuetudinem in eadem collegiata receptam novissimus in choro fiat, gratiam ab EE. VV. pristinum retinendi gradum cum ejus praerogativis implorat.

Episcopus super precibus auditus, capitularem resolutionem transmisit, in qua ex decem canonicis qui comitiis interfuere suffragiumque dedere, sex, seu major pars, Oratoris petitioni adversati sunt. Adsunt praeterea duae protestationes, altera canonici Passari, qui infirmitatis causa non interfuit, altera canonici Bocci, qui a suffragio ferendo se abstinuit. Ille quidem exponit se antiquiorem esse Oratore in possessione canonicatus, quamvis, quia in minoribus constitutus erat ordinibus, cum Orator idem canonicatus possessionem adeptus est, inferiorem occupaverit gradum, in quo injuria, ut inquit, manere coactus fuit, postquam etiam presbyteratum suscepit. Quapropter etsi ne novissimo sedeat loco canonico Angelini concederetur, sua tamen super eodem praecedentiae jura sarta tectaque servanda esse protestatur. Iste vero, nempe canonicus Bocci, pariter protestatur, ne imploratae gratiae concessio impedimento sit, quominus ipse primum in choro locum ascendat, qui sibi antianitatis jure competit.

Oratori tamen favet Episcopus: „Nam, inquit, attento diuturno et laudabili servitio triginta annorum, quod suae collegiatae praestitit prout canonicus, et per plurimos annos uti viceparochus, nec non illius aetate provecta, sane videbatur ab omnibus confratribus suis precibus esse annuendum. Sic ego opinarer adductus zelo, pietate, et diligentia, quibus suum officium chorale et parochiale praeclare obivit; idemque mecum sentit r. d. Franciscus Tomassini jam canonicus jubilatus, et ante jubilationem decanus praefatae collegiatae, qui in civitate Asculi moratur.“ Monet autem incerta quae proveniunt canonico decano parvi esse lucri, et in duobus aut tribus scutatis consistere, et non amplius.

Nuper accepi declarationem a septem canonicis subscriptam, quos inter quatuor recensentur, qui comitiis capitularibus interfuere, qui consensum praestant, ut Orator voti compos fiat. Unde ducto calculo apparet, octo esse canonicos (comprehensis canonicis Passari et Bocci) qui precibus obsistunt; septem vero vel etiam octo (computato suffragio canonici jubilati Tomassini) qui favent.

Canonicus Orator praeter exposita in Episcopi relatione aequitatis et congruentiae momenta, juris dispositionem sui favore invocat, ut faciliorem imploratae gratiae viam sternat. Utitur autem auctoritate clariss. jurisconsulti Jacobi Gothofredi in diatriba de jure praecedentiae, cap. 6. de mutatione contingenti circa personas dignitate decoratas 41 ibi: „Prima quaestio est, utrum permutatis inter duos in eadem curia seu statione dignitatibus seu officiis; puta altero alterius officium subeunte, pristinam illi praecedentiam tueantur? Quod affirmandum est. Vide Langlaeum ... et ratio haec redditur, quia conjunctim revera munus utriusque militiae seu dignitatis fuit, et sic nulla interruptio facta censetur ... a quo non abludit quod Albericus scribit ad l. 2. ff. de decurion. „ei qui in canonicorum collegium jam olim adscitus fuit, optionem novissimam praebendarum non officere, quominus pristinum ordinem retineat.“

Prorsus vero corruere fundamentum quo canonici Passari protestatio nititur, cum tralatitii juris sit, canonicos, ubi praebendae non sunt distinctae, digniorem occupare locum ratione sacri ordinis, non possessionis, et semel adeptum non amittere, etiamsi antiquiores in canonicatu ad eumdem ordinem postea ascendant, ceu tenuit S. Congregatio haec in Romana Praecedentiae 27. Novembris 1790, et in Albanen. Praecedentiae 14. Decembris 1816.

E contra quidquid sit de doctrina superius allegata quae obtinet dumtaxat in optionibus et quidem si antiquus titulus non commutetur, facto transitu de una ad aliam praebendam absque novo titulo et absque nova provisione vel collatione, virtute provisionis seu tituli habiti in prima, S. Congregatio in Maceraten. Optionis 22. Decembris 1832. §. Canonicorum; dubium ceteroquin non est quin dimittens canonicatum, ut alium in eadem obtineat ecclesia, priorem amittat praecedentiam, ultimoque sedere debeat in loco; ceu communiter docent canonistae post cap. Cum certum de major. et obed. ibi Fagnan. num. 8., Manual. Episcop. post Gavant. thes. sac. rit. v. praecedentia in addit. n. 20. Ceccoper. lucubr. canon. lib. 2. tit. 3. num. 9. atque ita semper censuit S. haec Congregatio, ceu pandunt resolutiones in Callien. Praeeminentiae 18. Augusti 1792 et in Firmana Stalli 2. Decembris 1843. Quod eo magis servandum videretur in themate, quia huic sanctioni consentanea in collegiata Hispelli viget consuetudo.

Favet tamen Oratori consensus dimidiae partis canonicorum (comprehenso canonico jubilato) quamvis id vix in pretio haberi possit, cum res sit, quae singulorum tangit interesse, et meliorem reddit conditionem prohibentium, Glossa in cap. Cum omnes de constit. v. Constitutum text. in leg. 36. ff. de reg. jur. Favet etiam votum Episcopi, et quod caput est, egregia commendatio meritorum, diuturni et laudabilis servitii. Verum licet haec eadem rerum adjuncta in cit. Callien. concurrerent, nihilominus S. Congregatio supplicantis preces exaudiendas non esse censuit, obstante in eo etiam casu dissensu dimidiae canonicorum partis. Exempla quidem hujusmodi concessionum habentur, sed cum accederet consensus integri capituli, uti est illud S. Congregationis in Maceraten. Optionis 22. Dec. 1832 ad vii. dubium.

Lectum.

365. Bergomen. — Capellaniae.

Die 29. Augusti 1868.

Angelus Zineroni cathedralis ecclesiae Bergomensis canonicus honorarius vertente anno 1863 ad capellaniam, quae choralis servitii onus in eadem ecclesia secum fert a legitimo patrono praesentatus fuit. Hic antequam canonica institutione donaretur „sine praejudicio jurium, quae mihi competere possint“ subscripsit cuidam canonicorum resolutioni, quae sic se habet: „Capitulum in sessione 11. Sept. 1863 edidit declarationem, nominatum capellanum in hac tantum qualitate secundum fundationis instrumentum cum assignatione stalli in choro cum oneribus et honoribus isti muneri competentibus assumendum esse.“ Canonica sed vero institutione obtenta idem Zineronius cogitans, depositionem habitus canonicalis sibi dedecori esse et paucos in cathedrali servire canonicos, ex consilio Episcopi preces SS. Domino porrexit implorans, ut residentiam choralem capellaniae in stallo et insignibus canonicalibus adimplere possit.

Preces Bergomensi Antistiti, ceu moris est, ablegatae fuerunt, ut auditis interesse habentibus, capitulo nempe et capellanis, informationem et votum transmitteret. Episcopus huic S. Congregationis mandato obtemperare eo usque distulit, donec bonorum capellaniae possessio a civili gubernio capta novo capellano traderetur. Quod nonnisi post transactum biennium effectum est. Quocirca exeunte anno 1865 Episcopus S. H. Ord. jussa executioni mandavit et dein tum canonicorum, tum capellanorum ipsiusque Oratoris deductiones retulit. Porro ex his, quae a capitulo et a capellanis disseruntur, patet, quod eorum sententia Oratoris precibus nec omnino adversetur, nec satis revera faveat. Capellani enim, quamvis assensum suum praestare fateantur, eum tamen volunt sequentibus alligatum conditionibus, I. „ut capellanus Zineroni adimpleat omnia onera capellanis ex vigentibus regulis et consuetudinibus incumbentia, II. ut propter exiguum capellanorum numerum etiam in choro uti capellanus assistat muneribusque suis satisfaciat, III. ut secundam conditionem non adimplens quavis vice punctaturis secundum regulas vigentes subjaceat.“

Capitulum autem in suis animadversionibus praemonet capellanos jure meritoque ad assentiendum petitae veniae, conditiones illas apposuisse, hisce vero ratis habitis causas universas, quarum intuitu gratia efflagitatur, in tenues auras abire. Sane si de probro sermo sit, in illud incidet Orator, immo et universum capitulum, quoties illis muneribus erit ab ipso uti capel-

lano satisfaciendum, quae cum a canonicis peraguntur, non nisi cum debita assistentia perficiuntur. Notat insuper canonicorum defectui juxta alteram petitionis rationem per gratiae concessionem haud consultum iri, siquidem ex appositis a capellanis conditionibus munera illa, quae canonicorum sunt propria, Oratori haud erit obeundi potestas, adeoque nihil lucri capitulo obveniet ex eo, quod ille potius uti canonicus, quam uti capellanus in choro adsit. His tamen minime obstantibus capitulum profitetur Oratorem Zineroni sibi acceptissimum esse, et quavis consideratione dignissimum.

Capituli et capellanorum objectionibus obviam ire Orator satagit. Asserit in primis ad duas redigi illas posse. Primam manare ait ex secunda conditione a capellanis apposita: alteram ex officio canendi per turnum cum reliquis capellanis missam conventualem. Jamvero hanc difficultatem nullius ponderis esse contendit, quia huic incommodo consuli apprime potest adhibito in substitutum aliquo ex capellanis, quorum non pauci pro hujusmodi munere adimplendo sponte sese obtulerunt. Primam vero objectionem haud plurimi faciendam urget. Injuria siquidem ipse reputat illam conditionem appositam fuisse, cum nullum capellanis gravamen obveniat, si aliquando contigerit pro canonicali munere eum non posse in chorali stallo manere. Praecipuum capellanorum onus in chorali cantu repositum est, quod et canonicis est commune. Quando autem alicui ex canonicalibus muneribus, uti esset ex. gr. Episcopo assistentiam adhibere, vacandum erit, alter ex canonicis in choro ad canendum permanebit, qui abesse cogeretur, si ipsi foret in suo stallo manendum. Ex quo patere ait, capellanos nullum incommodum persensuros ex ejus absentia, cum alter ex canonicis in choro ejus vices necessario gerere debeat. Quam injusta et irrationabilis denique existat postrema conditio, qua capellani eum fallentiis mulctandum esse contendunt etiam post gratiae, quam efflagitat, concessionem nemo est, qui non videat.

Verumtamen Zineronius antequam Apostolicum intercedat beneplacitum se revera fallentiis obnoxium putat ex eo, quod in stallo et cum insignibus canonicalibus choro intersit, quare enixe etiam implorat exemptionem a die 6. Sept. 1865 (quo die bonorum capellaniae possessionem adeptus est) usque ad diem, quo alteram gratiam se obtenturum esse sperat.

Reverendissimus Bergomensis Antistes in literis diei 5. Novembris 1865, quibus has preces atque hucusque summatim relatas partium deductiones transmisit, Oratorem Sac. Ordini enixe commendat, suamque his verbis mentem pandit: „Preces canonici-capellani Zineroni benigne excipi desidero, dummodo per se omnia munera capellaniae adimpleat, quae gradui et insignibus suis sunt compatibilia et reliquis oneribus per alium capellanum convenienti data retributione satisfaciat, sicut etiam alii capellani assolent. Hoc capitulo esset utilitati, canonicorum numero ita adaucto.“

Ita res erant, quando mense Junio anni elapsi novas Orator S. Ordini preces obtulit, in quibus asserit, se praevia Episcopi licentia capellaniae onera adimplendi in stallo et cum insignibus canonici monstrasse, hoc minime esse incompatibile, quod etiam documentis canonicorum et capellanorum comprobari.

Revera haec capituli et capellanorum suffragia Oratori plurimum favere videntur: juvat ad rem horum praecipua verba referre. Capituli votum hac ratione concipitur: „Quia canonicus honorarius Angelus Zineroni promittit, se ea munera, quae cum honori et insignibus canonicalibus incompatibilia sunt, per alium esse adimpleturum et quia bona servitia Orator hoc modo choro praestare potest, capitulum ejus precibus non obsistit, imo favet, omnia dispositioni S. Congregationis remittens.“

Capellani autem „considerato casu speciali et opera laudabiliter ab Angelo Zineroni praestita ejus declaratione die 26. Februarii edita consentiunt, ipsum uti capellanum residentiam choralem posse adimplere in stallo et cum insignibus canonicalibus.“

Quapropter Episcopus nuperrimis literis Oratorem etiam atque etiam S. O. commendat, ejus merita extollit, ei gratiam fere necessariam affirmat in bonum etiam capellaniae, nam si ab actuali possessore nuncium ei mittatur, periculum suppressionis imminere animadvertit.

Hisce in facto praeactis praestat nunc pro meo munere quaedam in jure attingere, quae videntur ad praesentem quaestionem posse referri. Exploratum est canonicatus honorarios haud incompatibiles esse cum quovis beneficio etiam residentiali ac parochiali, siquidem hujusmodi canonici dicuntur habere „nomen sine re et nomenclaturam vacuam et inanem, jus adeo tenue et exile ut de vento reputetur et canonicatum in aere“ S. C. in Fulginaten. 14. Martii 1648. Terracinen. 19. Januarii 1788. Montis Politiani 4. Febr. 1804. Scarfantonius l. l. t. 14. p. 1. Ex quo fluit licitum cuique esse canonici honorarii nomen retinere una cum altero quocumque beneficio, at non aeque permissum canonicalibus muneribus vacare in detrimentum onerum, quae ratione beneficii quis teneatur implere, Lotter, de re benef. lib. 2. q. 29. n. 18 S. C. in Firmana Capell. 13. Sept 1770. §. Incompatibilitas. Imo neque substitutum in casu adhibere posse videtur; Tridentinum enim in sess. 22. c. 4. de refor. praecipit: „Eos qui dignitates, personatus, officia, praebendas, portiones ac quaelibet alia beneficia in dictis ecclesiis (cathedralibus et collegiatis) obtinent . . cogant Episcopi diebus statutis dictos ordines per seipsos exercere, ac caetera omnia officia, quae debent in cultu divino praestare.“ Et in sess. 24. c. 12 de ref. statuit: „Omnes vero divina officia per se et non per substitutum impellantur obire officia.“ Accedit dispositio cap. 3. de cler. non resid. Idem tradunt Fagnanus in cap. Ut abbates de act. qual. ordine praef. n. 100. Pitonius de contr. patr. alleg. 27. n. 6, Ferraris v. Capellania n. 43 ac S. C. in Florentina 6. Junii 1863.

Quae cum ita sint, decernat sapientia, prudentia, et religio EE. VV. utrum attentis peculiaribus circumstantiis petitioni indulgendum sit: utrum id suadeant Oratoris merita, consensus interesse habentium, Episcopi suffragium, ac potissimum probabilis ejusdem beneficii jactura, proindeque Ecclesiae utilitas; simulque judicent EE. VV. quid decernendum de altera Oratoris petitione, qua a fallentiis absolutionem implorat a tempore adeptae bonorum capellaniae possessionis ad hodiernam usque diem.

Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia etiam quoad fallentias inter capellanos non distributas; facto verbo cum Sanctissimo.

VIII. DE EMOLUMENTIS CANONICORUM.

1. Massa communis.

366. Aquinaten. — Massae communis.

Die 30. Januarii 1858.

Ecclesia collegiata Sanctissimae Annuntiationis B. M. V. loci Roccasecca in dioecesi Aquinatensi archipresbyterum parochum habet et sex canonicos, qui praeter servitium chori, archipresbytero in exercitio curae ani-

marum operam praestare tenentur. Vacant ad praesens praebendae tres, quarum reditus ceteras ducatis fere 30 superant. Reliqui canonici conqueruntur praebendas suas, quarum ceteroquin nulla, institutione sua, summam 50 ducatorum excedit, exiguos imo fere nullos fructus reddere ob nequitiam praesertim cultorum, qui jura quasi absoluti dominii sibi vindicant ex scripturis privatis, cum quibus antecessores canonici fundos in meliorem statum restituendos ipsis commiserunt. Hinc ut tollatur redituum differentia maxima inter canonicos qui omnes aequale servitium ecclesiae praestant et aequalia fere onera sustinent, humiliter postulant a S. Congregatione archipresbyter et tres canonici, ut omnium praebendarum massa communis effornetur, ex qua singulis canonicis una, archipresbytero vero duplex portio obveniret, atque adeo post constitutam massam communem singuli canonici perciperent summam duc. 40. 66, archipresbyter vero duc. 81. 95.

Consultus Episcopus respondit se votum favorabile edere non posse, donec archipresbytero parocho sufficiens juxta concordatum congrua assignetur. „Etenim parocho, ita declarat Episcopus, nunc duc. 131. 63 percipienti post massae communis constitutionem, etiamsi duplicem reciperet portionem, tantummodo duc. 81. 95 obvenirent, ita ut non haberet congruam juxta concordatum. . . Hodiernus archipresbyter consensum praebuit, quia vita durante integros archipresbyteratus reditus sibi reservavit successorum suorum prorsus oblitus.“

Petitioni canonicorum favere videtur praxis S. Congregationis quae constitutionem massae communis probavit, ubicumque ratio necessitatis vel magnae utilitatis intercederet, uti videre est in Verulana Massae communis 21. Nov. et 12. Dec. 1829, item in Bobiensi Canonicatuum 14. Maji 1831 et in Alatrina Mensae capitularis 28. Aprilis 1827. Adesse vero in casu necessitatem volunt canonici, quum eorum praebendae honestae pro gradu suo sustentationi vix sufficiant; nedum enim valde exiguae sunt, sed et fructuum perceptio variis artibus a colonis impeditur, praesertim tempore vacationis, quando bonorum administratio ad Ordinarium dioecesanum devolvitur. Neque ullum ipsis suppetit medium hunc miserum statum evadendi, siquidem expensas pro lite movenda singuli canonici ferre non possint. Nec deest collegiatae utilitas in communi bonorum massa, quum pro redemptione onerum et meliori agrorum cultione expeditius prospiciatur ex fructibus mensae communis, quam ex impensis a singulis canonicis conferendis. Praeterea hoc remedio punctaturae ad normam Conc. Trid. sess. 21. cap. 3. et cap. unic. de cler. non residen. in dicta collegiata restituti possent, cui rei maxime insistit s. m. Benedictus XIV. inst. eccl. 107. n. 7. et haec S. Congr. in Nullius seu Terrae Pontiani 5. Martii 1735. Porro partitio qua archipresbytero duplex rata assignaretur, fundatur in exemplis S. Congr. in citata Verulana 21. Nov. et 12. Dec. 1829 et in Alatrina 23. Dec. 1826.

Tota difficultas videtur haerere in eo, quod congrua archipresbytero parocho post constitutionem massae communis decernenda summam scutorum 100 a sacris sanctionibus et in concordato Neapolitano anno 1818 art. 7. stabilitam non exaequet.

Quamvis enim S. Pius V. in constit. Ad exequendum statuerit congruam non minorem esse debere scut 50 nec majorem scut. 100, hujus tamen S. Congregationis constans est praxis, ut scuta 100 quantum fieri possit parocho assignentur, ceu in Asculana 25. Junii 1836. §. Ut autem; in Callien. et Pergulana Parocciarum 26. Jan. 1839. Civitat. Castellanae 24. Nov. 1821. ad 2. dubium et in Asculana Congruae

21. Julii 1827. §. Praeterea. Quae congrua si pro quibusvis parochis desideratur, eo magis in themate stabilienda venit pro parocho, qui et archipresbyteri dignitate insignitur. Aliis igitur remediis insufficientiae redituum canonicorum providendum foret, qualia indicat Conc. Triden. sess. 24. cap. 15; et quovis casu tolerabilius est, ut canonicus egeat, quam rector ecclesiae, ut inquit Host. in cap. Exposuisti de praebendis n. 2. apud Fagnanum ibidem num. 8.

Pro gratia juxta petita, aucta tamen congrua archipresbyteri parochi ad ducatos centum.

Die 31. Martii 1860.

Accidit vero ut cum praefatum rescriptum Episcopo exhibitum fuisset a canonicis pro executione, hic certior interea factus, schema redituum a capitulo productum apud acta S. Congregationis verum illorum statum et conditionem minus prae se ferre, ab executoriali decreto edendo supersedendum e re sua duxit, atque insimul schema magis accuratum confici mandavit, quod a canonicis subscriptum S. Congregationi remisit. Ex eo porro apparet, quod, reditibus in massam communem collatis, ducati 400 et amplius haberentur, unde singulis canonicis summa obveniet ducat. 70 circiter, quam satis congruam Episcopus existimat. Quamobrem dum non adversatur S. Congregationis decreto in ea parte, quae ad massae communis constitutionem refertur, proponit, ut reformetur in eo quod spectat ad assignationem congruae pro archipresbytero parocho, super qua nihil innovandum, sed servandam esse congruam censet in ea quantitate, quae nunc est, scilicet ducat. 131. 63. Dum enim hac ratione canonici satis pinguem praebendam nihilominus perciperent, juxta novam exhibitam redituum computationem; aliunde vero deterior non evadet parochi conditio, cui ceteroquin, quoad fieri potest, favendum est.

In decisis, ita tamen, ut nihil innovetur quoad congruam archipresbyteri parochi in ducatis 131 et gran. 63.

367. Sanctissimae Conceptionis de Chile. — Servitii chori quoad distributiones et vacationes.

Die 24. Augusti 1867.

Ad preces Philippi II. Hispaniarum Regis Pius IV. fel record. per bullam Apost. quae inc. „Super specula militantis ecclesiae“ XI. Kal. April. 1563 erexit in civitate imperiali sedem episcopalem, et cathedrale capitulum seu dignitates, canonicatus et praebendas, commisitque primo illius ecclesiae Episcopo, Antonio a S. Michaele, ut Apostolicas dispositiones debitae executioni mandaret, praesertim circa ea, quae jura, honores et reditus, nec non onera et obligationes capitularium et beneficiatorum respicerent.

Apostolicis auctus facultatibus Episcopus decreto diei 18. Maji 1571 instituit in cathedrali ecclesia quinque dignitates, et decem canonicatus a dignitatibus omnino separatos; sex denique portiones et totidem dimidias portiones. Hodie tamen duae tantum superesse reperiuntur dignitates decanatus et archidiaconatus, quatuor canonici et duo capellani. Monens itaque hodiernus Episcopus, statutum esse eodem decreto ann. 1571, ut reditus seu stipendia canonicorum consistant in distributionibus quotidianis, simulque ut iidem canonici resideant, et suae cathedrali ecclesiae servitia praestent per undecim singulis annis continuos vel interpolatos menses; et animadvertens,

utramque dispositionem gravia secum ferre incommoda, rogavit, I. ut quotidianae capituli distributiones ad tertiam redituum seu proventuum partem reducantur juxta praescripta a Concil. Trid. sess. 21. cap. 3. et sess. 22. cap. 4. de reform., 2. ut prae exiguo canonicorum numero, si eorum residentiae et servitii in ecclesia cathedrali tempus ad novem menses ad tramites Conc. Trid. sess. 24. cap. de reform. reducere prudens minime videatur, concedatur saltem gratia ejusmodi tempus coarctandi ad solos decem menses singulis quoque annis, duos scilicet canonicis relinquendo non impeditos menses, quibus ad honestam animi remissionem et requiem uti libere valeant.

Ad haec rogavi eumdem Antistitem, ut instructam reddere studeret Sacr. Congregationem de nonnullis rerum adjunctis, quae in precibus desiderabantur: et datis literis ad Eminentissimum Praefectum laudatus Episcopus retulit quae sequuntur:

„Annuus canonicorum reditus olim in decimis, aliisque populi christiani oblationibus, nunc in taxa a gubernio persoluta consistit, quae ... sequens est. Pro decano rom. scutata 2400; pro archidiacono 2050; pro ceteris quatuor canonicis 1600 ... Sunt et alii reditus ex missis de fundatione dictis provenientes, sed adeo exigui, ut nec ad decem aureorum summam pro quoque praebendato ad annum perveniant. Onus praebendarum in assistentia ad divinum officium in choro persolvendum, et missam conventualem quotidie canendam, nec non ut Episcopo celebranti aut pontificalia exercenti inserviant, ceteraque a Trid. Synodo sess. 24. cap. 12. de reform. et sacris canonibus statuta adimpleant, consistit. Canonicus magistralis dictus quater in anno coram Episcopo concionem populo facere debet. Nullus est canonicus exceptus, quin per vicem suam in tota hebdomada missam canat, et officium ut hebdomadarius persolvat. Verum ceteri alii adesse quoque tenentur, excepta tantum recitatione horae primae, quam dictus hebdomadarius cum duobus capellanis canit aut recitat pro tempore.“

Transmissis deinde particulis bullae Pii IV. anni 1563; decreti erectionis, quo dignitatum et canonicorum stipendium designatur, et mandatur ut stipendia sint distributiones quotidianae; et altera exhibita particula ejusdem decreti qua statuitur ordo celebrandi missam conventualem, et lucrandi vel amittendi partem distributionis quotidianae assistentiae proportionatam, subjungit: „Sat urgens est, ut quotidianae canonicorum distributiones in hac cathedrali ecclesia constituantur. Quamvis enim in ipsius ecclesiae erectione decernantur, numquam, ut est hominum memoria, in praxim ipsaemet distributiones sunt redactae. Ea propter iterum expostulo, ut ad normam Conc. Tridentini, nostrae erectionis lege hac in re sublata et exclusa, quamprimum beneficiatorum distributiones robur habeant et firmitatem; scilicet ut juxta Conc. Trid. „qui statis horis interfuerint distributiones recipiant, reliqui quavis collusione aut remissione exclusa his careant“ et „ut omnes divina compellantur obire officia“ nullum privilegium in favorem cujuscumque admittendo et partem ab inassistentibus culpabiliter amissam inter assistentes distribuendo.“

Ex hucusque ab Episcopo relatis prono alveo sequitur, nullatenus dubitandum esse, quin vota ipsius excipienda sint. Enimvero Conc. Tridentinum sess. 21. cap. 3. de reform. statuit, ut in omnibus ecclesiis tertia pars omnium proventuum separetur, et in distributiones quotidianas convertatur, quae solum inter choro interessentes dividantur. Exploratum autem est, quod ubi praebendae fructus omnes vel fere omnes consistunt in distributionibus quotidianis, ut in casu, de quo agitur, duae ex tribus earum parti-

bus assumere debeant naturam praebendarum, tertia vero distributionum, quatenus hae in strictiori sensu accipi solent. Fagnan. in cap. De cetero, de clericis non resid. n. 29. Schmalzgrueber eod. tit. num. 49. Sac. Congregatio in Firmana 6. Maji 1843 §. Tandem in Ilerden. 3. Martii 1792. §. 6. et in Tranen. 20. Dec. 1862.

Consonat huic sanctioni Episcopi petitio, qui reductionem distributionum ad tertiam partem fructuum petens, distributiones in sensu Concilii Trid. ut constituantur exoptat, et in thesauro resolutionum Sacri hujus Ordinis innumera habentur exempla, in quibus demandatum constanter est, ut distributionum constitutio vel etiam reformatio fieret ad normam praefati decreti Tridentini, ceu videre est in Januen. 25. Junii 1864. §. Disserendum. Dubitari tandem nullo modo potest, quin distributiones diligentioribus tantum pro interessentia debeantur; Conc. Trid. in citat. decretis et Sacr. Congr. in rel. Tranen. 20. Dec. 1862, in Januen. 25. Junii 1864, et alibi centies.

Haec quoad primam precum partem, quoad alteram autem, seu quoad petitam vacationum conciliarium gratiam, animadvertendum est, Concilium Trid. sess. 24. cap. 12. de ref. indulgere, ut canonici per tres menses ab ecclesia sua abesse possint „salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius tempus requirunt.“ Quam clausulam S. Congregatio saepius confirmavit, ut in Mutinen. an. 1573 (ex lib. 1. decr. fr. 168) in Calaguritana ann. 1581 (lib. 3. decr. fr. 186) relatis a Benedicto XIV. in institut. 107. n. 31. Praeterea Fagnanus in cap. Licet de praeb. n. 51 refert S. Congregationem semper denegasse vacationes trium mensium iis, qui longiori servitio ultra novem menses tenebantur ex capitularibus statutis et idipsum decernendum si ex consuetudine. Nihilominus peculiaribus accedentibus causis a severa hac praxi Sacer Ordo aliquando deflexit, ut videre licet in Farfen. 13. Nov. 1655 in Atrien. 19. Dec. 1722 in Hydruntina 16. Sept. 1837, in Valven. 24. Nov. 1838 et in Alben. 23. Martii 1839. Attendendum itaque videtur magis ad causas concedendae gratiae, quam ad juris rigorem.

Praecipua quae in themate adducitur causa est imminutio numeri canonicorum. Nam cum primo essent quinque dignitates, decem canonicatus, sex portiones, et sex dimidiae portiones, nunc non inveniuntur nisi duae dignitates, quatuor canonici et duo capellani. Ad conservandam igitur cultus divini dignitatem major assiduitas in officio obeundo requiritur, et saepius redit officium hebdomadarii. Onere itaque ingravescente, operis reductio ad debitam animi relaxationem convenire videtur.

Perpendant deinde Eminentiae Vestrae, an ex diminutione redituum desumi etiam possit ratio concedendi gratiam longioris vacationis. In casu constat etiam ex relatis ab Episcopo, reditus ex decreto erectionis fuisse valde exiguos; in haud parvam summam eosdem deinde excrevisse, quae tamen ab anno 1846 per gubernium imminuta fuit. Re quidem vera reditus hodierni haud exigui prima fronte videntur esse, sed ad recte judicandum respiciendum est ad temporum et locorum circumstantias, quae sane in Americanis regionibus gravissimae sunt prae viliori pretio auri et argenti, et graviori aestimatione aliarum rerum, quae maxime necessariae reputantur.

Hic tandem referre juvat Tarraconen. diei 18. Februarii 1764, in qua cum capitulum civitatis Reus, quod praeter priorem triginta et sex numerabat praebendatos, petiisset indultum, ut octo eorum abesse possent a choro per duos menses, Sacra Congr. rescripsit: „Affirmative pro quatuor canonicis tantum cum solitis clausulis“; quae fuerunt: ut capitulares omnes

tempore adventus et quadragesimae, omnibus diebus festis, et solemnitatibus Nativitatis et Resurrectionis D. N. J. C. Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi, per totam octavam ejusdem, ac aliis temporibus Ordinario benevisis interesse et jugiter servire tenerentur.

Praevia absolutione quoad praeteritum esse locum constitutioni massae distributionum juxta votum Episcopi nec non pro gratia vacationum duorum mensium in singulis annis cum solitis clausulis, facto verbo cum Sanctissimo.

2. Distributiones quotidianae.

368. Balneoregien. — Distributionum.

Die 27. Martii 1858.

Sa. me. Pius VII., rogante actuali Antistite Ancyrano Stephano Scerra tunc canonico cathedralis ecclesiae Balneoregien., ejusdem capituli massae unionem benigne concessit simplicis beneficii sub invocatione S. Mariae Magdalenae quod ibidem erectum existit. Cum vero bona ad praedictum beneficium pertinentia jam ante Pontificiam unionis concessionem in perpetuam emphyteusim tradita fuissent cuidam Antonio Putti pro tenui canone scut. triginta, hinc majori capituli bono studens idem antistes, solutis e proprio aere scutis quingentum utile illorum dominium a Putti haeredibus, instrumento rogato anno 1844, emit, quod deinde anno 1851 per actum donationis inter vivos eidem capitulo liberaliter cessit.

Porro in cessionis tabulis quatuor adjecit conditiones praefatus Antistes; quarum in prima praescripsit methodum administrationis bonorum; in altera denominationem iisdem bonis dandam; in tertia onus capitulo praestituit duarum missarum mense quolibet celebrandarum „pro remedio animae suae et suorum“; in postrema jussit, ut quilibet canonicus pro quadriennio ab anno nempe 1851 ad annum 1855 missam unam juxta ejus intentionem singulis mensibus applicaret. Quas quidem omnes conditiones constat a capitulo religiose usque in praesens fuisse adimpletas. Ceterum reditus universi praedictorum bonorum, qui consolidato nunc utili cum directo dominio annua scuta 150 circiter attingunt, dividi viritim consueverunt inter octo, quot sunt, canonicos cathedralis ecclesiae, ceu tam in brevi unionis, quam in memoratis cessionis tabulis cautum ac praescriptum fuerat.

Nunc vero praefatus Antistes Scerra supplici oblato libello exponit praecipuam causam, qua ipse ductus unionem beneficii a s. m. Pio VII. impetravit ac cessionem utilis bonorum dominii peregit, in eo fuisse, ut diligenti servitio chori magis magisque consultum foret; ac proinde ne suum consilium in irritum cedat, postulat S. hujus Congregationis auctoritate decerni, ut firma manente cessione, ac celebratione octo annuarum missarum in festis B. M. V. distributio redituum beneficii S. Mariae Magdalenae, qui massam distinctam efformant, pro virili parte fiat uti antea, sed illorum dumtaxat favore canonicorum (comprehenso in distributione canonico curato exempto) qui triginta dies fallentiarum anno quolibet non excesserint, quorum portio ceteris accrescat.

Preces Episcopo remisi, ut audito capitulo informationem traderet, animique sui sententiam aperiret. Porro capitulum contrarium petitioni Ancyrani Antistitis Scerra votum pandit, inquiens in praesentiarum saltem, non necessariam ac inopportunam imo dignosci quamlibet hac super re innova-

tionem, quia canonici sedulam in servitio chorali operam navant, ac praeterea, cum agatur de actu jam absoluto et consummato seu de unione ac cessione absque ista conditione peracta et accepto habita, censet adigi se non posse, ut novae huic legi subjiciatur, pro qua suum renuit praestare consensum; eo vel magis quod capitulum beneficii unionem obtinuerit in compensationem bonorum quibus a demanio Gallis dominantibus exspoliatum fuerat.

Quoad celebrationem octo missarum diebus B. M. V. sacris, quarum mentio fit in precibus Antistitis Scerra, animadvertit capitulum id errori tribuendum esse, cum nec in decreto unionis, nec in actu cessionis verbum de hisce exciderit, et ibidem solum praescribatur celebratio 24 per annum missarum, praeter unam aliam missam ab unoquoque canonico singulis mensibus ad quadriennium tantum celebrandam.

E contra Episcopus Oratoris votis adhaerere videtur; inquit enim: „Studium Reverendissimi Confratris Antistitis Scerra maxime laudabile, mihique gratum se offert, scilicet, ut psallentes majori qua undequaque possit alacritate horis canonicis vacent. Erit tamen istius sapientissimi Senatus decernere, an juxta consuetas fallentiarum regulas sint excitandi, an potius cumulatio triginta dierum juxta petita efformanda. Tenuis profecto est fallentiae mensura ex cap. 8. Constitutionum, obolorum trium cum dimidio dierum ferialium, et obol. quatuor pro diebus festivis et solemnioribus, ita ut in totius anni curriculo distributionum omissio decem scuta non excedat, cum praebendae reditus scuta circiter centum exaequent. At donator seu benefactor huic defectui occurrere satagens, ex bonis, quae diligentia sua noviter obvenerunt proportioni canonicae tertiae partis accedere proposito medio consuleret. In praesentiarum nemo ex choralibus socordiae causa culpabilis esset; verum quod modo non est in facto, futuris temporibus foret forsan in praesumptione periculi, ideoque consultum videretur vel medio ab Oratore Archiepiscopo Ancyrano proposito, vel altero pro sapientia sacri consilii, canonicam proportionem circa distributionum amissionem et accessionem, quo propius fieri possit contingere.

Decreto Concilii Tridentini sess. 21. cap. 3. de reform. praescribitur, ut ubi nullae constitutae sint distributiones quotidianae, vel ita tenues ut verosimiliter negligantur, ab Episcopo separetur tertia pars fructuum praebendarum, et in quotidianas distributiones convertatur. Tenuitas porro distributionum in themate maxima est ratione fructuum praebendalium habita, ceu patet ex relatione Episcopi, ac proinde ad chori servitium diligenter obeundum allicere ac exstimulare canonicos nequeunt, ceu mens Tridentinorum Patrum et consilium fuerat. Hinc ubi perpensis omnibus rerum adjunctis aliqua in themate innovatio inopportuna non videatur, et hujusmodi defectui suppleri aliqua ratione debeat, decernendum erit, an excipienda sit ratio quam proponit Orator Antistes, qui legem hanc ceteroquin in donationis limine jure optimo dicere potuisset, vel saltem expediat praestituere ut reditus beneficii hujusmodi ad instar distributionum inter canonicos pro rata servitii praestiti dividantur. Nisi satius duxerint EE. VV. Episcopo injungere, ut distributionum taxam ex universis massae reditibus constitui curet, juxta mensuram a Concilio Tridentino praescriptam.

Nihil esse innovandum pro nunc.

369. Verulana. — Divisionis bonorum capitularium et fallentiarum.

Die 23. Aprilis 1864.

Ecclesia S. Mariae de Valle in oppido Montis S. Joannis Verulanae dioecesis, datis literis Apostolicis, in insignem collegiatam anno 1773 erecta est. Ad dotem novo capitulo efformandam per easdem literas statutum fuit, ut omnium beneficiorum simplicium et trium ecclesiarum parochialium bona reditusque in unam communem massam confluere deberent, quae inter archipresbyterum et octo canonicos esset dividenda, discreta prius tertia parte pro distributionibus quotidianis. Verum peculiaribus de causis S. H. Congregatio die 29. Martii 1817 decrevit, esse consulendum Sanctissimo pro divisione massae communis in praebendas, „excepta tertia parte bonorum arbitrio et conscientia Episcopi assignanda pro massa distributionum ad formam Conc. Trid.“

„At vero, ait Episcopus in informatione S. H. Congregationi data, nunquam formiter fuit executioni mandata dicta resolutio. Pro certo tamen habetur, perfectis omnium et singulorum bonorum divisionibus in praebendas die 18. Julii 1823, unumquemque ex canonicis, sorte ducta, portionem suam accepisse; et quamvis pars pro sacristia fuerit assignata, nihil tamen pro fallentiis seu distributionibus fuisse relictum. Itaque die 24. Octobris 1824 Episcopus illius temporis taxam quandam, punctaturarum nomine, capitularibus pro rata majoris seu minoris lucri aut omissionis imposuit. At frustra, cum in hodiernum usque diem neque taxa ista persoluta, neque fundus certus pro distributionibus fuerit assignatus.

Tria itaque hodie expostulant capitulares, 1. convalidationem divisionis, licet ad formam resolutionis H. S. O. non perfecte peractae, 2. absolutionem a fallentiis hactenus insolutis, 3. taxationem earumdem quoad futurum.

Antequam vero singula expendam, operae pretium duco sub oculos EE. VV. exserere, quae de oneribus et reditibus capituli Montis S. Joannis docet Episcopus. „Hoc collegium (inquit ipse) vi Apostolicarum literarum, vacatione secuta omnium beneficiorum simplicium et praebendarum trium cum cura animarum, quotidie ecclesiae deservire ac in ea horas canonicas aliaque divina officia celebrare eisque interesse respective fuit adstrictum. At literis sub forma Brevium datis die 12. Februarii 1816 hoc chorale servitium fuit reductum diebus festis, ac adventus et quadragesimae temporibus et in octava Corporis Christi tantum, cum hoc tamen, quod tenerentur canonici hanc summi Pontificis indulgentiam compensare cum una missa de Requiem cantanda quolibet mense et die non impedita ad modum anniversarii fixi. Praeter haec onera autem canonici in praefatis tribus parochialibus ecclesiis S. Mariae de Valle, S. Mariae Arendulae, et S. Margaritae, illorum respective sanctorum titularium festivitatibus occurrentibus prout etiam in capella publica S. Thomae Aquinatis dictae civitatis patroni, ejus die festo recurrente, divina officia collegialiter, nec non missas 459 annuas, comprehensa hebdomadali pro benefactoribus inter omnes capitulares pro aequali portione litandas; archipresbyter uti dignitas privative missas 12 solemnioribus anni festivitatibus cantandas; archipresbyter pariter ut parochus, duoque alii canonici curam animarum habentes praeter sacram catechesim, aliaque parochi officia, exclusive missas pro populo celebrare tenerentur.“

„Multa vero dicta sunt et nonnulli congressus habiti quoad annuum reditum uniuscujusque praebendae. Canonici enim anno 1823 sejuncta una por-

tione pro sacristiae necessitate tredecim partibus aequalibus et duobus quintis omnia bona sibi diviserunt, assignatis tribus partibus archipresbytero, duabus cum uno quinto canonico et parocho S. Mariae Arendulae, duabus cum alio quinto altero canonico et parocho S. Margaritae, et una pro quolibet ex sex canonicis simplicibus . . . Reditus singularum praebendarum hi sunt: Canonici cum cura animarum habent sc. 149, archipresbyter sc. 204: reliqui canonici sc. 68. Ab hoc annuo reditu vero deducendae sunt expensae administrationis et cultus agrorum, onera realia et personalia, nec non eleemosynae missarum, ut supra, celebrendarum. Quare assignandus est annuus fructus quadraginta scutatorum pro quolibet canonico simplici; scutor. 84 pro parochis, sc. 123 pro dignitate. Distributiones quotidianae ergo juxta hanc methodum, esse deberent sc. 13 circiter pro simplicibus canonicis, sc. 28 pro curatis, sc. 41 pro archipresbytero; eaeque essent dividendae et assignandae pro rata omnibus diebus, quibus chorale servitium praestatur juxta reductionem, de qua supra, et .... solvendae essent .... in fine cujusque semestris."

Primo convalidationem divisionis canonici expostulant. Haec quidem, si attendatur resolutio H. S. C. qua jubebatur, ut tertia bonorum pars in distributiones quotidianas assignaretur, nullius roboris esse apparebit; deficiente enim conditione substantiali rescripti, illius executio nulla prorsus evadit, cap. Venerabili de offic. et potest. judic. deleg., S. Congregatio in Nullius Terrae Pontiani 12. Martii 1796, §. Dissonum et in S. Miniatis Jurium et praeeminentiarum 24. Novembris 1827. §. Dissonum.

Nihilominus titulo gratiae petitam convalidationem concedendam suadent non contemnendae rationes. Audiatur Episcopus: „Licet, inquit, nihil in ea divisione pro distributionibus fuerit cautum, tamen per idoneum terrae mensorem et ad tramites bullae erectionis quae fructus omnes proportionali rata, scilicet ducatis auri de camera 80, computatis distributionibus et incertis favore archipresbyteri . . . 60 pro quolibet ex duobus curatis, et 27 pro unoquoque ex aliis canonicis dividendos statuerat, divisio perfecta fuit omnium et singulorum canonicorum consensu, ut modo quisque canonicus sua parte et praebenda contentus sit. Accedit etiam, jurgia litesque non difficiliter oriri inter eos, si nova divisio esset decernenda, cum quisque suam praebendam magis fructiferam esse putet." Quibus de causis convalidationem divisionis ipse commendat.

Quod vero attinet ad absolutionem fallentiarum, animadvertendum est, distributiones deberi, licet diu exactae non fuerint, imo et post annos triginta adhuc exigi posse demonstrat Moneta de distrib. quotid. p. 3 §. 3. num. 16 et 17, S. Congreg. in Anagnina Distributionum 22. Aug. 1840, §. Denique. Nihilominus „absolutionem quoad praeteritum fore tribuendam putarem ait Episcopus. Non solum enim defunctorum canonicorum haeredes et familiae sine judiciali strepitu nihil omnino traderent, si hae distributiones jam consumptae peterentur, sed etiam moderni canonici, qui certo non essent gravandi ad restitutionem distributionum ab aliis defunctis canonicis consumptarum, non leve onus sentirent, si distributiones perceptas restituere deberent. Quin imo impossibile forsan foret decernere, quantum et cui vel quibus unusquisque reddere deberet, cum liber, in quo punctatu ac ... erant describendae, nunquam exstiterit. Ut autem eorum negligentia non inulta remaneret, et aliquo modo pro fallentiis quae erant solvendae, eorum conscientiae provideatur, aliqua pia opera vel missas ipsis praeciperem.

Quod denique spectat ad distributionum taxationem, cum ea, quae ab Episcopo proponitur, conformis omnino sit praescriptioni Conc. Trid. sess. 21. c. 3 nihil in ea immorandum censeo. Illud potius animadvertam cum Episcopo, tribus canonicis curatis propositam taxationem non probari; sed cum illi parochialibus officiis distenti sint, deprecarentur, ut eorum distributio quotidiana tamquam simplicium canonicorum taxanda esset. „Addunt (eorumdem verba refert Episcopus) ipsos teneri satisfacere oeconomo curato, si extra parochialem residentiam aliquo et quocumque eventu morentur. At capitulares omnes hac de re ab ipsis interrogati, nullum verbum neque adversum neque favorabile facere putarunt; quamvis ab eorum silentio contraria sententia appareat, cui ego pariter adhaererem.“ Et fortasse non immerito. Nam quando ipsi muneribus parochialibus distenti sunt, distributiones non amittunt Benedict. XIV. Inst. 107. §. 9. n. 56. S. Congregatio tum alibi, tum in Asculana Literarum Apostolicarum 20. Novemb. 1830 ad dubium: „An et quae distributiones ac emolumenta percipere possint canonici curati absentes a chorali servitio pro exercenda animarum cura“ respondit: „affirmative quoad omnes distributiones et emolumenta.“ Quod si absentiae tempore oeconomo congruam praestare debent, id justitiae consonum omnino est, quia qui servitium praestat, ille et lucrum recipere meretur.

Supplicandum esse Sanctissimo tam pro convalidatione actualis praebendarum divisionis, quam pro absolutione praeteritarum omissionum, celebrata una missa cum cantu integro adstante capitulo, et una missa lecta per singulos canonicos, taxata in posterum fallentiarum solutione juxta modum ab Episcopo propositum.

370. Signina. — Distributionum.

Die 22. Novembris 1856.

Mos invaluerat in capitulo cathedralis Signinae, ut praedia rustica ad communem distributionum quotidianarum massam pertinentia non ab uno administrarentur, sed singulis annis inter canonicos dividerentur, et unusquisque in meliorem portionis suae culturam incumberet, ac reditus non pro ratione servitii computatis cujusque fallentiis distribuerentur, sed unusquisque ex portione sua sibi addiceret. Hujusmodi agendi ratio quum dissensionibus ansam praebuisset, factum tandem est ut capitulum supplici libello petierit praeter alia, determinari in posterum distributiones quotidianas in annuis scut. 36 seu in julio uno quolibet die et pro unoquoque canonico. Re judicio S. hujus Ordinis delata die 20. Junii 1854 sub rogationis formula III: „An et quomodo probanda sit fallentiarum taxatio a capitulo proposita in casu“ responsum datum fuit: „Affirmative in omnibus ad annum, et ad mentem: mens est ut Episcopus proponat S. Congregationi modum restituendi communem administrationem substantiae distributionum quotidianarum juxta primaevam institutionem“, ceu fusius in folio ad eam diem exarato.

Pandita Episcopo S. Congregationis mente, superest ut ejus votum exscribam: „Meum est, ut proponam, quomodo taxatis quotidianis distributionibus pro supputandis fallentiis in summa unius julii qualibet die et pro singulis canonicis distributionum ipsarum substantia communiter juxta primaevam institutionem administrari possit: quod si mea me non fallit opinio facile profecto est. Et revera usque ad totum elapsum annum capitularem fallentiae a capituli procuratore taxabantur postquam fruges omnes ex fundis capitularibus collectae in capitulare horreum fuerant exportatae: tum enim pro-

curator tantum frumenti et segetum singulis canonicis tribuebat, quantum deductis fallentiis cuique erat debitum. Eadem ferme norma servanda meo judicio nunc esset; nempe juxta morem hucusque receptum fruges omnes ex fundis capitularibus provenientes in capitulari horreo tempore messis deponi deberent, atque ex iis procurator capitularis tantum segregare, retinere et servare deberet, quantum necesse foret, ut plenus distributionum quotidianarum ut supra taxatarum fundus habeatur; quae fruges sic segregatae iis tantum capitularibus integre tribuendae essent, qui ante effectam partitionem, summam suis fallentiis respondentem solverint: iis vero, qui solvendo non fuerint parati, pro ejusdem camerarii sagacitate et prudentia pars aliqua retinenda esset, eaque per quindecim dies a generali divisione incipientes asservanda, quibus elapsis, vendi deberet, ut integra summa pro fallentiis supputandis praesto sit.

„Dum meo decreto ad relati tertii dubii resolutionem deveniebam, hanc normam praescripsi, quae aptior mihi videtur ad restituendam communem administrationem substantiae distributionum ad primaevam institutionem. Si isti S. Congregationi placuerit eam approbare et confirmare, dignetur, ut dubii resolutio quae ad annum contracta est, ad futura etiam tempora perpetuo extendi possit; quod ad evitandas quaestiones, quae hac super re non raro usque adhuc obortae sunt, non parum juvabit.“

Mandat Tridentina Synodus sess. 21. cap. 3. de ref. in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues ut verosimiliter negligantur, tertiam fructuum partem separari debere et in distributiones quotidianas converti; salvis nihilominus consuetudinibus earum ecclesiarum in quibus absentes nihil, vel minus tertia parte percipiunt. Porro hujusmodi praescriptioni plane satisfit annua taxatione scutor. triginta sex. Nam singulorum canonicatuum proventus qui ex massa capitulari constituuntur ascendunt ad scutata circiter septuaginta, quae, quum singulae praebendae admodum tenues sint, vix ullum incrementum inde recipiunt.

Methodus autem ab Episcopo proposita apta videtur ad redintegrandam communem administrationem substantiae distributionem juxta primaevam institutionem, et cum ea apprime convenire, si excipiatur taxae supputatio. In statutis enim capitularibus habetur artic. 2.: „Totius mensae capitularis, exceptis singulorum praebendis, erit (camerarius) immediatus administrator ... art. 5.: Capituli frumenta hordea, fabes, et alias segetes quascumque in commune horreum fideliter congregari curabit ... quae segetes omnes ex massa communi et anniversariorum collectae fuerint dividi faciet etc.“ Atqui haec duo quae spectant communem distributionum administrationem adamussim servantur ab Episcopo. Erit hinc EE. VV. sapientiae perpendere, num norma ab eodem proposita sit amplectenda ac probanda.

Taxationem distributionum earumque administrationem servandam esse juxta modum ab Episcopo propositum.

371. Mathelicen. — Punctaturarum.

Die 28. Aprilis 1860.

Quum beneficiati seu mansionarii servitio chori in ecclesia cathedrali Mathelicen. addicti apud hanc S. Congregationem institissent, ut punctatura quotidiana reduceretur ad normam S. Concilii Tridentini sess. 22. cap. 3. de ref., rescripto diei 21. Jan. 1856. Episcopo concessa est facultas, ut

„fallentias ad tertiam redituum partem, detractis prius omnibus oneribus, reducere et moderari possit et valeat“; quae facultas executioni mandata est decreto ejudem Episcopi diei 27. Augusti insequentis. Porro canonici secundae erectionis eidem ecclesiae cathedrali addicti existimant, memoratum hujus S. Congr. rescriptum, utpote mere declaratorium juris communis, pari modo applicandum esse iis, qui gravantur punctatura tertiam redituum partem excedente. Conqueruntur insuper, se aliis quoque oneribus contra praescripta ss. canonum gravari. Punctaturae enim, quae pro solis canonicis primae erectionis et iis qui sunt jurispatronatus Razzanti inter praesentes distribuuntur, pro aliis secundae nimirum erectionis cedunt in beneficium ecclesiae vel sacristiae, et inter hos proinde nullae fiunt distributiones. Contendunt dein, immerito asseri quod pro punctaturis tertia pars redituum in novem solum anni menses sit repartienda, dum nempe tribus mensibus conciliaribus quisque gaudet; et similiter quod fallentiae hucusque non solutae computandae sint ut in antecessum, et non super tertia parte, dum tamen rescriptum diei 21. Januarii 1856 (ut opinantur Oratores) non sit nova dispositio, sed mera declaratio legis Tridentinae. Quapropter sequentia proponunt dubia:

1. An rescriptum declaratorium diei 21. Januar. 1856 etiam ad canonicos supplicantes extendi possit.

2. An punctaturae eorum dividi debeant inter praesentes, cum canonicis primae erectionis manutentio ecclesiae incumbat.

3. Quomodo tertia fructuum pars praebendarum annue dividenda sit.

4. An tertia pars fallentiarum non solutarum computanda sit deductis oneribus.

Scriptum fuit Episcopo, ut audito capitulo suum ederet votum. Congregato igitur capitulo die 6. Junii 1857, canonicus Pifari in sua consultatione edixit quoad primum, tertium et quartum quaesitum se opinari, ut capitulum rem omnino remittat S. Congregationis justo judicio. Quoad secundum vero: „Attenta s. m. Benedicti XIV. constitutione 107. §. 7. art. 41, ubi clare edicitur Episcopum potissimum pro dignitatibus et canonicatibus, qui seperatos habent reditus, stabilire posse, ut fallentiae fabricae ecclesiae vel alteri pio loco tribuantur, puto capitulum numquam innovationi istius destinationis ab Episcopis nostris factae consentire posse. Ecclesia nostra non possidet bona particularia pro manutentione et expensis sacristiae; pro his omnibus canonici primae erectionis sumptus suppeditare debent; tantummodo a praebenda Salta pro utensilibus solvuntur quinque scut., sicut etiam praebendati Razzanti ex variis titulis debent scutata decem, quae tamen numquam soluta sunt. Sed quia hi omnes, sicut canonici primae erectionis ecclesiae supellectilibus utuntur, aequum est, ut saltem eorum fallentiae ecclesiae fabricae cedant, potissimum canonicatuum Capeci, Agrante Bracci et Periberti, qui nihil omnino pro expensis sacristiae contribuunt.“ Huic consultationi, facto scrutinio, quoad primum, tertium, et quartum quaesitum, votum favorabile dederunt octo canonici, contrarium nemo, quoad secundum autem favorabile septem, contrarium unus.

Episcopus votum suum emittens scribit: „Declaratorium rescriptum diei 21. Jan. 1856 etiam ad canonicos supplicantes applicandum esse existimo, concurrentibus iisdem rationibus, circumstantiis et eadem ss. canonum dispositione. Quoad secundum quaesitum non obstante applicatione fallentiarum ab Episcopo facta et constitutione Apostolica allegata non aequum esse puto, ut Oratores in modum canonicorum primae erectionis obligentur, quia onerati sunt missa conventuali per turnum, etsi eorum praebendae excepto

canonicatu Salta valde tenues sunt. Quoad tertium quaesitum partitionem in singulos anni menses faciendam esse censeo. Quoad ultimum quaesitum, cum rescriptum diei 21. Januarii sit declaratorium, non nova lex, tertiam partem fallentiarum deductis oneribus computandam esse existimo.

In antecessum heic animadvertere juvat, punctaturas, licet sub nomine distributionum minime comprehendantur (ut traditur penes S. C. in Reatina Jubilat. 28. Aprilis 1770. §. Neque), earum tamen locum omnino tenere, ubi contingit nullimode distributiones existere, sed illarum vice haberi fallentias seu punctaturas, quas praebendati aere proprio solvere tenentur; unde consequens est, ut earum naturam et conditionem induant, S. C. in Spoletana et Reatina Punctaturarum §§. Sane, et seqq.

Porro in laudato a canonicis cap. 3. sess. 22. de ref. Concilii Trid. statuitur, ut Episcopi ex fructibus officiorum in ecclesiis cathedralibus existentium tertiam partem in distributiones eorum arbitrio assignandas dividere possint. Idipsum statutum legitur in cap. 3. sess. 21. de ref., ubi notanda est clausula „salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non residentes, seu non servientes, nihil vel minus tertia parte percipiunt.“ Unde patet, ut perpenditur in una Asculana et Cereniolen. Literarum Apost. 11. Julii 1840. §. Et quum, in eo fuisse consilio Tridentinos Patres, ut distributionum augmentum etiam ultra tertiam partem permitterent. In hoc tamen casu petentibus canonicis punctatura ejusmodi gravatis denegari non solet gratia reductionis ad tertiam fructuum partem, deductis oneribus, ubi causa aequitatis concurrat, ut patet ex ipso rescripto diei 21. Januarii a mansionariis seu beneficiatis obtento; licet igitur rescriptum illud canonicis secundae erectionis non sit de jure applicabile, quum tamen etiam pro his militent eaedem rationes, eademque beneficiorum tenuitas, ut testatur Episcopus, hinc videant EE. VV., utrum eadem indulgentia cum oratoribus adhibenda sit.

Ad secundum quaesitum non solum in eo erratur, quod Benedicti XIV. Institutio ecclesiastica vocetur Constitutio Apostolica, sed etiam in eo, quod citatus textus ad alienum sensum detorqueatur. Ad componendum enim S. Concilii Trid. cap. 3. de ref. sess. 21. cum cap. 3. sess. 22. de reform. Benedictus XIV. in Inst. eccl. CVII. §. VII. n. 41 non recurrit ad arbitrium Ordinarii, sed ad distinctionem dignitatum. Haec enim habet: „Distributiones absentium hoc loco (sess. 22.) fabricae ecclesiae aut loco pio adjudicantur. Alio autem loco (sess. 21.) distributiones absentium dividendae inter praesentes sanciuntur. Sed omnis repugnantiae species tollitur, si discrimen statuatur inter dignitates, quae proventus suos ex mensa capitulari percipiunt, et inter dignitates, quae secretos ab eadem mensa proventus obtinent. Itaque juxta Concilium distributiones primarum dignitatum inter praesentes dividendae sunt: distributiones autem aliarum dignitatum fabricae ecclesiae sive alteri loco pio conferendae. Haec habet Fagnanus auctoritate Sacrae Congregationis adductus, quae rem eamdem non semel definivit.“ Rationem diversitatis inter utrumque casum reddit Fagnanus in cap. Quia nonnulli de clericis non resid. num. 17. „Ubi reditus sunt communes, inter participantes ex illis habet locum jus accrescendi, seu non decrescendi. Ubi autem sunt separati, reditus qui amittuntur, nemini accrescunt, sed ecclesiae applicantur.“ Arbitrium igitur Ordinarii solum in eo consistit, ut ubi reditus sunt separati, amissos absentia reditus „fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio suo applicet, in eo nimirum, ut tunc deligere possit locum, cui applicentur fallentiae seu punctaturae. Porro in casu, quum distincto et separato quisque

gaudeat beneficio, consequens est, ut punctaturae in beneficium ecclesiae vel respective sacristiae cedant, non autem inter praesentes dividantur.

Tertium quaesitum falso niti videtur supposito, quasi solvendae non forent punctaturae ab iis, qui tribus mensibus a Conc. Trid. concessis choro non intersunt; contrarium enim aperte docet Benedictus XIV. in memorata instit. eccl. CVII. num. 36. „Neque omitti debet licere quidem canonicis vacationis praescriptae tempore chorum dimittere; id tamen solum suffragari, ut fructus praebendarum accipiant, non autem quotidianas distributiones, nisi forte peculiares ipsorum constitutiones a sede Apostolica confirmatae ante Synodum Tridentinam hoc etiam emolumentum ipsis canonicis impertiant.“ Ad rem ibidem afferuntur decreta in Bononien. et Pistorien. 1586, lib. 4. decret. pag. 168 et 212. Quibus prorsus consonat causa Derthonen. Constitutionum capitul. 12. Sept. 1829. §. dubium IV., ubi apprime traditur „absentes autem a choro tempore vacationum haud lucrari distributiones, sed eas praesentibus accrescere, Trid. Syn. sess. 24. Cap. 12. de ref. S Congr. in Illerden. Absentiae et distributionum 3. Martii 1792 ad I. dub., et in Oriolen. 6. Dec. 1794 §. Quatenus. Quae quidem lex tanti est roboris, ut nulla invehi possit contraria consuetudo, aut etiam jurata capitularis constitutio, ut docet Fagnan. in cap. Licet de praebend. num. 92, licet auctoritate Episcopi roborata, cum non valeat Episcopus quidquam statuere, quod juri communi adversatur.“ In eamdem sententiam plurimae aliae referuntur resolutiones in Derthonen. Visitationis sacrorum liminum 22. Junii 1844. §§. In Aquilana, et seqq.

Tandem quarti quaesiti solutio dilucide consequitur ex solutione primi. Quum enim rescriptum diei 21. Jan. 1856 non sit mere declaratorium sanctionis Tridentinae, sed gratiam contineat, haec de jure applicanda est solis iis, quibus benigne concessa est. Unde quoad canonicos secundae erectionis, omnes horum punctaturae, donec et ipsis ab hac S. C. similis concedatur gratia, computandae sunt juxta taxam vigentem ante concedendam reductionis gratiam: nisi forte ab EE. VV. una cum reductione concederetur insimul condonatio pro praeterito quoad partem excedentem; huic tamen condonationi in casu obstaret jus ecclesiae vel respective sacristiae ex fallentiis jam acquisitum, cui derogandum foret.

Ad I. *Negative et esse supplicandum Sanctissimo pro gratia extensionis favore Oratorum.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Dirisionem fieri debere in singulos anni menses non exceptis mensibus conciliarium vacationum.*

Ad IV. *Negative.*

372. Ragusina. — Distributionum.

Die 30. Augusti 1851.

Peculiarem non habet quotidianarum distributionum massam capitulum Ragusinae cathedralis in Dalmatia. Hinc ad tramites S. Conc. Trid. in cap. 3. sess. 22. de ref, dum capitulares constitutiones conderentur anno 1846, canonici illius ecclesiae, quorum singuli certam a gubernio annuam pensionem loco praebendae percipiunt, consulto statuerunt in art. 26: „Distributiones quotidianae introductae animo fovendi diligentiam nunquam exstiterunt in ecclesia hac cathedrali neque exstitit vel exstat massa communis bonorum, ex quibus juxta mentem S. Concilii Trid. tertia pars in dictis di-

stributionibus converti queat. Conditionibus hisce stantibus juxta praelaudatam mentem Concilii recurrendum est ad media in finem, ad mulctas videlicet et ad punctationes et hinc praebendati omnes hujus cathedralis sine causa legitima a choro absentes punctandi et mulctandi erunt ad tramites juris canonici."

Mulctae ejusmodi, quae tertiam partem exaequant uniuscujusque praebendae, ita sunt per singulas diei horas canonicas distributae, ut quicunque uni vel pluribus horis aut missae conventuali non intersit, quotas assignatas amittat sub anni finem cumulative a negligentibus persolvendas, quae ex ipsarum constitutionum praescripto fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii debent applicari.

Quoniam vero inter causas legitimas vacandi a choro et abessendi a residentia vacationes etiam trium mensium a S. Concilio Tridentino quotannis canonico unicuique concessae recensentur in art. 28 praefatarum constitutionum, Episcopus anceps, num in divisione mulctarum tres vacationis menses debeant necne computari, ad praecidenda in ipso limine quaelibet dissidiorum germina duo proposuit dubia, quorum resolutionem exposcit: primo scilicet, „utrum tertia pars proventuum, qui juxta §. 26 statutorum converti debent in mulctas absentium a choro dividi debeat per dies novem mensium, quibus ex praescripto Tridentino canonici tenentur interesse choro et divinis officiis aut per integros duodecim menses unius anni?" Secundo, „utrum in secundo casu punctationibus et mulctis subjaceat absentia trium mensium a jure concessa?"

Primam quam Episcopus movet quaestionem a secundae resolutione pendere facile intelligitur. Si enim absentes seu vacantes a chori servitio tempore vacationum trium mensium ad formam Concilii Trid. institutarum distributionibus privantur, eas facili negotio concluditur per integrum anni spatium, non autem novem tantummodo mensium intervallum, subductis nimirum vacationum mensibus, esse partiendas. Neque res aliter dijudicanda venit, quia hic non agitur de distributionibus percipiendis, sed de punctaturis persolvendis. Praeterquam etenim distributiones et punctaturae seu fallentiae nomine tenus inter se discrepent parique jure et censura semper accipiantur, in comperto est mulctas seu punctationes absentium in casu succedere loco distributionum, quas Concilium Trid. sess. 21. c. 3. de ref. jussit efformari, ubi non esset massa peculiaris pro distributionibus constituta, tertiam praebendarum partem separando, ceu penes capitulum Ragusinum adamussim factum est.

Nulla autem ratione controverti potest absentes a residentia seu vacantes a chorali servitio tempore conciliarium vacationum distributiones quotidianas minime lucrari. Pluries siquidem ab hoc S. Ordine declaratio hujusmodi reddita est, ceu tradit glor. mem. Benedictus XIV. in sua instit. eccl. 107. §. 7. num. 36. fuisse decisum in Bononien. et Pistorien. anno 1586, lib. 4. decret. pag. 168 et 212. Quaerebatur enim in cit. Bononien., an liceret canonicis, qui haberent constitutiones Sedis Apostolicae auctoritate factas aut confirmatas ante Concilium Trid. quae concederent illis vacationem duorum mensium et quod interim haberentur pro interessentibus et lucrarentur distributiones, an hujusmodi constitutiones censeantur revocatae a Concilio Tridentino? S. Congr. censuit abesse licere, sed non lucrari distributiones quotidianas." Quod pariter decretum fuit in Aquilana 12. Dec. 1643 et 16. Januar. ac 2. Dec. 1644.

Quia vero non agitur de privilegio seu indulto peculiari concedendo, sed de simplici declaratione ad juris tramites reddenda, uti ex Episcopi precibus

manifeste patet: hinc supervacaneum putamus expendere, num et quatenus soleat S. Congregatio indultum percipiendi non solum fructus praebendarum sed etiam distributiones quotidianas in absentia ob vacationes conciliares, ceu legimus permissum capitulis Camerinen. 12. Maji 1629 et Auximano 3. Martii 1646.

Multas esse partiendas per totum annum easque amittere absentes tempore vacationum trimestrialium juxta alias editas resolutiones.

373. Faventina. — Distributionum.

Die 24. Augusti 1850.

Ecclesia collegiata oppidi vulgo Brisighella Faventinae dioecesis quatuordecim constat canonicalibus praebendis, quarum octo sunt liberae collationis et massam habent proventuum communem ideoque nuncupantur „massae communis“, aliae vero sex sunt jurispatronatus et unaquaeque a respectivo praebendato administratur. Antequam hoc etiam canonicorum collegium per gallicam invasionem subverteretur, praeter praebendas jurispatronatus et massam communem aliorum, quae loco praebendarum habebatur, omnes utriusque institutionis canonici separata fruebantur massa distributionum, quae inter omnes aequa lance indistincte partiebantur. Post collegiatae restitutionem distracta ac deperdita communi hac massa distributionum, hodiernus Episcopus Faventinus inhaerendo sanctioni S. Concilii Trid. sess. 21. c. 3. de ref. novissimo decreto mandavit, ut tertia singularum praebendarum pars naturam assumeret distributionum.

Praeter hujusce generis distributiones in more positum fuit ab ipsa collegii erectione, quae bisseculare tempus transcendit, ut singuli canonici absentes sine legitima causa a chorali servitio praestitutam quotam e propria uniuscujusque praebenda desumendam amitterent, quae fallentiae seu punctaturae vocabulo nuncupata favore praesentium accresceret ea tamen ratione, ut, si canonicus absens ad praebendatos liberae collationis pertinebat, illius portio seu fallentia horum tantum favore, exclusis canonicis jurispatronatus, partiretur et vicissim: quod etiam post collegiatae restitutionem ad haec usque tempora adamussim servatum est. Imo cautum fuit per Episcopum in sacra visitatione anni 1833, ut tam canonici liberae collationis, quam ii, qui jurispatronatus titulo nuncupantur, suum peculiarem et distinctum haberent fallentiarum librum et punctatorem, quasi duo divisa corpora in uno eodemque collegio consisterent.

Sicut de hujusmodi fallentiarum partitione unanimis est omnium canonicorum sententia, ita diversa opinantur de distributionibus hodiernis ex tertia praebendarum parte efformatis. Canonici enim liberae collationis in ea sunt opinione, ut, quoniam hodiernae distributiones antiquam massam communem repraesentant et ad eundem finem sunt institutae, eandem induere debeant naturam et partitionem sequi, ac proinde portio absentis absque praebendarum distinctione inter omnes utriusque fundationis canonicos divinis interessentes proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo factam, prout mandat Tridentina synodus, sit dividenda. Canonici vero jurispatronatus oppositum sentientes contendunt hodiernas distributiones pari ratione ac fallentias censeri, quia illae de singulorum praebendis velut istae, non autem de separata massa communi et a praebendis penitus distincta, prout antiquitus, excerptae sunt; exindeque eodem ordine eademque methodo fore inter diversi generis canonicos dividendas ac de fallentiis supra narratum est. Hujusmodi contro-

versiam excitavit absentia alterius ex canonicis jurispatronatus in Urbe commorantis causa studiorum ex indulto S. Congregationis cum causula „amissis distributionibus“ favore interessentium. Canonici siquidem liberae collationis poposcerunt sese participes fieri distributionum absentis, quorum petitioni obsistentes canonici jurispatronatus ad suam firmandam denegationem S. Sedis oraculum invocarunt.

Episcopum super hujusmodi recursu percontavi, ut referret de Oratorum bono jure, inspectis fundationibus et constitutionibus capitularibus nec non de consuetudine servata quoad praeteritum. Ex habitis responsionibus arguere licet, nec ex peculiaribus praebendarum fundationibus nec ex capitularibus constitutionibus quidquam decerni, quod ad rem definiendam pertineat. De consuetudine autem constat, quod sicut certa et constans est ut fallentiae absentium inter solos canonicos illius generis, cujus est absentis praebenda, partiantur, ita nihil certi ex ea statui potest de praesentium distributionum partitionis methodo, quia, cum ex recenti Episcopi decreto constitutae sint, primus exsurgit casus propter absentiam memorati canonici et alterius ex canonicis liberae collationis ex eadem studiorum causa in Urbe degentis, cujus tamen portionem ex indulti praescripto amittendam canonici liberae collationis sese paratos profitentur simul cum canonicis jurispatronatus servata proportione partiri, sicut de distributionibus alterius canonici participationem expostulant.

Episcopus autem, posthabitis partium contentionibus, votum suum dedit pro formatione unius massae distributionum quotidianarum a canonicis utriusque fundationis cum quota reditibus uniuscujusque praebendae proportionata constituendae et id quidem „1. ad majorem Dei gloriam, 2. quia distributiones de jure choro interessentibus competunt ideoque nulla distinctio facienda est inter praebendas liberae collationis et jurispatronatus atque magis servitium chori, quam natura singulorum beneficiorum considerandum est, 3. quia gravissimi momenti est collegia eadem regi norma. Ob easdem rationes etiam unus liber punctaturarum praeferendus esset.“

Novum profecto non est, quod in eadem ecclesia canonicorum collegium inter primae et posterioris erectionis canonicos dividatur iique separatam habeant non solum praebendam, sed etiam massam distributionum distinctam, ita ut participatio quoque ad fallentias et portionem absentium inter eosdem tantummodo cohibeatur, praebendatis primae erectionis exclusis et vicissim. Quod quidem vel ab ipsa fundatione vel a diuturna, ut plurimum, consuetudine pendet, quin tamen vel minimum chori servitium persentiat detrimentum. Neque aliter dici potest de una tantum massa distributionum constituenda, licet eadem concurrant adjuncta, inter omnes indistincte canonicos sive primae sive posterioris erectionis, servata tamen quotae proportione dividenda ratione servitii. Exemplum prae ceteris exhibet una Feretrana Canonicatuum 9. Febr. 1664, in qua S. Congregatio mandavit, ut reditus assignati pro distributionibus novorum canonicorum reponerentur in massa communi cauto, ut novi canonici de iis participes fierent pro parte rata et servata proportione redituum, quos in massam contulerunt, ceu praescribitur per Trid. synodum in cap. 3. sess. 21. de ref. et ibidem adnotant Gallemart. in suis declarat. num. 8. et Barbosa in collectan. loc. cit. num. 18 nec non expresse declaravit S. Congr. in Militen. mense Maji 1587 ad 2. dubium.

Haec autem posterior methodus, quia ex ea et servatur unitas inter capitulares et major adpromittitur in chorali servitio diligentia, prae prima

probanda videtur. Quod idem dicendum venit de fallentiarum distributione ac proinde de unico ipsarum libro servando omnibus tam liberae collationis, quam jurispatronatus canonicis communi, ceu proponit Episcopus. Nullum enim hac methodo praejudicium obvenit canonicis utriusque speciei, cum quisque tantum accipiat, quantum in communem contulit massam et e contra alacrius redditur servitium ac animi universorum unitate servata facilius devinciuntur. Hoc vero quoad futurum servandum esse putarem firma quoad praeteritum tam fallentiarum quam distributionum partitione inter canonicos tantum respectivae fundationis, prout ab aevo de fallentiis factum esse compertum est, ad quaelibet novorum dissidiorum germina praecavenda.

Dilata et scribatur Episcopo, qui referat magis praecise, quae differentia intersit inter distributiones quotidianas et punctaturas canonicorum liberae collationis et jurispatronatus ac de consensu utriusque coetus canonicorum.

Die 22. Februarii 1851.

... Mandatis paruit Antistes, canonicos enim utriusque coetus est percontatus eorumque responsa transmisit. Patet ex his, distributiones quotidianas utriusque coetus canonicorum ex tertia parte respectivae praebendae juxta Episcopi decretum constitui et punctaturas a singulis persolvi, servata proportione praebendae, qua quisque perfruitur, ita ut nonnulli octo asses singulis debiti servitii diebus, alii vero quatuor, quidam etiam duos, quoties absint, absque canonica causa solvere teneantur. Absentium autem tam distributiones quam punctaturae praesentibus accrescunt ea methodo, quam in praecedenti nostra relatione adnotavimus scilicet ut, si canonicus absens ad praebendatos liberae collationis pertineat, illius portio et fallentia horum tantummodo favore, exclusis canonicis jurispatronatus, partiatur et vicissim. Ea insuper viget regula juxta juris canonici sensum, ut singuli ex utroque coetu tantum proportionabiliter percipiant, quantum respective conferunt vel amittunt.

Hinc integra manet controversia, prout in praecedenti propositione exhibebatur, utrum videlicet unica effici debeat absque distinctione coetus communis massa distributionum et aequa inter omnes fallentiarum quicunque sit canonicus absens, distributio cum unico libro punctaturarum, servata tantum proportione praebendae et quotae ab unoquoque collatae aut amittendae, vel potius in suo robore sit relinquenda hactenus servata methodus in partitione distributionum in fallentiarum aut saltem in punctaturarum tantum distributione cum separato fallentiarum libro, ita ut canonicis unius coetus eos, qui alterius sunt institutionis quoad solam praebendarum naturam, a participatione excludant semper.

Liberae collationis canonici unanimiter assentiuntur, ut distributiones et fallentiae absentium inter omnes praesentes proportionabiliter absque coetus distinctione partiantur et unicus instituatur liber punctaturarum, aut saltem hanc methodum servandam esse contendunt quoad distributiones quotidianas, quia novissimae distributiones ab Episcopo praescriptae ad formam S. Concilii Trid. in locum antiquarum succedunt ac proinde earundem naturam induere et methodum partitionis servari oportere.

Contra vero canonici jurispatronatus a nova inducenda methodo penitus abhorrent tam ratione diuturnae observantiae et consuetudinis in contrarium, tum quia arbitrarias existimant distributiones canonicorum liberae collationis (quod tamen fieri nequit, si tertia pars, uti Episcopus praecipit, est ab omnibus pro distributionibus impendenda), tum denique ex peculiari ratione, quod,

si vacet praebenda liberae collationis, reditus canonicis ejusdem coetus accrescunt, sin autem vacatio contingat alicujus ex praebendis jurispatronatus, reditus praebendae vacantis ad Cameram spoliorum devolvantur, ita ut perfecta inter eos aequalitas omnino desideretur. Addunt praeterea canonicos liberae collationis seorsim congregari solere pro rebus respectivae administrationis, quod pariter ab unitate prorsus abhorret.

Ex his arguunt mutationem propositam facile parituram esse odium et dissidia inter collegas et fratres et concludunt vel relinquendam esse methodum hucusque servatam in sua firmitate vel saltem eos quoque ad participationem redituum praebendae vacantis admittendos, ubi nova methodus sit approbanda, ut aliquod habeant in jactura solatium, neque prius introducendam edicunt, quam absens eorum collega fuerit ad residentiam restitutus.

Perlectis iterum, quae hac de re in comitiis diei 24. Augusti anni nuper elapsi relata fuerunt, videant Eminentissimi Patres, num rationes a canonicis jurispatronatus allatae sint tanti, quae valeant refutare novam methodum ss. canonibus et stylo S. Congregationis magis consentaneam. Unum mihi animadvertendum sufficiat, objectam scilicet difficultatem circa reditus praebendarum tempore vacationis aequalitati nihil obesse, quia aequalitas proportionata quaerenda est in distributionum partitione et fallentiarum, quae semper eadem manet, sive plenae sint sive vacantes praebendae, non autem in fructibus praebendarum, qui si varia sorte ad Cameram spoliorum devolvantur, vel massae communi consolidentur, id non ex facto hominis vel collegii sed ex juris communis dispositione promanat.

Ceterum, si quota pro distributionibus canonicorum liberae collationis detracta ex massa communi ipsorum tertiam partem reapse non attingit ob erroneam redituum computationem, ceu canonici jurispatronatus observant, hujusmodi error potest per Episcopum emendari, imo etiam deberet, quia in hoc vera aequalitas inquirenda est.

Nihil innovetur quoad massarum separationem, firmo in reliquis Episcopi decreto.

374. Montisfalisci. — Fallentiarum.

Die 16. Junii 1866.

In cathedrali ecclesia Montisfalisci hoc est in more positum, ut ex fallentiis, quibus infra annum obnoxii sunt ii, qui choro non inserviunt, fiat cumulus, isque certis anni temporibus diligentes inter atque negligentes aequaliter dividatur. Hanc consuetudinem aegre ferentes nonnulli ex capitularibus ab H. S. C. supplices petierunt mandatum, ut in futurum ita fiat punctaturarum divisio, ut praesentibus accrescant.

Hac super re audiendum curavi Apostolicum Faliscae ecclesiae Administratorem, simulque ab eo postulavi, ut audiret capitulum in scriptis, ac particulam statutorum ad rem facientem transmitteret. Quibus jussis cumulate satisfaciens praefatus Antistes retulit, capitulum cathedrale Montisfalisci constare canonicis, capellanis, et clericis beneficiatis, qui a s. m. Urbano V. fuere instituti. Labentibus vero annis ex diversa fundatione alios praebendatos in eamdem ecclesiam fuisse invectos, qui supranumerarii audiunt: omnes tamen quocumque nomine vocentur, chori servitio teneri, circa quod alternativa utuntur: eos, qui ad capitulum pertinent, praeter communem massam, singulos propria frui praebenda, supranumerarios hac tantum uti: qui chori servitio non intersunt, pro qualibet die (exceptis solemnioribus anni festis,

quibus duplo major est fallentia) poenas luere canonicos obolorum decem, capellanos obol. sex, clericos beneficiatos obol. trium. Nihil vero refert de punctaturis, quibus obnoxii sunt ii, qui supra numerum reperiuntur. Narrat deinde, „fallentiarum omnium annuatim adnotatarum cumulum fieri, et mense Majo singulis canonicis, capellanis et clericis beneficiatis habita propositione modi quo punctantur, sed nulla habita ratione diligentiae seu servitii per annum praestiti, aequis partibus dividi.“

Narrat deinde, canonicos in capitulum coactos duos e proprio gremio elegisse, alterum nempe Bernardinum Bacchi, qui consuetudinem defenderet, alterum archipresbyterum Altigieri, qui recurrentium partes tueretur. Hic quidem muneri suo satisfecit, sed non item canonicus Bacchi. Itaque habito iterum capitulo nullam in sententiam itum est. Quin imo clerici beneficiati se nolle imposterum fallentiis obnoxios esse declararunt.

Quoad particulam statutorum refert, cathedrale capitulum suas olim constitutiones habuisse, quae nunc evanuerunt. Sed quoad puncta et modos ea partiendi particulam statutorum capitularium suppleri posse non modo per antiquiores synodos dioecesanas, sed et per eam, quam Episcopus Bonaventura an. 1714 evulgavit, quaeque modo in ea dioecesi vim legis habet: eas omnes synodales leges singulis horis singula tribuere puncta, et Tridentino juri innixas quamvis collusionem, remissionem et condonationem, etiam de capituli consensu factam, proscribere et damnare.

Denique praelaudatus Antistes Tridentinis legibus et H. S. O. resolutionibus inhaerens, opinionem suam recurrentibus omnino propitiam aperit.

His circa factum praehabitis observandum in jure est, tam civiles quam canonicas leges vetustatem magno in honore habere, et consuetudines, quae hominum memoriam excedunt, quaeque pacifice possident, non modo non aversari, sed etiam auctoritate sua firmare ac roborare, dummodo tamen eaedem et legitime inductae sint, et rationi bonisque moribus non refragentur.

An circa consuetudinem, de qua sermo est, verificentur nec ne hujusmodi conditiones, videbunt EE. VV. Illud certe non est praetereundum, Conc. Tridentinum sess. 21. cap. 3. et sess. 24. cap. 12. quamcumque contrariam consuetudinem circa hanc rem reprobasse atque irritam declarasse: Pium vero IV. in const. quae incipit In Principis Apostolorum statuisse, nullius esse momenti eas consuetudines, quae capitibus Tridentinis adversentur.

Verum, ut animadvertit in suis deductionibus archipresbyter Altigieri, id non modo de consuetudinibus dici debet, quae statutis Tridentinis antevenerunt, sed potiori jure de iis, quae post eadem decreta introduci vellent. Quaelibet enim possessio vel observantia adversus eadem decreta nunquam potest incipere, sed ab initio vitiosa et infecta est ex decreto irritanti in ipsa constitutione comprehenso, unde nec tractu temporis potest convalescere: Card. De Luc. de can. et cap. disc. 33. n. 3.; adn. ad Trid. disc. 1. num. 16.

In hanc autem rem plures hujus S. C. resolutiones allegat; praesertim Carpentoracten. 2. Junii 1731, Asculanam et Ceriniolen. Distributionum 6. Martii 1847. Romanam Emolumentorum 22. Februarii 1862, Januen. 8. Augusti 1863. Et jure quidem meritoque S. H. Ordinem tamquam abusum et corruptelam reprobasse, ait, consuetudinem dividendi aequis partibus punctaturas inter diligentes atque negligentes, quia fini legis sanctissimo prorsus ac sapientissimo opponitur: qui finis is fuit, ut ex una parte divino cultui accuratius prospiceretur, dum poena in negligentes et praemium in diligentes constitutum est, ex altera justitiae ratio

haberetur, dum negligentes iis aequiparandi non essent, qui pondus diei et aestus tulerunt.

Circa vetustatem consuetudinis, de qua agitur, animadvertit, (licet ex constitutionibus capitularibus id comperi nequeat, propterea quod in cathedrali ecclesia Faliscodunensi hujusmodi constitutiones sive temporum injuria, sive alia quavis de causa evanuere), illud certe negari non posse, eam hominum memoriam minime excedere. Nam omnes dioecesanae synodi, quae post Tridentinum in ecclesia Faliscodunensi habitae sunt, quando agitur de distributionibus, eas juxta Tridentinas regulas peragendas esse praescribunt. Ita in synodo Episcopi Bentivoli habita ann. 1591 in tit. de distributionibus quotidianis: in synodo Card. Zacchiae anni 1622 tit. de distribut. quotidian. cap. 33. num. 1: ita Card. Barbadicus in sua prima synodo ann. 1692 tit. 10. n. 7 et 10: ita in synodo Bonaventurae Pompilii ann. 1714 cap. 5. num. 2. Ex his apparet in ecclesia cathedrali Montisfalisci circa punctaturas diribendas non aliam viguisse normam, quam quae a jure communi traditur. Imo vero, nisi dicere velimus, contrariam praxim statim ab evulgata Pompiliana synodo invaluisse, eam non ita remotam vetustatem pertingere inferendum erit. Si credimus canonico Altigieri adsunt seniores inter addictos capitulo, qui affirmant, scire se epocham, qua de hac collusione inter capitulares pactum est, sub finem scilicet saeculi praeteriti, contra quam collusionem et innovationem saepius querelas motas esse testatur.

Tandem circa modum dividendi fallentias, cum toties res agitata et resoluta sit, satis erunt quae ab archipresbytero Altigieri deducta sunt, quin in re adeo explorata diutius EE. Vestras morer. Illud non praetereundum visum est, quae de constitutionibus capitularibus ab Episcopo Administratore et ab archipresbytero Altigieri narrantur, iis scilicet cathedrale capitulum Faliscodunense adhuc carere. Nam pervolventi mihi in archivio H. S. Congregationis relationes de statu ecclesiae Montisfalisci occurrit, jam ab anno 1840 Cardinalem Episcopum De Angelis, huic S. C. detulisse nullas in ea cathedrali ecclesia „in scriptis esse redactas constitutiones, sed consuetudinis legibus cuncta in capitularibus conventibus procedere, ab se autem fuisse decretum quamcitius const. capitulares in scriptis esse redigendas.“ Frustra tamen: nam eas adhuc desiderari anno 1853 Eminentissimus Episcopus Paracciani Clarelli retulit, cui proinde ab H. S. O. haec respondebantur: „probatur sane consilium tuum. quod terminum capitulo cathedrali Faliscodunensi praefixeris, ut propria sibi statuta conficiat (seu gravissime jussit Conc. Rom. anno 1725 tit. 11. c. 4 et 5), quo inutiliter elapso eadem ab Eminentia Tua recipere adigatur.“ Incassum autem et haec cecidere. Anno enim 1858 res in eodem statu perseverare Episcopus tunc temporis Jona retulit, cui proinde H. S. Congregatio haec jussa dedit: „Cum decessor tuus suis literis an. 1853 jam renuntiasset, se capitulo cathedrali jussum fecisse, ut sua sibi peculiaria statuta conderet, mirantur modo EE. Patres, quod nondum hoc opus ad suum finem adduxerit: itaque si rem diutius differat, utere jure tuo, quod est, ut ipsa statuta tuo marte conficias et canonicis observanda praescribas.“ At octo jam anni ab his praeceptionibus interfluxerunt, et constitutiones capitulares nondum conditae sunt.

Consuetudinem, de qua agitur, non esse tolerandam et punctaturas dividendas esse inter actu praesentes tantum ad tramites juris. Quoad confectionem vero statutorum capitularium praefigatur capitulo terminus trium mensium, quo inutiliter elapso Episcopus eadem conficiat et capitulo observanda injungat, transmissa copia eorumdem S. Congregationi.

375. Aesina. — Fallentiarum.

Die 22. Decembris 1860.

In capitulo collegiatae ecclesiae Montis Carotti, quod erectum fuit anno 1808, consuetudo invaluit, qua fallentiae non interessentium inter omnes canonicos aequa lance dividuntur, ita ut de iis punctati etiam participes fiant. Quamquam vero constitutiones capitulares ejusdem ecclesiae, quae redactae et approbatae fuerunt anno 1823, ad juris communis tramites fallentias diribendas praecipiunt, attamen ab invecta hujusmodi consuetudine nec posteriori tempore canonici recesserunt.

Sed ab anno 1857 harum rationem distributionum ad ss. canonum et constitutionum capitularium normam restituere cupientes, a fallentiarum participatione excludendos curarunt canonicum Marcellum Tomasetti, et mansionarios Vincentium Longhi, Rainaldum Gasparrini, et Josephum Perella, omnes studiorum causa absentes et in seminario dioecesano commorantes. Itaque hi ad Eminentissimum Episcopum recursum habuerunt; qui certior factus de vigenti antehac et numquam interrupta consuetudine, decretum in s. visitatione edidit die 18. Julii 1859 hisce conceptum verbis: „Declaramus adhuc vigentem etiam in ecclesia collegiata Montis Carotti consuetudinem admittendi ad partitionem communium punctaturarum partibus aequalibus cum ceteris etiam punctatos ideoque tamquam nullum et injustum reprobamus id, quod a privata auctoritate contra dictam consuetudinem tentatum sit vel tentetur."

Porro contra hujusmodi decretum capitulum collegiatae ad S. hunc Ordinem provocavit.

Eminentissimus Episcopus super hujusmodi recursu de sua sententia rogatus, capitulo audito, quod negotii definitionem ad S. Congregationem se libenter remittere affirmat, monet in sua relatione, canonicos ipsos Montis Carotti in formali examine de hac consuetudine in illorum ecclesia vigente usque ad postrema tempora fuisse testatos. Eamdem vero adesse consuetudinem nedum in ipsa cathedrali, aliisque dioecesis capitulis, sed etiam in aliarum dioecesium ecclesiis, ut in Fabrianensi, Anconitana etc. Fatetur et ipse juris communis dispositioni consentaneum magis esse, ut consuetudo praedicta improbetur; sed in praesenti casu de hoc non quaeri. Quaestio, inquit, quae causam dedit decreto non erat, num in divisione fallentiarum canonicus vel mansionarius punctatus jus haberet ad participandum de propriis et alienis fallentiis; sed erat, an canonicus Marcellus Tomasetti et mansionarii Rainaldus Gasparrini, Vincentius Longhi, et Josephus Perella licet punctati admittendi essent ad aequalem participationem fallentiarum praeteritarum cum canonicis etiam non punctatis juxta veterem et adhuc vigentem consuetudinem, eodem sane modo quo ipsi annis praecedentibus admissi fuerunt." Stante igitur consuetudine a legitima auctoritate nondum revocata, haud in arbitrio fuisse canonicorum censet, jure participandi de fallentiis ad ejusdem consuetudinis tramites quaesito absentes studiorum causa privare.

Quoad canonicos vero et mansionarios Montis Carotti adnotat, „quod omnes sunt de familiis pauperibus, et quoad mihi constat, nemo unquam ingressus est hoc seminarium, nisi prius obtinuerit vel canonicatum vel mansionariatum, ut ex reditibus eorum potuisset hoc in seminario sustentari. Imminutis autem reditibus, nova enascitur difficultas in juvenibus se sustentandi in seminario, non participando de propriis fallentiis, dum pauci cano-

nici, qui nunc obstant, studiorum causa admissi sunt et ipsi ad participationem propriarum fallentiarum; quodque etiam factum fuerat per omnes canonicos et mansionarios ab erectione ipsius capituli Montis Carotti.

„Rebus sic stantibus (concludit) censerem distinguendum esse tempus praeteritum a futuro, et quoad praeteritum sentirem divisionem ac distributionem fallentiarum in partes aequales esse peragendam etiam inter canonicos et mansionarios punctatos, et quatenus opus sit, audito Sanctissimo. Si enim hodie per modum regulae ad participandum de propriis fallentiis non admitterentur punctati, id decernendum esset etiam in capitulis hujus cathedralis et ecclesiae collegiatae Massatii, quae simili consuetudine pacifice gaudent, quod praesertim hisce temporibus opportunum non videtur. Quoad futurum vero pro nunc supersedendum esse existimarem; propitia enim data occasione meum esset rei consulere.“

Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. statuit: „Distributiones vero qui statis horis interfuerint, recipiunt: reliqui quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum quod incipit „Consuetudinem“; quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus.“ Ac merito quidem, quia distributiones debentur in praemium laboris, et ratione personalis servitii, et propter interessentiam beneficiati, ceu advertit Moneta de distribut. quotid. par. 1. quaest. 4. num. 10.

Atqui huic sanctioni adversari procul dubio videtur consuetudo vigens in collegiata Montis Carotti; collusoria enim est ratio, qua, dum absentes punctantur ut distributionibus careant, ad illarum tamen participationem una cum interessentibus iterum admittuntur. Sed adversatur etiam constitutionibus capitularibus ejusdem ecclesiae, in quibus cap. 6. num. 155. diserte praescribitur: „Punctaturae quae solvuntur ab iis, qui chori servitio non intersunt, dividantur inter praesentes“; ita nimirum ut portiones interessentium propter absentiam aliorum jure non decrescendi pinguiores fiant, ceu inquit Garcias de benef. part. 3. cap. 2. num 445. Ad rem facit S. Congregationis resolutio in Asculana 5. Junii 1706 ubi ad V. dubium, quo quaerebatur: „An distributiones non inservientium possint exponi in massa communi et dividi aequaliter, seu potius ad ratam servitii in casu“; respondit: „Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam, lib. 56. decret. pag. 170.“

Patet hinc contrariam consuetudinem utpote irrationabilem et Concilii Tridentini praescriptionibus adversam non suffragari. Exstat in simili casu alterum decretum S. Congregationis in Carpentoracten. 2. Junii 1731 lib. 81. decret. pag. 269 proposita per summaria precum. Ibi inter alia exponebat Episcopus „quod licet absentes diligenter punctentur, fallentiae nihilominus quae ex praescripto S. Concilii Tridentini inservientibus accrescere debent, deponuntur, ut in fine anni fiat aequalis divisio inter canonicos. Sicque indiscriminatim participant qui absentes ut qui fuerunt praesentes.“ Quaerebat proinde: „An praxis dividendi aequaliter fallentias in fine anni sit toleranda?“ Responsum autem prodiit: „Negative.“

In praesenti itaque specie decernant EE VV., an canonici Montis Carotti jure vel injuria absentes lucro ex fallentiis percepto non obstante consuetudine privandos existimaverint. Ceterum viderint, utrum Eminentissimi Episcopi sententiae adhaerendo attentis peculiaribus circumstantiis, quoad praeteritum tempus rem ad consuetudinis tramites componere expediat, im-

plorata etiam quatenus opus sit Sanctissimi venia. Judicabunt pariter quid consilii quoad tempus futurum capiendum putent.

Serventur sanctiones canonicae et statuta capitularia et supplicandum Sanctissimo pro condonatione quoad praeteritum.

376. Imolen.

Die 26. Augusti 1854.

Rescripto Sanctissimi diei 16. Septembris 1850 Thomas Bertazzoli Lucensis obtinuit suspensionem ad quinquennium institutionis canonicae filii sui, in puerili aetate constituti, ad canonicatum de jure patronatus ejusdem familiae Bertazzoli in Lucensi collegiata erectum, administratore deputato, qui (sunt rescripti verba) „adimpletis oneribus praefati canonicatus, residuales reditus Oratori tradat pro ecclesiastica educatione sui filii in seminario dioecesano, in quod ingredi teneatur.“

Ex hujusmodi rescripto controversia orta est capitulares inter ac Bertazzolium, utrum sub nomine redituum etiam distributiones, quas ejusdem canonicatus possessor ratione servitii lucrari solet, in indulto veniant nec ne. Quamobrem supplici oblato libello postulat Bertazzolius ab S. Ordine declarari, non esse locum praelevationi distributionum.

Episcopus informationem ac votum rogatus, capitularium sententiae favet, „praesertim, inquit ob opulentiam dicti Thomae Bertazzoli qui absque distributionibus quotidianis filium in seminario alere potest.“

Sequentibus rationum momentis rem conficit Bertazzolius. Observat primo, in lege fundationis cautum esse, ut quota distributionum canonico deberetur, quoties hic divinis interesset, in casu vero absentiae applicaretur sacrario. Observat secundo, canonicum Bertazzoli haud earum distributionum participem esse, quae ex aliorum fallentiis obveniunt. Ex quibus arguit, distributiones in casu, non rationem praemii aliorum laboribus debiti, sed poenae canonico absenti inflictae dumtaxat habere. Hinc vacante vigore indulti canonicatu, non posse distributiones applicari sacrario, cum nullus sit institutus canonicus, nullaque proinde ejus culpa. Consequi pariter sub clausula „adimpletis oneribus“ non comprehendi distributiones, quae non inter onera recensentur, sed pro poena canonico absenti infligenda statutae sunt.

Id etiam arguit ex fine, quem Summus Pontifex in elargienda gratia sibi proposuit, nimirum ut reditus canonicatus, pro ecclesiastica educatione sui filii in seminario dioecesano erogarentur. Ducto enim calculo demonstrat, reditus, deductis oneribus ac distributionibus, residuales impares fore ad filium suum in seminario alendum. Nam annui canonicatus reditus sunt scut. 140. 72. ex quibus detractis scut. 36. 15. pro eleemosynis missarum, scut. circiter 29 pro vectigalibus, scut. 8. 50. pro stipendio administratoris, supersunt scut. 67. 07. Cum autem tertia pars, nimirum scut. 22. 36. pro distributionibus impendi debeat, reliqua sunt scut. 44. 71. quae non sufficiunt ad expensas educationis sui filii in seminario dioecesano, pro qua eroganda veniunt annua scut. 60.

Reponunt canonici, distributiones non in poenam, sed in praemium laboris constitutas esse, easque ratione servitii praestiti lucrari canonicum. Quamobrem, sive ex negligentia, sive ex institutionis canonicae defectu, uti in casu, canonicus choro non intersit, distributionibus eum carere debere, quandoquidem cessante causa cessat effectus.

Falso autem oggeri a Bertazzolio, sub nomine residualium redituum adimpletis oneribus comprehendi distributiones, tum quia onera non distributiones, sed fructus gravant, Garcias de benef. part. 3. cap. 2. num. 468. Barbosa in Conc. Trid. sess. 21. cap. 3. de reform. tum quia „cum Summus Pontifex proprio rescripto jubeat absenti consignari fructus beneficii ac si ipse praesens fuisset, non ex hoc ei debentur distributiones," ceu cum communi coetu doctorum docet Antonelli de juribus, et oneribus cleric. lib. 3. part. 6. cap. ult. num. 185.

Ex quo vero fructus canonicatus non sufficiunt pro ecclesiastica institutione indultarii, non consequi, quod etiam distributiones eidem debeantur, quia praesumi nequit, Summum Pontificem noluisse, ut Bertazzolius tenuem quae deesset summam ex proprio aere conferret.

Demum Oratoris petitionem prorsus rejiciendam concludunt. habita praesertim ratione, tum ad detrimentum quod exinde sacrario obveniret, quod ob aes alienum, quo premitur, ac divini cultus manutentionem hujusmodi subsidio plane indiget, tum ad ejusdem Oratoris conditionem, qui diviti admodum censu potitur, quique alterius beneficii jurispatronatus reditibus fruitur.

Constans est Sacri hujus Ordinis sententia, fructus praebendarum ac distributiones valde differre inter se: illorum enim nomine venit, quidquid percipitur ex bonis ac juribus perpetuo ipsi beneficio adnexis, ac beneficiato ex sola beneficii ratione absque alio onere vel servitio debitis: distributionum e contra appellatione intelliguntur ii reditus, quibus beneficiatus fruitur ex causa actualis servitii, ac interessentiae in choro ac divinis officiis; ac proinde eas docet Redoanus de spolio quaest. 3. §. 1. num. 4. „non imputari in valorem fructuum, nec esse de corpore beneficii, nec sub illo comprehendi" S. Congregatio in Auximana 24. Nov. 1831. §. docent. Card. Petra in const. 12. Innocenti III. sect. 2. num. 4.

Hinc receptum est, regulariter nomine fructuum beneficii in indultis non venire distributiones quotidianas, excepto casu, in quo concurrat voluntas Papae, ut distributiones veniant nomine fructuum, eaque vel expressa, vel tacita, praesertim in materia quae latam admittat interpretationem. Ceterum, inquit Ferraris biblioth. v. distributiones in appendice num. 79. seclusa voluntate Papae, firma remanet regula, minimeque distributiones quotidianae veniunt nomine fructuum, praesertim si materia strictam exigat interpretationem, Fagn. in cap. 16. num. 6. de verb. signif. Torr. de pact. futur. success. lib. 2. cap. 28. num. 60.

Porro quaenam concedentis fuerit voluntas, nedum ex fine quem habuit, verum etiam ex verbis, queis in concessione usus est, probe dignosci poterit, cum nempe verba adhibuerit capacia comprehendendi etiam distributiones in suo proprio et stricto significatu, quamvis distributiones non fuerint expressae specialiter, cum expressi et aequipollentis eadem sit virtus, leg. Cum quid ff. Si cert. petit.; leg. Item quia ff. de pact., ac in terminis docet Piton. disc. eccles. part. 1. disc. 1. num. 14. qui plura ad rem tradit. Quae quidem qua ratione congruant casui, sapienter de more definient EE. PP. perpensis rationum momentis quae utrinque afferuntur.

Esse locum praelevationi distributionum.

377. Januen. — Punctaturarum.

Die 18. Septembris 1852.

Abbatiali dignitate pollens cum usu pontificalium Raphael Sebastianus e marchionibus Sopranis, unus ex 13 canonicis, quibus praeter 4 mansiona-

rios et 8 capellanos constat collegiata ecclesia Januensis sub titulo B. Mariae V. de Remedio, jam a die 26. Augusti anni proxime elapsi supplicem ad H. S. Congregationem libellum dedit, quo exponebat praedictam collegiatam nulla scripta lege aut constitutione regi consuevisse, neque inter monumenta exstare aliud quam quaedam capitularia decreta, quae pro opportunitate condita reperiuntur, ubi relate ad distributiones, punctaturas et vacationes haec tantum habentur: „Die 12. Sept. 1796. Congregato capitulo, novem capitularibus praesentibus, ceteris absentibus, quamquam invitatis, proponitur methodus quoad distributiones, punctaturas, tempus vacationum; notandum est ad cautelam, absentes non lucrari aliorum fallentias .... Approbatum omnium votis.“ Item die 16. Januarii 1797: „Congregato capitulo in numero decem capitularium proponitur approbatio methodi quoad punctaturas, qualis methodus conservatur in capituli archivio sub die 12. Sept. 1796 ... Approbatum omnium votis.“

De hisce autem in archivio nec volam nec vestigium apparere refert; attamen ex nonnullorum relatione erui, statutam tunc fuisse a capitulo fallentiarum indulgentiam pro congruo vacationis tempore ad instar aliarum trium ejusdem civitatis ecclesiarum. Verum quoad canonicos beneficium hoc jam in desuetudinem abiisse commemorat, licet adhuc favore capellanorum in facto perseveret. Post haec enixe rogat, punctationum indulgentiae pro tempore vacationum repristinationem, si adfuit, sin vero gratiam pro statuenda, tam pro seipso quam pro singulis omnibusque suis canonicis. Quodsi interdum nollent tali favore ullimode canonici frui, valeat tamen et valere possit semper pro abbate et successoribus.“ Porro canonici de eadem obtinenda gratia peraeque solliciti, properante jam novo vacationum tempore preces hac desuper re instaurarunt sub die 19. Maji volventis anni.

Capitularis vicarius informans, postquam retulerit de posticipatione officiaturae de mane et anticipatione vesperarum et completorii, quoad fallentiarum condonationem perpendit, „quod bono Ecclesiae non videtur expedire petitam indulgentiam concedere: nam tanta est tenuitas appunctaturae, ut facile etiam nunc sperni queat; si autem et haec minima subtrahatur, nescio qui et quot canonici erunt, qui curent tempore vacationum choro assistere etc.“

Cum nulla hic quaestio agitetur de tempore, quo divinum officium sit a canonicis recitandum, nonnihil solummodo advertendum venit super petita punctaturarum condonatione. Atque in primis haec concedenda videretur ex eo, quod sancitam nonnulli referant in superius citatis decretis, quamvis horum nullum hodie vestigium in capituli tabulario asservetur. Robur deinde accedit ex ipsa praebendarum tenuitate nec non ex consuetudine, quae licet ex parte canonicorum jam diu cessaverit, quoad capellanos tamen adhuc in suo vigore consistit. Sin minus eo beneficio Abbas donandus videtur, qui per id temporis saepe saepius rogatus ad alias se conferret ecclesias pontificalia celebrandi causa, quod quidem in maximum cederet divini cultus augmentum.

Nihilominus perpendendum est in contrarium, ex simplici nonnullorum dicto haud satis constare posse punctaturarum indulgentiam decretam quondam fuisse in capitularibus comitiis; quin obsit consuetudo, quae viget adhuc inter capellanos, quippe eam haud esse legitimo modo introductam ex habita informatione deprehenditur, neque unquam apud canonicos viguisse vel saltem jam diu cessasse satis superque ex allegatis documentis revincitur. At supposita etiam decretorum capitularium expressa sanctione atque legitimae

consuetudinis existentia, minime tamen ex hisce melior evaderet canonicorum conditio. Tralatitii enim juris est, consensum canonicorum efficere haud posse, ut, qui non interfuit divinis, habeat distributiones quotidianas, quippe id neque statuto neque lege constitui potest; Barbosa, Collectan. in Conc. Trid. sess. 24, c. 12. de ref. num. 109. Imo nec remittere praeteritas distributiones capitulum valet, quamvis omnis fraus absit et conventio. Idem auctor cit. loc. num. 110, Garcias de benef. part. 3. c. 2. num. 431. Ex quo fit, ut non obstante etiam quacunque in contrarium consuetudine, absens a choro distributiones amittere debeat, in illis quoque mensibus conciliarium vacationum; Ventriglia, prax. eccl. tom. 1. annot. 19. §. 1. num. 4. Idque procedere, etiamsi canonicatus consistat solum in distributionibus quotidianis, idem auctor cit. loc. Ceterum S. Congregatio aliquando quidem ex speciali gratia id concessit, attentis forsan distributionibus tenuissimis, quae neque cum praebendis ad congruam sufficiebant canonicorum sustentationem, ut in Oriolen. 6. Dec. 1794; plerumque tamen denegavit, ut in Ilerden. 3. Mart. 1792 ad 1. dub. et in Hipporegien. 20. Mart. 1830 ad 2. dubium

Jam vero quod dictum est de quotidianis distributionibus, de punctaturis aequo modo intelligendum, cum relate ad finem, ad quem persolvuntur, in jure omnino exaequentur. S. Congr. in Spoletana 25. Jan. 1851. §. Hoc tamen.

Viderint quapropter Eminentissimi Patres, utrum allegata praebendarum tenuitas juncta capellanorum consuetudini nec non praxi trium collegiatarum ejusdem loci justam praebeant causam petitam indulgendi veniam canonicis, sin minus abbati Oratori nec ne.

Lectum.

378. Florentina. — Distributionum.

Die 27. Januarii 1855.

Sacerdos Carolus Marcacci ab uno et triginta annis capellanus choralis in regia basilica S. Laurentii, Florentiae erecta, die 24. Decembris 1853 inter ejusdem basilicae canonicos fuit cooptatus, eique debitae distributiones usque ad diem 22. Februarii sequentis anni absque ulla contestatione fuerunt persolutae. Ea vero die, excitato in capitularibus comitiis dubio, utrum canonicus Marcacci strenae cujusdam quantitatis olei, ex constitutionibus in die cinerum tam capellanis quam canonicis, non in eadem tamen quantitate, distribuendae, uti canonicus particeps fieri deberet, canonici fere unanimes negaverunt constitutionum capite 47. freti, cujus verba sunt: „Declarantes dictarum strenarum incapaces, atque ad eas omnino non admittendos esse tam canonicos quam capellanos, seu substitutos noviter receptos, nisi ecclesiae nostrae saltem per quatuor menses a die sui adventus deservierint, ac proinde decreverunt, „ut in futurum omnis capellanus, qui fit canonicus et omnis canonicus, qui mutat praebendam, quatuor menses in possessione suae praebendae fuisse debeat ad percipiendam strenam.“ Hoc decreto perculsus Marcacci H. S. O. supplex adit, atque declarari postulat, praefatum decretum nullam habere vim, ipsumque strena diei cinerum anni 1854 affixa privari non posse.

Rogatus Archiepiscopus de informatione et voto, haec retulit: „Canonici et capellani istius collegiatae unam solam constituunt familiam et servitium capellanorum isti canonicorum tantopere aequiparatur, ut sine distinctione

computetur pro jubilatione canonicorum, qui antea capellani fuerunt. Deinde verum est, capitulum posse interpretari, sicut justum existimat, articulum constitutionum, qui in dubium vocatur, cum approbatione tamen Archiepiscopi Florentini et regii consilii.

Hinc sequi videtur 1. verba „noviter receptus“ de eo esse intelligenda, qui in familiam istius collegiatae cooptatus est. 2. interpretationem, si esset necessaria constanti et longissima consuetudine datam esse; decretum autem capitulare diei 22. Februarii (non approbatum a me) interpretationem consuetudini contrariam dare.“

Capitulum totis viribus proprium decretum tueri conatur juri praecipue innixum, quod ipsi ex constitutionibus competit, leges condendi, interpretandi, atque etiam abrogandi, si ex ecclesiae utilitate et decore posceretur. Asserit proinde, Marcacci utpote canonicum noviter esse receptum, cum ea verba a die sui adventus non de receptione in ecclesiam, sed de admissione in respectivum ordinem sint intelligenda. Hanc autem interpretationem tum ex hac ipsa constitutione desumit, contendens ea verba tam canonicos quam capellanos distinctionem innuere servitii; tum vi inductionis ex alia constitutione ad canonicos tantum spectante educere conatur, qua ipsi ad quasdam distributiones admittuntur, dummodo per annum integrum ecclesiae deservierint, hoc est, integras anni unius distributiones lucrati fuerint a die obtenti canonicatus. Animadvertit etiam strenam dari pro servitio diligenter praestito et strenam canonicorum differre ab ea capellanorum ideoque ad lucrandam strenam canonicorum praecedere deb re servitium per tempus requisitum in gradu canonicorum praestitum.

Innititur insuper simili, quae in metropolitana Florentina ecclesia viget, observantia, qua non solum capellanus ad canonicatum evectus, verum etiam canonicus cum praebendam mutat, ad novitiatum iterum peragendum tenetur, haud aliter ac si noviter reciperetur.

Negat canonico Marcacci consuetudinem facere centenariam, cum illam inducere nequeant facta numero paucissima, quaeque solum ex incuria camerariorum invaluerunt.

Quibus difficultatibus occurrens canonicus Marcacci contendit, quod cum capellani atque canonici unum tantum collegium, vel, ut verbo utitur, quod persaepe in constitutionibus Laurentianae basilicae occurrit, familiam conficiant, nullo modo sicut noviter receptum illum posse considerari, qui jam a triginta et amplius annis utpote capellanus ecclesiae servitio addictus, titulum tantum mutat atque ad majorem evehitur dignitatem. Hanc igitur constitutionem extraneos tantum respicere, eos scilicet qui nondum huic ecclesiae quatuor mensium spatio deservierunt; secus verba „a die adventus“ effectu prorsus carerent, cum ille advenire minime dici possit, qui ad canonicalem dignitatem evectus pluribus antea annis jam ejusdem ecclesiae servitio fuerat mancipatus.

Ac rem ita se habere ipsosmet canonicos vel ab antiquissimis temporibus apertissime demonstrasse perpendit. Constat enim ex authenticis Laurentianae basilicae regestis, si centum tantum annorum spatium respiciatur, quinque supra viginti capellanos inter canonicorum numerum receptos, omnes strenas hasce percepisse.

Neque huic consuetudini adversari illam, quae in metropolitana ecclesia viget. Cum enim prorsus diversae sint constitutiones quibus illa regitur, duoque distincta collegia ejus capellani et canonici conficiant, consuetudines ipsi proprias Laurentianae basilicae aptari nullatenus posse.

Etiamsi autem concedatur justum omnino esse hoc decretum, non inde consequi canonicum Marcacci, qui jam in possessione canonicatus versabatur, huic esse subjiciendum. Leges enim non habent vim retroactivam. Denique addit, in vim ipsius decreti strena privandum non esse canonicum Marcacci, ea enim verba „in futurum“ satis innuunt, canonicos illos tantum strenis spoliare voluisse, qui in posterum inter canonicos erant cooptandi.

Esse locum solutioni strenae favore Oratoris.

379. Barchinonen. — Distributionum.

Die 14. Maji 1859.

Beneficiati ecclesiae cathedralis Barchinonensis ab hac S. Congregatione supplices postulant, ut distributiones quotidianas tempore vacationum lucrari possint; causati praecipue redituum tenuitatem, et auctum rerum pretium in civitate frequentissima, industriae et commercio dedita. Eodem indulto hujus ecclesiae canonici ex Apostolica venia jam ab antiquo fruuntur, et vacationes lege capitularium, constitutionum ad duos tantum menses protrahuntur.

Datis de more Episcopo literis, ut audito capitulo super petitione beneficiatorum referret, rescripsit: Capitulum in dubium revocare etiam jus beneficiatorum vacandi duobus anni mensibus, quod tamen non confirmat Episcopus; item sex millia regalium annuatim beneficiarios percipere, eosque ad residentiam, inferiora munia in choro implenda, et missas certis horis celebrandas teneri. De accuratiori informatione iterum rogatus, haec retulit: „Praefati beneficiati choro inservientes sexdecim numero computantur, juxta quod in recenti concordato praefigitur. Canonici vero bimestralium vacationum indulto fruuntur per jus ipsis concesso, per privilegium vero duobus durantibus absentiae mensibus etiam tertiam illam partem, quae chori distributionibus adhibebatur, percipiunt. An vero chori servitium sit passurum detrimentum, ex eo quod idem indultum Oratoribus concedatur, distinguendum est inter beneficiatos gratiae, et de officio. Cum quatuor ex his beneficiatis existant, qui certis et personalibus officiis sunt adscripti, talia officia obliterata manerent, nisi forte beneficiatus absens propriis expensis substitutum relinqueret. Ceteri vero beneficiati, qui variis oneribus et officiis de communi et suis vicibus funguntur, absque chori detrimento abesse possent, dummodo recessus simultaneus nonnisi parvo numero concederetur, et qui praesentes manerent, absentium onera levarent. Quod vero ad perceptionem portionis distributionibus addictae attinet, nullum aliud videtur esse inconveniens, nisi quod, cum hujusmodi portiones ex absentiis provenientes fabricae ecclesiae applicentur, hujusmodi emolumentum fabrica non perciperet; quod quidem inconveniens longe majus evenit ex canonicorum privilegio, tum quia canonici plures sunt numero, tum quia distributiones ipsis assignatae majores sunt quantitate.“

Absentes a choro distributionibus carere statuit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. nec eas lucrari, etiamsi absint tempore vacationum, respondit S. Congregatio in Derthonen. Constitutionum capitularium 12. Sept. 1829 et in Ipporegien. Servitii chori 30. Januarii 1830. Nihilominus SS. Pontifices quibusdam capitulis privilegium concesserunt eas percipiendi etiam tempore vacationum, et ob rationabilem causam hic S. Ordo simile privilegium aliquando tribui posse docet in cit. Ipporegien. §. Verum haec. Exemplum exstat in Oriol. 6. Decembris 1794, ubi res erat de distributionibus tenuissimis, quae neque

cum praebendarum fructibus ad congruam canonicorum sustentationem sufficerent.

Non immerito autem allegatur ab Oratoribus simile indultum canonicis hujus cathedralis, quamvis pinguioribus fruantur distributionibus, fuisse concessum; quamvis enim beneficiati non sint canonicis adaequandi, attamen, ubi aequa subsint rationum momenta, gratia canonicis concessa solet ad beneficiatos etiam extendi, ceu patet ex Theanen. Servitii chori 7. Junii 1856 et Nuscana 26. Sept. 1857. §. Ceterum.

Erit igitur EE. VV. judicare, an ob peculiaria adjuncta rerum, quibus Oratorum preces nituntur, ita tenues eorum reditus sint habendi, ut distributiones lucrari eis concedatur durantibus vacationibus, quatenus iisdem fruantur.

Pro gratia juxta petita, ita tamen ut quatuor beneficiati de officio per substitutum inserviant tempore absentiae; facto verbo cum Sanctissimo.

IX. DISPENSATIONES SINGULIS CANONICIS EX CAUSIS SPECIALIBUS CONCESSÆ.

1. Indulta jubilationis.

380. Matheranen. — Dubium jubilationis.

Die 31. Januarii 1852.

Sacrae Congregationi referebat labente anno 1849 Archiepiscopus Acheruntinus et Matheranensis eam in majori templo Matherae consuetudinem, cujus ignoratur initium, invaluisse, qua unusquisque ex capitularibus, expleto vix anno aetatis sexagesimo, a quolibet chori servitio censeatur immunis. Monebat autem per hujusmodi exemptionem ab obligatione celebrandi missas conventuales, aliasque de turno sive anniversarias, sive hebdomadales, nec non capitularibus fungendi muneribus et officiis sexagenarios nequaquam absolvi, ita ut vera ac propria jubilatio reputanda non esset; jubilatus enim ab iis etiam oneribus habetur exemptum. Sciscitanti Archiepiscopo sequens mihi visum est dari responsum, ineunte mense Januario 1850: „ut, abrogata enunciata consuetudine, quae potius corruptela dicenda est, mandet in posterum absentes cujuscumque sint aetatis, et quacumque de causa, quae non sit per s. canones probata, punctaturis omnino subjiciantur, eorumque portio praesentibus accrescat, vel fabricae ecclesiae applicetur ad form. S. Conc. Trid. sess. 21. et sess. 22. cap. 3. facta eidem facultate sanandi quoad praeteritum, et fallentias absentibus ex enunciata causa, attenta bona fide, condonandi.“

Grave nimis canonicis Matheranensibus, iisque praesertim, qui praefata jam perfruuntur exemptione, visum est hocce responsum, et continuo quasdam per Archiepiscopum transmiserunt deductiones, quibus tum immemorabili consuetudine, unde privilegium apostolicum autumant praesumi, tum peculiaribus confisi servitii choralis adjunctis, quae illam cathedralem attingunt, quaeque proxime referam, sese in ejusdem consuetudinis possessione servandos arbitrantur. In more positum est illius ecclesiae, prout exponunt, quod antequam quilibet ad participationem seu praebendam admittatur, quatuordecim saltem per annos variis sacerdotii gradibus gratuitum exhibeat servitium. Per annos quinque nimirum, et etiam ultra, si junior sit adscribendus, ser-

vitium quis praestare tenetur in clericatu, donec scilicet ad canonicam perveniat pro s. ordine subdiaconatus aetatem; quo ordine suscepto, per alios quatuor annos in eo ministrare tenetur omnibus in missis capitularibus et processionibus; atque hoc expleto servitio, per alios tres annos in ordine diaconatus inservit; ac demum per triennium presbyterales debet explere functiones, imposita negligentibus in toto enunciati servitii stadio gratis percurrendo quadam fallentiae poena. Eoque tandem emenso servitio ad participationem admittitur sive qua dignitas vel canonicus, sive qua mansionarius (communis siquidem est omnibus indistincte capitularibus massa), ac eo ipso primo anno nonnisi dimidium participationis novus admissus obtineat. Eamdemque praxim et consuetudinem ceteris quoque ejusdem civitatis capitulis communem esse dignovi.

Hisce positis nihil magis tritum, ut ait Bened. XIV. in lib. 12. de syn. cap. 8. num. 8. „quam legem quamdam humanam etiam canonicam posse contraria consuetudine, quae sit rationabilis et legitime praescripta, abrogari consuetudine, siquidem immemoriali“ ita prosequitur Schmalzgrueb. lib. 1. decret. tit. 4. §. 5. num. 3. „acquiri possunt omnia illa, quae privilegio et indulto principis acquiri possunt.“ Hinc legitima videri posset enunciata consuetudo; cum sit enim immemorabilis, facit praesumere privilegium apostolicum, unde tituli justitia desumitur, neque autem reputanda est irrationabilis, utpote quae in servitio fundetur ex dictis per annos ultra quadraginta completo, cujus insuper tertia pars gratuito prorsus titulo peragitur, quod sane in pretio habendum aequissimum est. Hinc est, quod dici nequeat juri vel sanctionibus Tridentini contraria, cum temporis spatium ad jubilationem praescriptum sit abunde servatum: imo nec finis deest ab hoc S. Ordine volitus in concedendis jubilationis indultis, servitium nimirum ecclesiae onerosum, diuturnum in casu insuper magna ex parte gratuitum, quod debeat remunerari. Haud sane consonum videtur aequitati, ut divinis adigantur officiis capitulares aetate valde provecti, vel etiam diuturno servitio ac infirmitatibus attriti, prout contingeret in casu.

Hisce tamen sepositis, animadvertere est jubilationis admittendae praxim ex peculiari sedis Apostolicae concessione manare, eamque non tantum probandam sed tolerandam censuit Gregorius XIII. ut refert Garcias de ben. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 334. Et licet sit ex parte favorabilis, ex alia tamen odiosissima est quippe vergens in divini cultus imminutionem, ut observat Schmalzgrueb., loc. cit. num. 7. proptereaque strictissime interpretanda, et ad alios casus non expressos haud extendenda. Ut igitur ea valeat admitti, conditiones habeat requisitas necesse est, servitium scilicet continuum per annos 40 laudabiliter exantlatum, ac hujusmodi servitium titulo perpetuo esse debet adnexum ab unica praebendae possessione dimanans; pluries enim S. Congregatio decrevit a servitio quadragenario illud esse deducendum, quod quis tempore clericatus exhibuit ecclesiae ante adeptam praebendam, ceu tradit Ferraris in bibl. can. v. Canonicus art. 9. num. 102. Hinc nemo non videt, quonam sit habendus in pretio titulus gratuiti servitii absque praebenda a capitularibus adductus, et quanti sit aestimanda consuetudo, de qua disputari contingit.

Quod si quisquam ex capitularibus senio vel infirmitate prematur, neque adhuc requisitas habeat ad jubilationem obtinendam conditiones, eorum impotentiae nunquam defuit occurrere S. Congregatio peculiari ac opportuno, non tamen jubilationis, indulto, quod in singulis casibus requisita denegare non solet.

Servetur responsum S. Congregationis.

381. Sutrina. — Jubilationis.

Die 22. Septembris 1855.

Die 12. Aprilis 1812 sacerdos Petrus Leoni consecutus est canonicatum in collegiali ecclesia civitatis Brachiani Sutrinae dioecesis. Ratus anno 1852 se quadragenarium servitium explevisse, imploravit ab hac S. Congregatione indultum jubilationis. Sed cum ex libris fallentiarum haud continuum ejus fuisse chorale servitium constaret, rescriptum ad ejus instantiam fuit, ut recurreret expleto quadraginta annorum servitio et compensatis fallentiis. Cum itaque tres jam praeterlapsi sint anni, quo tempore omnes quae sibi obstabant fallentias adamussim ab se compensatas fuisse ducto calculo demonstrat canonicus Leoni, iterum ad S. Congregationem confugit pro gratia jubilationis, causatus etiam habituales queis laborat infirmitates, unde chorale servitium onerosum sibi nimis evasit.

Capitulum tamen ejus petitioni adversatur. Perpendit enim deficere fallentiarum libros ab anno 1812 ad annum 1824, ideoque fallentias, quas compensatas asserit Leonius, referri tantum ad tempus, quod ab anno 1824 ad praesens usque effluxit; et quamvis praecedentes fallentias ob librorum defectum praecise enunciare minime valeat, satis tamen constare de interrupto Oratoris servitio relate ad tempus unius anni, quo ipse a secretis erat Episcopo Perusino, et alterius temporis, quo diebus festis ad sacrum faciendum ad rurales se conferebat ecclesias. Ceterum fatentur capitulares, bonum choro quando adfuit servitium ipsum praestitisse, praesertim cantus Gregoriani peritia et exercitio.

Non inficiatur quidem canonicus Leoni, se aliquando se contulisse ad ruralem quamdam ecclesiam, ut ibi diebus festis sacrum faceret loco absentis capellani, ast id pro paucis vicibus, et, ob parvam loci distantiam cum tempestive rediret, fere semper chorali officio nihilominus interfuisse, ceu senioris canonici attestatione probat. Quoad tempus vero, quo abfuit, ut penes Episcopum Perusinum secretarii munere fungeretur, praeterquam quod tantum mensium spatium tempus illud complecti asseveret, exhibet insuper Apostolicum indultum, quo abessendi facultas sibi tributa est.

Episcopus Oratoris voto attenta ejus infirma valetudine annuendum censet.

Jubilationis indultum iis tantum concedi solet ex Sac. hujus Congregationis instituto, qui continuum ac laudabile quadraginta annorum chorale servitium expleverint, uti monent Garc. de benef. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 134, Benedictus XIV. de synodo dioeces. lib. 13. cap. 9. num. 13, et pandit resolutio in Romana Jubilationis 9. Februarii 1822. Quin obsit capituli dissensus; licet enim in more positum sit, ut semper audi tur capitulum, a quo certum reddatur testimonium de expleto laudabiliter legitimo tempore, tamen non desunt exempla, in quibus S. Congregatio rude donavit viros de ecclesia benemeritos, qui quadraginta annorum spatium implerunt, nihil obstante contraria capituli resolutione.

Constat de laudabili Oratoris servitio, at aeque constat illud non fuisse continuum. Abfuit enim aliquando, ut sacrum in rurali celebraret ecclesia; voluntaria proinde hisce in casibus fuit ejus absentia, quae etsi laudabilem habuerit causam, quoad chori tamen servitium absenti nocet, a quo necessaria tantum causa excusat, S. Congregatio in Camerinen. Jubilationis 12. Martii 1796 et in Verulana Jubilationis 26. Februarii 1825. Abfuit etiam ut munus secretarii apud Episcopum Perusinum obiret, ita ut hoc tempus in curriculo quadraginta annorum computari non debeat, licet indultum habuerit; quia absentibus ratione munerum non conceditur indultum

jubilationis, nisi quadragenarium servitium deducto tempore absentiae compleverint, ut discusso articulo statuit S. Congregatio in dubiis jubilationum 17. Decembris 1718. ad I. dubium.

Nihil praeterea ad praesentem quaestionem refert, quod Orator infirma sit valetudine. Hoc enim juvare poterit, ut exoret dispensationem a choro, haud vero ut indultum jubilationis consequatur, ut definivit S. Congregatio in Urbinaten. Indulti 18. Septembris 1802, in Ventimilien. Jubilationis 26. Martii 1803 et in Verulana Jubilationis 26. Februarii 1825. §. Quod si.

Nihilominus perpendant EE. PP., minus diuturnum videri tempus, quo in longo quadraginta et amplius annorum spatio Orator abfuit, ut adeo ducto calculo modicus fortasse fallentiarum numerus conficeretur. Ceterum amissio libri fallentiarum haud Oratori obstare potest, cum pro reliquo hoc tempore ei potius praesumptio juris faveat. Perpendant etiam laudabile semper, cum choro interfuit, eumdem praestitisse servitium; ac demum tribus annis supra quadraginta eum inservisse ecclesiae: quae quidem rerum adjuncta peculiarem cum eo indulgentiam adhibendam fortasse suadent.

In Signina Jubilationis relata die 4. Februarii et resoluta die 11. Martii 1786 de beneficiato agebatur qui per 40 tres annos inservierat, et diebus fere quatuorcentum a servitio defecerat, ita ut ejus negligentia in novem aut decem diebus in annos singulos supputari posset; nihilominus sive quia modica visa fuerat haec absentia, sive quia satis emendata per prorogatum servitium, dubio quo quaerebatur: „An esset concedenda jubilatio?“ datum fuit responsum: „Affirmative arb. Episcopi cum solitis clausulis.“ Et in Hortana proposita per summaria precum die 19. Augusti 1786 in qua de canonico res erat, qui per quadraginta quinque annos inservierat, sed tamen per insignia intervalla annos duos cum dimidio attingentia abfuerat tum ut rei suae familiari, tum ut litibus quibus in curia vexabatur attenderet, nihilominus EE. PP. redemptam quodammodo negligentiam arbitrati a longiori illo servitio rescribi mandarunt: „Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia cum solitis clausulis.“

Accedit Oratorem infirma valetudine vexari, ceu ex medicorum attestatione patet, cujus etiam causa aliquod breve tempus remitti speciali indulgentia solet ex commissis fallentis.

Pro gratia jubilationis post Reges.

382. Narnien. — Indulti Jubilationis.

Die 25. Maji 1867.

Joannes Giubilei e civitate Narniensi die 1. Maji anni 1825 inter canonicos ecclesiae cathedralis ejusdem civitatis adnumeratus est, quorum nunc decanus existit. Anno 1865, cum quadragesimum choralis servitii annum explevisset, mense Julio supplicem libellum H. S. C. obtulit postulans jubilationis indultum. De more rogatus fuit Episcopus, ut audito capitulo referret de continuo et laudabili chorali servitio ejusdem canonici, et an in eo computando habeatur ratio temporis, quo Orator forsan abfuit causa studiorum.

Mandatis Sacri Ordinis tum Episcopus tum capitulum satis illico fecerunt. Capitulum enim transmisit notulam fallentiarum ex capitulari libro desumptam, quarum summa quoad praefatum canonicum ascendit ad numerum 2308, praeter eas quae forsan adnotari debuissent a mense Majo ad finem mensis Decembris 1825, cujus anni fallentiarum liber repertus non fuit. Deduxit praeterea idem capitulum memoratum canonicum a die 15. Sept.

1837 usque ad totum Febr. 1851, spatio scilicet annor. tredecim et quinque mensium cum dimidio, perfunctum fuisse successive munere oeconomi parochi in castris Taizzano et Gualdo absque venia Sedis Apostolicae, donec initio ann. 1851 renuntiatus fuit parochus in ecclesia cathedrali, quod officium hucusque adhuc exercet; superaddidit eumdem canonicum in quadragesimis ab anno 1833 ad annum 1840 ministerium praedicationis absque indulto Sedis Apostolicae in castris ejusdem dioecesis perfunctum fuisse; et tandem adjecit, statutum esse in dioecesana synodo, quae adhuc viget, ut dies 45 fallentiarum in chorali servitio privent quemcumque beneficiatum a perceptione fructuum praebendae, idque ideo dispositum esse monuit, quia chorale servitium alternatim per hebdomadas in ea ecclesia expleri solet.

Has capituli animadversiones veritati consonas esse Episcopus retulit, et insuper docuit in computatione annorum quadraginta inclusum etiam fuisse tempus, quo Orator abfuit a choro ratione studiorum, quippe qui canonicatum obtinuit, cum decimum nonum aetatis annum ageret. His itaque perpensis, rejectae fuere porrectae preces, eaeque dimissae die 11. Decembris 1865 cum rescripto: „Lectum.“

Debita quidem submissione et obsequio excepit canonicus Sacri Ordinis responsum; hoc autem haud obstante, suas eumdem in finem iteravit preces, et quamvis studuisset nonnullis animadversionibus reponere ad ea, quae capitulum et Episcopus deduxerant, semel tamen et iterum rescriptum prodiit: „In decretis“.

Ratus autem ex infelici successu petitionis suae suboriri potuisse vehementem suspicionem culpabilis negligentiae in servitii choralis adimplemento, mense Decembris superioris anni quaedam exhibuit testimonia „ad comprobandum, ut ait, fallentias non provenire ex pigritia sed ex servitiis cum prompta obedientia dioecesi praestitis“. Animadvertens deinde, se a mense Majo 1865 diligenter muneri suo satisfecisse, et idcirco reputans superexcedenti servitio viginti mensium, (hodie autem vigintiquatuor) satis compensatum esse quemcumque praecedentem defectum, rursus petiit, ut ab Eminentiis Vestris jubilationis indulto donetur, ratione etiam infirmitatis, cujus perseverantem existentiam medici ordinarii testimonio confirmat.

Ut difficultatibus occurrat, monet se officium oeconomi parochi non sponte sua suscepisse, sed tantum ex obedientia erga suum Episcopum, qui deficientibus aliis sacerdotibus illud onus ipsi imposuit. Quod si tunc temporis veniam ab Apostolica Sede non postulavit, id non ex negligentia, multoque minus ex culpa accidit, sed potius ex errore aut ignorantia praecisae necessitatis indulti Apostolici praeter licentiam et praeceptum Ordinarii. Ceterum etiam durante munere oeconomatus interdum choro praesens adstitit, quando parochialibus officiis non praepediebatur. Castra enim Taizzano et Gualdo non longe distant a Narniensi civitate. Tandem affirmat se usum non fuisse indulto obtento causa studiorum, cum studiis operam dederit in patrio Lyceo.

His in facto praenotatis, operae pretium esse arbitror, ut nonnulla heic colligam quoad disciplinam hujus Sacri Ordinis relate ad jubilationis indultum.

Sciunt omnes de hujusmodi indulto silere sacros canones, cum nullibi reperiatur in jure textus, quo jubilationis indultum psallentibus in choro divinas laudes concedatur. Nihilominus ex benignitate ecclesiae, deducto argumento ex leg. A muneribus ff. de vacat. et excusat. muner. jamdiu usus obtinuit, ut etiam in ecclesiastica militia, ceu fieri solet in saeculari, quiescere aliquando et frui emeritorum stipendiis is valeat, qui assidue et laudabiliter continuo quadraginta annorum spatio chorale servitium expleverit,

Garcias de benef. par. 3. cap. 2. §. 1. n. 134., Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 13. cap. 9. n. 13., Sacr. Congr. in Maceraten. Jubilationis 8. Maji 1698, in Constantien. 4. Maji 1737, in Brictinorien. 12. Maji 1792, in Romana 9. Febr. 1822, in Ravennaten. 31. Januar. 1824, et praesertim in Dubia jubilationum 24. Septembr. et 17. Dec. 1718, quae proposita fuere judicio Sacri Ordinis a praelaudato Benedicto XIV., dum munere secretarii fungebatur. „Etenim, ut idem pontifex recte observat de syn. dioec. lib. 13. cap. 9. §. 15 'si quotidianum et non interruptum chori servitium omnium hominum judicio laboriosum et grave censetur, multo sane gravius atque molestius progressu temporis visum est nullum, donec vixeris, serviendi finem videre, quantumvis diuturno annorum curriculo cum assiduitatis et diligentiae laude inservieris.“

Memini jam hujusmodi servitium quadragenarium esse debere: verum ex praxi hujus Sacrae Congregationis requiritur etiam, ut assidue et laudabiliter praestitum fuisse probetur; quemadmodum resolutum fuit in cit. Constantien. Jubilationis 4. Maji 1737, in Civitatis Plebis, Jubilationis 23. Nov. 1782, et alibi passim. Quae conditiones rigide servari solent; indulta enim hujusmodi non ex justitia, sed ex gratia et aequitate tribuuntur, ceu traditur in Feltren. 11. Jan. 1721, in Albiganen. 27. Augusti 1859. §. Propius. Proinde requisitae conditiones debent plane et concludenter justificari, ita ut si de memoratis choralis servitii adjunctis minime constiterit, ne ulla quidem ratio habeatur provectae quantumvis aetatis, aut etiam habitualis infirmitatis, prout adnotat Monacel. formul. leg. for. eccl. p. 1. tit. 2. n. 13 et rescripsit Sacra Congr. in Romana Jubilationis 10. Apr. 1660. lib. decr. 22. pag. 85, Tranen. Jubilationis 29. Nov. 1710, et nuperrime in Firmana Jubilationis 13. Sept. 1862 per summaria precum.

Hisce enim in casibus etsi Sacer Ordo, justa et rationabili intercedente causa, indulgentiam abessendi a choro concedere non abnuerit, ut videre est in Urbinaten. Indulti 18. Sept. 1802, et in citat. Firmana, Jubilationis, tamen indultum constanter denegavit.

Difficultas aliquando exorta est, utrum in quadragenario annorum numero computari etiam debeat tempus, quo beneficiati studiorum causa et cum debitis licentiis abfuerunt a choro. Enimvero in cap. 5. de magistr. Honorius III. statuit, ut „studentes in theologica facultate per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apostolicae proventus praebendarum et beneficiorum suorum, non obstante aliqua alia consuetudine.“

Ex hac dispositione nonnulli arguere posse arbitrabantur, quod hujusmodi tempus utile ad percipiendos fructus beneficii, pari ratione utile censeri deberet etiam in computatione quadraginta annorum pro gratia jubilationis; nihilominus Sacr. Congr. in contrariam sententiam descendit in Nepesina Jubilationis 28. Nov. 1711, et in cit. Dubia jubilationum. Proposita enim sub n. 1. quaestione: „An indulgenda sit jubilatio canonicis et beneficiatis, qui spatio 40 annorum ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis, et indultis abfuerint . . . causa studiorum,“ prodiit resolutio: „Negative.“

Hoc posito, etsi can. Giubilei studiis vacaverit, ut ait in Narniensi lyceo, et ideo forsan aliquando choro praesens adstiterit; cum tamen canonicatum obtinuerit, dum annum nonum supra decimum agebat, et impossibile sit, ut pluries non abfuerit usus praesertim speciali indulto quod causa studiorum consecutus fuerat, quinque saltem anni expungendi esse videntur a quadragenario numero, quem ipse explevisse arbitratus est.

Alterum praeterea et majus etiam obstaculum in themate occurrit, inspecto temporis spatio, quo absens a choro idem canonicus fuit cum praedicationis ministerio et oeconomi officio alibi detineretur. Et revera absentibus ratione munerum cum indulto Apostolicae Sedis concedi solet jubilationis gratia, facta tamen distinctione inter simplex indultum non interveniendi choro certis diebus et horis ab altero indulto non interessendi in loco beneficii: Sacr. Congr. Dubia indultorum 6. Maji 1820. §. Notandum. In primo enim casu rescriptum fuit pro jubilatione, in altero vero contra in saepe relata Dubia jubilationum §. Et quod, et ad I. dub. Eminentissimi enim patres respondere rogati: „An indulgenda sit jubilatio canonicis et beneficiatis, qui spatio 40 annor. ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis et indultis abfuerint . . . vel pro suae ecclesiae servitio, vel ratione munerum pro quibus obtinuerunt indulta abessendi pro diebus et horis, vel indulta simpliciter et absolute abessendi ab ecclesia durante officio", rescripserunt: „Affirmative quoad absentes vel pro suae ecclesiae servitio, vel cum indultis abessendi pro diebus et horis, negative autem . . . quoad habentes indulta abessendi absolute durante officio. Eadem Sacr. Congr. in Narnien. 27. Junii 1857. §. Hisce, in Sutrina 22. Sept. 1855. §. Constat. Hac posita resolutione Sacri Ordinis, a fortiori statui potest, denegandam esse jubilationis indulgentiam iis, qui nullo praecunte indulto et debita licentia, munus aliquod, secluso ecclesiae suae servitio, susceptit et etiam laudabiliter explevit. Adsunt praeterea et aliae Sacrae Congregationis resolutiones, quae directe idipsum tradunt, ut videre est in Camerinen. 12. Martii 1796, in Verulana Jubilationis 16. Februarii 1825, in cit. Firmana 13. Sept. 1862, et in Terracinen. 5. Maji et 22. Dec. superioris anni 1866.

Ad hujus doctrinae tramites quisque probe intelligit, mirum haud esse in themate, quod canonico Giubilei denegatum hucusque fuerit optatum indultum. Verum in postremo supplici libello rursus, ut monui, eamdem gratiam rogavit Orator, attenta compensatione fallentiarum et absentiae ex laudabili causa per assiduum chori servitium, quod ultra quadragenarium tempus explevit. Et revera Sacra Congregatio tempus prorogati servitii ultra annos 40 pluries admisit in compensationem omissi vel interrupti servitii intra tempus quadragenarium, ut in Signina diei 4. Febr. et 11. Martii 1786, in Mileten. 18. Augusti 1804, in Placentina 18. Martii 1809. Quod comprobari etiam potest sequentibus formulis: „Recurrat compensatis fallentiis, vel recurrat post annum, aliisque similibus, quibus uti consuevit Sacra Congregatio in diversis casuum adjunctis, ut interim quadragenarium absentia (quae tamen causam habuerit laudabilem) et fallentiis interruptum integratum evaderet. Vide rursus Sutrinam 22. Sept. 1855. §. In Signina, Narnien. 27. Junii 1857. §. Hisce, Albinganen. 27. Aug. 1859. §. Reque vera.

His tamen a me praemissis quoad disciplinam Sacri Ordinis, videant in facto Eminentiae Vestrae, utrum prorogato servitio, de quo superius, can. Orator satis compensaverit cumulum fallentiarum et annos interrupti servitii. Quod si ulteriori compensatione eumdem adhuc indigere judicaverint pro jubilationis indulto, praesertim attentis plurimis absentiae annis, quo oeconomi curati munere perfunctus est in castris dioecesis, perpendant, utrum donari saltem mereatur peculiari indulto exemptionis a choro ob infirmam valetudinem; constat enim ex medici testimonio quod Orator, qui sexagesimum primum aetatis annum agit, affectus est ramice inguinis, qui ei ex laboribus vitae

accidit et magna indiget cautela. Non raro autem, denegata gratia jubilationis, concessum fuit a Sacro Ordine indultum absentiae ad tempus, vel durante infirma valetudine prout in saepe cit. Firmana 13. Sept. 1862.

Negative.

383. Firmana. — Jubilationis.

Die 9. Aprilis 1859.

Sacerdos Urbanus Ferranti die 13. Octobris 1815 canonicatum obtinuit in insigni collegiata ecclesia Amandulae, jamque elapsis quadraginta annis et amplius, petit jubilationis indultum; causatus etiam gravem sexaginta septem annorum aetatem, et adversam qua laborat valetudinem medici testimonio comprobatam.

Remissis precibus Eminentissimo Archiepiscopo pro informatione et voto, ab eo accepi resolutionem capituli Amandulensis, quae Oratoris petitioni adversatur ob sequentia momenta rationum: „1. quia officium chorale detrimentum caperet, cum capitulares quinque paroecias regere debeant; 2. quia collegiata Gallis dominantibus suppressa anno 1822 restituta est ideoque canonicus Ferranti 40 annos servitii non explevit; et saepe idem canonicus existente privilegio alternativae per alium canonicum munus chorale obiit; 3. aetas ejus non sufficit ad obtinendam jubilationem et multo minus ejus infirmitas habitualis, cum canonicus omnibus aliis meliore sanitate gaudeat.“

Haec capitulum. „Verum (ita mentem suam pandit vir Eminentissimus) ceteris posthabitis argumentis ad petitionem rejiciendam allatis, hoc unum arbitror perpendendum, quod nempe, licet Orator anno 1815 canonicus fuerit renunciatus, attamen suppressionis ratione nonnisi anno 1822 revera choro inservire ceperit; quapropter non videtur pro nunc quadragenarium servitium explevisse; quoties aliter esset sentiendum, preces benigne accipiendas censerem ab Eminentiis Vestris.“

Contra capituli exceptiones exhibet Orator testimonium veteris custodis sacrarii collegiatae annos nati 83, in quo habetur, inde ab anno 1814, quo regnum Pontificium restitutum est, canonicos officium chorale in collegiata obire coepisse, iisque canonicum Ferranti se associasse possessione capta mense Octobris 1815; restitutionem fundorum capitularium nonnisi anno 1822 evenisse. Huic testimonio alter aetate grandevus vir ejusdem civitatis sese subscripsit.

Exinde corruere in facto perpendit Orator praecipuum capituli objectum super choralis servitii continuitate per annos quadraginta. Ac revera quod in capitulo Amandulae, idipsum factitatum fuisse in ceteris pluribus capitulis per id temporis constat, quamvis suppressionis fatum subierint; eam fortasse ob rationem, quia pensionem canonicis a Gallico gubernio assignatam, servavit gubernium Pontificium, lege tamen imposita, ut chorale servitium praestarent. In jure autem animadvertit: in concedendo jubilationis indulto hanc probari distinctionem, ut si quis ex causa necessaria ecclesiae et chori servitio non vacaverit, jubilationem nihilominus consequatur; si vero ex causa voluntaria, tunc per servitium diutius protrahendum fallentiae compensari debeant, S. Congregatio ad dubia jubilationum 17. Decembris 1718 et in Bononien. 22. Novembris 1823. §§. Licet et Cum (inter summaria precum). Haec porro regula Oratoris favore obtinere videretur, cum per eum non steterit (quatenus capitularium objectum in facto consisteret), quominus durante suppressionis tempore choro inservierit.

Cetera objecta eo magis posthabenda censet Orator. Et sane ejus culpae verti nequit quod per alios aliquando chorale munus obierit, usus privilegio alternativae, quo illius ecclesiae canonici gaudent, cum ista commutatio in servitio chorali ex antiqua consuetudine non consideretur ut negligentia, sicut testantur supradicti testes. Quod si ultra tempus legitimae vacationis abfuerit, postremis plane tribus hisce annis, quibus praeter quadraginta choro inservivit, praeteritas omnes fallentias abunde sibi compensasse videtur. Nec ejus petitioni officere objectum detrimentum servitio chorali inde obventurum, cum possit Episcopus ad chorum in casu urgentis necessitatis revocare etiam jubilatos, ceu respondit S. Congregatio in Civitatis Castellanae, Jubilationis 15. Julii 1820. Imo jubilationem concessit eadem S. Congregatio in Sutrina 21. Februarii 1824 inter supplices libellos relata, non obstante dissensu tum Episcopi, tum capituli, eo quod tres tantum reliqui essent canonici choro inservientes.

Tandem ad impetrandum jubilationis indultum opus non est, ut beneficiatus cuncta senectutis incommoda persentiat; quamvis, quidquid secus asserant capitulares, adversa etiam valetudine Oratorem laborare medici testimonio comprobatum sit.

Pro gratia jubilationis cum solitis cautelis.

384. Firmana. — Jubilationis.

Die 13. Septembris 1862.

Ad jubilationis indultum obtinendum sacerdos Seraphinus Governatori e terra Montegiorgio archidioecesis Firmanae, ibidem in insigni collegiata ecclesia SS. Joannis et Benedicti canonicus, instantes preces H. S. C. obtulit, quibus exponit se die 3. Martii 1822 canonicatus possessionem suscepisse, assiduo et diligenti servitio suo muneri satisfecisse usque ad annum 1855, a quo tempore gravissimo morbo praepeditus a choro abesse coactus fuit. Narrat enim eo anno se magno pectoris dolore et pertinacissima tussi correptum, fortissima respirationis difficultate et sanguinis emissione afflictum sacro viatico et extrema unctione fuisse muniendum; nunc vero continuis adhuc medicorum praescriptionibus subjectum aegerrimam vitam ducere, cum et alterius ope indigeat ad se induendum exuendumque, sine baculo incedere minime valeat, et adeo nervorum morbo torqueatur, ut ab eodem situ diu servando impediatur. Addit tandem quam minimum frigus sibi esse intolerabile, ex quo non leve sibi vitae periculum immineat.

His ergo animadversis, et attento quadraginta annorum servitio quod in ecclesia laudabiliter se peregisse dicit, rogat jubilationis indultum, ut fructibus suae praebendae et distributionibus gaudere possit, quin chori servitio in posterum obstringatur.

In absentia per summam injuriam et perditorum hominum consilio e sua archidioecesi Archiepiscopi Firmani, rogatus ipsius pro-vicarius de informatione et voto, utque audito capitulo ex jurata medici fide referret de legitima infirmitatis causa, nec non an, et quamdiu superiori tempore Orator a choro abfuerit ob eamdem infirmitatem cum indulto Apostolico, die 12. Maji h. a. medici testimonium transmisit, simulque testatus est veritati consonas esse Oratoris preces, quin tamen indultum aliquod Orator ipse ab Apostolica Sede impetraverit.

Ex jurato medici testimonio eadem prorsus evincuntur, quae jam enarravi de gravitate morbi, et de necessitate maximae cautelae, ne canonicus

illico in vitae periculum incidat. Iis vero non obstantibus, capitulares Oratoris precibus minime favent. Animadvertunt enim ante annum 1844 chorale servitium ad dies festos tantem fuisse cohibitum; postea vero licet quotidianum in ternas hebdomadas fuisse divisum, quarum una tantum singulis canonicis expleto turno contingit. Hinc igitur arguunt, quod cum quatuor jam, et brevi etiam sex canonici annorum quadraginta servitium expleverint, si jubilationis indultum Oratori et aliis deinde, si petierint, tribueretur, chorale servitium in binas tantum hebdomadas subdividendum foret, quod in damnum reliquis canonicis obveniret.

Etsi nihil statutum reperiatur apud sacros canones de jubilationis indulto canonicis elargiendo ob quodcumque chori servitium, maxime tamen aequitati consonum, et diligentiori chori servitio proficuum visum est H. S. O. honorabile illud otium, quo canonicus qui per annos quadraginta choro continue et laudabiliter interfuerit, ab eo deinceps sine fructuum et distributionum jactura abstinere possit; ceu videre est, ceteris omissis, in Spoletana et Reatina, Jubilationis 7. Augusti 1779; et in Montis Falisci, Jub. 2. Dec. 1786. „Si enim quotidianum et non interruptum chori servitium, inquit Benedict. XIV. de synod. dioec. lib. 13. c. 9. §. 15. omnium hominum judicio laboriosum et grave censetur, multo sane gravius atque molestius progressu temporis visum est nullum, donec vixeris, serviendi finem videre, quantumvis diuturno annorum curriculo cum assiduitatis et diligentiae laude inservieris.“

Quod si hujusmodi indulto jubilationis ex universali consuetudine introducto juxta laudat. Bened. XIV. de syn. dioec. l. 3. c. 4. §. 6. merito consultum est ex una parte beneficiatis; omitti tamen ex altera haud potuit certa lege caveri, ne rude donarentur, nisi qui statuto tempore et laudabiliter servitium praestitissent.

De laudabili servitio a canonico Governatori praestito nullatenus dubitare videntur nec capitulares nec pro-vicarius Eminentissimi Archiepiscopi; judicandum sed vero Eminentiis Vestris relinquitur, utrum memoratus canonicus, etsi diligenter et cum laude choro semper interfuerit ab anno 1822 ad annum 1855, quadragenarium tamen illud servitium expleverit ad jubilationem obtinendam requisitum, cum ad numerum 40 annorum conficiendum necessario computari etiam in casu debeant septem alii postremi anni, quibus licet ex gravissima et usque perseveranti infirmitate a choro Orator abfuerit, nullo tamen impetrato indulto abfuit. Ex quo statui non immerito posse videtur, juvari quidem posse canonicum adducta infirmitatis causa ad dispensationem a choro obtinendam, quamdiu infirmitas ipsa fuerit duratura, minime vero juxta praxim hujus Sacrae Congregationis ad jubilationis indultum consequendum. Proposito enim casu inter dubia jubilationum diei 24. Septembris et 17. Decembris 1718 a Benedicto XIV., dum munere secretarii H. S. O. fungebatur: „An indulgenda sit jubilatio canonicis et beneficiatis qui spatio 40 annorum ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis et indultis abfuerint ab ecclesiis vel ex causa infirmitatis, vel alia de causa?“ Sacra Congregatio respondit: „Affirmative quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis et indultis. Nec aliter ab hujusmodi resolutione dimissa est Eugubina 19. Augusti 1775.

Porro ex hujusmodi rescriptis consequi videretur in casu denegandum esse jubilationis indultum, nisi forte Eminentiis Vestris placuerit ea uti benignitate, qua ex infirma valetudine aliquod breve tempus remitti solet ex commissis fallentiis, uti factum esse perlegimus in una Brictinorien., in qua pro gratia jubilationis rescriptum est, etsi Episcopus testatus esset,

Oratorem per sex annos in numero quadraginta duorum plerumque choro non interfuisse, ex quo eumdem minime meritum indulto arbitrabatur.

Ceterum licet ex una parte non nimis insistendum videretur favore Oratoris motivo infirmae valetudinis, minime tamen contra ipsum nimis attendendum foret oppositioni capituli, cujus votum Sacra Congregatio non exquirit, ut consensum capitularium obtineat ad gratiam concedendam, sed eo solo fine eosdem audiri mandat, ut de laudabili continuo servitio per annos 40 certo constet, et causae detegantur, si forte adsunt, quae porrectis precibus obstent. Neminem siquidem latet etiam contra capituli votum, si de ipsius injusto dissensu constiterit, S. H. O. jubilationis indultum concessisse, licet plures etiam essent beneficiati qui eamdem gratiam expostulare valerent, ceu apparet in Civitatis Plebis, Jubilationis 23. Nov. 1782, et altera Civitatis Castellanae, Jubilationis 15. Julii 1820.

Iis omnibus in themate perpensis quoad jubilationis indultum, Eminentiarum Vestrarum erit judicium ferre, quid porrectae preces mereantur; ego autem in praesenti casu recolere non omittam rescriptum, quod ab Eminentissimis Patribus prodiit in una Urbinaten. Indulti 18. Sept. 1802, in qua cum ex causa etiam infirmitatis jubilationis indultum expostularetur, proposito dubio: „An et quomodo sit concedendum indultum jubilationis in casu?“ rescriptum fuit: „Negative, sed concedendum indultum abessendi a choro durante infirma valetudine.“

Negative, sed concedendum indultum abessendi a choro durante infirma valetudine.

385. Montisfalisci. — Jubilationis.

Die 31. Januarii 1852.

Expleto sub die 18. Junii 1850 quadragenario servitio, jubilationis indultum expetiit sacerdos Cajetanus Perla, qui chorale possidet beneficium in majori templo Montis Falisci. Neque concessioni nocere posse est arbitratus intervallum annorum quinque ac sex mensium, quo ipse ab anno 1812 ad 1817 moratus est in ejusdem civitatis seminario, indulto licet Apostolico destitutus; praeterquam enim temporum conditio eum ab indulti defectu satis excusat, sese, licet in seminario commorantem, ecclesiae suae fideliter inservisse contendit per omnes dies, quibus aut festum infra annum incidebat, aut lectiones vacabant ultra medietatem feriarum autumnalium quorum insimul numerum, exhibito schemate, octo et nonaginta supra centum quotannis assignat. Quibus positis, cum chorale servitium in praefata cathedrali per alternas expleatur hebdomadas, tempore sui incolatus in seminario longius quam sex anni mensibus, attenta alternativa, debitum praestitisse servitium sese demonstrasse putavit; nihilque proinde sibi impedimento fore, quominus expetitum consequeretur indultum.

Eminentissimus Episcopus super precibus interrogatus, accepto capituli voto Cajetano penitus inimico, huic primum prorsus adhaesit tum ex causis deficientis servitii per capitulum allatis, „tum habita ratione ad Oratoris aetatem“ sunt verba Eminentissimi Viri „quae est annorum quinquaginta septem, et ad optimam, qua gaudet, valetudinem, ita ut sine gravi incommodo ecclesiae suae possit adhuc inservire.“ Opportunum exinde judicavi, instante praesertim Oratore, dierum elenchum (quibus ipse, cum in seminario degeret, inservisse defendebat, ac sex virorum, qui cum eo eadem de causa fuerant in seminario commorati, testimonio comprobabat) ad eumdem Emi-

nentissimum transmittere, eumque rogare, ut referret, an Orator fallentias compensaverit, sin minus in qua quantitate forent adhuc compensandae.

Vir autem Eminentissimus audivit iterum capitulum, an fallentiae fuerint ab Oratore compensatae, ab eoque unanimiter suffragante negativum inquit habuisse responsum ob rationes in transmisso folio contentas et inferius enucleandas, ac praeterea subdit: „Elenchum dierum, quibus Orator choro interfuit, non potui conficere, desunt enim punctationum regestra, praesertim de tempore gallicae invasionis, et non asservantur nisi recentiora. Elenchum autem vacationum per Oratorem exhibitum nonnullis correctionibus esse obnoxium patet ex dictis in adnexo folio, capituli videlicet, nec non ex testimonio quatuor sacerdotum, de quo in eodem folio fit mentio. Ceterum deficientibus indubiis argumentis, ex quibus praecise desumi possit, an et in qua quantitate compensandae sint fallentiae, istius S. Consessus auctoritatis ac indulgentiae erit discretum praefinire terminum ultra annos quadraginta, quo elapso Orator sacerdos beneficio jubilationis frui valeat.“

Capitulum vero in folio ab Eminentissimo transmisso monet primum non jam sex, sed novem anni mensibus juxta sanctionem Tridentinae synodi illius ecclesiae servitium ab unoquoque praebendato compleri: tempore siquidem quadragesimae, octava sacratissimi Corporis Christi, festis omnibus diebus infra annum tam de praecepto quam reductis, ac vigiliis principalioribus una cum anniversariorum officiis servitium omnibus et singulis est commune. Oratorem, dum in seminario versabatur, iis tantum vacationum diebus choro interfuisse, qui in propria incidebant hebdomada, servata alternativa, quatuor ex capitularibus congregatis, qui Oratoris consocii fuerunt in seminario, testatos fuisse perhibetur. In feriis autem autumnalibus, quarum initium serius ponitur, quam Orator assignat, non ita divinis officiis assiduus fuisse traditur, quin identidem ac non raro in propria etiam hebdomada chorum desereret, ut venationi ad animum relaxandum vacaret. — Observat deinde numerum festorum et vacationum ab Oratore adnotatum esse tertia saltem parte minuendum, cum nonnullae ex mobilibus festivitatibus saepe saepius cum die dominico concurrant, et aliae quaedam vacationem tabellatam elidant, quia vel eadem die coincidunt, vel proxime praecedunt aut subsequuntur. Qualibet vero feria quinta in scholis inferioribus usque ad philosophiam, in quibus Orator pleribusque seminarii annis versatus est, vacat lectio tantum de sero, dum e contra integra in exhibito elencho assignetur ea ipsa die absque ulla distinctione vacatio. Ex quibus servitium annuale ab Oratore praestitum, donec mansit in seminario, tres menses cum dimidio non excessisse concludit, quod cumulative sumptum haud satis esse subjungit compensare fallentias annis insequentibus interpolate commissas, queis compensandis ne duorum quidem annorum servitium assidue praestandum sufficeret: unde votum suum sic obsignat, ut Orator ad obtinendum jubilationis beneficium totum studiorum tempus in seminario jampridem exactum compensare teneatur.

Hisce autem plura reponit Orator. Ac primum observat tempus, quo in seminario versatus est, sibi ad jubilationis effectum esse computandum aeque ac juvit ceteros, qui eidem seminario operam suam praestitere in munere rectoris, magistrorum, aut spiritus moderatoris, ceu in ipsa cathedrali Falisca diuturna inolevit consuetudine; indulti Apostolici defectum calamitosissimae temporum conditioni, non autem ejusdem culpae tribuendum. Capitulum ideo sibi fuisse contrarium affirmat, quia ex Oratoris jubilatione missarum conventualium cuique numerus augescit. Spernendas autem illius oppositiones prosequitur tum quia, quod per nonnullos capitulares assertum

edicitur, nullo ipsorum documento demonstratur, dum e contra ejus servitium in seminario degentis assiduum fuisse per omnes dies festos, eosque, quibus lectio cessabat, luculento plurium testimonio comprobetur; seque iis etiam festis et vacationibus, quae extra propriam hebdomadam occurrebant, interfuisse peculiari circumstantia confirmetur, quod illis temporibus plerique capitulares exilium passi residentiam et chorum reliquerant, ipsumque non tantum propria sed superiorum voluntate, ut parvus psallentium numerus augeretur, chorum reapse frequentasse: quibus adjecta medietate dierum feriarum autumnalium (quarum initium tunc solum longius fuisse protractum in minoribus scholis exhibito documento justificat, cum ad Faliscorum cathedram Eminentissimus Gazola cl. me. evectus est anno 1816, quo tempore theologicis studiis operam ipse navabat), despecta prorsus contraria capituli assertione gratis et ex pura malignitate producta, integrum redire propugnat numerum dierum 198 quibus ipse in seminario commoratus quotannis inserviit, ceu in elencho adnotantur: prout etiam onus missarum conventualium, quamdiu versatus est in seminario, per alium fideliter implevisse nullimode controvertitur, quamvis nec id attestatione careat. — Quod autem gratuito capitulum asserit de servitio novem mensium, demonstrativa duorum beneficiatorum expungit attestatione, qua patet servitium toto anni tempore praestandum haud longius protendi, quam ad dies duo et quinquaginta supra biscentum. Quare computatis diebus servitii quotannis ab ipso praestiti, donec studuit in seminario, nonnisi quinquaginta quatuor dies in singulos seminarii annos sibi compensandos esse tuetur, qui per omnes annos collecti dies biscentum et septem ultra nonaginta conficiunt. Has autem fallentias abunde fuisse compensatas ex servitio dierum ultra quatuorcentum, quod ipse praestitit a die 18. Junii 1850, quo quadragesimus annus expletus est, usque ad praesentem diem. Ex hoc imo ulteriori servitio satis censeri eas etiam posterioris temporis compensatas fallentias, quae cum sint paucorum mensium in longo triginta trium annorum intervallo, quaeque pauciores sunt quam exagerate prolatae a capitulo, atque eae insuper ad medietatem reducendae, attenta alternativa servitii obligatione, fore contemnendas arbitratur, quippe cum ex iis assiduo ac laudabili servitio nihil omnino videatur detractum.

In hoc partium conflictu oraculum EE. VV. consulendum esse putavi, iisque utrimque deductis fideliter in facto praemissis, pauca nunc pro meo munere addam in jure, eaque persertim, quae ad praxim et stylum S. Congregationis pertinere videntur.

Atque hic mihi prae primis animadvertendum existimo tempus, quo quis abest a residentia vel vacat a choro causa studiorum, numquam ad jubilationis effectum fore computandum, etsi studens pontificio fuerit auctus indulto, decisum est apertissime in decretis generalibus super dubiis jubilationum die 17. Decembris 1718 ad 1. dub.

Propius vero ad controversiam hodiernam accedendo, ea fuit constans S. Ordinis praxis, ut jubilationis indultum minime concedatur nisi plene doceatur de laudabili et continuo 40 annorum servitio, ceu perpenditur in cit. dub. jubilat. 24. Septembris 1718. §. Et quod. — Licet enim materia jubilationis sit quodam respectu favorabilis, utpote quae est aequissimum praemium labori ac servitio donandum, ac tendit in utilitatem ipsius ecclesiae, prout adnotatur in Gerunden. Jubil. 15. Febr. 1772. §. Ad primum, in qua non obstante expressa statutorum prohibitione, jubilatio concessa est; alacriores siquidem magisque solertes ex hac immunitatis spe fiunt praebendati in praestando servitio, ut in Spoletana Jubil. 18. Aug. 1770. §. 8. et in Lucana Jub. 8. Jun. 1771. §. 3: sub alio tamen

respectu est etiam odiosa, quia per eam ecclesiae servitium imminuitur; unde factum est, ut, continuo plenoque deficiente servitio, non modo negavit, sed concessum etiam indultum rescidit S. Congr., veluti admonemur in Placentina Jubil. 28. Jul. 1787. §. Etsi, quod adamussim accidit in Costantien. Jubil. 4. Maji 1737. Haec namque jubilationis indulta non ex justitia nec juris canonici sanctione debentur, sed gratiam prae se ferunt, uti traditur in Feltren. Jub. 11. Januar. 1721. §. 1., in Calaguritana Jub. 18. Apr. 1733, in Valentina Indulti 27. Januar. 1761. §. 4 et in Montis Falisci Jub. 2. Dec. 1786. §. 3 ac proinde conditiones requisitae debent concludenter justificari.

Cum autem hujusmodi beneficium in laboris praemium sit institutum, facile hinc conjicitur ad hunc effectum haud esse habendam rationem ad senectutem aut aegritudinem postulantis; iis enim deficientibus adjunctis passim per S. hunc Ordinem eadem indulta largiri monemur in cit. Feltren. §. Porro, et quotidiana docemur experientia; quamvis contrarium referatur in Ripana Jubil. 29. Novembr. 1710; ibi namque legitur bonam valetudinem ab indulto jubilationis solere regulariter excludere.

In defectu vero librorum fallentiarum ex juris praesumptione pro diligentia postulantis resolvendum expenditur in Civitatis Castellanae 17. Septembris 1842. §. Primo; ubi enim negligentia concludenter non demonstratur, utpote quae culpam importet, numquam praesumitur, quod luculenta resolutione firmatum est in Sutrina 21. Febr. 1824 inter summaria a Gamberinio collecta n. 117.

Expendent igitur Eminentissimi Patres, num reapse constet de laudabili quadragenario servitio plene per Oratorem justificato, quid praesertim sentiendum de computo dierum in elencho designatorum, prae oculis habitis capituli animadversionibus; utrum scilicet quota fallentiarum sit debite compensata, seu potius quodnam adhuc tempus pro necessaria ac sufficienti compensatione requiratur.

Pro gratia jubilationis cum solitis clausulis post exactum integrum servitium currentis anni.

386. Lucana. — Exemptionis onerum.

Die 27. Novembris 1852.

Rude donatus jam ab anno 1837 Michael Gamboni canonicus collegiatae ecclesiae civitatis Camajore adversarium expertus est capitulum in pluribus, quibus frui pacifice sperabat veluti indulti consectariis. Renuit nimirum continuo capitulum exemptum illum agnoscere ab onere eleemosynam suppeditandi pro missis capitularibus de turno canendis, quatenus per alium id explendum fuisset. Renuit insuper eum participem reddere emolumentorum capitularium, quae adventitia dicuntur. Obnoxium demum eum volunt oneri nonnullarum missarum, ad quarum celebrationem diebus festis pro populi commoditate, quisque e capitulo, haud excepto jubilato, formiter capitulari deliberatione die 27. Aprilis 1839 sese devinxit.

Recursum quidem jam habuit Gambonius ad S. hanc Congregationem, ut exemptiones ac jura jubilati declararentur, et sub die 29. Aprilis 1843 obtinuit responsum hujusmodi: „Dentur resolutiones S. Congregationis ut in Aquipendien. 1. Aprilis 1719 et in Spoletana 24. Novembris 1770“, quibus resolutionibus aperte innuebatur canonicum jubilatum, etsi absentem, participare tum de aliorum fallentiis, tum de emolumentis

adventitiis anniversariorum, et associationum cadaverum, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis, tum demum de exemptione canendi missam conventualem vel per se vel per alium. Ast nihilominus perstante capitulo in sua oppositione, coactus iterum fuit Gambonius S. Ordinis praesidium implorare, ne alias sibi annis jam gravi jubilationis indultum nullius momenti maneat.

Auditus Archiepiscopus, in capituli partes potius concedit, quae nimirum sunt, ut jubilatus a missis canonicalibus eximi nequeat per solutionem saltem eleemosynae, quia secus ceteri canonici imminutionem in respectiva canonicali quota pati contra aequitatem cogerentur, cum non adsint pro hujusmodi missis reditus peculiares. Ut insuper quoad emolumenta tantum, quae certa dicuntur, ipsi liceat partem condicere; cum pro eventualibus personalis adsistentia requiratur. Ut demum quoad missas ad populi commoditatem celebrandas, nulla sit ratio dubitandi, quum onus hujusmodi non a canonicali titulo, sed a peculiari cujusque obligatione scateat; Gambonium in eam convenisse quando jam jubilationis indultum obtinuerat; incivile hic esse susceptam obligationem respuere.

Porro haud probe argumentari capitulum videbitur quoad primum et secundum articulum, quum hodie post innumeras S. Ordinis resolutiones praeter adductas Aquipendien. et Spoletanam haud dubitari liceat, quin canonicus jubilatus non teneatur neque ad missas capitulares seu conventuales celebrandas, neque ad eleemosynam pendendam, quidquid sit de damno ex hoc aliis capitularibus obveniente, ceu articulo formiter discusso definitum nuperrime fuit in Reatina 26. Januarii 1850; quemadmodum neque sit fraudandus universis obventionibus eventualibus, quatenus peculiaris dispositio non resistat.

Ratio potius assistere videtur capitularibus in eo, quod respicit onus susceptum litandi missas ad populi commoditatem, quod, jubilationis indulto firmo manente quoad ea, quae respicit jura canonicalia, consistere potest etiam in jubilato, obligationis indole inspecta. Nisi forte Gambonio suffragetur error, sub quo obligationem ipsam contraxisse fatetur, quam tanti roboris haud futuram existimat, ut ex ea evincatur animus abdicandi jura ac privilegia, quarum jam possessionem nactus fuerat vi jubilationis.

Quoad missas capitulares et emolumenta eventualia capitulum pareat decreto S. Congregationis diei 29. Aprilis 1843; quo vero ad missas ad populi commoditatem celebrandas lectum ad instantiam, et notificetur Episcopo.

387. Romana. — Distributionum.

Die 10. Maji 1862.

Sacerdos Franciscus Seraiter Lateranensis basilicae beneficiatus die 10. Septembris 1860 propter continuum ac laudabile quadraginta annorum servitium, jubilationis ab hac S. Congregatione obtinu t indultum, sub consueta clausula, „ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui beneficii percipere valeat, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset.“ Cum vero in Lateranensi basilica varia exstent intra annum anniversaria, quae specialia emolumenta interessentibus conferunt, cumque adsint etiam speciales distributiones pro servitio aestivo, quas inter praesentes nuncupant; hinc canonici has sicut illa indultario denegant, existimantes distributiones hujusmodi vere prae-

sentes lucrari ita, ut nulla ad eos habeatur ratio, qui fictione juris, nec aliter, tales habentur. E contra Seraiter has quoque sibi deberi arbitratur in vim praefati indulti executoriali decreto jam debite muniti; quare supplicem obtulit huic S. Congregationi libellum, ut declaretur easdem etiam sibi jus esse lucrifaciendi.

Preces ad Eminentissimum capituli Lateranensis Archipresbyterum ablegatae fuere pro informatione et voto, utque transmissa particula statutorum capitularium ad rem facientium referret de bono jure; et iis omnibus satis faciens Eminentissimus Archipresbyter, ad hanc S. Congregationem responsum transmisit quod in scriptis a Lateranensi capitulo obtinuerat, expresse addens in suis literis 3. Febr. 1862, se capituli voto plene conformari.

Contrariam beneficiato Seraiter reverendissimi canonici Lateranensis capituli sententiam protulerunt. „Inter 27 indulta jubilationis, ita canonici, quae inde ab anno 1759 in hac basilica concessa sunt, unum solum reperitur, quo anno 1816 cuidam Francisco Marzelli, ex speciali gratia concessum est, ut etiam distributiones inter praesentes perciperet. — Cetera rescripta eodem semper tenore concepta sunt et semper eamdem interpretationem in hac basilica obtinuerunt, ut nempe jubilatus omnes percipiat distributiones exceptis iis, quae personalem assistentiam requirunt.“

Quare inferunt canonici ab hac nullimode esse recedendum consuetudine, utpote non modo antiquissima, sed cultui divino apprime convenienti, ac piorum consona voluntati testatorum. Eo magis quia nunquam de ea conquesti sunt jubilati. Diligenter enim perquisitis tabularii libris, nullum vel leve reperire datum fuit querelae vestigium, ex quo concludendum, sacerdotem Seraiter primum solumque esse, qui hujusmodi questionem promoverit.

Cum nihil hac de re pro generali regula cautum vel definitum reperiatur, diversae pro diversis casibus resolutiones reperiuntur. Quae quidem resolutionum diversitas, prout jam animadverterat in causa Aquipendien. Indulti 18. Martii 1719 Benedictus XIV. qui tunc secretarii munere hujus S. Congregationis fungebatur, non aliunde repetenda est, quam ex variis casuum circumstantiis, ex diversis conditionibus a testatoribus appositis, et ex peculiaribus cujusque ecclesiae statutis et consuetudine. Quod apprime patet sequentibus resolutionibus in Reatina, Distributionum 19. Aprilis 1692, in qua proposito dubio: „An canonico jubilato vigore indulti jubilationis debeantur distributiones et fallentiae canonicorum absentium, etiamsi choro non intersit?“ responsum fuit: „Affirmative, dummodo non obstent constitutiones particulares et consuetudo ecclesiae“ lib. 42. decret. pag. 117 et similiter in Aquipendien. Jubilationis 28. Martii 1697, in qua ad tertium, inter alia, dubium his verbis conceptum: „An idem canonicus jubilatus participare possit de distributionibus, quas ponunt in massa ceteri canonici, sive ipse sit praesens, sive absens a choro?“ responsum fuit: „Affirmative etiam quoad fallentias, nisi obstet statutum, seu consuetudo“ (lib. 47. decret. pag. 85 et 14.).

Summatim vero quid generaliter principii instar in hac materia tenendum sit, docuit S. Congregatio in Aquilana, Indulti die 26. Junii 1745; in qua cum ageretur de indulto concesso cuidam canonico absenti ab ecclesia, dubitatum est: „An et quibus emolumentis perfrui debeat?“ prodiitque resolutio: „Deberi omnia emolumenta, exceptis iis quae sive ex dispositione testatoris, sive ex statuto et consuetudine ecclesiae debentur tantum actu inservientibus, et amplius“. Et tanti statuit H. S. O. semper faciendam esse consuetudinem in ecclesiis vigentem, ut ad eam observandam, eique adhaerendum existimaverit, quamvis earundem ecclesiae statutis opponeretur.

Exemplum prostat in Tudertina, in qua ita casus proponebatur: „Est antiqua constitutio in dicta ecclesia, ut canonici, qui infirmantur, durante eorum infirmitate, percipiant fructus tam praebendae, quam quotidianarum distributionum, sed consuetudo introducta est, ut ipsi infirmi fructus tantum praebendae consequantur, non autem quotidianas distributiones; quaeritur in hoc casu, an constitutio vel potius consuetudo sit servanda?“ Sequens vero data est responsio: „Consuetudinem, si legitime praescripta sit, tollere constitutionem,“ ut in lib. 1. decret. pag. 86.

Non lucrari.

388. Montis Politiani. — Participationis.

Die 12. Augusti 1865.

Ecclesia cathedralis Montis Politiani distinctas habet praebendas, quae singulis canonicis conferuntur, nec non massam communem, de qua singuli pro rata participant, quaeque partim in frumento, partim in pecunia quotannis die festo Nativitatis D. N. J. C., atque die prima Augusti distribuitur. Uno vero alterove canonico obeunte, vacans praebenda in administrationem transit civilis magistratus tamquam regio juripatronatus subjecta; massae autem communis portio superstitibus capitularibus accrescit.

Vacant ad praesens in praefata ecclesia tres canonicatus, quorum augmentum massae communi obveniens ceteri canonici distribuere pro sua quota denegant Petro Cinotti canonico theologo, qui jubilationis indulto donatus fuit anno 1863. Quapropter hic supplici libello Beatissimum Patrem rogat, ut a S. Congregatione Concilii decidatur, ipsi distributionem istorum augmentorum non esse denegandam.

Episcopus ad quem preces de more remissae fuerunt, literis diei 16. superioris mensis Maji ita super capituli deductionibus (quas diligenter exponit) et super Oratoris precibus mentem suam aperit: „Praemittendum primo puto, indicto formiter capitulo vel a die 28. Aprilis ultimi elapsi exhibitam mihi fuisse ab ipso capitulo memoriam quamdam pro asserenda et servanda in oppositum consuetudine generali de omnibus augmentis jubilatis negandis, quam paucis complectar. Ad annum 1738 refertur, annuente Episcopo data fuisse non integra, sed parvum augmentum ex communibus distributionibus Xaverio Egidi jam jubilato, postulatione ad ipsum capitulum praemissa. Id ipsum cum Felice Egidi pariter jubilato contigit anno 1739, canonicis pro tuenda consuetudine nihil impertiendi jubilatis ex distributionibus Episcopum rogantibus, ut per S. Congregationem adjiceretur in jubilationis indulto „salva in reliquis consuetudine dictae ecclesiae“, et protestantibus, ne in exemplum adducerentur partiales istae quorumdam fructuum concessiones a canonicis factae.“

„In decreto S. Congregationis pro jubilatione supradicti Felicis Egidi anni 1738 die 20. Decembris rescribitur, ipsum ex Pontificio indulto frui debere omnibus proventibus et distributionibus sui canonicatus, exceptis fallentiis canonicorum absentium, dummodo non obstet consuetudo sive statutum ecclesiae. Hic vero animadvertendum censeo, agi de emolumentis supervenientibus ex fallentiis seu punctaturis, non de alterius generis augmentis. Ex quadam supplicatione Dominici Vannuzi apparet, ipsum postulasse emolumenta ex punctaturis provenientia, quae denegata fuerunt, et actum cum ipso fuit ex gratia, prout actum fuit cum supradictis duobus canonicis Egidi. Sub initio hujus saeculi sede episcopali vacante proventus unius vel duorum cano-

nicatuum vacantium distributi fuerunt etiam jubilatis: at paucos post annos, orta controversia, interposita jubilatorum supplicatione, proventus isti, tamquam indebiti, condonati fuerunt, et iterum, nemine reclamante, asserta consuetudo non admittendi jubilatos ad extraordinarias distributiones."

Postremo citatur capitularis constitutio 87; in qua tamen nulla mentio fit canonicatuum vacantium, proindeque de solis distributionibus punctaturarum sic se habet: De distributionibus absentium. „Licet autem de jure et forsan de consuetudine sit, quod distributiones, quas canonici si praesentes fuissent, lucrantur, ipsis tamen absentibus, accrescant praesentibus et servientibus, et mentis nostrae sit juris hujusmodi dispositionem in dicta ecclesia observari debere, et ita volumus et mandamus."

„Hisce praenotatis animi mei sensum aperiam. Nulla in episcopali curia existit hac de causa res judicata; asserta canonicorum consuetudo, quae viget, respicit plerumque distributiones punctaturarum, et parvas alias distributiones, et quandoque etiam emolumenta ex vacatione canonicatuum; sed praesens circumstantia plurium canonicatuum, et longi temporis minime ob oculos habetur. Numquam praeterea invenitur, jubilatos formaliter constanterque in curia vel apud S. Congregationem reclamationem interposuisse et causam egisse, et proinde, ut videtur, acquievisse pro lubitu, et compositione facta reliquorum placitis: pertractari insuper nunc de non parvo emolumento, quo amisso, vim suam plenam et pondus non haberet Pontificium rescriptum mensis Aprilis 1863, absolute datum sine ulla clausula et restrictione (quam adjicere non datur Episcopis, et quae apposita aliquando invenitur, aliquando non invenitur) per quod sancitur indeterminate jubilato deberi integras distributiones, quemadmodum reliquis, qui choro assistunt, et quidem alios proventus, qui juxta praxim, quae communiter viget, dividi solent annuatim inter singulos capitulares. Et hoc maxime considerandum esse censeo in praesentiarum, cum agatur de viro gravi aetate annorum octoginta quatuor, qui per quinquaginta et amplius annos, dioecesanum clerum in sacris disciplinis erudivit, et praedicationi et confessionibus auscultandis assidue vacavit, fatentibus ipsis capitularibus, qui demum in hanc postremam sententiam, parum profecto illorum dignam, devenerunt, dandi scilicet jubilato solum aliquas frumenti mensuras, quas ipse procul dubio recusaret, et quidem excepto primo jam elapso anno."

Ea est generalis formula, qua concedi solet ab H. S. C. jubilationis indultum, ut „quamvis in posterum (jubilatus) non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas seu canonicales percipere valeat, perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset." Animadvertendum tamen est Sacram Congregationem, proposito generatim dubio, an vigore indulti jubilationis debeantur etiam distributiones et fallentiae, saepe respondisse: „Affirmative dummodo non obstent constitutiones particulares aut consuetudo ecclesiae," ceu patet ex Reatina Distributionum 1692: Aquipendien. Jubilationis 1697, Tranen. Jubilationis 13. Januarii 1703, Spoletana et Reatina Punctaturarum 3. April. 1841. Quae autem in casu a capitulo Montis Politiani proferuntur, demonstrare videntur consuetudinem temporis admodum diuturni, et ab ipsis jubilatis semel iterumque agnitam, qua jubilati excluduntur a perceptione distributionum obvenientium a vacantibus portionibus massae communis.

At memorata superius facta a canonicis relata non videntur plene uniformia, eaque potius exhibent jubilatos participare de augmentis praebendarum vacantium: quin obstet unius alteriusque jubilati agendi ratio, qui veluti ex ceterorum canonicorum liberalitate praefatas distributiones percipere visus

est; hujusmodi enim factum haud videtur praejudicium inferre potuisse successoribus. Dubitari proinde praeprimis posset de legitimae consuetudinis existentia, vel ea etiam posita, disquiri valeret, utrum servanda tamquam lex esset vel potius tamquam corruptela reprobanda foret.

Sane proprio distributionum nomine hi reditus in jure veniunt, quibus beneficiatus fruitur ex causa actualis servitii, interessentiae in choro ac divinis officiis, quique ab absentibus non acquiruntur, prouti tradunt post text. in cap. Licet de praeb. in cap. un. de cleric. non resid. in 6. in Clement. Ut ii qui de aetat. et qualit. Card. de Luca, de canon. et capit. disc. 16. n. 2 et 6 et doctores communiter. Earumque distributionum nomen convenire fructibus denegant Card. de Luca loc. cit., Gonzal. ad reg. 8. cancell. §. 7. proem. n. 186, Piton. discept. eccles. 1. n. 16 et S. Congr. Dub. indult. 6. Maji 1820. Fructuum namque apellatione venit, quidquid percipitur ex bonis vel juribus perpetuo ipsi beneficio adnexis, ac beneficiato ex sola ratione beneficii absque alio onere vel servitio debitis, ceu traditur in Anagnina, Distributionum 22. Aug. 1840.

Jamvero etsi augmenta ex portionibus vacantibus massae communis distributionum nomen in themate prae se ferant, ea tamen proprie nonnisi inter fructus praebendarum forsan sunt connumeranda, quippe quae omnibus indiscriminatim et sine relatione ad chorale servitium (cujus intuitu punctaturae seu fallentiae sunt constitutae) accrescere videntur. Atqui beneficiatus fructibus sui beneficii privari haud posse videtur nisi in poenam, quam tamen minime promeretur jubilatus, qui ex indulto Apostolicae Sedis non solum ab interessentia, sed etiam a residentia dispensatur. Opposita igitur consuetudo respuenda videretur. Hinc Pignatell. tom. 3. consult. 36. n. 6. refert ita declarasse H. S. Congr. in una Bononien. 26. April. 1693 (libr. decr. 19. pag. 243) nec non S. Congr. super Episcopis 4. April. 1592. S. Congr. censuit absentes justa causa, ex qua non dantur distributiones, lucrari suam partem massae grossae, quae non sunt proprie distributiones, sed dividitur inter capitulares in locum praebendae, demptis tamen punctaturis, quae subrogantur distributionibus. Idque obtinere docet praefatus auctor, etiamsi adsit „statutum denegans fructus ei, qui non praestitit integrum servitium.“ Sed posito etiam quod augmenta vacantium praebendarum naturam distributionum proprie exhiberent, rejicienda nihilominus videretur objecta consuetudo utpote ecclesiae bono contraria. Cum enim agatur de emolumentis satis gravibus, eorumdem amissio clericos deterreret ab ecclesiae servitio, ceu monet Fagnan. in cap. Licet. de praeb. et dignit. num. 136 et seq. Hinc S. H. C. licet contraria asseveretur consuetudo, hujusmodi distributiones deberi indultariis ratione infirmitatis aut officii rescripsit in Romana, Jurium canonicalium 5. Maji 1703, et in Anagnina, Distributionum 22. Augusti 1840.

Juxta preces canonici Cinotti, et communicetur Episcopo.

389. Fulginaten. — Distributionum.

Die 24. Julii 1858.

Nonnullis ab hinc annis Franciscus Tomassini canonicus collegiatae S. Mariae Hispelli indultum jubilationis obtinuit, et Asculanam civitatem concessit, ubi moratur in praesens. Mense autem Octobris anni elapsi coadjutoriae titulo canonicatum resignavit favore clerici Aloysii Cianetti, qui expeditis Apostolicis bullis possessionem coadjutoriae cepit. In praedictis bullis

haec particula legitur: „Omnes vero et singuli fructus, reditus et proventus, certi et incerti, ac etiam distributiones quotidianae ceteraque emolumenta cujuscumque generis aut speciei ad dictum canonicatum et praebendam quomodolibet spectantia et pertinentia pro eodem Francisco, quoad vixerit, reservata remaneant. Quod si coadjutoris officio hujusmodi durante dictus Franciscus culpa, causa vel negligentia tua, aut ob non praestitum per te debitum praedictae collegiatae ecclesiae servitium (justo tamen et legitimo cessante impedimento) aliquid ex fructibus, reditibus, proventibus, distributionibus et emolumentis praedictis amiserit, seu lucratus non fuerit, id totum sic amissum seu non lucrifactum, de tuo proprio praedicto Francisco solvere et reficere etiam debeas et tenearis, et ad id obligatus existas.“ Item habetur: „Volumus autem, quod indultum jubilationis praefato Francisco concessum officio coadjutoris hujusmodi durante suspensum remaneat.“

Porro cum in constitutionibus capitularibus collegiatae cautum sit, distributiones non deberi nisi personaliter residentibus; nec non illos „qui sacris ordinibus insigniti non fuerint, non posse aliquo modo praetendere et consequi praefatas distributiones“ quod confirmatum exstat ex brevi Urbani VIII. 15. Maji 1638 in iisdem constitutionibus relato; hinc est quod capitulum neget quotidianas distributiones percipi posse vel a canonico coadjuto utpote absenti et jubilationis indulto temporanee destituto, vel a canonico coadjutore, utpote sacris ordinibus nondum initiato.

In hoc itaque rerum eventu supplex postulat clericus Cianetti, ut declaretur, utrum jus habeat choralibus fruendi distributionibus; nec non (quatenus negative), utrum canonicum coadjutum indemnem praestare ob hujusmodi distributionum amissionem teneatur.

Capitulum formiter congregatum in sua perstitit sententia, afferens etiam vetustissimam observantiam denegati emolumenti distributionum canonicis in sacris non constitutis; et a suo promendo voto abstinuit quoad obligationem a coadjutore assumptam reficiendi coadjutum pro distributionibus amittendis.

Episcopus denique ita suam aperit mentem: „Canonicus Tomassini distributiones percipere non posse mihi videtur, quia non residet neque indemnitatem a coadjutore ei debere puto, quia ejus culpa, causa vel negligentia in nostro casu non adsunt. Re quidem vera non sua voluntate, sed constitutionibus capitularibus et defectu aetatis canonicus clericus impeditur, quominus distributiones lucretur. Huc accedit, quod ista inhabilitas tempore renuntiationis a canonico Tomassini ignorari non poterat ideoque expressis verbis indemnitas postulari debuisset.“

Contra haec nihil observandum subjiciunt canonicus Tomassini ejusque coadjutor Cianetti. Erit itaque EE. PP. decernere, quid consilium capiendum putent.

Dilata.

Die 2. Junii 1860.

Interea temporis alter accessit libellus ejusdem canonici Tomassini, quo querebatur denegari sibi a canonicis, praeter distributiones quotidianas, proventus etiam quos vocant della Massa, qui nempe supersunt ex administratione bonorum capitularium ac inter ipsos collegiatae canonicos dividi solent.

Novus hic libellus, una cum altero, de quo superius, proponendus Episcopo remissus fuit pro informatione et voto, audito capitulo. Quod quidem in scriptis votum suum Oratoribus prorsus contrarium pandit, animadvertens, canonico Tomassini nec distributiones, nec praefatum emolumentum massae

deberi, in vim scilicet clausulae in bullis pro coadjutoria expeditis appositae, qua indultum jubilationis suspensum coadjutoria durante declaratur. Non deberi insuper canonico coadjutori, quippe qui ad hujusmodi lucranda emolumenta inhabilis est ex praescripto constitutionum capitularium et brevis Urbani VIII. quousque ad sacros ordines non ascenderit; itaque constanti observantia in collegiata Hispelli factitatum fuisse exemplis demonstrant. Adnotant praeterea emolumentum massae inter quotidianas distributiones minime recenseri, cum sit reliquatum quoddam eventuale et incertum administrationis capitularis distribuendum inter canonicos in sacris constitutos, ac vere et realiter praesentes, ceu declaratur in cit. brevi.

Quoad servitium, quod coadjutor praestat, monent eum indulto potiri absentiae a choro causa studiorum pro diebus et horis, quibus scholae habentur; nec eumdem utpote clericum omnibus muneribus canonicalibus satisfacere posse.

Episcopus vero quamvis alias cum capitulo conveniret, aliter se nunc sentire profitetur ob momenta rationum, quae a canonico Tomassini proferuntur, ut jus suum ad percipiendas tum distributiones quotidianas, tum emolumentum massae protueatur.

Et primum inquit Tomassinius indubium esse, canonicum jubilatum omnes distributiones quotidianas ac cetera emolumenta, quae interessentibus tribuuntur, ex jubilationis indulto percipere, quin choro interesse cogatur, ut passim resolvit S. Congreg. praesertim in Leodien. Jurium parochialium 19. Aprilis 1704, in Civitatis Castellanae die 20. Septembris 1766. §. Haec, in Civitatis Plebis, Jubilationis die 23. Novembr. 1782. §. Quamvis, in Calaritana, Onerum die 17. Septembris 1831. §. Neque, in Terracinen. seu Privernen. Missae conventualis 15. Septembris 1827. §. Sed. Hinc canonicus jubilatus licet choro intersit participat etiam de emolumentis anniversariorum, quae fiunt intra annum, nisi aliter a testatoribus cautum fuerit, ut S. Congreg. in Bituntina, Anniversariorum 1. Julii 1679 lib. 22. decret. pag. 44. in Novarien. die 29. Novembris 1681 lib. 32. decret. pag. 44. in Lunen. Sarzanen. Jubilationis 30. Septembris 1684, in Aquipendien. Indulti die 1. Aprilis 1719. §. Quoad alium; nec non de his participat emolumentis quae ex processionibus proficiscuntur, ut apud S. Congreg. in Romana Jubilationis die 24. Martii 1703 in Lauretana Jubilationis die 11. Junii 1774. §. Canonico, in Terracinen. Privernen. Emolumentorum, 23. Decembris 1826. §. E contrario.

Neque ut haec emolumenta ac distributiones lucretur residentiae lege obstringitur canonicus jubilatus, ut pluries haec S. Congregatio declaravit, praesertim in S. Angeli in Vado 15. Aprilis 1690. lib. 4. decret. pag. 256, in Patavina, Jubilationis 9. Junii 1714. lib. 64. decret. pag. 217, quae referuntur in dubiis jubilationum die 17. Decembris 1718. §. Demum. Planum ex his videri constare de bono jure canonici jubilati omnes fructus, distributionesque, ac cetera emolumenta percipiendi, etiamsi in loco ubi canonicatu potitur nullatenus resideat, ut S. Congreg. in Signina. Missae conventualis die 30. Martii 1833. §. Explorati, et Benedict. XIV. in synod. dioeces. lib. 13. cap. 9. n. 15.

Haec autem privilegia canonico jubilato ob laudabile quadragenarium servitium indulta, non adimi posse propugnat ex eo quod sibi coadjutorem cooptavit, ut S. Congreg. perpendit in Calaguritana, Jubilationis die 18. Aprilis 1733. §. Ceterum: „Coadjutoriam supervenientem post quadragenarium servitium, ideoque post acquisitam jubilationem non obesse,

quominus canonicus coadjutus jam partae jubilationis commodo potiri queat.“ Et ratio est, quia absonum esse censetur coadjutoriam beneficio jubilationis coadjuto posse praejudicare, ut in terminis Rota in Tirasonen. Coadjutoriae die 8. Novembris 1599 coram Poenia num. 12 et 13 ibi: „Ratio primi fuit, quia coadjutoria non adimit coadjuto jura et privilegia aliunde sibi competentia, nec acceptationem coadjutoris post acquisitam exemptionem beneficio jubilationis coadjuto debere praejudicare, Alexander consil. 193. num. 11. lib. 2. Item quia privilegium acquisitum pro jubilatione est facultativum, nam sicut, si vellet, posset coadjutus, non obstante coadjutoria, personaliter inservire, et nihilominus non amitteret privilegium, similiter non amittit privilegium serviendo per coadjutorem, cum enim hoc privilegium jubilationis detur, ob servitium jam praestitum, non est coadjuto auferendum ex eo, quod per coadjutorem possit in futurum inservire.“

Cum igitur coadjutoria post quadragenarium servitium superventa nullum canonico jubilato inferre possit praejudicium, absurdum hinc esse deducit, Supremum Pontificem beneficium ac privilegium jubilationis sibi auferre animum habuisse, ex eo quod in bulla coadjutoriae favore Aloysii Cianetti expedita haec verba habeantur: „volumus autem quod indultum jubilationis praefato Francisco concessum officio coadjutoris hujusmodi durante, suspensum remaneat. Hoc enim profecto nil aliud sibi velle probat, quam ut Aloysius Cianetti coadjutor privilegiis coadjuti jubilati potiri nequeat, ita ut in loco ubi coadjutor canonicatu fruitur, residere, nec non ceteris satisfacere oneribus, quae canonicatui inhaerent, teneatur. De interpretatione clausulae in onus coadjutoris, et non coadjuti S. Congreg. in Calaguritana Jubilationis die 18. Aprilis 1733. §. Accedit, in Romana Jubilationis die 9. Februarii 1822. §. Semper, in quibus ponderatur: „Ita pariter si detur illi, qui ob quadragenarium servitium jam a chorali vinculo fuit dispensatus, non ideo sequitur, ut hujusmodi indulto juvetur coadjutor. Hic enim non obstante exemptione coadjuti vel ob ministerium, vel ob jubilationem, inservire tenetur, quia in hoc servitio ecclesiae praestando natura et legitimus coadjutoriae titulus consistit.“ Indultum igitur jubilationis, „officio coadjutoris hujusmodi durante, suspensum remaneat, non in persona quidem jubilati, sed dumtaxat respectu coadjutoris Aloysii Cianetti, ne privilegiis coadjuti jubilati frui praetendat.

Et consulto illa verba: „indultum jubilationis, officio coadjutoris hujusmodi durante, suspensum remaneat“ in bulla coadjutoriae adjuncta reperiuntur: nam cum generatim coadjutor omnibus praerogativis ac juribus, quibus coadjutus gaudebat, utitur, cap. Is qui 46. de reg. jur. in 6., Garz. de benef. tract. de coadjut. cap. 5. num. 128. et S. Congreg. in Romana Jubilationis 9. Februarii 1822. §. Accedit, in Interamnen. Optionis die 26. Junii 1824. §. Denique, ita ut coadjutor in praeeminentiis, honoribus et privilegiis repraesentet coadjutum. Gonzalez ad regul. 8. cancell. gloss. 5. §. 99. Rota in decis. 143. num. 5. coram Crescentio, S. Congr. in Urbinaten. Servitii chori die 21. Junii 1794. §. Competunt, in Spoletana Servitii chori die 28. Februarii 1795. §. Num, et nuperrime in Sancti Severini, Coadjutoriae 1859; idcirco ne in casu coadjutoriae jubilati coadjutor juribus ac privilegiis coadjuti jubilati potiri praetendat, jure ac merito praescribitur, ut „indultum jubilationis, officio coadjutoris hujusmodi durante, suspensum remaneat.“ Namque per coadjutoriam non communicatur coadjutori privilegium aliunde competens coadjuto, quale est privilegium acquisitum per jubilationem: quod si competeret et transiret effective in coadjutorem, sequeretur absurdum, ut

coadjutor non teneretur inservire, quod videtur directe contra finem, ob quem datur coadjutor, ut in terminis Rota coram Poenia decis. 790. n. 14.

Quamobrem hac in re sedulo distinguendum est inter unum et alterum coadjutum, qui nullo scilicet gaudeat indulto jubilationis, et qui eo legitime fruitur; in primo enim verum est coadjutorem in praeeminentiis, honoribus, juribus, ac privilegiis ita repraesentare, ut coadjutus eatenus fructus ac distributiones jure percipiendi polleat, quatenus coadjutor choro intersit. Et ea idcirco ratione hujusmodi coadjutor canonicus fictus appellatur, quia in omnibus canonicum coadjutum repraesentat; unde canonicus coadjutor praesens choro acquirit distributiones coadjuto absenti, Garz. de benef. part. 4. cap. 5. de coadjut. num. 53, S. Congreg. in Romana, Quotidianarum distributionum die 23. Januarii 1796. §. Eam, et ita unica distributionum portio coadjuto et coadjutori debetur, Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 1. tit. 12. num. 42. S. Congreg., in Melevitana, Erectionis novae massae distributionum die 25. Septembris 1762. §. Negant. Coadjutor enim unam cum coadjuto personam in collegio sustinet, S. Congr. in Maceraten. Optionis die 22. Decembris 1832. §. Verum. Quapropter coadjutor detrimentum ex sua deficientia coadjuto illatum, lucrumque illud, quod ei obvenisset ex praesentia chori, resarcire tenetur, S. Congr. in Oveten. Coadjutoriae die 8. Maji 1745. §. Ex hac; ergo coadjutoria concessa canonico choro interesse non valenti, sed nullo jubilationis jure pollenti, duo potissimum respicit, favorem scilicet coadjuti, quatenus per praesentiam coadjutoris potens efficitur percipiendi distributiones in absentia, et servitium ecclesiae, quatenus canonico legitime impedito coadjutor ejus onera in choro explet.

Verum coadjutoria canonico jubilato concessa nullum sane respicit favorem jubilati; sive enim coadjutor choro intersit, sive ille nullatenus in mundo habeatur, distributiones ac cetera emolumenta procul dubio jubilato coadjuto debentur. Dum igitur canonicus jubilatus coadjutorem sibi cooptat, utilitati dumtaxat ecclesiae providere curat, non autem sibi damnum inferendi animum habet. Absurdum esse igitur deducit Tomassinius, Supremum Pontificem indultum jubilationis sibi adimendi in animo habuisse, ex eo quod coadjutorem Cianetti pro ecclesiae utilitate concesserit. Siquidem repugnanter dicendum esset, Pontificem non alia quidem ratione poenam privationis indulti jubilationis inflixisse, nisi quia erga ecclesiam actum pietatis ac zeli exercuerit, quatenus novum ministrum praebere curavit: itaque absonum omnino esse, ut illa verba: „indultum jubilationis, officio coadjutoris hujusmodi durante, suspensum remaneat“, ad canonicum jubilatum referantur, cum unice coadjutorem Cianetti respiciant, ne privilegiis ac juribus coadjuti jubilati frui audeat.

Ac propterea nullum profecto damnum sibi ex absentia coadjutoris Cianetti obvenire Tomassinius propugnat, cum jure percipiendi distributiones ac cetera emolumenta choro interessentibus concessa, ex indulto jubilationis polleat, quin ullatenus necesse sit, ut coadjutor eum in choro repraesentet, aut ipse in loco, ubi canonicatu potitur, residere teneatur; quod in eo dumtaxat coadjuto verificari debet, qui nullo jubilationis indulto fruitur.

Post haec ait in nihilo obstare constitutionem capitularem ab Urbano VIII. confirmatam, qua praescribitur, canonicum nondum sacris ordinibus initiatum distributiones jure percipiendi potiri non posse; quia canonicus jubilatus non ex eo quod coadjutor Cianetti eumdem in choro repraesentat, sed quia indulto jubilationis fruitur, distributiones ac cetera emolumenta interessentibus concessa percipere debet. Et pariter illud parvi faciendum est, quod coad-

jutor Cianetti missam conventualem, cum in ordine presbyterali non existeret, canere non valeret: nam hoc onere nullatenus obstringitur canonicus jubilatus, ita ut neque per se, neque per alium ad id explendum teneatur, S. Congreg. in Aquipendien. die 23. Martii 1697. lib. 47. decret. pag. 85 et pag. 111, in Senen. Celebrationis et applicationis missae conventualis die 12. Maji 1759. §. Senen., in Terracinen. seu Privernen. Missae conventualis die 15. Septembris 1827. §. Sed. Nec solvendum missae hujus stipendium, S. Congreg. in cit. Senen. Celebrationis et applicationis missae conventualis 21. Julii 1759, in Calaritana Onerum die 17. Septembris 1831. §. Neque. Quin adversa obsit consuetudo, vel imposita a capitulo ejus obligatio et a jubilatis canonicis accepto habita, quia in his reprobata; S. Congreg. in cit. Calaritana, Onerum 17. Septembris 1831. §. Neque. Sed ulterius, prosequitur canonicus jubilatus, in omni casu et eventu, cum coadjutor Cianetti jam a mense Decembris 1859 ad sacrum ordinem subdiaconatus ascenderit, hinc evidenter ab eo tempore nulla objici valet exceptio ex constitutionibus citatis desumpta ad lucrandas distributiones.

Ceterum etsi absurdum consisteret suspensionem indulti jubilationis respicere coadjutum jubilatum, non propterea sequeretur capitulum eumdem jure percipiendi distributiones ac cetera emolumenta privare posse. Etenim coadjutor Cianetti non culpa aut negligentia choro abest, sed legitimo sane jure, causa nempe studiorum, et expressa quidem lege, ut „a chorali servitio vacare possit, et nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas canonicatus favore sui coadjuti percipere valeat," nulla scilicet parte adempta. Cum igitur Cianettius, quamquam choro non inserviat ex Pontificia potestate „fructus omnes, et distributiones quotidianas canonicatus favore sui coadjuti percipere valeat," nesciri, qua rationis specie capitulum eas coadjuto jubilato denegare possit.

Et cum res ita habeatur, incassum capitulum canonico jubilato ea tribuere emolumenta detrectat, quae ex administratione bonorum ecclesiae supersunt, et non alia quidem ratione, quia sub nomine distributionum quotidianarum non continentur. Siquidem canonicus jubilatus non modo jure percipiendi distributiones quotidianas, sed etiam fructus ac cetera emolumenta, quae interessentibus accrescunt, potitur, dummodo dumtaxat ex testatorum praescripto inter actu praesentes dividi non debeant, S. Congreg. in Navarien. 29. Novembris 1681. lib. 32. decret. pag. 44, in Pistorien. Indulti die 16. Martii 1737. §. Praecipuum, in Calaritana, Onerum die 17. Septembris 1831. §. Quod.

Non est igitur ambigendum, subdit, quod canonico jubilato etiam emolumenta, quae ex bonorum collegiatae administratione supersunt, debeantur; si enim omnia emolumenta canonicus jubilatus jure percipiendi pollet, exceptis, dumtaxat, quae ex voluntate testatorum inter actu praesentes dividi debent, nulla prorsus ratione ea emolumenta praebendae capitulum ei denegare potest. Quin immo si cetera emolumenta canonico jubilato debentur, multo magis quae ex bonorum collegiatae administratione supersunt; nam absque dubio haec ex bonis ecclesiae pro canonicis destinatis proficiscuntur; idcirco vel sunt portio fructuum canonicatuum, vel portio distributionum: ac eapropter inter canonicos dividuntur, ut pars praebendae canonicalis de massa.

Disputatis hucusque per jubilatum, accedit etiam Episcopi votum, qui quamvis primum sententiam contrariam tueretur, hodie iterum instituto examine favore Tomassini jubilati judicium suum aperit, attento quidem ejus

bono jure, cui addit pondus ex diligentia jubilati ac morum gravitate, ex gratia a Principe concessa, quam decet esse mansuram.

Attentis peculiaribus circumstantiis integra manere jura canonici Tomassini.

390. Montis Falisci. — Jubilationis.

Die 10. Septembris 1853.

Philippus Ruspantini canonicus ecclesiae collegiatae S. Joannis terrae Cryptarum in dioecesi Montisfalisci, continuo et laudabili 40 annorum chori servitio functus, capitulo et ordinario suffragante, die 31. Januarii labentis anni indultum jubilationis ab hoc S. O. consecutus est. Quoniam autem retulerat Ordinarius, Oratoris canonicatui „inesse onus (ipsius verba sunt) coadjuvandi parochum in officiis parochialibus, et sacramentales confessiones excipiendi, a quibus quidem officiis putarem non esse eum eximendum", hinc in eodem indulto praeter consuetas clausulas alia insuper addita fuerat, „quoad chori servitium tantum".

Hujusmodi limitatio Oratori minime arrisit; ideoque supplex iterum adiit hunc S. O., postulavitque, ut superaddita clausula deleretur. Ajebat enim ex vetustissimo inventario, quod vicem gerit decretorum fundationis tum collegiatae tum canonicatus (haec enim supra hominum memoriam deperdita fuisse constat) nequaquam illud colligi posse, quod ex falsa suppositione creditum fuerat, nimirum suo canonicatui onus auxiliandi parocho inhaerere, ceu reapse legere est in ipsis inventarii verbis, quae recitabat. Addebat insuper in comperto esse, canonicum S. M. ad nives, qui hodie est Hieronymus Orzi, proprio archipresbytero animarum cura gravato suppetias ferre teneri, quoties hic legitimo impedimento detinetur. Insuper tametsi id onus veluti certum poneretur, subjiciebat ex disciplina hujus S. O. jubilationis indultum ad ea etiam onera extendi, quae ab hoc ipso parochi juvandi titulo profecta canonicis inesse possunt, idque firmabat ex declaratione edita in Spoletana Jubilat., cujus folium legitur ad diem 18. Augusti 1770, resolutio vero 24. Novembris insequentis, quam inferius repetendi locus erit.

Eminentissimum Ordinarium super novis precibus audiendum censui isque respondit, in bulla erectionis canonicatus ita perlegi: „cui onus incumbit coadjuvandi parochum", simulque transcripsit verba, quibus idem canonicus praebendae statum exposuit, quem occasione sacrae visitationis curiae detulit, ubi conceptis verbis adnotatur hujusmodi munus, ut modo videre erit. Renuntiavit praeterea archipresbyterum dictae collegiatae in consensu jubilationi praestando declarationem emisisse, qua eumdem „a residentia tantum chori, non autem ab aliis oneribus praebendae adnexis dispensandum putabat." Quid vero de novis precibus sentiret Eminentissimus ille vir, nullatenus edixit.

Collegiata S. Joannis quatuor supra decem coalescit canonicis, quos inter princeps connumeratur archipresbyter parochus, ac deinceps tres alii canonici, qui capitulum unice efficiunt: ceteri enim sunt solummodo supernumerarii. Integrum canonicarum horarum officium absolvitur cunctis diebus festis, etiam ex albo festorum expunctis, nec non tota Sanctissimi Christi Corporis octava. Quadragesimae tempore quotidie completorium recitatur. In omni secunda per annum feria missa canitur: canitur etiam quolibet die sabbati, sed ex mera devotione. Sunt et aliae missae, quae statis anni cujusque diebus sive de aliquo sancto, sive de requiem vel gratis, vel soluta stipe cani debent.

Ad Ruspantinii canonicatum quod attinet, scriptum sic exstat in memorato inventario: „Canonicus pro tempore cum archipresbytero et duobus aliis canonicis per turnum cantare debet missam parochialem necnon quavis feria secunda ex consuetudine, quae obligatio cum ceteris capitularibus communis est. Congruit relatio status ab Eminentissimo Episcopo transcripta. Insuper in hac adjicitur: „Debet diebus festis celebrare ultimam missam (utique per turnum), excipere confessiones, adjuvare archipresbyterum in administratione sacramentorum, infirmis assistere. Ex legato Catanae clero interveniente missam cantare debet in die Conceptionis B. M. V. et applicare 6 missas ad 3 reductas. Infra annum celebrare debet missam in aedicula Cipollina, et in eadem cantare aliam die festo S. Christophori, si cadit in propriam hebdomadam, praeterea in collegiata anniversarium die primo non impedito post dictum festum, denique tenetur ad missam cantatam diebus festis S. Hieronymi, S. Antonii abbatis et S. Francisci Assis.“ Exinde erui posse videtur, praeter missas ex legato Catanae, et aliam in aedicula Cipollinae celebrandam, reliquas omnes turnatim expleri debere.

Receptissimum est apud hanc S. C., quod canonicus jubilationis indultu donatus neque per seipsum, neque per alium missas conventuales aliasque functiones per turnum obiri solitas celebrare teneatur, easque tantum persolvere debeat, quae canonicali suae praebendae proprie reperiuntur affixae, ceu de hujus S. O. disciplina testatur folium in Constant. Jubil. 4. Maji 1737. §. Ceterum pluribus ibidem cumulatis declarationibus. Receptissimum etiam est, quod idem jubilatus exemptus censeri debeat a celebratione primae missae ad auroram, vel ultimae circa meridiem S. C. in cit. Spoletana 24. Nov. 1770 et novissime in Praenestina Dub. Jubil. 21. Nov. 1835 ad 3. dub. quin obstet declaratio, seu conditio a canonicis in contrarium apposita (ceu fit in themate de archipresbyteri declaratione) S. C. C. in Civitatis Castellan. 29. Nov. 1766, cit. Spoletana Jub. et recentius in Nepesina 11. Apr. 1818.

De supp tiis paroeho ferendis animadvertendum est, quod in saepius allegata Spoletana agebatur de mansionario, cui onus adjuvandi parochi absque dubio competebat, et capitulum in consensu praestando diserte illud onus exceperat ac sartum tectum voluerat. Hinc Eminentissimis Patribus, ut in fol. §. Expendendae, proponebatur ut attenderent, an „exemptio concedi debeat etiam quoad onus coadjuvandi priorem in cura animarum, quod quidem onus ratione beneficii unicuique ex praebendatis inhaeret.“ Nihilominus ad dubium: „An et quomodo sit locus jubilationi in casu?“ rescriptum fuit: „Affirmative deletis conditionibus.“

Attamen ad quaestionis solutionem maximi interest perpendere, num singula recensita onera canonicatui inhaerentia, vel ab eo sejuncta habenda sint. In primo enim casu ob jubilationis indultum his vacuus ac solutus, in altero autem eisdem fortasse obstrictus atque subjectus Ruspantinius esset renunciandus.

Pro gratia juxta petita exceptis missis legati Catanae iisque celebrandis in aedicula Cipollina.

2. Indulta studiorum causa.

391. Fulginaten.

Die 14. Maji 1825.

Sacerdos Vincentius Bocci, canonicus ecclesiae cathedralis Fulginatensis, qui annum 25. aetatis suae non adhuc explevit, maximopere exoptans in Ro-

mana universitate pro viribus sacrae scripturae et sacrorum canonum studio operam navare, ab hac Sac. Congregatione dispensationem a residentia ad triennium, dimissis quotidianis distributionibus, implorat.

Episcopus, quem rogavi de more, haec retulit: „Desiderium canonici Vincentii Bocci, qui annum vigesimum quintum nondum complevit, mihi rationabile videtur: ideo enim postulat dispensationem a residentia et chori servitio ad triennium, ut totis viribus vacet studio juris canonici et sac. scripturae ad evadendum perfectum theologum. Ad capitulum ecclesiae cathedralis quod attinet, fere omnes canonici assensum praebuere, ut mihi relatum fuit a canonico secretario; utilitas autem ecclesiae est magna et evidens, quia praesertim in exiguis civitatibus viri docti, quo magis rari sunt, eo magis sunt utiles ob bona, quae communitati procurant, et corporum eorum, quorum sunt membra, dici veraciter possunt decus et ornamentum. Accedit, quod triennium requisitum reducitur ad biennium, quia idem Vincentius singulis annis per quatuor menses, scilicet feriis aestivis et autumnalibus, choro inservire promittit.“

Inter causas, quae legitime a personali beneficiorum residentia dispensant, absentiam ratione studiorum doctores communiter accensent, juxta textum expressum in cap. Relatum 4. de cler. non resid. ubi haec leguntur: „Nisi forte de licentia suorum praelatorum, vel pro studio literarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse.“ Et huic quidem causae solet quartus adscribi locus cum recensitis a Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de reformatione, uti monent Reiffenst. lib. 3. tit. 4. de clericis non resid. num. 104, Ferraris verb. Canonici art. 5 num. 37. Ecclesiae siquidem plurimum interest ad sui regimen viros habere literatos, cap. Cum ex eo 34. de elect. in 6. et cap. Supra specula 5. de magistris.

Igitur Vincentio Bocci indultum dispensationis a chori servitio ad triennium concedi posse videretur, ut studio scripturae sacrae atque juris canonici Romae vacaret. Verum eidem obstat aetas, cum 25. annum propediem numeret. Namque haec S. Congr. alias statuit, indulta causa studiorum non esse concedenda majoribus 25 annis; quinimo hujusmodi aetate expleta eadem indulta, licet triennium adhuc completum non fuerit, exspirare, Dub. Indultor. 6. Maji 1820. §. Indulta.

Lectum.

392. Burgi S. Sepulchri. — Vacationis a choro et residentiae.

Die 20. Decembris 1851.

Pluribus abhinc annis Flaminius Bardini canonicus in cathedrali ecclesia Burgi S. Sepulchri relicta residentia absque Apostolica venia ad Pisanam universitatem convolavit, ut ibi theologicas lectiones haberet, quin ad residentiam et chorum tempore generalium vacationum universitatis unquam sit reversus. Monitus vero ab hodierno Episcopo de obligatione residendi ac inserviendi choro, durantibus saltem universitatis vacationibus, responsum dedit Antistiti sese finitis lectionibus trimestrialium vacationum beneficio juxta Conc. Trid. dispositionem non esse privandum, proindeque ad residentiam et chori servitium non teneri.

Anceps autem Episcopus, num id ipsi jure liceret necne, oraculum S. Congregationis efflagitavit, „1. an dictus canonicus sine indulto Pontificio a residentia abesse possit ad docendam theologiam in universitate Pisana;

2. utrum finitis lectionibus universitatis gaudere possit vacationibus canonicis concessis, an reverti et personaliter servitium chori adimplere debeat?“

Favorabilis studiorum causa a remotissima temporum antiquitate tum Caesarum, tum Pontificum excitavit attentionem. Hinc factum est, ut ipse Fridericus I. in sua constitutione relata in Auth. Habita Cod. Ne filius pro patre studiosorum et docentium protectionem susceperit, atque Romani Pontifices etiam ante tempora Alexandri III. a residentiae vinculo eos, qui studia et scientias anhelabant, solvere consueverint. Hinc privilegia manarunt academiis ac universitatibus concessa, uti Romanae academiae et archigymnasio ab ipso Gregorio Magno ac postea a Bonifacio VIII. renovata privilegia et multis aliis deinde catholici orbis universitatibus per eosdem Romanos Pontifices extensa ejusmodi privilegia. Haec vero licet personas studentium vel docentium attingant, muneri tamen adnexa et ipsi corpori mystico universitatis competentia dicenda sunt, ceu monet Card. Petra tom. 3. in comment. ad const. 9. Bonifacii VIII. num. 11, qui subdit inferius num. 13 et 14: „Cum Episcopi ss. canonum verbis dumtaxat innixi suo dissensu persaepe eorundem mentem frustrarent, hinc non improbabiliter evenisse, quod indultum vacandi a residentia causa studiorum clausum fuit in corpore juris adeo, ut nostris temporibus potius pro regula juris, quam pro gratioso privilegio haberi debeat;“ studiorum enim causa absentes reipublicae causa et publicam gerere utilitatem existimantur.

Horum profecto intuitu S. Congregatio, quamvis primum negasset die 5. Apr. 1732 Francisco Fernandez de Val, qui theologiam docebat in publica academia Valisoletana, suffragari privilegium eidem academiae ab Eugenio IV. concessum, re tamen maturius perpensa indultum suffragari praeterquam tempore vacationum respondit in Palentina 6. Decembris ejusdem anni.

Licet vero hujusmodi privilegium revocari nequeat in dubium, perpendendum est, num ex eo liceat praebendato a choro vacare vel a residentia discedere eoque magis extra dioecesim nulla desuper obtenta licentia. Hoc expresse negat doctissimus Card. Petra loc. cit. ad const. X. ejusdem Bonifacii VIII. num. 7 et seqq. Quamvis enim liberum non sit Episcopo facultatem seu licentiam denegare ex hactenus enucleatis, regulare tamen est, inquit idem auctor, quod beneficiatus a sua residentia abscedere non potest etiam ex justa et a jure canonizata causa, nisi petita et obtenta a suo Praelato licentia. Quare ut hujusmodi indultum suffragetur, necessaria est conditio, ut Episcopi consensus accedat. Praxis imo inolevit, ut licentia seu indultum ejusmodi nonnisi a S. Congregatione Concilii concedatur neque aliter suffragetur indultariis, nisi obtento executoriali Ordinarii vel legitimi Superioris decreto, ceu monet ibi idem auctor et Card. de Luca in rel. Rom. Cur. disc. 15. num. 7, quorum doctrinam firmavit S. Congregatio die 6. Maji 1820 in dub. indultorum ad dub. 9. Ratio autem hujusce conditionis in eo posita est, ut Ordinarius, firmo ceteroquin privilegio, justam absentiae causam designet, eam applicando in casibus particularibus, ne scilicet in fraudem ecclesiae contingat absentia, neve multi unitim eodem indulto in choralis servitii diminutionem et detrimentum utantur.

Ceterum hodie extra controversiam esse videtur, quod nemo residentiae vinculo et chorali servitio devinctus residentiam vel chorum relinquere legitime possit, non obstante privilegio clauso in corpore juris, sive ut studeat sive legat, nisi petita et obtenta licentia S. Congregationis, prout indigitatur

in citatis dubiis indultorum; proposito siquidem sexto dubio: „an et quomodo sit concedendum indultum lectoribus in publicis universitatibus?“ responsum prodiit: „affirmative pro diebus et horis, amissis,“ quod profecto intelligendum est, ceu per se patet, de docentibus in eodem loco, ubi praebendas obtinent; eo igitur magis, si extra locum residentiae et potiori ratione, si extra dioecesim cathedram moderentur. Idque quotidiana praxi et stylo S. Congregationis confirmatum est: quae insuper cavit loc. cit. ad 9. dub., ut revocatis vel reformatis praecedentibus indultis ad formam resolutionum in singulis dubiis, similia absentiae indulta non concederentur, nisi per S. Congregationem Concilii sub poena nullitatis, utque ea indulta non valerent, nisi obtento decreto executoriali Ordinarii vel legitimi Superioris, atque haec S. Congregationis resolutio fuit per Summum Pontificem in omnibus confirmata.

Quod vero attinet ad tempus generalium vacationum, centies resolutum est sive studentes sive docentes ad residentiam redire et choro personaliter inservire teneri, uti decretum fuit in cit. Palentina, et usu quotidiano in rescriptis S. Congregationis edocemur: iis siquidem licet tantummodo vacationibus conciliaribus gaudere, qui reliquo anni tempore non ficta sed vera residentia praesentes choro in divinis interfuere. Et ne istis quidem licet tempore vacationum, etsi a chorali servitio solutis, extra dioecesim abesse sine Episcopi licentia, quam tamen absque rationabili causa non debet ille denegare, ceu millies decrevit S. Congregatio et signanter in Jadren. 9. Maji 1626. lib. 12. decr. pag. 253; in Terracinen. 22. Januarii 1628. lib. 13. decr. pag. 380 et in Castrimaris 4. Maji 1737.

(Decisio deest.)

393. Firmana. — Distributionum.

Die 19. Decembris 1857.

Eminentissimus Archiepiscopus haec exponit: „In concilio Romano sub s. m. Benedicto XIII. tit. 30. c. 2, prout Eminentiae Vestrae optime norunt, ita fuit statutum: „Omnes ad sacros ordines promovendos per sex saltem menses continuos ante ordinationem in seminariis respective, vel episcopiis apud Episcopos, omnino, sacro hoc etiam approbante concilio, commorari debere decernimus; alias nunc pro tunc ab ordinibus suscipiendis rejectos esse sciant, nec cum eis, nisi prudenti Episcoporum arbitrio, dispensandum.“

„Idipsum quoad promovendos ad subdiaconatum edixit in sua prima dioecesana synodo celebrata anno 1728 meus praedecessor Alexander Borgia, et fere idipsum Andreas Minnucci meus pariter praedecessor per edictum diei 28. Septembris 1790. Quod et ego ipse sancivi in mea dioecesana synodo celebrata anno 1850, eo solum animo, ut hocce modo quasi novitiatus sacerdotio praemitteretur, nulla habita ratione majoris vel minoris idoneitatis promovendorum.

„Hinc factum est, ut quaestio oriretur, an fruentes beneficio chorali per sex mensium spatium, quo ad normam legis synodalis convictum apud sodales missionis S. Vincentii ad subdiaconatus ordinem praemittunt, participent distributiones quotidianas et punctaturas? Affirmantibus aliis ob casu affinitatem cum exemplo illorum, qui choro divinisque officiis non intersunt ob aliquam ex causis assignatis a Bonifacio VIII. in c. unic. de cler. non resid. in 6, et aliis denegantibus ob affinitatem ipsius casus cum exemplo illorum, qui absunt causa studiorum, quapropter supplex peto a V. S. O. ut quaestio authentice dirimatur: „An praedictis fruentibus beneficio chorali

debeantur memorato tempore distributiones quotidianae, ipsisque competat participatio punctaturarum? et quatenus negative, dignentur Eminentiae Vestrae indulgere, ut ipsi quotidianas distributiones percipere possint, et participare punctaturas, perinde ac si reipsa interessent choro divinisque officiis.“

Bonifacius VIII. in cit. cap. de cler. resid. in 6., postquam generatim constituit distributionibus absentes carere, haec statim adjungit: „Exceptis illis, quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas excusaret.“ Porro inter plures casus quos interpretes recensent, nemo est qui ad relatas in cit. capite causas referat absentiam ob tyrocinium ad sacros ordines praemittendum; nec ullum inter varia, quae commemorat Benedictus XIV. instit. 107. §. 8. et seqq., decretum occurrit hujus S. Congregationis, quo hujusce rei gratia absentibus facultas tributa fuerit lucrandi distributiones quotidianas aliorumque fallentias. Aliquam fortasse affinitatem propositus casus prae se ferre videretur cum exemplo illorum, qui certis per annum diebus in aedes regularium secedunt, ut vacent spiritualibus exercitiis, quos sub nonnullis adjectis conditionibus, distributionum participes declaravit Clemens XI, ceu refert idem Benedictus XIV. cit. loc. §. 9. num. 63. At vero declaratio haec cum de spiritualibus exercitiis dumtaxat rationem habeat, haud extendenda videtur ad totum tempus quo promovendi ad sacros ordines convictum vel in seminariis vel in aedibus regularium agunt, ut de eorum vocatione tam Episcopus, quam ipsimet certiores reddantur.

Aptari melius casui de quo agitur videretur exemplum illorum qui absunt causa addiscendi jus pontificium aut sacram theologiam; quibus nimirum privilegium ex jure communi tribuitur, ut praebendae fructibus non careant; amittunt vero distributiones, vel tertiam eorum partem, si nulli aut exigui valde sint praebendae fructus, Fagnanus cap. Licet de praeb. num. 137. Et hi siquidem studia hujusmodi praemittere coguntur, ut ad sacros ordines suscipiendos idonei evadant, et nihilominus jure non fruuntur suas faciendi distributiones, et percipiendi lucrum ex aliorum fallentiis proveniens.

Ceterum quidquid hac super re in jure statuendum putent EE. VV., videant an saltem ex gratia, ubi jus deficiat, praefatum indultum concedendum sit absentibus ob expositam causam, quod Eminentissimus Archiepiscopus ultimo loco expostulat.

Non gaudere et quoad indultum recurrant in singulis casibus.

394. Forolivien.

Die 27. Maji 1826.

Clericus Joannes Belli canonicali praebenda in Forolivien. ecclesia donatus, ut theologicis disciplinis in Romano archigymnasio navare posset, die 17. Dec. 1822 per literas Apostolicas in forma Brevis indultum obtinuit abessendi a choro et a functionibus, quas canonici ecclesiae illius obeunt. Cum facultate percipiendi integros beneficii sui fructus, proventus, reditus, distributionibus quotidianis exceptis . . . non obstantibus statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque. Verum non multo post exorta lis est inter ipsum ceterosque canonicos, qui contendunt clericum Belli debere per alium onus ferre recitationis hebdomadariae per turnum et celebrationis missae conventualis diebus festis innixi potissimum consuetudine, ut ipsi ajunt, immemorabili. Canonicus itaque Joannes Belli ab hoc Amplissimo Ordine definiri postulat, utrum per substitutum controversa onera implere teneatur. Rogatus Episcopus de informatione et voto respondit: „Videretur sane ex

distributionum amissione et ex hoc privilegio Oratorem ipsum liberum fuisse ab aliis obligationibus et praesertim a recitatione hebdomadaria et celebratione per alium missae conventualis diebus festis, sicut et ceteris canonicis est onus: capitulum tamen adversatur, ut colligitur ex copia authentica capitularis resolutionis, innixum potissimum consuetudine immemorabili hujus cathedralis. Etenim alii exstiterunt clerici unusque adhuc superest, qui similibus dispensationibus fruebantur, at tamen, si per se non valebant, per alios quidem iis obligationibus satisfaciebant et satisfaciunt. Utrum vero haec consuetudo, quae in praesens usque perdurat et rationes a capitulo adductae privilegio canonici Belli praevalere queant, erit Eminentissimorum Patrum sapientiae decernere.

Oratorem non teneri.

395. Ferentina. — Dispensationis.

Die 7. Julii 1860.

Clericus Agapitus Panici, in collegiali ecclesia oppidi S. Laurentii Ferentinae dioeceseos canonicus, mense Aprilis 1856 ab hac S. Congregatione indultum exemptionis a choro causa studiorum obtinuit ad quinquennium, adjecta clausula „dimissa tertia parte reditus quae inservientibus accrescat.“ Nunc autem memoratus Agapitus ejusdem indulti prorogationem implorat usque dum ipse in seminario dioecesano commorari debeat. In suis tamen precibus EE. VV. judicio subjicit imprimis se redituum dimidio privari in vim capitularium constitutionum, quae cap. XXIX. decernunt, ut canonici nondum ad s. diaconatus ordinem promoti cedant universorum proventuum medietatem aliis canonicis, quibus tamen onus incumbit celebrationis missarum praebendae a clerico possessae adnexarum.

Animadvertit praeterea se ad tramites praefati rescripti hujus S. Congregationis die 18. Aprilis 1856 editi dimittere tertiam alterius dimidii partem, quae inservientibus accrescit. Demum adjicit se et destitui reliquis duabus tertiis redituum partibus ad sacrarii onus ferendum ex cit. cap. XXIX. statutorum collegialium ultimo canonico clerico impositum, nec non ad fiscale tributum persolvendum, ita ut Oratori nihil ex suo beneficio supersit, nisi divini officii recitatio.

Hisce rerum adjunctis Orator quaerit, utrum sibi suffragetur laudatum hujus S. Congregationis rescriptum, quo sancitur, ut dimissa tertia parte omnes fructus sui canonicatus percipiat: quae verba derogare videntur allegato cap. XXIX. constitutionum capitularium. Eo vel magis quod ex cap. V. et XVI. earumdem const. tanquam choro praesens canonicus ille habeatur, qui legitimis de causis a choralibus officiis perfungendis praeeditur. Hinc humillime Orator expostulat, ut suis juribus sive quoad praeteritum sive quoad futurum tempus consulatur.

Episcopum sciscitatus sum, qui capitulum audiret ac ejusdem sententiam scripto exaratam referret. Cui quidem mandato obsecutus Ferentinus Antistes, capitularem resolutionem unanimi canonicorum suffragio firmatam ad H. S. Ordinem transmisit, in qua satis diffuse ostenditur capitulum ad statutorum tramites canonicum clericum jure merito universis reditibus privasse. Siquidem imprimis Orator, utpote clericus, redituum dimidium jure amittit ad normam memorati cap. XXIX., quod ita se habet: „Canonicus non promotus ad ss. ordines usque ad susceptionem diaconatus dimidiam partem omnium canonicatus redituum ceteris canonicis dimittere et onus sacrarii ferre debet,

ceteri canonici omnes missas canonicatui isti annexas celebrare tenentur. Diaconatu suscepto canonicus omnes percipiet reditus eritque liber ab onere sacrarii, tenetur tamen ad solvendam eleemosynam 4 juliorum pro quavis missa ejus vice ab aliis canonicis celebranda."

Quae quidem juris dispositio, qua vel ab immemorabili tempore regitur collegialis illa ecclesia, licet quemdam forte rigorem prae se ferat quoad canonicos clericos, mitissima tamen redditur, quando illi ad s. diaconatus ordinem promoventur. Tum enim integros canonicalis praebendae reditus sibi vindicant, nec amplius sacrarii onus, quo gravabantur, debent perferre. Item, perpendit capitulum, aequissimo jure S. hanc Congregationem indulto in Agapiti favorem concesso solitam adjecisse clausulam dimissionis nempe tertiae partis fructuum. Haec siquidem jure tribuenda est canonicis illis, qui Oratoris loco officiis sacris in ecclesia perfunguntur: quemadmodum et evenit de canonicis presbyteris, qui fallentiis sunt obnoxii, quoties choralibus functionibus haud intersint, immo si ad mensem usque choro valedicant, ex capite XVI. praefatarum constitutionum universis illius mensis proventibus destituuntur. Reliqui demum fructus canonici Oratoris merito impenduntur ad persolvenda tributa sive cameralia, sive communalia, quae quisque canonicus praestare tenetur. Ceterum, adjicit capitulum, injuria prorsus Agapitum in sui favorem invocare caput V. et XVI. capitularium statutorum, quae manifeste respiciunt canonicos sacerdotes.

Cum S. Congregationis praxis ea sit, ut ratione studiorum soleat clericos a chorali servitio dispensare, hinc nullum dubium suboriri videtur quoad petitam indulti prorogationem, quousque allegata in precibus causa perseveret. Verum controversia institui potest, an in hujusmodi facultate elargienda locum sibi vindicet solita clausula „dimissa tertia parte redituum, quae inservientibus accrescat." Siquidem memoratus clericus ad tramites capitularium constitutionum cap. X. et XIX. dimidiam fructuum partem amittit, usque dum ad s. diaconatus ordinem promoveatur. Porro hujusmodi dimidium cedit in canonicorum utilitatem, qui tamen loco praefati clerici in se suscipiunt onus celebrandi missas. Eo magis quia S. haec Congregatio praecipit, ut indultarius dimissa tertia parte reliquis praebendae fructibus perfruatur. Quae quidem ratio non solum futuro pro tempore, bene vero et pro praeterito militare videtur.

Ceterum videant EE. VV., utrum in themate absque hujus tertiae partis diminutione benigne annuendum sit Oratoris precibus, eo quia secus ipse ex capitularibus sanctionibus dimidia redituum parte jam privatus nec non sacrarii onere ac vectigalibus gravatus, universa praebendae perceptione destitueretur.

Pro gratia prorogationis indulti ad triennium, amissis distributionibus inter praesentes tantum et in reliquis ad formam praecedentis, facto verbo cum Sanctissimo.

396. Albanen. — Indulti.

Die 27. Aprilis 1861.

Sacerdos Carolus Tanni canonicus ecclesiae cathedralis Albanensis indultum studiorum causa a S. Congregatione obtinuit, ut abesse posset a residentia, additis solitis clausulis, nimirum: „et nihilominus fructus omnes sui canonicatus percipere valeat, amissis distributionibus quotidianis. Quod si fructus omnes ipsis distributionibus constent, vel si reditus praebendae

tertiam distributionum partem non attingant, duas ex tribus partibus distributionum vel praebendae ac distributionum insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia, quae inservientibus accrescat.“

Quum dimidia pars redituum praebendae canonicalis, qua fruitur indultarius, pro distributionibus quotidianis, altera vero dimidia pars pro fructibus assignata sit; putat capitulum eumdem indultarium non tertiam dumtaxat partem fructuum et distributionum insimul cumulatarum, sed omnes distributiones in vim praefati rescripti amittere debere; quod si tertiam tantum partem amittere debeat, distributiones saltem non lucrari, quae pro diebus solemnioribus assignatae habentur.

Pro recta itaque praefati rescripti interpretatione et applicatione, quae normam etiam in futuris casibus praebeat, quippe omnes illius ecclesiae praebendae canonicales inter fructus ut ajunt massae, et distributiones quotidianas pro medietate dividuntur, canonicus Tanni S. Congregationem supplici oblato libello percontatur ad hoc etiam, ut ei ex gratia concedatur, quod ex jure, si ita videbitur, denegandum foret.

Eminentissimus Episcopus informationem ac votum rogatus, capitulum audire non praetermisit, quod coactis comitiis unanimi suffragio consensum praestitit, ut Orator pro tempore, quo residere nequit, ut studiis vacet, distributionibus quotidianis non careat.

Ipse vero Eminentissimus Episcopus monet praebendam Oratoris ascendere totaliter ad scuta 111, quibus demptis scutis 50 pro oneribus, remanet liber annuus reditus scut. 61. Perpendit autem, juris esse tralatitii, distributiones quotidianas non percipi ab iis, qui a divinis absunt officiis, neque ulla consuetudine posse introduci contrarium, Conc. Trid. sess. 24. cap. 10. de reform., nisi reditus omnes canonicatus distributionibus constent, quo in casu, qui ex privilegio in corpore juris clauso vel ex indulto Apostolico choro abesse valeat, duas ex tribus partibus illarum lucrari potest, Benedictus XIV. inst. 107. §. 9. n. 59., ceu ex constanti praxi S. haec Congregatio Oratori etiam rescripsit.

Itidem clarum esse, non licere capitulo distributiones quotidianas donare, relinquere, aut quavis collusione remittere absenti vel qualibet de causa illas amittere debenti, nec fas esse cuipiam illas recipere, et si acceperit, suas non facere, et ad restitutionem omnino teneri. cit. inst. §. 7. num. 42.

Verum, addit, S. Concilii Congregatio peculiaribus accedentibus circumstantiis, ac praesertim ob praebendarum tenuitatem, aliquando concessit, ut canonici absentes lucrari possint quotidianas distributiones.

Post haec concludit „Videant nunc EE. VV. an ex hisce expositis canonici Oratoris precibus respondendum sit, ut arbitror, gaudeat impetratis; vel potius annuendum sit votis ipsius, non obstantibus deductis rationibus.“

Quaestio igitur juris in eo est, num scilicet canonicus Orator in vim rescripti tertiam tantum partem distributionum et fructuum insimul cumulatorum, vel distributiones integras amittere debeat; in utraque autem hypothesi nulla ceteroquin videtur ratio suppetere, cur exceptio fieri debeat quoad dies solemniores. Jam vero indultum ex constanti S. Congregationis praxi concessum Oratori fuit pro lucrandis dumtaxat fructibus, minime vero distributionibus quotidianis, quas omnino amittendas praecipit „amissis distributionibus“; solum exceptio fit duobus in casibus, ubi scilicet omnes fructus praebendae distributionibus constent, vel si reditus praebendae tertiam partem distributionum non attingant, et tunc coacervatione facta distributionum et fructuum praebendae, duae ex tribus partibus indultario tribuuntur, amissa tertia, quae inservientibus accrescat. Neuter porro ex praedictis casibus

comprobari videtur in themate; nam nec solis distributionibus praebendae reditus constant, et hi nedum attingunt tertiam distributionum partem, sed imo partem pro distributionibus assignatam exaequant. Quamobrem casus de quo agitur non quidem in exceptione, sed in regula generali comprehendi videtur, qua scilicet absens ex causa studiorum lucrari potest fructus dumtaxat, non vero distributiones sui canonicatus, ceu Innocentius XII. praevio voto congregationis deputatae super reformatione indultorum eximentium a servitio canonicos et beneficiatos Urbis, id demandavit sub die 8. Martii 1693 ac constanter tenuit S. Congregatio, ceu videre est apud Card. Petra in comment. ad constit. IX. Bonifacii VIII. per tot.

Cum olim S. Congregatio rescribere soleret, ut cumulus fieret „si fructus praebendae quartam partem distributionum non attingant, vel non excedant“ disputatum est, quomodo hisce in verbis rescriptum foret intelligendum, an scilicet ad effectum faciendi coacervationem et lucrandi duas ex tribus partibus, requiratur, ut praebenda non ascendat ad unam quartam partem tantum distributionum, an vero quod non excedat tres ex quatuor partibus distributionum. Pignatellius consult. 83. tom. 9 pluribus rationibus firmat, verba illa intelligi debere, quod praebenda non excedat tres ex quatuor partibus distributionum, scilicet ut explicat Petra loc. cit. num. 27. ipse putat pro calculo debere dividi distributiones in quatuor partes, ita ut fructus praebendae, etsi non excedant tres partes distributionum, non dicantur attingere quartam partem earum, et sic detur locus coacervationi; secus vero si fructus praebendae excedant tres partes distributionum, ita ut in obolo attingant quartam partem, ut si distributiones essent in quantitate 40 scutorum, et fructus praebendae in scutis 30, tunc dari coacervationem, quia non attingunt quartam partem; si vero fructus praebendae essent in scutis 31, tunc non dari coacervationem.

Hinc cit. Pignatellius impugnat Fagnanum, qui cap. Quia tantum num. 33 et cap. Licet num. 139 de praeb. docet, tunc esse tenues fructus praebendae, cum quartam partem distributionum non superant, vel non ascendunt, quae verba important, quod si distributiones essent in scutis 40, dicuntur tenues fructus praebendae, si scuta decem tantum habeant in fructu, quae conficiunt quartam partem dictarum distributionum; secus autem si ultra scuta decem reddant, ita ut illa verba „non superent et non ascendant“ importent idem, scilicet quod quantitas non sit major dicta quarta parte. Subjungit autem Card. Petra loc. cit.: „Et vere sensus Fagnani debet attendi, tum quia est fundatus in resolutionibus Sac. Congregationis, tum etiam uti versati in hac materia, et demum concurrit ratio etiam per privilegium, cum eo minus quo possit debeat vulnerari servitium chori, et jus aliorum inservientium.“ Ac tandem concludit: Post tempora Fagnani, quod non animadvertit Pignatell. cit. loc. inolevit ab anno fere 1669 in Sac. Congregatione Concilii formula supra adducta quod ad hunc effectum coacervationis distributionum cum fructibus praebendae isti tertiam partem distributionum attingere non debeant, ut nunc servatur et debet intelligi juxta praedicta, quod scilicet, si distributiones sint in scutis 30, et fructus praebendae sint in scutis novem et obolis 90, non dicantur attingere tertiam partem distributionum, secus si sint in scutis decem, cum attingere tertiam partem hoc modo literaliter et rationabiliter consonet, non autem ut Pignatellius innuit, quod legenti et calculanti patet, eo magis quia hac nova formula pinguius consultum est, quam antiquitus per non excessum a quarta parte, et quidem rationabiliter, nam sicuti Concilium voluit, ut non existentibus distributionibus, tertia pars

separetur pro istis; ita pro fructibus justum est, ut saltem tertia pars quantitatis distributionum attingatur.“

In themate autem nemo non videt, quod etsi fructus praebendae computari deberent juxta normam, quam tradit Pignatellius, nihilominus coacervationi locus non esset, quia fructus praebendae nedum excedunt duas ex tribus partibus distributionum, sed distributiones ipsas aequant, ut supra notatum est.

Quatenus itaque videatur ex jure canonicum Oratorem amittere debere omnes distributiones quotidianas, decernent EE. VV., utrum ex gratia indulgendum ei sit, ut eas ex integro, amissis tantum distributionibus inter praesentes, lucretur, ceu aliquando rescripsit S. Congregatio, vel saltem duas ex tribus partibus fructuum ac distributionum insimul cumulatarum suas faciat, amissa tertia, idque accedente praesertim consensu capituli et tenuitate redituum praebendae, qui, amissis distributionibus et satisfactis oneribus, eidem supersunt. Sufficientes quidem reputat S. Congregatio reditus, qui 30 scuta pertingunt, sed in hac re temporum locorumque circumstantiarum ratio praeprimis habenda est.

In casu, de quo agitur, indultarium amittere distributiones quotidianas: sed attento consensu Capituli, pro gratia, ut Orator durante absentiae indulto, duas ex tribus partibus distributionum ac fructuum praebendae simul cumulatarum percipere queat, amissa tantum tertia, quae inservientibus accrescat; facto verbo cum Sanctissimo.

3. Indulta ob infirmitatem.

397. Regien. — Indulti.

Die 14. Decembris 1850.

Quatuor jam tum ab anno 1629 ex bonis omnibus, quae post mortem reliquit Camillus Bagattini, erigi mandavit canonicales praebendas in collegiata ecclesia Novellariae Regiensis dioecesis. Onus provisis imposuit inserviendi choro et constitutiones illius ecclesiae adamussim servandi praeter quotidianam missam et anniversarium pro sui ipsius anima perlitandum. Exspoliata autem per gallicam invasionem bonis et praebendis memorata ecclesia, tres tantum, restitutis rebus, praebendae canonicales redintegratae fuerunt, quarum una jurispatronatus Cerati, aliae vero duae de jurepatronatus Bagattini, ad quarum assecutionem fundator vocavit agnatione vel cognatione sibi conjunctos, quamvis clericali tantum tonsura forent insigniti. Post redintegrationem tamen non solum missa quotidiana ob redituum imminutionem reducta fuit, sed chori quoque servitium ad dies dominicos et festos per annum praesertim solemniores, Apostolica intercedente auctoritate, cohibitum fuit firma residentiae lege. Reditus praebendarum in scutatis 55 computantur, nullae sunt distributiones nec absentes canonici post restitutionem ecclesiae punctaturis subjiciuntur.

Altera ex hisce praebendis Bagattini anno 1845 ad nominationem communitatis loci patronae potitus est sacerdos Albertus Ciamberlani ex cognatione fundatoris, qui Novellariam, imam et palustrem regionem, ut inibi resideret et canonicale munus adimpleret, ex villa Casalgrande in Regiensibus collibus posita descendit, ubi et natales fuerat sortitus et domicilium perpetuo retinuerat. Ex hujusmodi climatis mutatione factum est, ut Ciamberlanius nervosum ac rheumaticum morbum contraxerit, ex quo relicta residentia in

paternam domum se recepit, ibique plures menses summis doloribus excruciatus non absque vitae discrimine transegit. Ubi tamen convaluit post longam valetudinis curam, Novellariam repetiit et quantocius in morbum relapsus est, quem potuit beneficio aeris expellere. Quod terque quaterque pertentatus iisdem subsequentibus effectibus fidem perhibente jurato medicorum testimonio, ne iteratis morbi periculis tandem aliquando succumbat, hunc S. Ordinem adiit pro dispensatione a lege residentiae causatus praeter valetudinis periculum, rei domesticae angustias et difficultates ob contractam infirmitatem alterum vel beneficium vel munus ad sui honestam sustentationem assequendi.

Communitas patrona precibus acriter adversatur simul cum reliquis canonicis, non jam quod infirmitatem denegent, sed quia Oratoris opus et praesentiam exigit illius ecclesiae decus ob exiguum inservientium numerum, ne chorale servitium penitus deseratur ac regionis necessitas ob sacerdotum penuriam, qui satis esse nequeunt ad occurrendum spirituali animarum bono, quae ad 4300 pertingunt, ita ut vel residentiam vel liberam Oratoris resignationem exigere videatur. „Ipsum tamen Oratorem, sunt verba Episcopi, qui de informatione et voto fuit interrogatus, sine gravissimo praejudicio et damno Novellariae iterum commorari non posse ex adjuncta medicorum jurata attestatione evidentissime conjicitur. — Quapropter ea essem sententia, ut Orator, qui a fundatore traxit originem passivaque idcirco fruitur vocatione, voti fieret compos aut saltem ipsi concederetur, ut per substitutum ecclesiae possèt inservire.“

Quamvis ss. canonum et S. Conc. Trid. praescripto omnibus canonicis et iis, qui residentialia possident beneficia, districte residentiae onus injungatur suaeque ecclesiae servitium exhibere, ea tamen est praeceptorum vis et distinctio servanda, ut naturali nunquam positivum ecclesiasticum praevaleat. Residentiae vero lex ex mero ecclesiae praecepto, maxime si de beneficiatis absque cura animarum res sit, ac proinde positivo humano dimanat; valetudinis autem conservatio aeque ac vitae ipsius naturalibus commendatur et praecipitur institutis et legibus. Hinc est, quod ipsa ss. canonum dispositione sit cautum, ut infirmis et male habentibus legitima detur excusatio non modo ab immediato chorali servitio, sed etiam ab ipsa residentia, quin fructibus suae praebendae et distributionibus quotidianis fraudetur; ecclesiae enim praecepta ad grave incommodum non adigunt ac naturalis postulat aequitas, ut afflicto non addatur afflictio.

Constans igitur et uniformis est s. hujus Ordinis praxis, ut, quoties constet de infirmitate ex jurata medicorum fide, indultum sive vacandi a choro sive abessendi a residentia, prout necessitas exigat, nunquam soleat denegare. Neque hujusmodi naturalem benignitatem valet remorari eoque minus impedire oppositio canonicorum aliorumque interesse habentium, quae, comprobata infirmitate seu legitimo residendi impedimento, veluti injusta et irrationabilis reputatur, ceu testatur resolutio in Piscien. Indulti 6. Dec. 1760, in Praten. Vacandi a choro 23. Junii 1764 et in Casertana Indulti abessendi 16. Dec. 1797 ac hujusmodi indulta ne ipsis quidem parochis recusantur, si ob aeris intemperiem nequeant absque valetudinis discrimine residere, uti factum est in Tarraconen. Residentiae 24. Martii 1736. Neque solum patitur aequitas, ut, qui morbum contraxit et inhabilis ad inserviendum aut etiam residendum evasit, beneficium resignare cogatur, sed nec alterum exigitur, ut ad inserviendum vel residendum compellatur per substitutum, veluti S. haec Congregatio declaravit in citata Piscien. 23. Junii 1764.

Haec autem indulta temporanea ut plurimum conceduntur, longius vero vel brevius tempus ex casuum varietate dependet, sed triennale fere spatium non excedunt, nisi potius placeat indeterminatum indultum concedere durante infirmitate, uti passim factum esse testantur innumera resolutionum exempla, licet etiam quandoque casus occurrant in thesauro resolutionum de perpetuis concessis vacationibus, si de perpetuo ac desperato morbo agebatur, ut in Romana, Juris canonicalis 5. Maji 1703. Semper autem conscientia indultorum solet onerari super praecisa necessitate et ubi temporanea dantur indulta, clausula communiuntur: „si tamdiu infirmitatis causa perduraverit."

Haec sunt, quae de jure ad rem spectare videntur. In facto autem licet justa videatur ac legitima absentiae causa ob juratam medicorum fidem ac proinde debitum censeatur indultum, perpendendum est tamen, num ex peculiari circumstantia perexigui numeri inservientium nisi praescribendum, suadendum saltem sit Oratori, ut servitium chori per substitutum adimpleat, ac utrum eidem sit injungendum, ut identidem Novellariam petat et choro inserviat ac videat, num forte ita processu temporis suum minuatur malum, ut postea sive continuo, sive interpolate aliquo anni tempore tam residere, quam ecclesiae valeat inservire, quod juxta Episcopi votum in dicta Casertana fuit demandatum.

Sacra etc. censuit rescribendum: *Prudenti judicio Episcopi, ad triennium, onerata, si tamdiu. Proptereaque eadem S. C. suprascriptas preces benigne remisit Episcopo Regiensi, ut veris existentibus enarratis, pro suo prudenti arbitrio Oratori gratis indulgere possit, ut a sua residentia per triennium proximum tantum, si tamdiu exposita causa perduraverit, abesse possit et interim fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interesset, onerata ipsius Oratoris conscientia super praecisa necessitate abessendi ut supra ob expositam causam.*

398. Massen. — Residentiae.

Die 28. Augusti 1852.

Annum 74. aetatis agens Joannes Battistini canonicus cathedralis ecclesiae Massanensis, rheumatalgiae morbo correptus chorum reliquit ac in familiae sinum valetudinis causa se recepit, in locum vulgo Ortola, procul millibus circiter passibus a praefata ecclesia. Paululum vix remissa morbi intensitate, quo afflictabatur, licet haud omnino cessaturus speretur ob chronicam quam induit naturam, praelaudatus valetudinarius e domo tum missae in proximo sacello celebrandae causa, tum deambulationis modicae habendae haud infrequenter egrediebatur. Quod ubi compertum exstitit cathedralis ecclesiae canonicis, punctationibus ac multis eum subjicere non dubitarunt juxta capitulares constitutiones, quibus edicitur, canonicum absentem a choro ratione infirmitatis punctandum esse, si infirmitas eum non impediat, quominus e domo exeat vel ad missam celebrandam. Recursum interea habuere ad Ordinarium, ut eum ad residendum compelleret. At hic anceps, utrum habendus esset extra residentiam a ss. canonibus praescriptam, ac nimis durum reputans eum ad residendum adigere ratione senilis aetatis, diuturni servitii choro perquam diligenter praestiti et infirmitatum, quibus angitur, rem censuit definiendam remittere ad EE. Patrum judicium.

Hinc in transmisso informationis libello praeter hactenus deducta refert etiam praedictum canonicum inter diligentiores usque enituisse in choralibus functionibus obeundis; nihilominus capitulum innixum propriis constitutionibus sustinere se bono jure usum fuisse eum mulctando et choralibus privando distributionibus; quin imo contendere eundem minime satisfacere residentiae oneri, quousque Ortulae, id est extra urbem et paroeciam cathedralis commoratur. In hypothesi autem, quod adigendus foret ad residendum in civitate, testimonio suo Episcopus declarat, Battistinum satis superque bonis esse patrimonialibus provisum, ita ut eidem grave haud accideret sibi omnia procurare, quae ejus senilis aetas aut mala valetudo exigere possent.

Jam vero illud ex jure praenotandum, ut canonici absentes fructus et quotidianas distributiones lucrentur, duo generatim requiri, justam nimirum absentiae causam et legitimi superioris licentiam, Garc. part. 3. de benef. c. 2. n. 99. Legitimas autem inter causas recenseri infirmitatem, quae tamen gravis esse debet et immediata causa absentiae, ut scilicet clericus aegrotans tempore sanae valetudinis solitus fuerit interesse divinis, Andr. Vallen. lib. 2. tit. 6. decret. et Reiffenstuel. lib. 3. decret. tit. 4. §. 7. num. 186.

Atque hic dubitari contingit, utrum distributiones debeantur canonicis legitime absentibus non solum a choro, sed etiam a loco residentiae, ubi est ecclesia. Nonnulli ex doctoribus negant, affirmant alii. Primam opinionem pro se habere majorem numerum doctorum, secundam majorem aequitatem refert Ventriglia in prax. eccl. tom. 1. annot. 19. §. 2, maxime si agatur de infirmis locum salubriorem ratione aeris vel medicorum et similium petentibus. Hinc quamvis haud constet, canonicum Battistini a choro abfuisse cum debita sui Ordinarii licentia, tamen ambigi nequit, eum gravi fuisse infirmitate detentum, quae excusationem praestat a chori servitio ad effectum quotidianas distributiones percipiendi, ac si praesens exstitisset. S. Congr. in Avenconen. 16. Dec. 1786.

Nec exinde denegandae veniunt distributiones, quod ille in more habuerit aliquantulum e domo exire; nam eas nihilominus canonico absenti etiam hoc in casu deberi a S. Rota decisum monet laudatus Ventriglia in loc. supra cit. num. 2, imo etiamsi infirmitas intimata non fuerit capitulo, nec canonicus in loco beneficii resideret.

Grave at vero adversus Battistinium negotium facessere videtur praecitatus constitutionum articulus, ubi expresse sancitur, canonicos ob infirmitatem absentes obnoxios fieri punctationi, quoties e domo ad celebrandam missam egredi valeant. Siquidem capitularia statuta adamussim observanda esse, quin liceat ab eorum expressa dispositione recedi, etiamsi aliter jus disponat, tenet Pignatell. tom. 4. consult. 35. n. 32. At ubi res est de statutis in specie quotidianas distributiones denegantibus canonicis ob infirmitatem absentibus, non una aeque est super eorum validitate sententia canonistarum. Seclusa namque consuetudine simplex statutum hac super re factum, utpote contra jus commune nullius roboris esse probat Reiffenst. loco supra cit. num. 191. Quippe canonicis nulla inest facultas contra jus commune aliquid statuendi absque beneplacito Apostolico: Barbosa de canonic. et dignit. c. 42. et ult. n. 17, etiamsi distributionum amissio sanciatur in canonicos infirmos absentes extra civitatem: Moneta de distribut. quot. p. 2. qu. 6. n. 20.

In contrariam tamen partem concedit Scarfanton. ad Cecco per. tom. 2. lib. 4. tit. 41. n. 51, qui contendit capitulum consentiente Episcopo statuere posse canonicos infirmos extra locum residentiae non participare de distributionibus, imo etiam infirmos in loco residentiae, qui domo egrediuntur,

ea fretus ratione, quod haec statuta sint tantum praeter jus, cum in cap. unic. de cleric. non resid. in 6. non praecipiatur vel permittatur simpliciter dari posse distributiones infirmis. Verum haudquaquam eruere datum est ex allegatis documentis, an hujusmodi statutum sit nec ne legitima consuetudine firmatum, vel Episcopi saltem auctoritate sancitum, cum sine illius consensu nefas capitulo sit aliquid statuere super modo lucrandi distributiones, Ventriglia loc. cit. annot. 19. n. 3.

Quae cum ita sint, illud in themate perpendendum venit, utrum saltem ob ingravescentem aetatem ac malam canonici valetudinem, quae in homine potissimum senio confecto incurabilis ex medicorum attestatione existimatur, nec non etiam ob sedulam, quam semper chori servitio praestitit, operam dignus censendus sit, qui specialem indulgentiam omisso statuti rigore ac dispensationem assequatur, quoadusque impossibile ei reddatur ex infirmitate chori servitium, ut generatim resolutum fuit a S. Congr. in Cremonen. Indulti 12. Julii 1760. §. Causa. Quin obsit dispensationi ejus egressus e domo, cum id valetudinariis permitti soleat in malarum affectionum levamen; S. Congr. in Hieracen. 13. Martii 1762. §. Suam.

Pro gratia ad triennium a die coeptae infirmitatis, arbitrio Episcopi, onerata, si tamdiu. Proptereaque eadem S. Congr. benigne commisit Episcopo Massen., ut veris existentibus enarratis pro suo arbitrio memorato canonico gratis indulgeat, ut a servitio chori per triennium incipiendum a die coeptae infirmitatis vacare possit et nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro ac officiis divinis personaliter interesset, onerata ipsius memorati canonici conscientia super praecisa necessitate vacandi ut supra ob expositam causam.

390. Veliternen. — Fallentiarum.

Die 28. Novembris 1857.

Sacerdos Vincentius Palutius in Veliternensi cathedrali beneficiarius, cum numquam antea ultra praefinitum bimestralium vacationum tempus a choro abfuisset, anno p. p. infirmitatis causa 86 diebus chorale servitium intermisit; unde lucro quod ex aliorum fallentiis praesentibus per id tempus accrevit privatus est. Contra hujusmodi capituli sanctionem Palutius supplici oblato libello apud hunc S. Ordinem conqueritur.

Episcopus illius dioecesis suffraganeus in suis literis informationis, audito in scriptis capitulo, quod captam resolutionem defendit tum ex consuetudine ab immemorabili vigenti, cujus quidem rationem repetendam existimat ab servitii quotidiani gravitate, quod a praesentibus sustinetur, tum ex facto ejusdem Palutii, qui eodem jure elapsis antea annis cum aliis usus est; et ipse capitulari resolutioni adhaeret inquiens: „Cum legitima consuetudo legis vim ac rationem habeat, et cum in jure cautum sit, ut quod quis in alterius persona credidisset, id in ipsius quoque persona valere patiatur, Oratoris preces omnino rejiciendas esse putarem.“

Compertissimum in jure est, ecclesiam, piissimam matrem, morbo vexatos summa humanitate ac pietate ita prosequi, ut non sinat quotidianis distributionibus eos privari, quos infirmitas a chori servitio excusaverit, cap. unic. de cleric. non resid. in 6. cap. 1. de cler. aegrot., Concilium Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. Exploratum pariter, sub nomine distributionum quotidianarum et illas comprehendi subventiones, quae ex

aliorum fallentiis praesentibus accrescunt, ceu definivit S. Congregatio in pluribus resolutionibus apud Benedictum XIV. instit. 107. Prudenter quidem cautum, ut illi hujusmodi beneficio non fruantur infirmi, qui dum incolumes fuerant divinis officiis interesse non solerent. Ab hujusmodi vero censura immunem se dicit Palutius, qui dum valuit, summa perpetuo diligentia chori munus obivit. Atque idem jus in Veliternensi dioecesi receptum confirmat juxta synodum ejusdem dioecesis, quae hoc beneficium clerico aegrotanti non denegat, dummodo elapso ante infirmitatem tempore sedulam chorali servitio operam navasset; quin aliquid contra ex capitularibus constitutionibus erui valeat.

Videndum igitur superest, an inducta consuetudo juris communis sanctioni derogare possit in casu. Irrationabilis fortasse hujusmodi videretur consuetudo, quippe quae materno ecclesiae amori opponitur, quae summa benignitate prosequitur infirmos, et non patitur, ut afflictis afflictio addatur; ac inde S. Congregatio capitulorum statuta, quae aegrotis quotidianas denegant distributiones confirmanda non esse censet, utpote irrationabilia et contra bonum ecclesiae, teste Fagnano lib. 3. decretal. cap. 1. de cler. aegrot. num. 136.

Nihilominus eadem S. Congregatio similes consuetudines aliquando visa est admittere. Nam teste Benedicto XIV. inst. 107. §. 8. n. 46; cum die 2. Decbr. 1666 quaesitum fuisset: „1. An distributiones quotidianas lucretur canonicus vel beneficiatus, qui solitus caeteroquin inservire, a civitate legitimo vacationis tempore in vicinum oppidum (unde sub finem dictae vacationis potest opportune se reddere ad ecclesiae servitium) se contulit, ibique superveniente infirmitatis corporalis impedimento ita detinetur, ut ad civitatem redire et choro interesse non valeat? et quatenus affirmative: 2. An hoc locum habeat, quamvis in ecclesia vigeat contraria consuetudo? Eadem congregatio respondit ad primum: lucrari; ad secundum non habere locum, si consuetudo sit legitime praescripta.“ Item in Reatina 19. Aprilis 1692 respondit deberi canonico jubilato lucrum ex fallentis accrescens, dummodo non obstent constitutiones particulares et consuetudo ecclesiae.

Judicent ergo EE. VV. quanti asserta consuetudo facienda sit, quam si improbandam esse consuerint, decernent in casu, utrum incommodum inde derivatum debeat Palutio resarciri, qui alias ex hoc ipso commodum tulit.

Lectum.

400. Tuscanen. — Punctaturarum.

Die 18. Augusti 1866.

Inter capitulares ecclesiae collegiatae Tuscanensis recensetur canonicus Aloysius Campanari, qui sex abhinc annis in more habet a postremis Augusti ad primos usque dies insequentis Octobris a residentiae loco et a dioecesi abesse, et autumans se praedicto absentiae tempore ex causa infirmae valetudinis a punctaturis immunem, discrepantibus, ut ait, hac super re canonicorum opinionibus, declarari petiit ab hoc Sacro Ordine, utrum ipse teneatur solutioni earumdem punctaturarum subjici, seu potius praefatam ob causam exemptus reputandus sit ab eodem onere subeundo. Ut vero comprobaret non recreationis, sed valetudinis curandae causa a residentia discedere, in medium protulit testimonium medici Tuscanensis Antonii Garbini, qui refert „eumdem canonicum a multis annis affectum esse paralysi in latere dextero, quae magis ei molesta fiat in loco nativitatis, conjuncta cum aliqua affectione

cerebrali tempore aestivo. Ad impediendum morbi progressum se consilium dedisse, ut canonicus pergat in locum, ubi aer salutaris neque calor nimis molestus sit.“ Animadvertit propterea Campanarius super praefata exemptione a punctaturis sibi favere nedum jus commune, sed dispositionem etiam synodi dioecesanae statuentis tit. 4. cap. 2. §. 2. n. 24 de punctaturis: „Si tamen ex consilio medicorum demorentur (canonici) extra civitatem ad captandam salubriorem auram ... (a punctaturis) excusandi sunt.“

Ita praefatus canonicus. At porrectis precibus minime propitium edidere votum capitulares et Episcopus administrator, qui rogatus, ut audito in scriptis capitulo, referret de jurata medici fide, nec non de legitima infirmitatis causa, et mentem suam aperiendo integram particulam statutorum transmitteret, animadvertit rationum momenta ab Oratore adducta non hujusmodi esse, ut eum a chori servitio possint jure dispensare. Licet enim pluribus abhinc annis eo morbo, de quo medicus refert, correptus fuerit, attamen si non perfecte, ex eo certe ita convaluit, ut ea omnia munia semper obire potuerit, quae quivis alius sacerdos perfecta cum valetudine exercere solet; et quamvis nonnumquam sive saeviente hieme, vel summo aestu aliquid incommodi patiatur, hoc tamen haud impedit, quominus non modo choro inserviat, et alia munia ad suam ecclesiam spectantia exerceat, sed et alia etiam graviora officia subeat, qualia sunt missam singulis diebus anni aurorae tempore celebrare, pro-parochi munere fungi in ecclesia cathedrali; quibus muneribus gravissimis, ad quae nec ex officio, nec ratione praebendae tenetur, satisfacere non posset, si non satis firma valetudine polleret.

Prosequitur deinde Episcopus, non suffragari ajens Oratori facultatem, quam alio abeundi concedit synodus ad salubriorem aerem captandum ex medicorum consilio; nam ni fallor, inquit, synodi dispositio ad eos canonicos spectat, qui ex aliqua infirmitate sese receperunt, et in statu convalescentiae manent. Ita porro legitur in particula synodi dioecesanae ab eodem Episcopo transmissa: „Excusantur imo et participatione distributionum quae dicuntur accrescentiae ex aliorum punctaturis (non tamen anniversariorum distributionibus) fruuntur infirmi, dummodo permaneant intra civitatem vel oppidum juxta antiquissimas hujus episcopatus sanctiones et consuetudinem. Infirmitas haec tamen vera esse debet, non ficta parvique momenti, eique dumtaxat suffragatur, qui alias cum sanus esset, solitus fuisset ecclesiae inservire. Si tamen ex consilio medicorum demorentur extra civitatem ad captandum aerem salubriorem, vel aliquoties domo exstant, non tamen noctu ad deambulandum tempore convalescentiae, vel ad missam celebrandam excusandi sunt.“

Refert autem laudatus praesul, can. Campanarium, qui diligenter ad chori servitium et ad alia munera incumbit, neque putat jus sibi esse ratione valetudinis a choro se dispensandi, dum in civitate moratur, exemplo sine ulla valetudinis imminutione longa itinera etiam noctu vel cum gravi incommodo suscipere, Romam pergere, inde in alias finitimas civitates, et solatiis diu noctuque sine ullo discrimine vacare apud beneficum et divitem hospitem.

Ex medici testimonio nil aliud erui posse idem Episcopus arbitratur, quam salubrioris aeris necessitatem ad valetudinem tuendam: at non Oratori solummodo sed unicuique satius esset, ceu observat, vel aestatis tempore, quo in regione pene maritima, qualis est Tuscania, maximi esse solent calores, vel autumni tempestate, qua febres et morbi aliquando saeviunt, alio abire, ubi aeris salubritas, negotiorum cessatio, et vitae ratio commoditatibus redundans efficiunt, ut salus in dies virescat et firmetur.

Quae hucusque collegi ex Episcopi literis, eadem fere omnia relata reperiuntur a canonicis in exhibita capitulari resolutione; dijudicent itaque Eminentiae Vestrae, quid sentiendum supersit de causa infirmitatis, cui Orator innixus punctaturarum legi subesse detrectat. Sacra Congregatio constanter addixit infirmis canonicis distributiones, seu exemptionem a punctaturis ad tramites cap. un. de cler. non resid. in 6. quo Bonifacius VIII. ad lucrandas distributiones eos beneficiatos admisit, quos infirmitas excusaret: quam dispostionem confirmavit Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. A quaestione itaque facti potius quam juris exspectare debet canonicus Campanari rescriptum ad preces ab ipso Sacrae Congregationi exhibitas.

Lectum et notificetur Episcopo.

401. Santandrien. — Visitationis sacrorum liminum.

Die 26. Januarii 1856.

Episcopus in postrema relatione status suae ecclesiae haec exponit:

„Cathedralis ecclesiae canonici, nec non et beneficiati seu capellani ejusdem choro addicti, ultra tempus solatii seu vacationis a chori servitio, quo per dies nonaginta primi, per quinquaginta secundi quotannis uti possunt (cavendo tamen ne plures quam tertia cujusque classis pars a choro simul solatii causa absint nec distributiones quotidianas eo tempore lucrentur), dum infirmi domi detinentur, vel de medici consilio ad balnea seu thermales aquas pergunt, vel ut coelum mutent, salubrioremque auram respirent, civitate exeunt, pro praesentibus in choro habentur, quin dictarum distributionum quidquam amittant pro horis, quibus bene valentes assistere consueverunt. Contingit autem non raro, ut cum infirmis hujusmodi, seu pro infirmis habitis, ab ecclesia simul absint consueti solatii capiendi causa tertia bene habentium pars, itemque alii vel in Episcopi, vel in capituli servitio occupati; quo fit ut tres tantum quatuorve canonici, totidemque beneficiarii in choro maneant, non sine magno cultus divini detrimento.

„Huic malo ut occurratur et abusui aditus praecludatur, alicubi statutum invenitur, ne infirmi extra civitatem participes fiant choralium distributionum, teste nostro Garcia de benef. part. 3. cap. 2. num. 499 et seqq. Verum cum totalis ea distributionum amissio durior aliquando videatur pro vere et graviter aegrotantibus, nec omnino necessaria pro levioris morbi praetextu avertendo; satius forsan chori debito servitio et residentiae consuleretur, si infirmi choristae omnes, quocumque morbo seu valetudinis affectione laborantes et extra civitatem mederi cupientes, vel pro primo tantum absentiae mense (qui eis in consueti solatii tempus computabitur) distributionibus careant, easdem pro reliquo infirmitatis tempore lucraturi, dummodo medici jurata attestatione, ut fieri solet, impedimentum comprobetur; vel simili necessarii recessus attestatione capitulo exhibita, absentia cum distributionum perceptione a capitularium majori parte per secreta suffragia probetur, ita scilicet ut ex suffragiis uno supra viginti, quae Episcopo simul cum capitularibus omnibus adscribuntur, undecim numerari debeant, absenti a civitate infirmo faventia (quicumque sit canonicorum deliberantium numerus) ut absentiae necessitas comprobetur, et ut absens quotidianas distributiones lucretur. Utrum ex duobus his mediis, vel an aliud ad rem opportunius adoptari expediat, anque id a solo Episcopo, vel nonnisi de capituli consensu, Sacra Congregatio declarare dignabitur.“

Beneficiatos infirmitatis causa a loco residentiae absentes, quotidianis privandos non esse distributionibus, quamvis aliter in statutis capitularibus

cautum esset, aut consuetudine firmatum, S. Congregatio, in diversa abeuntibus doctorum sententiis, aequitatis ratione mota saepe definivit, uti in Illerden. Absentiae et distributionum diei 3. Martii 1792 in qua ad 2. dubium hisce conceptum verbis: „An et quomodo absentes etiam a residentia causa infirmitatis percipere valeant distributiones in casu?“ posthabitis constitutionibus capitularibus et contraria longaeva consuetudine respondit: „Affirmative juxta votum Episcopi comprehensis canonicis.“ Idemque statuit in Massen. Residentiae relata inter supplices libellos diei 28. Augusti 1852. Quod quidem nedum aequitati, sed rationi etiam consentaneum est; aeque enim impediti forent ad interessendum choro, si adessent, ceu perpendunt Pignatell. consult. 115. num. 67. tom. 9. Ursaya discept. ecclesiast. 16. num. 23. Monet. de distrib. part. 2. quaest. 6. n. 10.

Quandoquidem vero non levissimum quodpiam valetudinis discrimen inter justas recenseri potest abessendi causas, sed verus et gravis requiratur morbus, qui beneficiatum reapse impediat, quominus choro adesse valeat, vel eum cogat mutare coelum, ceu monet Benedictus XIV. in inst. 107. §. 8; hinc, ut fraudibus intercludatur aditus sapientissime statutum est, ut beneficiati nedum distributionibus, quamvis aegrotantes, careant, si a choro abesse consueverunt dum incolumes erant; verum etiam ut infirmitatem jurata medici fide aliave ratione, quae aptior Episcopo videbitur, probent. Casui aptari potest decretum S. Congregationis in causa Mantuana 6. Februarii 1637 lib. 17. decretor. pag. 197. „Distributiones quotidianas ita demum Oratori aegroto deberi, si alias ecclesiae solitus erat inservire, cujus justificatio remittitur conscientiae Episcopi. „Itemque in Reatina 2. Martii 1667 lib. 25. decret. pag. 375. „S. Congregatio etc. censuit Oratori dandam esse declarationem alias editam sequentis tenoris: Congregatio Concilii censuit, canonico infirmo, durante ejus infirmitate, quamvis choro non intersit, debere fructus omnes sui canonicatus, nec non distributiones quotidianas, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire. Ceterum infirmitatem ipsam coram judice probandam.“

Quibus perpensis videant EE. PP., an expositae ab Episcopo, abusus hac in re avertendi causa, rationes probandae omnino sint, nimirum ut canonici aut beneficiati infirmi et absentes pro primo absentiae mense quotidianis privari debeant distributionibus, quamvis infirmitatem et absentiae valetudinis recuperandae gratia necessitatem jurata medici attestatione probaverint; vel ut capitularium judicio permittendum sit, an canonicus absens ex causa infirmitatis distributionibus donari debeat nec ne.

Perpendant etiam, utrum exinde satis consultum esset chorali servitio, cujus gratia hujusmodi provisiones decernendae forent; praesertim ubi contingat, eos quos infirmitas alio abire cogit lucri malle quam valetudinis subire jacturam; vel non potius, quin aegrotantes in hanc duriorem conjiciantur conditionem, expediat magis in peculiaribus casibus illorum cohibere numerum, qui simul absint, ut conciliaribus vacationibus fruantur. Quod quidem juxta varias rerum circumstantias Episcopus pro suo arbitrio, vel de consilio, aut etiam cum consensu capituli statuere posset.

Faciunt ad rem decreta S. Congregationis in Abulen. anni 1581 lib. 3. decretor. pag. 79. „Sacra etc. censuit non requiri licentiam Episcopi, quando dignitates canonici, aut portionarii abesse volunt tempore ipsis a concilio permisso: non tamen omnes simul abesse posse, ne ecclesia suo debito servitio destituatur. Quota autem pars simul possit abesse relinqui arbitrio Episcopi et capituli.“

In Cremonensi die 18. Septembris 1662. lib. 23. decretor. pag. 298. „Censuit subesse rationabiles causas indulgendi, ut, si Sanctissimo D. N. placeat, singuli canonici quotannis a servitio chori per duos menses, amissis distributionibus quotidianis, vacare possint, ita tamen ut hujusmodi vacatione is tantum numerus canonicorum eodem tempore fruatur, quem Ordinarius habito respectu ad necessitatem servitii ejusdem chori pro suo arbitrio et conscientia praescribet.“

Pariter in Farfen. 13. Novembris 1655. S. Congregatio indulsit „canonicis collegiatae ecclesiae S. Victoriae, ut per duos menses a servitio ecclesiae quotannis exempti esse possent arbitrio Cardinalis Abbatis“ lib. 19. decret. pag. 582.

Dentur resolutiones in Reatina diei 2. Martii 1667 et in Cremonen. diei 18. Septembris 1662.

401. Reatina. — Punctaturarum.

Die 20. Maji 1854.

Sacerdos Joannes Tomassi canonicus ecclesiae cathedralis Reatinae cum mense Julii anni 1852 in gravem incidisset morbum, eoque diu afflictus fuisset, a choro abesse ac valetudinis recuperandae causa medicorum consilio coelum mutare coactus est. Quapropter canonici capitularibus constitutionibus freti, in quibus statuitur, ut praebendatus extra civitatis moenia commorans, veluti absens in libello quem vocant delle puntature referatur nulla habita ratione valetudinis, punctationibus ac multis eum subjicere non dubitarunt.

Die itaque 19. Januarii superioris anni canonicus Tomassi supplici oblato libello humillime petiit, tum condonationem fallentiarum quoad praeteritum, tum indultum quoad tempus futurum abessendi valetudinis causa, nec non facultatem durante absentia quotidianas percipiendi distributiones.

Reatinum Episcopum rogavi, ut audito capitulo referret ac animi sui sensum panderet: ipse autem ita retulit: „Audito capitulo legitime congregato, quamquam ipsum haud renuat, praedictum canonicum in posterum ex obtenta istius S. Congregationis licentia abesse posse, et nihilominus privilegio frui, quo gaudent infirmi intra civitatis moenia degentes, dissentit tamen quoad tempus praeteritum, ut ullum eidem privilegium aut gratia suffragetur; eo quod jam taxa confecta, omne frumentum seu massae peculium aeque divisum ac distributum inter canonicos est. Ex jurata medici fide apparet, coeli mutationem praedicto canonico necessariam esse, et ipsi hanc veniam concedendam puto, quamvis non adeo facile praefiniri possit tempus ex ipsius medici judicio, qui ad minus spatium quinquaginta dierum necessarium censet.“

Hinc attenta jurata medici fide et consensu capituli, rescribendum censui pro gratia abessendi ad quinquaginta dies; quo vero ad fallentiarum condonationem, satius duxi rem EE. VV. judicio submittere.

Infirmitas tum a Bonifacio VIII. in cap. Consuetudinem de cleric. non resid. in 6. tum a Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de reform. inter legitimas choralis absentiae causas recensetur; adeo ut canonicis valetudine laborantibus, si choro adesse nequeant, integrae distributiones debeantur, uti decrevit S. Congregatio in Savonen. Distributionum 17. Dec. 1743, in Praten. Indulti 13. Junii 1796. Atqui canonicis aegrotantibus non integrae obvenirent distributiones, ubi his desuper aliquam solvere multam cogerentur.

Non conveniunt tamen doctores, utrum jure communi distributiones debeantur canonico ob adversam valetudinem absenti non solum a choro, sed etiam a loco, ubi exstat ecclesia. Affirmativam autem sententiam utpote aequiorem secuta videtur S. Congregatio, uti ceteris missis constat ex resolutione edita in Illerden. Absentiae et distributionum 3. Martii 1792 in qua ad 2. dubium: „An et quomodo absentes etiam a residentia causa infirmitatis percipere valeant distributiones in casu?“ respondit: „Affirmative juxta votum Episcopi.“

Non una pariter est canonistarum sententia quoad validitatem statutorum distributiones denegantium canonicis causa infirmitatis a residentiae loco absentibus: statutum enim hujusmodi, utpote contra jus commune, nullius esse roboris tenet Moneta de distrib. quotid. part. 2. quaest. 6. n. 20. Quippe canonicis nulla inest facultas contra jus commune aliquid statuendi absque beneplacito Apostolico, Barb. de canon. et dignit. cap. 12. n. 17. In contrariam vero partem concedit Scarfanton. ad Ceccop. tom. 2. lib. 4. tit. 41. num. 31. contendens hoc statutum esse tantum praeter jus, cum in cap. unic. de cler. non resid. in 6. non praecipiatur, sed permittatur simpliciter dari posse distributiones infirmis. Sacra autem Congregatio aliquando, contrariis hujusmodi statutis non obstantibus, ex speciali gratia, ac ubi peculiaria concurrerent adjuncta, mitius cum canonicis ob infirmitatem absentibus agendum esse censuit, de quo recentissimum suppetit exemplum in Massen. Residentiae relata inter supplices libellos die 28. Aug. 1852.

Videant itaque EE. VV. utrum pro gratia etiam in casu rescribendum sit, saltem a die exhibiti supplicis libelli, quamvis difficultatem facessere videatur capitularium dissensus, queis grave nimis accideret, si ad restitutionem cogerentur distributionum, quas ex Oratoris fallentiis lucrati sunt. Ad tempus vero quod attinet, quo ipse abfuit antequam abessendi veniam impetrasset, nulla valet remissio, cui etiam obstat dispositio cap. unic. de cleric. non resid. in 6. et Concilii Tridentini sess. 24. cap. 12. de reform. statuentis, ut reliqui quavis collusione aut remissione exclusa his (distributionibus) careant. Attamen, quia afflictio non est addenda afflicto, cap. Ex parte 4. de cler. aegrot. decernent EE. PP. utrum in hac etiam parte de juris rigore remittendum sit in casu.

Pro gratia a die exhibiti supplicis libelli.

403. Lauretana. — Onerum capitularium.

Die 1. Aprilis 1865.

Joannes Brillarelli canonicus insignis collegiatae ecclesiae oppidi Castelfidardo die 14. Decembris 1863 supplicem Beatissimo Patri libellum obtulit quo exponebat, capitulum S. Stephani praeter missam conventualem teneri alias missas celebrare non vero applicare, quaequae proinde appellantur di sola presenza, inter quas recensetur missa singulis festis diebus celebranda in parva quadam ecclesia, quae antiquitus parochialis exstiterat. Ilis obligationibus implendis quisque canonicus per turnum adigitur: qui negligit, obulis septem cum dimidio punctaturae nomine mulctatur. Canonicus Brillarelli postulat, ut ii canonici, qui propter infirmitatem huic obligationi satisfacere nequeunt, punctatura subeunda eximantur.

Auditus hisce super precibus vicarius capitularis actum capitularem transmisit, quo canonici petitioni Brillarelli refragantur ea praecipue de causa, quia punctaturae supradictae duorum saeculorum observantiae innituntur, nec

videtur iisdem nunc temporis ab eadem esse declinandum, tum quia fidelium pietas per diligens sacrarum functionum implementum fovenda est, tum quia dioecesis proprio Episcopo viduata est, quo tantum duce res majoris momenti discutiendae et statuendae sunt.

Vicarius capitularis canonicorum voto adhaeret, eosque laudat his verbis: „Arbitror ipsos prudenter se gessisse. Justum est enim nunc consuetudini studere; nam cum nunquam constitutiones capitulares conditae fuerint contra praescriptiones in sacris visitationibus indictas, nil directionis, ordinis, et regulae esset in servitio chori adimplendo et propriis oneribus exsequendis. Hinc . . . justissima et opportuna causa exsurgeret, ut capitulum Fidardense juberetur has quantocius constitutiones capitulares elucubrari . . . ut cessatis frequentibus disceptationibus, ordo firmetur, quo quisque suis muneribus pacifico fungatur animo.“

Favore canonici Brillarelli observari posset, clericos, qui infirmitate prohibentur, quominus propriis muneribus fungantur, nedum fructus beneficii facere suos, sed etiam distributiones acquirere, Reiff. decret. lib. 3. tit. 6. idque etiamsi sua culpa in morbum inciderint, Barbosa n. 3. cap. 5. h. t.

Hanc doctrinam semper secuta fuit H. S. Congregatio, ut est in Romana 5. Maji 1703 et 27. Jul. 1705 in Mediolanen. 7. Dec. 1715, imo Benedictus XIV. Instit. eccl. 107 refert H. S. Congregationem die 15. April. 1611 lib. XI. decret. pag. 98 censuisse, eos qui absunt a servitio chori ob infirmitatem percipere debere distributiones quotidianas sui canonicatus, perinde ac si statis horis interessent, percipere etiam augmentum distributionum, quas amittunt illi, qui non interfuerint. Itaque si canonicus, qui aegrotans perinde habendus est, ac si praesens esset, punctaturis etiam eximendus videtur.

Observat autem in facto canonicus Brillarelli, nihil detrimenti in publicam pietatem redundare, si canonicus aegrotans punctaturis minime mulctaretur, cum missae non omittendae, sed per canonicum, qui sequitur in turno, essent celebrandae, nec canonicos Fidardenses publicae pietatis gratia motos fuisse ad petitionem suam rejiciendam, propterea quod non ita vehementi pietatis zelo flagrare dicendi sunt ii, qui contra sacrorum canonum et Concilii Tridentini sanctiones punctaturas inter diligentes negligentesque aeque distribuunt.

Verum consuetudo duorum saeculorum observantia firmata tanti roboris est, ut Reiff. loc. cit. argumenta in contrarium allata per eam infirmari censeat; idque confirmat Garcias p. 3. de benef. t. 2. num. 361. inquiens „munus consuetudinis est constituere jus novum, ubi lex defuit, seu nulla posita fuit eaque non minus in conscientia quam in foro externo obligat.“ Sacra vero Congregatio, referente eodem Garcia loc. cit. declaravit: „consuetudo in aliqua ecclesia introducta, ut canonici infirmi fructus tantum suae praebendae, non distributiones quotidianas percipiant, si legitime praescripta sit, tollit constitutionem.“ Praescribitur autem juxta eumdem auctorem consuetudo haec 40 annorum observantia. Huic doctrinae adhaesit S. H. Ordo in Savonen. 18. Dec. 1745 et in Tranen. 16. Jun. 1715 idemque occurrentibus casibus mandare solet, ut per canonicos quam primum conficiantur capitulares constitutiones, et fallentiae ad tramites juris et resolutiones S. Congr. distribuantur, ut in Romana 22. Febr. 1862.

Pro nunc standum esse consuetudini, firma manente obligatione conficiendi quam primum constitutiones capitulares ad formam juris.

404. Amerina. — Distributionum.

Die 28. Aprilis 1860.

Sacerdos Joseph Andora Amerinae cathedralis ecclesiae canonicus die 11. Februarii elapsi anni indultum ab hac S. Congregatione obtinuit ad triennium absentiae a choro ob provectam ejus aetatem ac infirmitates, quibus laborat, facultate eidem facta omnes sui canonicatus fructus et quotidianas distributiones percipiendi, ac si personaliter choro interesset. Cum vero in Amerina cathedrali varia exstent infra annum anniversaria, quae specialia emolumenta interessentibus conferunt, hinc canonici hujusmodi emolumenta ex anniversariis obvenientia indultario denegant, existimantes inter vere praesentes tantum ea dividenda esse ita, ut nulla ad eos habeatur ratio, qui fictione juris nec aliter tales habentur. Itaque ad hanc S. Congregationem recurrit canonicus Andora indultarius, ut declaretur, utrum in vim praefati indulti executoriali decreto jam debite muniti jus ei sit lucrandi emolumenta, de quibus agitur.

Literas informationis ab Episcopo accepi una cum capituli deliberatione. In qua contendunt canonici jure ab ipsis anniversariorum emolumenta denegari canonico Andora, eo quia in rescripto S. Congregationis facultas eidem data fuit percipiendi, quamvis absit a choro, fructus sui canonicatus et quotidianas distributiones. Atqui, subdunt, anniversariorum emolumenta numquam in Amerina cathedrali sive inter fructus canonicatus sive inter distributiones quotidianas recensita sunt. Ita sane in more perpetuo ibidem fuit, ut nec canonici jubilati nec ceteri indultarii etiam causa valetudinis de hujusmodi emolumentis participes fierent, quamvis et fructus reliquos canonicatus et quotidianas distributiones jure merito sibi condicerent. Hinc hujusmodi emolumenta inter vere praesentes tantum distributa semper fuere absque interesse habentium querela; a qua quidem consuetudine haud recedendum putant canonici, nisi aliter in rescriptis ac indultis diserte cautum sit.

Quamvis vero in piis anniversariorum relictis nihil statutum fuerit quoad modum distribuendi emolumenta, attamen non dubitant, quin benefactores hujusmodi praxi in eorum ecclesia vigenti sese accomodare voluerint, praesertim quia anniversaria haec pro maxima parte relicta fuerunt ab Episcopis, vel canonicis, aut sacerdotibus Amerinis, quos proinde memorata praxis vetustissima latere non poterat.

Denique animadvertunt, hujusmodi anniversaria fixa esse et non eventualia, pro quibus nimirum certus ac stabilis fundus constitutus est, cujus fructus partim erogandi sunt in missarum celebrationem, partim pro sacristiae expensis, et quod reliquum est inter praesentes plus minusve juxta eorum numerum dividitur, nonnullis exceptis anniversariis, in quibus determinata et numquam variabilis distributio assignata est.

Ad rem vero haec edisserit in suis literis Episcopus:

„Indubium videtur ex pluribus declarationibus S. Congregationis, indultum jubilationis suffragari pro participatione omnium fructuum sicut ad lucrandas distributiones quotidianas, nec non etiam ad percipienda quaecumque alia emolumenta, prout sunt illa anniversariorum fixorum, in quibus haud cautum fuit a testatoribus seu dantibus, ut interessentes tantum participare debeant. Sic revera decisum fuit in Novarien. Jubilationis 2. Octobris 1681 in Lunen. Sarzanen. Jubilationis diei 30. Septembris 1684, in Patavina Jubilationis 9. Junii 1714 multisque aliis. Et quidem non tantum in casu jubilationis, sed etiam ex infirmitatis causa, cui

decrepita senectus aequiparari potest. In Romana enim Jurium Canonicalium diei 5. Maji 1703 penes Ferrarium, proposito dubio: „An canonico Stradae, cui ex causa infirmitatis fuit concessum indultum vacandi a choro aliisque officiis divinis, illud etiam suffragari valeat pro laudemiis, quindenniis, capitulis, actibusque capitularibus, anniversariis, festivitatibus, processionibus, ac pro quibusvis functionibus in ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta cujusvis generis et speciei communia nuncupata?“ responsum fuit: „Affirmative etiam quoad laudemia, exceptis anniversariis, aliisque obventibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a testatoribus dispositum. Non inficior tamen unam declarationem ejusdem S. Congregationis inveniri, in qua ad propositum dubium: „An capitularibus jubilatis quamvis non intersint, vigore indulti emolumenta anniversariorum debeantur?“ responsum fuit: „Negative“, Bituntina Anniversariorum 1. Julii 1679.“ Sed haec decisio magis cum supracitatis meo sensu, concordanda videtur, quam quid valeat ex se ob nimiam dubii ambiguitatem.

„Quae sint autem, cujusque ponderis capitularium rationes ex consuetudine, et ex istius consuetudinis scientia piorum benefactorum deductae, erit EE. VV. judicare. Hoc indubium, quod defuncti benefactores nullam divisionis conditionem dictaverint, sicut equidem juxta canonicorum affirmationem in manifesto est, numquam huc usque jubilatos anniversariorum, de quibus sermo, emolumenta percepisse.“

Cum nihil hac de re statutum in jure sit, prae oculis habendae sunt S. hujus Congregationis resolutiones, in quibus actum est de exemptione canonico, sive jubilato, sive infirmo competenti. Porro plures hujusmodi resolutiones referuntur in causa Reatina Jubilationis 28. Aprilis 1770, in quibus tamen S. Congregatio modo participationem ad omnia emolumenta etiam extraordinaria et anniversariorum, dummodo voluntas fundatoris vel dantis non obstaret, praefatis indulsit canonicis, modo vero denegavit. Quae quidem resolutionum diversitas, ceu ibidem perpenditur §. Haec, non aliunde repetenda est, quam ex variis casuum circumstantiis, ex diversis conditionibus a testatoribus appositis, et ex peculiaribus cujusque ecclesiae statutis, et consuetudine, ceu etiam animadverterat Benedictus XIV., cum munere secretarii S. Congregationis fungeretur, in causa, cui titulus Aquipendien. Indulti 18. Martii 1719, idque patet ex sequentibus resolutionibus ibidem relatis. In Tranen. 13. Januarii 1703 ad dubium: „An archipresbytero Oratori tempore infirmitatis debeantur omnes et quaecumque distributiones quotidianae, et signanter mortuaria et anniversaria?“ rescriptum fuit: „Affirmative juxta consuetudinem ecclesiae.“ In Aquilana Indulti, cum ageretur de indulto concesso cuidam canonico abessendi ab ecclesia, dubitatum est: „An et quibus emolumentis perfrui debeat?“ die 26. Junii 1745 sequens prodiit resolutio: „Deberi omnia emolumenta, exceptis iis quae sive ex dispositione testatoris, sive ex statuto et consuetudine ecclesiae debentur tantum actu inservientibus, et amplius. Ac tandem in Leodien. Indulti 28. Augusti 1741 (?) quaesitum est: „An vigore indulti abessendi de quo agitur debeatur canonico Thomae Philips, licet non intervenienti, portio emolumentorum provenientium ex anniversariis tam fixis quam incertis et extraordinariis in casu?“ Et S. Congregatio respondit: „Affirmative juxta solitum.“

Tanti autem semper fecit S. Congregatio consuetudinem in ecclesiis vigentem, ut eam observandam, eique adhaerendum existimaverit, quamvis earumdem ecclesiarum statutis opponeretur. Exemplum est in Tudertina, in qua casus expositus fuit his verbis: „Est antiqua constitutio in dicta

ecclesia, ut canonici, qui infirmantur, durante eorum infirmitate, percipiant fructus tam praebendae, quam quotidianarum distributionum, sed consuetudo introducta est, ut ipsi infirmi fructus tantum praebendae consequantur, non autem quotidianas distributiones: quaeritur in hoc casu, an constitutio, vel potius consuetudo sit servanda?" Sequens vero data est responsio: „Consuetudinem, si legitime praescripta sit, tollere constitutionem" ut in lib. 1. decret. pag. 86.

Non lucrari ad formam consuetudinis.

405. Cathacen. — Distributionum.

Die 27. Januarii 1866.

In constitutionibus capitularibus ecclesiae cathedralis Cathacensis, quae editae ab Episcopo ab hac Sacra Congregatione approbatae fuerunt die 4. Junii 1701, haec quoad distributiones habentur:

Art. IX. Cum consistant omnes reditus canonicorum in distributionibus quotidianis neque existant canonicorum praebendae distinctae, sicut dignitatum et personatuum, facultate nobis data a Conc. Trid. s. 22. c. 3. de ref. separandi tertiam partem distributionum, jubemus punctaturas hujus tertiae partis proportionaliter interessentibus accrescere, ut disponit S. Conc. Trid. s. 24. c. 12 de ref. relictis duabus partibus loco praebendae, ita ut absentes nec directe nec indirecte de eis participare possint.

Art. XI. Jubemus distributiones, quae dantur occasione comitatuum mortuorum, exequiarum aliorumve officiorum, quae fieri solent, absentibus obvenire non posse, non obstante abusu introducto, sed tantum praesentibus."

Scitum est praeter quotidianas distributiones, quae ordinariae etiam nuncupari solent, alias quoque dari posse extraordinarias distributiones, quae vel fixae et certae dicuntur, si quotannis ex anniversariis, aliisque constanter redeuntibus officiaturis proveniunt, vel incertae omnino et eventuales audiunt, si ex peculiari aliquo peragendo servitio forte superveniunt. Cum ergo de hujusmodi tantum eventualibus et prorsus incertis distributionibus loqui videantur statuta capitularia in secundo mox relato articulo Cajetanus Mila can. cantor praefatae cathedralis ecclesiae, supplici transmisso libello questus est apud hunc Sacr. Ordinem „quod afflictus per tres annos crudelissimo morbo articulari a capitulo privatus sit non modo distributionibus eventualibus quibus frui non possunt absentes, sed etiam iis, quae proveniunt ex anniversariis perpetuis, quae ex lege generali omnibus canonicis aegrotis competunt." Fassus deinde, quandam adesse consuetudinem in praedicto capitulo, cujus distributiones ex anniversariis provenientes infirmis canonicis denegantur, Sacram hanc Congregationem rogavit, ut minime obstante hujusmodi consuetudine iis distributionibus ipse infirmus perfrui valeat.

Antequam Oratoris preces judicio Eminentiarum Vestrarum subjicerentur, commissum fuit Episcopo, ut audito capitulo referret super adducta consuetudine, et super bono Oratoris jure: isque mandatis obsequens rescripsit: „Duobus abhinc annis, quae modo ... supplici libello ad istam Sacram Congregationem Cajetanus Mila canonicus cantor hujus cathedralis ecclesiae refert, mihi pariter exposuerat; at audito tunc capitulo, nullam inveni rationabilem causam factas distributiones corrigendi. Cantoris praetentio est, quod canonicus infirmus ac propterea e choro absens punctari non debeat in distributionibus pro anniversariis fixis, contra immemorabilem consuetudinem a capitulo sartam semper servatam, et argumentum sumit ex eo, quod haec

consuetudo ab Episcopo vel a Sede Apostolica uumquam fuerit approbata. Capitulum contra sustinet legitimam esse hanc consuetudinem, quippe quae juri naturali aut positivo divino minime opponitur, imo magis magisque religionem fovet, et ignoratur utrum in antiquitate approbata fuerit a superioribus, sicuti certo constat, quod nemo ad hominum memoriam ex hujus dioecesis Episcopis illam reprobaverit.

Et reapse capitulum in literis ad eumdem Episcopum datis, quae ad Sacram hanc Congregationem transmissae fuerunt, praemittit, in redituum destributione reditus massae grossae ab iis, qui ex anniversariis perpetuis aliisque officiaturis similis naturae proveniunt, distingui. Quoad primos observari sacros canones, quoad alteros consuetudinem immemorabilem distribuendi reditus praesentibus tantum exclusis infirmis. Tuetur deinde hujusmodi consuetudinem legitime praescriptam esse tempore immemorabili, cum hodierni veteres canonici, qui idem a suis praedecessoribus audierunt, testentur nunquam alium agendi modum in usu fuisse. Miratur propterea, quod canonicus Mila, postquam per 35 annos favoribus talis consuetudinis usus est, nunc ipsemet infirmus damnum sentire non vult.

Favere in genere videtur Oratori dispositio can. un. de cler. non resid. in 6, quo Bonifacius VIII. decernens absentes a choro privandos esse distributionibus, eos tamen excepit, quos infirmitatis causa excusaret. Quae dispositio Bonifacii VIII. confirmata fuit a Trid. in sess. 24. c. 12. de reform. et ea semper fuit ecclesiae benignitas, ut aegrotantes non secus ac alios legitimo impedimento detentos a choro absentes haberi voluit tanquam interessentes ad fructus omnes et distributiones quotidianas percipiendas. In specie tamen obstat consuetudo, cujus legitima existentia in tuto poni videtur ex adductis ab Episcopo et capitulo, ipso can. Mila minime contradicente. Et tanti profecto H. S. O. faciendam esse constanter existimavit peculiarem aliquam consuetudinem in singulis ecclesiis vigentem, ad cujus tramites distributiones etiam infirmis canonicis denegarentur, ut eidem consuetudini adhaerendum illico esse responderit. Exemplo esse potest rescriptum, quod editum fuit in Tudertina lib. 1. decr. pag. 86. in qua sequens quaestio proponebatur: „Est antiqua constitutio in dicta ecclesia, ut canonici, qui infirmantur, durante eorum infirmitate percipiant fructus tam praebendae quam quotidianarum distributionum, sed consuetudo introducta est, ut ipsi infirmi fructus tantum praebendae consequantur, non autem quotidianas distributiones: quaeritur in hoc casu, an constitutio vel potius consuetudo sit servanda? Et Eminentissimi Patres responderunt: „Consuetudinem si legitime praescripta sit, tollere constitutionem.“ Nec aliter resolutum est ab Eminentiis Vestris in durioribus etiam facti circumstantiis in Lauretana Onerum capitularium diei 1. April. anni nuper elapsi inter supplices libellos.

Servetur consuetudo.

406. Romana. — Distributionum.

Die 9. Junii 1855.

In collegio beneficiatorum et clericorum beneficiatorum basilicae S. Laurentii in Damaso Urbis immemorabilis viget consuetudo, ut distributiones, quae inter praesentes audiunt, solemnioribus quibusdam diebus anni tradi solitae, nedum ab interessentibus, verum etiam ab absentibus morbi causa percipiantur.

Cum in generali conventu habito die 10. Martii 1853 nonnulli ex eodem benificatorum collegio consuetudinem hanc tamquam abusum et corruptelam eliminandam contenderent, aliique repugnarent, consilium initum est rem definiendam subjicere sapientissimo EE. VV. judicio, quo quidem supplicis hujus libelli ratio spectat.

Oblatas preces ad Eminentissimum Vicecancellarium remisi pro sueta informatione et voto, audito capitulo; ab eoque una cum capituli voto, particulam constitutionum ad rem facientem accepi, quae ita se habet cap. 15 de distrib. proc.: „Item statuimus, quod in processionibus S. Marci, solemnitatis S. Marci, solemnitatis Corporis Christi et ejus diei octavae beneficiati intervenientes lucrentur pro quolibet et pro qualibet vice jul. duos; clerici vero jul. unum cum dimidio, et non intervenientes eamdem quantitatem amittant aliis intervenientibus applicandam.“

Capitulum itaque quamvis consuetudinem hanc relatae constitutioni (in qua nulla absentium distinctio fit) et juri communi repugnare contendat, attamen quin eidem omnino adversetur, declarari ab S. Congregatione postulat, quales infirmitatis casus requirantur, ut supradicta consuetudo particularis applicetur: idque ne beneficiati, qui vere infirmi non sunt, ea abutantur, veluti usuvenire monet.

Eminentissimus Vicecancellarius autem ita mentem suam aperit: „Quamquam constitutionibus capituli provisum est, ut tantummodo praesentes distributiones istas extraordinarias diebus aliquibus solemnioribus percipiant ideoque etiam infirmi exclusi videantur: tamen consuetudinem contrariam non esse abrogandam censeo, nisi totum vel quasi totum capitulum consentit; sed facto probatur, majorem capituli partem abrogationi se opponere. Ad evitandum abusum, cujus mentio fit in supplicatione, distributiones eis tantum conferendas esse censeo, qui juxta verba Bovii, qui de consuetudine testatur, oppressi infirmitate intervenire non possunt et qui alias choro assistere solent.“

Hisce momentis rationum consuetudinem, de qua sermo est, reprobandam censent beneficiati Oratores. Primo quia consuetudo haec facilem abusui sternit viam, ut distributiones lucrentur etiam, qui vere infirmi non sunt, ceu experientia probant. Deinde quia discordiarum inter beneficiatos ipsos causa est. Tertio quia repugnat fini, ob quem distributiones hujusmodi invectae sunt, earum indoli, ac ipsi titulo inter praesentes qui absentium, nullo discrimine facto, omnimodam exclusionem secumfert. Postremo quia adversatur etiam disciplinae in omnibus capitulis, ac peculiariter in ejusdem basilicae capitulo receptae.

Beneficiati oppositores numero plures vetustate (quae non impugnatur) consuetudinis vindicata auctoritate Bovii beneficiati olim in eadem basilica, qui anno 1729 in opere de consuetudinibus observatis in capitulo et collegio beneficiatorum S. Laurentii in Damaso, pag. 112. de hac consuetudine mentionem facit; eam servandam uti rationabilem et aequitati valde consentaneam contendunt. Nihil enim aequius, quam ne infirmi hujusmodi, dum magis indigent, priventur subsidiis, neque afflictio jam afflictis addatur. Eo vel magis in casu, quo beneficiatorum congrua adeo tenuis est, ut menstrua scutata sex non excedat.

Quamvis canonici aut beneficiati cum adversa valetudine laborantes choro adesse nequeant, integras lucrari debent quotidianas distributiones, quemadmodum decrevit S. Congregatio in Savonen. Distributionum, 18. Decembris 1745, ac traditur in Dubia indultorum 16. Maji 1820. §. Indulta. Attamen aliter se res habet cum agitur, uti in casu, de distributionibus extraordinariis, quae certis anni festivitatibus aut proces-

sionibus realiter intercessentibus ex capitulari lege tribuuntur: has enim canonicis ob infirmitatem absentibus non deberi, saepe resolvit S. Congregatio, ceu in cit. Savonen. Distributionum 18. Decem. 1745, in Terracinen. Privernen. Emolumentorum 23. Decembris 1826, in Calaritana Onerum 17. Septembris 1831, et in Pisana Indulti 3 Junii 1843.

Videndum igitur, utrum contraria consuetudo toleranda sit ob aequitatis rationem, inspecta praesertim reddituum tenuitate, vel potius reprobanda uti irrationabilis ac repugnans earumdem distributionum fini et naturae, nec non praxi, quae in ejusdem ecclesiae capitulo viget.

Quatenus vero eam confirmandam censuerint EE. PP., plane ad tollendos, qui irrepsisse asseruntur, abusus expedire videtur, ut absentes de vera ac reali infirmitate, quae eos ab chori servitio arcet, constare faciant, nec non ut ii priventur distributionibus, qui abesse suevere etiam, cum bona valetudine uterentur. Optime enim monet Benedictus XIV. in inst. 107. §. 47.: „Ecclesia tamquam piissima mater aegrotantibus plurimum indulget, sed inter morbos haud recenset levissimum etiam capitis dolorem, et quamcumque tristitiae causam, quae canonicum aut beneficiatum non impediunt, quin suis negotiis operam impendant. Quapropter requirit morbum verum, haud fictum, neque levem, sed gravem: neque id satis habetur, si canonici aegrotantes a choro abesse consueverint, dum incolumes erant. Tunc enim absentia non morbo tribuitur, sed voluntati, qua putantur inhaerere eidem proposito ecclesiae minime inserviendi.“

Faciunt ad rem sequentes resolutiones S. Congregationis. In causa Mantuana 6. Februarii 1637 decretum est: „Distributiones quotidianas ita demum Oratori aegroto deberi, si alias ecclesiae solitus erat inservire, cujus justificatio remittitur conscientiae Episcopi“, lib. 17. decretor. pag. 197. Pariter in Ferrarien. 12. Septembris 1648: „Sacra etc. censuit, canonicos infirmos non lucrari distributiones quotidianas pro duabus horis primis, quibus interesse minime consueverunt“, lib. 18. decr. pag. 512. idem confirmavit in Reatina 3. Martii 1667: „Sacra etc. censuit Oratori dandam esse declarationem alias editam sequentis tenoris: Congregatio Concilii censuit, canonico infirmo, durante ejus infirmitate, quamvis choro non intersit, deberi fructus omnes sui canonicatus, nec non distributiones quotidianas, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire. Ceterum infirmitatem ipsam coram judice probandam,“ lib. 25. decr. pag 345.

Quae quidem eo magis servanda essent in themate, cum res sit de distributionibus extraordinariis, quae juxta expositam doctrinam jure non debentur absentibus infirmitatis causa, sed ex recepta tantum consuetudine ab ipsis lucrari solent.

Consuetudinem, de qua agitur, esse servandam pro iis tantum, qui ecclesiae soliti sunt inservire et infirmitatem ex jurata medici fide probant.

407. Pistorien. — Exemptionis a choro.

Die 6. Junii 1863.

Presbyter Emilius Bettini capellanus choralis in cathedrali Pistoriensi, cum per plures annos capellani servitium praestiterit in variis praefatae dioecesis ecclesiis, et parochi deinde munere per sexdecim annos in plebania vulgo Sambuca perfunctus fuerit, mense Decembri 1854 eamdem ecclesiam renunciare compulsus est ob ophthalmiam ex alpestri et rigidissimi climatis

loco contractam. Quare posthabita quacumque sive suae parochialis conditionis, sive majoris lucri cessantis ratione, ne miserrimam vitam agere cogeretur simplicem petiit obtinuitque in cathedrali ecclesia capellaniam.

At nunc jam in provecta aetate constitutus, dicto morbo afflictus, propter caecitatem fere totalem impotens factus ad praestanda servitia capellani choralis et ingrediendum chorum sine duce, privatus denique omni alio subsidio ecclesiastico, supplex Sanctitatem Suam oravit, ut ipsi indultum exemptionis a chorali servitio concedere dignaretur.

Sede episcopali vacante mandatum est vicario capitulari, ut audito capitulo, ex jurata medici fide de legitima exemptionis causa et de Oratoris aetate referret, mentemque suam super porrectis precibus aperiret. Re quidem vera a quocumque edendo voto vicarius abstinuit, transmisit tamen literis 17. Januarii et 7. Martii h. an. tum medici fidem, tum votum duorum canonicorum, quod unanimiter a capitulo Pistoriensi comprobatum affirmat.

Sextum supra quinquagesimum aetatis annum jam ab ultimo Februario Bettinius explevit; at ipse, ceu medicus Piccoli testatur, oculo sinistro uti non potest et oculi sinistri visiva facultas tam debilis est, ut legere ei valde difficile sit neque valeat officia choralia adimplere, sed vix missam votivam celebrare. Suffragium vero duorum canonicorum, cui capitulares subscripsere, contrarium penitus est oratoris desiderio; ajunt enim canonici, cum capellani officium principale sit cantus in choro, capellanum Bettini, si non possit totum officium adimplere, eos psalmos et cantandi modos cantare posse et debere, quos memoria teneat, eam ob causam exemptionem a choro concedi non posse et, si indultum Apostolicum obtineatur, per alium capellanum onera adimplenda esse. Qua super re inniti se posse arbitrati sunt resolutioni hujus Sac. Congregationis in Osnabrugen. diei 20. Sept. 1727, in qua cum quaesitum fuisset, an quidam Joannes Balduinus provisus de vicaria, beneficio simplici residentiali ecclesiae cathedralis, absens ex causa infirmitatis percipere potuisset fructus et distributiones, et in eadem perceptione continuare, confirmatum fuit rescriptum, quo 22. Septemb. an. 1725 responsum fuerat: affirmative, ita tamen ut per alium vicarium cathedralis oneribus sibi incumbentibus satisfaceret. Ex hac ergo S. O. resolutione minime propitium sacerdoti Bettini suffragium ediderunt ecclesiae cathedralis canonici.

Ex cap. un. de cleric. non resid. in 6. dubitari nullatenus potest pro praesentibus in choro eos omnes haberi, ita ut licet absentes distributionibus gaudeant, qui infirmitatis causa, seu ex justa et rationabili corporali necessitate abesse coguntur, Fagnan in cap. Licet. de praeb. n. 135. et 150. Hujusmodi vero necessitatem tum justam tum rationabilem reperiri in caeco docent comm. canonistae, idem Fagn. loc. cit. n. 143. et in cap. Cum percussio de cler. aegr. n. 12. et seqq.; Barbosa de can. et dignit. cap. 24. n. 90; Pignatell. cons. 115. n. 60. tom. 9; Ferraris v. Distributiones a. 1. n. 15. Et licet de clerico, qui non omnino caecus sit, sed tantum visus debilitate laboret, ut nequeat in libro legere, soleat tamen per vias ambulari, teneri eum adire chorum et ibi recitare quae scit memoriter, doceat Scarfantonius in lib. lucubr. canon. 2. t. 9. n. 25. et seqq. cum Azor. lib. 3. c. 11. quaest. 12. tom. 2. et Garcias de ben. in add. ad 3. part. c. 2. n. 515; nil tamen impedire videtur, quominus caecutiens, qui non ex sola debilitate visivae facultatis, sed ex gravi infirmitate tanquam miserabilis persona sub protectione ecclesiae reperiri dicatur, adeoque si non jam exemptus ex relato cap. un. de cler. non resid. in 6., dignus tamen indulto reputetur, ne afflictus amplius affligatur.

Quapropter cum juxta doctrinam hujus Sacrae Congregationis relatam a Benedictio XIV. inst. eccl. 107. n. 48. statutum habeatur: „Caecum non teneri horis canonicis interesse, nec in choro eam officii partem, quam memoriter tenet, recitare, et nihilominus lucrari distributiones quotidianas“ non immerito etiam Oratori, qui ex uno oculorum jam caecus est, et ex altero ita aegrotat, ut vix obnubilata luce fruatur, ita ut non valeat officia choralia adimplere, consulendum potius esse videretur exemptione a chorali servitio cum libera perceptione fructuum et distributionum, quam aliquid auferendum. Et revera Sacra Congregatio in una Spoletana, Exemptionis a choro 5. Decemb. 1846, in qua fere eadem quaestio proponebatur de quodam canonico Cherubini, qui licet non omnino caecus existeret, tamen ex jurata medicorum fide gravi modo amaurosi morbo affectus erat, quo visiva facultas valde debilitabatur, indultum exemptionis concessit ad triennium. Eodemque exemptionis indulto pariter ad triennium arbitrio Eminentissimi Episcopi donatus est in Centumcellar. 10. Junii 1848 canonicus Ferri, qui simili morbo amaurosi afflictabatur.

Ex his colligendum non immerito foret, injustum videri capitularium dissensum super expetito exemptionis indulto, adeoque fore despiciendum. Quatenus vero Eminentiae Vestrae benigne excipiendas esse judicaverint preces a sacerdote Bettini porrectas, minime locus esse videretur conditioni, de qua in superius relata Osnabrugensi, quandoquidem in casu, de quo agitur, minime apparet specialia adesse onera capellaniae, quae etiam ab indultario sive per se sive per alium adimpleri deberent, minime ex hac parte suffragante exemptionis indulto, prout res erat in praefata Osnabrugensi, in qua gratiam indulti expostulaverat Joannes Balduinus, qui praeter ordinarium chori servitium vicarii officio in sua ecclesia perfungebatur.

Pro gratia exemptionis a servitio chorali durante infirmitate, onerata conscientia Oratoris ac Ordinarii, facto verbo cum Sanctissimo.

4. Indulta ex causis variis.

408. Albensis.

Die 16. Aprilis 1825.

Tribus parochiis ditatam, sed temporum calamitate oppressam, et incolis pene vacuam civitatem Albae Pompejae anno 1577 cum reperisset Episcopus Bergomensis visitator Apost. decrevit, ut parochus tantum cathedralis ecclesiae omnia parochialia munera exerceret, reliqui duo parochi, nempe SS. Cosmae et Damiani, et S. Joannis Baptistae, qui et canonicatum in cathed. ecclesia obtinebant, populum instruerent, paschalem communionem administrarent, et defunctorum exequias peragerent: relicta ceteroquin Episcopo Albensi pro tempore facultate memoratos parochos ad plenum suorum jurium exercitium revocandi, aucto parochianorum numero; prout eos hodiernus Episcopus die 23. Martii 1820 revocavit. Verum contigit, ut memorati duo parochi non amplius choro ut antea adesse possent, et ideo quotidianas distributiones amitterent: quamobrem Episcopus assensum capituli obtinuit, ut iidem duo parochi distributiones lucrentur „etiam quando choro non intersunt propter munia parochialia tota quindena paschali, et omnibus diebus festis de praecepto, exceptis tantum diebus solemnioribus, in quibus Episcopus pontificaliter celebret quoad missam, et vesperas.“ Cum autem nunc condenda sint Albensis capituli statuta, orat praefatus Episcopus, ut ab hac

Sac. Congregatione approbentur, ac in eadem statuta referri valeant, quae consentiente capitulo de praedictis duobus parochis fuere disposita.

Ipsum Episcopum rogavi de more, qui actum praestiti a capitulo assensus transmisit, monuitque, reditum parochi SS. Cosmae et Damiani proxime elapsis annis 1823 et 1824, comprehensis incertis stolae, nec non choralibus distributionibus, deductisque omnibus oneribus, etiam missarum, ac stipendii capellani, quo indiget, attigisse libellas pedemontanas 590, quae circiter Rom. scutis 108 respondent; reditum vero parochi S. Jo. Baptistae, dispunctis pariter stipendio capellani, et omnibus oneribus etiam missarum, et comprehensis incertis stolae, et choralibus distributionibus, fuisse libellarum Pedemontis 1010, quae circiter Rom. scuta 189 adaequant; nihil tamen ex indicatis reditibus detractum fuisse pro impraevisis expensis, et ob periculum grandinis, cui regiones illae subalpinae sunt obnoxiae, nihilque pro comparanda supellectili, praesertim sacra, qua parochialis ecclesia S. Jo. Baptistae, post belli calamitates in pristinum restituta, plurimum indiget.

Praeterea refert Episcopus, in paroeciis SS. Cosmae et Damiani, ac S. Jo. Baptistae ad capitulum non spectare animarum curam; sed haec addit: „Ex Litteris Apostolicis Pii Papae VII. datis XVI. Kalendas Augusti anni 1817 erectae amplius non fuere quatuor praebendae vacantes, videlicet SS. Vincentii et Anastasii reditus annui 340 lib. circiter, S. Petri lib. 550, SS. Georgii et Nicolai lib. 350, S. Dorotheae lib. 260: has praebendas junxi mensae capitulari, ea conditione, ut capitulum consensum praeberet favore dictorum parochorum pro obtinenda dispensatione, de qua in precibus; quem revera praestitit, ut saluti animarum consuleret, prout ex resolutione capitulari constat; alioquin opportuna humiliter petita facultate, praebendam S. Georgii jungendam duxissem paroeciae SS. Cosmae et Damiani, et praebendam SS. Vincentii et Anastasii paroeciae S. Joannis Baptistae, dummodo distributionibus omnino renunciarent, et solum tenerentur choro inservire in pontificalibus, ut sic possent majori assiduitate oves suas pascere, quod erat et est in votis; praevidens tamen super hoc capituli dissensum non feci. Si EE. PP. hoc medium magis opportunum videtur, oro, ut mihi fiat potestas hoc exsequendi; sin minus oro obtestorque, ut consulatur animarum saluti et parochorum necessitati vel benigne annuendo precibus vel alio aliquo medio opportuniore viso.“

Indulta abessendi a chori servitio pro diebus et horis ratione munerum concedere suevit S. Congr., innixa dispositioni juris in cap. unico, de clericis non resid. in 6. et sanctioni Trid. Synodi s. 24, c. 12. de ref. Inter distributiones vero nonnullae ex voluntate fundatorum, inter praesentes dividi debent, et has S. C. in Leodien. Indulti 10. Jun. 1717 censuit minime lucrari canonicos, qui Apostolico gaudent indulto, etiam cum facultate percipiendi quascunque distributiones quotidianas ordinarias et extraordinarias, et etiam quando jubilationis indultum obtinuerunt, ut in Novarien. 2. Oct. 1617 et in Bituntina 1. Jul. 1679. Adest profecto in themate evidens Ecclesiae utilitas, si parochi propria munera obire valeant, simulque aliquando ac praesertim Episcopo pontificalia exercente choro intersint atque ita et parochianorum regimini et collegiatae ecclesiae decori consulatur. Accedit, unitas capitulo fuisse vacantes praebendas, ut suum praestaret assensum, prout praestitit: ideoque vel concedendum parochis erit indultum abessendi ac percipiendi distributiones, vel tribuenda erit Episcopo facultas, ut singulis paroeciis aliquam ex memoratis praebendis adscribat, et ita congruae sustentationi consulat parochorum, qui renuntiare distributionibus poterunt.

Ponatur in folio:

Proposita fuit causa sub titulo Alben. Praebendae parochialis 16. Sept. 1826., ac sub dubio: An et quomodo precibus Episcopi sit annuendum in casu etc.? et responsum est redditum. Affirmative pro petita exemptione parochorum juxta votum Episcopi. (Thesaur. resolutionum S. Congr. Conc. tom. 86. pag. 221.)

409. Mazzarien.

Die 14. Maji 1825.

Antonius Morello, cathedralis ecclesiae Mazzariensis canonicus, usque ab anno 1820 reditus pene omnes amisit sui canonicatus ob iudictam regio decreto abolitionem decimarum super piscatione thynnorum Castri ad mare. Vitam in eadem domo cum fratre ducit, a quo tamen nullum sperare subsidium potest, cum sit plurium filiorum onere gravatus, ac manu sua et arte sutoris, quam exercet, vix sibi ac filiis alimenta parare valeat. Cum autem ob idoneorum sacerdotum deficientiam jussu Episcopi in civitate Mazzariensi canonicus Morello ordinarii confessarii munere fungi debeat penes moniales Benedictinas S. Michaelis Archangeli; hanc Sac. Congregat. supplex adiit, et quia idem munus est incompatibile cum obligationibus canonicatui suo annexis indultum abessendi a choro ad triennium imploravit.

Preces ad Episcopum remisi, ut „audito capitulo, de annuo reditu et oneribus canonicatus comprehensis distributionibus referret, suamque sententiam panderet;“ qui his verbis respondit: „Muneri meo satisfacturus operae pretium duxi capitulum audire. Cognovi ex eo, annuos praebendae canonicalis fructus, licet incertos, quia super decimis piscationis thynnariae Castri ad mare de Gulpho debentur, ex cumulo tamen decennali ad scuta sexaginta circiter monetae Romanae ascendere posse. Quintus vero annus accedit, quod ex iis nihil percipitur emolumenti, nec spes proxima effulget aliquid consequendi: quoad distributiones quotidianas, eae scuta circiter octo ejusdem monetae singulis annis attingunt. Praebenda ipsa nulla habet onera, praeter ea, quae in jure communi statuuntur, et monasterium in eadem residentiae civitate est situm. Quibus omnibus consideratis, habita quoque ratione ad oratoris paupertatem, multamque familiam, ad idoneorum istiusmodi confessariorum penuriam, et ad capitulare suffragium; petitioni obsequendum existimarem, nisi aliter EE. VV. visum fuerit.“

Sacerdotum ad ecclesiastica munera obeunda idoneorum penuria, semper ab hac Sac. Congregatione habita est legitima causa dispensationem a residentia indulgendi, ut in Feretrana, Indulti 12. Junii 1817, in Sarzanen. Indulti 14. Augusti 1824, idque ad tramites Concilii Tridentini sess. 3. cap. 1. de reform.

Non desunt autem doctores et canonistae, qui praebendatum, cujus praebendae reditus adeo imminuti sint, ut ad vitam sustentandam omnino impares evaserint, ad residentiam non teneri tradant, inter quos Card. Petra ad constitut. 7. Innoc. III. num. 28, et monet Sac. Congr. in Veliterna, Indulti 21. Septembris 1818.

Utrumque in themate concurrit: praeterea accedit, quod canonicus Morello veniam non poscit a residentiae loco secedendi, verum abessendi tantummodo a choro, dum audiendis monialium confessionibus vacat. Exaudiendus itaque videtur eo facilius, quia cum in loco residentiae maneat, aliquod servitium ecclesiae suae potest et debet praestare diebus et horis,

quibus non impeditur a munere, cujus intuitu indultum efflagitat; quod fieri nequiret a beneficiato, qui longe a residentia abesset, uti egregie perpendit Sac. Congr. in dubiis indultorum 6. Maji 1820 § Notandum.

Quotidianae vero distributiones ex constanti Sac. Congregationis praxi iis denegantur, qui a choro absunt ob munus, ex quo lucrum percipiunt, ceu patet ex citat. dubiis indultorum 6. Maji, 1820 §. Nec praetereunda. At canonicus Morello vel nullos, vel minimos percipit sui canonicatus fructus: distributiones vero quotidianae vix ad annua scuta 8 ascendentes adeo sunt tenues, ut asperum nimis censeri possit, si illis idem canonicus privetur, quando capitulum eas ultro ipsi concedit, et quando distributiones eventuales est amissurus, quae a praesentibus tantum lucrantur, Piton. discept. eccles. I. num. 35., Benedictus XIV. inst. 107. num. 58.

Pro gratia pro diebus et horis ad triennium arbitrio et consc. Episcopi, amissis tantum distributionibus inter praesentes et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

410. Romana. — Indulti.

Die 18. Maji 1850.

In congregatione habita die 6. Maji 1820 plura dubia fuerunt ad trutinam revocata circa indultorum absentiae a chorali servitio concessionem, eorumque formam et conditiones apponendas. Haec inter illud etiam sexto loco propositum fuit: „An sit confirmandum vel concedendum indultum pro excipiendis fidelium confessionibus sive in ecclesia beneficii, sive in alia ecclesia vel monasterio, vel vacantibus exercitio ss. missionum, aliisque pietatis operibus?“ Huic vero Eminentissimi Patres negativum dederunt responsum, excepto tantum casu verae necessitatis. Hinc factum est, ut preces hujusmodi, quoties fuerunt porrectae, vel per modum regulae rejectae sint, vel speciali Sanctissimi Domini Nostri auctoritate in quibusdam peculiaribus casibus ac perraro tantum admissae.

Cum vero Philippus Mallerini, canonicus basilicae S. Mariae Transtiberinae, pro ss. peragendis missionibus in dioecesim Aquipendien. ab illius Ordinario advocatus, supplicem nuperrime porrexerit libellum pro obtinenda abessendi facultate a choro et residentia ad mensem, a qualibet responsione abstinendum putavi, ut EE. VV. oraculum exquirerem, utrum, inspectis temporum et locorum adjunctis, recedere expediat a praefata resolutione, vel saltem eamdem moderari. Est enim animadvertendum, quod ex diuturna S. Congregationis praxi absque ulla inquisitione concedi soleat indultum evangelicis praeconibus tempore adventus et quadragesimae, adjecta tamen clausula amissis distributionibus, ceu in folio memoratae congregationis adnotatum fuit §. Nec praetereunda. Ratio siquidem hujusmodi concessionum exinde derivat, quia, cum adeo multi sint qui ad hoc munus advocantur, perdifficile est, ne dicam impossibile, eos omnes invenire extra coetum illorum, qui chori servitio sunt mancipati.

Nisi autem laudabilior, aeque saltem laudabilis videtur usus et exercitium sacrarum missionum, fructus autem profecto colligitur uberior ab istis, quam a consueta praedicatione, quae tempore adventus et quadragesimae perficitur.

Accedit, quod post calamitosas praeteritorum temporum vicissitudines major exorta fuerit necessitas fidelium mentes, pravis et peregrinis doctrinis abductas, ad pura evangelii dogmata revocandi, eorumque corda, inordinatis

affectionibus enutrita, ad salutaria divini pastoris pabula reducendi; quod facilius profecto ope sacrarum missionum perficiendum esse videtur. Hinc et Oratori Mallerinio expetitum indultum concedendum, itemque in similibus casibus, nisi aliter visum fuerit Eminentissimis Patribus, rescribendum esse putarem.

Haud tamen erit abs re postremo loco monere, quod ideo in concedendis indultis pro tempore adventus et quadragesimae adjicitur clausula amissis distributionibus quotidianis, quia semper et ubique aliquod concionatoribus persolvitur stipendium: qui contra ad sacras peragendas missiones assumuntur, nullum ex hoc munere percipiunt emolumentum. Hinc erit prudentiae EE. VV. decernere, utrum indultum pro ss. missionibus concedendum communiri debeat ea conditione, ut quotidianas indultarii amittant distributiones, vel potius iis solum priventur distributionibus, quae inter praesentes tantum dividuntur ex voluntate fundatorum, utpote quae nemini unquam amplissimo licet indulto vel privilegio donato concedantur.

Esse servandum decretum S. Congregationis in dubiis indultorum diei 6. Maji 1820; attentis vero peculiaribus praesertim temporum circumstantiis esse supplicandum Sanctissimo in singulis casibus, quatenus concurrat consensus Ordinariorum pro concessione, amissis distributionibus inter praesentes tantum.

411. Nullius S. Martini. — Punctaturarum.

Die 26. Februarii 1853.

In capite ix. contitutionum capitularium collegialis ecclesiae S. Martini sic sancitum reperitur: „Praeterea si alius canonicus de consensu abbatis et de intelligentia archipresbyteri ex charitate in ecclesia confessiones audierit tempore divinorum officiorum, non punctetur et habeatur, ac si praesens esset in choro.“ Porro factum est, ut mense Martii anni superioris canonicus ejusdem collegiatae Pompilius Pierotti occasione missionum, qua evulgata fuit plenaria indulgentia ad formam jubilei, nec non per septem hebdomadas in honorem septem dolorum B. Mariae Virginis solemni cultu explendas, jugiter diebus festis ac dominicis potissimum sacris fidelium confessionibus excipiendis vacaverit de abbatis ordinarii consensu, et proinde choro interesse desierit toties, quoties opus fuit. At vero canonici punctatores totidem fallentiis Pierottium mulctarunt, ita suasi ab archipresbytero, quod absque praevia ejus licentia perperam ille choro abfuisset.

Id ubi primum Pierotti innotuit, rogatum supplici libello adiit S. hunc Ordinem, ut declaretur, an Orator punctandus sit diebus, quibus a choro abfuit ad confessiones excipiendas.

Quamvis nulla consuetudine introduci possit, ut distributiones quotidianae percipiantur ab iis, qui a divinis officiis abeunt, Concil. Trid. sess. 24 cap. 12 de reform., nonnullae tamen sunt causae, quae legi limitationem afferunt; quas inter recensetur communiter evidens ecclesiae utilitas, quae etiam verificatur in absente ob excipiendas sacramentales confessiones, ceu tradit Moneta de distrib. quot. par. 12. quaest. 12. num. 48. et Barbosa de canonic. et dignit. cap. 24 num. 26.; dummodo tamen id gerat de mandato Ordinarii et ob commoditatem populi, ceu declaravit S. Congr. in Spoletana, Serv. chori 20. Febr. 1795. In themate haud ambigendum videtur de populi commoditate, quemadmodum de assensu Ordinarii, vel ipse abbas testatur.

Ast in themate difficultas exoritur ex superius citato capite constitutionum: quandoquidem archipresbyter jurisjurandi religione interposita testatur, numquam de necessario assensu fuisse requisitum. Punctatores vero ita tenentur absentem mulctare juxta ecclesiae statutum, ut aliter agendo graviter peccent, ad trad. per Monacell. tom. 4. suppl. ad 1. tom. num. 48. ceteroquin Pierottium abfuisse non solum, ut confessiones audiret, verum etiam ob alia negotia; et insuper sine ulla necessitate in iis excipiendis divinorum officiorum tempus impendisse. Praeterea haud posse ipsum frui beneficio exemptionis a punctaturis, quia haud monuit punctatores, uti debebat juxta constitutionum praescriptum, in quibus edicitur quod „praesens pariter non habeatur, qui servitio ecclesiae vel capituli a choro abfuerit, ne sit impeditus, nisi eadem hora qua divina celebrantur officia, reipsa necessariam operam personalem pro rebus et negotiis ecclesiae et capituli praestiterit: teneatur vero id punctatori significare.“

Eminentissimus protector, quem audivi, dum a sua edenda sententia abstinet, Ordinarii abbatis relationem, nec non archipresbyteri ac capituli deductiones remittit. Abbas undique favet Pierottio, concludens ob veram necessitatem hunc in sua ecclesia confessiones excepisse tempore divinorum officiorum a summo mane incipientem. Non esse autem audiendum archipresbyterum, quem dicit non ex justitia, sed ex odii ac vendictae animo Pierotti adversari. Capitulum scissum utrinque est. In conventu enim ad id habito, rejectis canonicis punctatoribus, tres a suffragio ferendo abstinuerunt, tres vero in eam abiere sententiam, quod canonicus Pierotti absolvendus sit a punctaturis ipsi inflictis.

Pro gratia absolutionis a punctaturis pro eo tantum tempore, quo Orator choro abfuit ad excipiendas fidelium confessiones.

412. Aesina.

Die 21. Julii 1832.

Canonici et mansionarii cathedralis ecclesiae Aesinae porrexerunt libellum, quo exponunt, fere neminem esse ex sacerdotum numero, qui tempore servitii choralis in eadem ecclesia missae sacrificium in Christifidelium commodum celebrare possit; atque hinc festis de praecepto diebus id affirmant plerumque contingere, ut ingens populi frequentia, quae in ipsam ecclesiam cathedralem solet confluere, debeat potius exinde egredi, aliisque in ecclesiis missam hac illac audiendam quaeritare. Quapropter „ad bonum ecclesiae servitium et ad populi commodum“ oratores canonici et mansionarii efflagitant EE. VV. „pro benigna concessione, ut diebus festis de praecepto aliqui ex ipsis, prout necesse visum fuerit, tempore choralis servitii choralis missas celebrare possint, ita tamen ut choro interesse censeantur ideoque punctatura non mulctentur, cum ipsius ecclesiae, cui adscripti sunt, servitio sint occupati.“

Vicarius capitularis pro informatione et voto rogatus veritati plane consona esse testatur, quae ab oratoribus exposita sunt, adeoque eorumdem zelum pro Dei domus splendore et christiani populi utilitate sumnis laudibus efferendum ac propitio rescripto juxta preces donandum existimat. „Nullum enim, ipse inquit, detrimentum officiatura pateretur, quandoquidem choro inservientes sunt numero 35, qui omnes die festo ad ipsam psalmodiam convenire tenentur, absentia igitur unius nihil mali afferre potest.“

Pro gratia, dummodo missae celebrentur in eadem ecclesia cathedrali ad populi commodum, ac petita venia a praefecto chori, et onerata ipsius chori praefecti conscientia super necessitate.

413. Auximanae. — Distributionum.

Die 29. Julii 1848.

Jam inde ab a. 1845 quidam ex capitularibus cathedralis Auximanae suppliciter postularunt indultum, quo tres tantum ex ipsis vacare possent a choro per mensem praeter duos, quibus ex constitutionibus capitularibus fruuntur omnes canonici, ut gratis omnino operam darent ss. missionibus, quae ex pia institutione ter in anno per agrum Auximanae dioecesis peraguntur. Requisitus Eminentissimus Episcopus de numero inservientium choro, de vera necessitate concessionis nec non de deficientia aliorum sacerdotum, qui chorali officiaturae non essent addicti, respondit capitulum petitioni suum assensum praebere nullaque facta mentione nec de necessitate nec de aliorum deficientia, qui pio operi vacarent, haec tantum addidit: „Huic vero choro addicti sunt 13 canonici, inter quos 3 dignitates, et 12 canonici supranumerarii, ita ut hujusmodi absentia unius mensis nullum videatur detrimentum servitio chori posse afferri. Quas ob causas putarem preces benigne excipiendas esse.“ Hinc factum est, ut rescriberetur: „Pro gratia ad triennium, ut tres ex capitularibus per mensem ex causa missionum tantum abesse possint ultra bimestre vacationum arbitrio Eminentissimi Episcopi, amissis etc.

Grave nimis visum est canonicis ex opere pio gratis praestando ad publicam animarum utilitatem amitti debere quotidianas distributiones, praesertim cum ex dispositione Concilii Trid. tres vacationum menses quotannis concedantur, favorabile accedat capituli votum ac ex Episcopi mandato pium ss. missionum opus gratis adimpleatur. Preces hinc pluries ingeminarunt, ut remota clausula „amissis“ tres capitulares, qui per mensem in exercitio missionum versarentur, quotidianas insimul perciperent distributiones. Cum vero hujusmodi petitioni praxis S. Congregationis adversetur, non semel preces rejectae sunt. Ast pressus tandem repetitis Oratorum instantiis in eam veni sententiam, ut rem in consessu EE. VV. proponerem pro definitione, num ex peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur, recedere a praxi S. Congr. expediat.

Ea siquidem est ss. canonum ac praesertim Concilii Trid. praescriptio ab innumeris S. H. Ordinis declarationibus confirmata, ut distributiones non dentur, nisi actu inservientibus, non obstante quacunque consuetudine in contrarium etiam immemorabili. Duae autem assignantur causae in cap. „Ad audientiam“ de clerico non resid., quibus legitime a materiali psaesentia in choro quis excusatur, quin quotidianas amittat distributiones, infirmitas nimirum, seu justa et rationabilis corporalis necessitas (quam late expendit Passerin. in cap. „Consuetudinem“ de cler. non resid. in 6. sub. reg. 5 et 6) et evidens ecclesiae utilitas.

Quoad hanc vero utilitatis causam ea communiter recepta est regula, ut ad effectum lucrandi quotidianas distributiones in absentia utilitas esse debeat ipsius ecclesiae, cujus sunt distributiones, non autem Ecclesiae universalis aut dioecesanae aut alterius cujuscunque; praeterea necesse est, ut munera adimpleantur vel ratione praebendae, quam possidet, vel ex deputatione Episcopi aut quandoque etiam superioris vel praefecti chori et absque

ullo stipendio aut remuneratione. Hinc profecto descendit, ut distributiones quotidianae et puncta absentium (ex Alexandrina 29. Sept. 1637 ad 1. dub., Romanae 5. Maji 1703 et 27. Jun. 1705 ad 2. dub. ac 7. Dec. 1715) juxta S. Ordinis declarationes et praestantissimorum canonistarum sententiam debeantur canonico, qui capituli negotia pertractat ac illius jura defendit (in Tudertina anni 1573 ad 3. dub.; in Alatrina 24. Mart. 1612 ad 3. dub.; in Trojana Praebendarum 6. Dec. 1738 ad 3. dub. ac in Trojana Servitii 23. Jun. 1742 ad 4. dub.) canonico poenitentiario et curato, dum munia eorum praebendis adnexa exequuntur (in Viterbien. 15. Mart. 1631 ad 2. dub. et in Valven. Residentiae 25. Januar. et 20. Dec. 1738 ad 2. dub.) canonico theologo die, qua legit (in Leodien. 28. Aug. 1751) canonicis ratiocinatoribus ob munus a capitulo demandatum (Passerin. in cap. Consuetudinem de cler. non resid. in 6. reg. 7. num 117.) canonico visitanti ex officio vel ex capituli mandato ecclesias ipsi capitulo subjectas (Passerin. l. c. n 113) canonico absenti pro defensione jurium sui beneficii, si tamen lis principaliter tangat interesse ecclesiae, non personae (in Cavallicen. Distrib. 3. Jul. 1637 et Passerin. l. cit. n. 120 sqq.) canonico seu beneficiato caeremoniario Episcopi, dum huic assistit in propria cathedrali, seu collegiata ecclesia (in Ravennaten. Distrib. 4. Jul. 1739) canonicis Episcopo assistentibus, dum Pontificalia exercet (in Amerina 3. Febr. 1629) canonico organa pulsanti vel in musicis psallenti intra propriam ecclesiam, dummodo nullum recipiat salarium (in S. Severini 15. Nov. 1659 et in Adjacen. 11. Jul. 1671 ad 4. dub.) praebendato, qui ex Episcopi mandato ad parochum propriae ecclesiae coadjuvandum adstringitur (in Comen. Distrib. 18. Apr. 1711), iis denique, qui in propria ecclesia vel confessiones audiunt in casu necessitatis praevia tamen Episcopi deputatione, ut in Lucana 3 Mart. 1635, in Taurinen. 4. Apr. 1637, ac in Nullius Putignani 6. Maji 1741; vel missam privatam celebrant tempore divinorum officiorum pro ipsius ecclesiae commoditate, de mandato tamen praefecti chori vel ejus, qui advigilat missarum distributioni (in Mediolanen. anni 1573 lib. 1. Decret. p. 51; in Neritonen. 22. Jun. 1624 ad 3. dub.; in Callien. 29. Jul. 1628 ad 4. dub., Oriolen. 27. Mart. 1632 ad 12. dub.; in Reatina Distrib. 15. Mart. 1692 ad 3. dub vel tandem quibus fuerit id expresse in fundatione beneficiati vel canonicatus injunctum, in Senogallien. 17. Nov. 1753 ad 9. dub., et in Maceraten. 14. Maji 1768. Haec omnia plenissime confirmata reperiuntur per Fagnan. in cap. Licet de praebend. et Passerin. l. cit. reg. 3 a num. 67 et reg. 7 per tot.)

Quod si capitularium absentiae bonum ac utilitatem ejusdem ecclesiae, cujus sunt distributiones, minime directe respiciat, eae nunquam absentibus tribuuntur. Quare ab illarum perceptione excluduntur, dum absunt a choro, vicarius generalis Episcopi (S. Congr. in Calaritana 7. Apr. 1592; l. 7. Dec. p. 36; in Bitecten. 18. Dec. 1627 et in Maceraten. 14. Mart. et 18. Jul. 1778), vicarius capitularis sede vacante et Episcopus ipse, qui sit canonicus, si non intersit (Passerin. l. cit. reg. 3. n. 67 et 68; et Fagnan. in d. cap. Licet n. 98), inquisitor haereticae pravitatis (in Civitaten. Octobr. 1587 et 25. Apr. 1591 lib. decr. 7 p. 9; et in Compostellana 17. Jan. 1728 ad 2. dub.) procurator mensae episcopalis ac jurium illius defensor (in Tarentina 25. Jan. 1755 ad 1. dub.) caeremoniarius Episcopi extra pro-

prii beneficii ecclesiam (in Ravennaten. 4. Jul. 1739) concionatores (in Adjacen. 10. Sept. 1678 ad 1. et 2. dub.) publice docentes s. theologiam aut jus canonicum aeque ac rectores ac ceteri lectores in publica universitate (in Bononien. anni 1597 l. Decr. 9 p. 7; et in Giennen. seu Beacen. 1. Dec. 1714) comitantes Episcopum in visitatione dioecesis eidemque assistentes missam privatam celebranti (in Amerina 3. Febr. 1629 et in Verulana 2. Jun. 1674 et 10. Jul. 1694 ad 2. dub.) examinatores et judices synodales dum respectivis funguntur muneribus nec non directores congregationis rerum spiritualium (S. Congr. in Brixien. 19. Julii 1638 ac testantur Fagnan. in d. cap. Licet n. 112 sqq. et Passerin. l. cit. reg. 7. n. 119, ubi hanc reddit rationem: „hi enim non absunt ob utilitatem ecclesiae, cujus sunt canonici.“ Distributiones insuper amittunt canonici inservientes Episcopo etiam pro utilitate dioecesis (in Fesulana 4. Jun. 1633, in Avenionen. 13. Jan. 1635, Tranen. 10. Maji 1698; Sypontina 29. Apr. 1702, Anagnina 27. Maji 1713 ad 1. dub., Venusina 30. Julii 1763 ad 1. dub.) nisi ex peculiari Apostolico privilegio pro servitio dioecesis, (ut in Leodien. 10. Jul. 1717 ad 1. dub. et 27. Apr. 1720); canonici, qui peculiariter ab Episcopo mittuntur, sed non pro utilitate ecclesiae, cui sunt addicti (in Monasterien. 15. Maji 1723 et 30. Sept. 1724) suscipientes sacras peregrinationes, etiam tempore jubilaei (Fagn. l. cit. n. 139 et Passerin. in d. cap. reg. 3 n. 69) curam denique animarum exercentes in alia ecclesia, quae ad capitulum non pertinet neque actualiter neque habitualiter (Venusina 30. Jul. 1763 ad 7. dub.) Iis vero, qui vacare cupiunt exercitio sacrarum missionum aliisque pietatis operibus non modo denegantur distributiones sed ne indultum quidem vacandi a choro illis concedendum censuit S. C. in dubiis indultorum 6. Maji 1820 ad 6. dub., excepto tantum casu necessitatis, ea forsan ex causa ne chori servitium, quod est strictae obligationis, pro operibus supererogatoriis quantumvis piis ac religiosis omittatur. Quae omnia latissime persequuntur Fagnan. et Passerin. in loc. supra cit., quin contraria possit consuetudo introduci de percipiendis in absentia distributionibus, prout doctissime firmant Gonzalez in decret. l. 3. tit. 4. de cler. non resid. cap. De cetero n. 7 et Pssserin. l. c. reg. 10.

Quamvis autem haec sit regula a jure communi tradita et per S. Ordinis declarationes jugiter confirmata, nonnulli tamen sunt casus excepti, in quibus, etsi non agatur de directa propriae ecclesiae utilitate, capitulares absentes una cum suarum praebendarum fructibus quotidianas etiam lucrantur distributiones, vel ex declaratione S. Congregationis vel ex peculiari privilegio a Summis Pontificibus concesso. S. enim Congr. declaravit juxta praescriptum Conc. Trid. s. 24 c. 12 distributiones deberi canonicis assistentibus Episcopo pontificaliter celebranti non modo in cathedrali, sed etiam in aliis civitatis ac suburbiorum ecclesiis (in Januen. 26. Nov. 1616). Statuit insuper eodem jure frui addictos servitio S. Sedis, Nuntios et Internuntios, inservientes Pontificiae capellae sive in munere magistri ceremoniarum sive acolythorum sive clericorum, in dubiis indultorum 6. Maji 1820 ad 1., 2., et 4. dub.) Peculiari vero privilegio fruuntur canonici associantes Episcopum ss. limina Apostolorum visitantem vel ejus nomine accedentes ad ea visitanda ex decreto Sixti V. ceu referunt Fagnan. in d. cap. Licet num. 134, Passerin. l. cit. reg. 3 n. 74 et statuit S. Congr. 23. Jan. 1627, in Regien. 18. Dec. 1627 et in Monasterien. 15. Maji 1723 et 30. Sept. 1724; inquisitores s. officii et

eorum officiales ex concessione S. Pii V. et Gregorii XIV. ex traditis per Passerin. l. cit. reg. 3 num. 64 et 65; subcollectores spoliorum aliique officiales in causis eorundem ex privilegio Sixti V. (Passerin. ibid. n. 66) peragentes exercitia spiritualia in domo religiosa per decem dies, obtenta prius ab Ordinario licentia, ex encyclica hujus S. Congr. jussu Clem. XI. ad omnes Italiae Episcopos die 1. Febr. 1700 conscripta, quam refert Ferraris. Bibl. can. s. v. Exercitia spiritualia; canonici denique et beneficiati, qui per decendium in Urbe tempore quadragesimae catecheseos explanationem tradunt ex rescripto s. m. Clem. XIII. diei 8. Febr. 1767.

Adnotandum insuper est a Concilio Trid. haud fuisse constitutum, ut quodlibet capitulum tres habeat vacationum menses, sed prohibitum diuturnius vacationum tempus, firmo longiori servitio, quod ecclesiarum peculiarium statuta requirerent, veluti ad rem explicat Bened. XIV. inst. eccl. 107 §. 6. num. 30. Sive autem brevius, sive longius sit vacationum tempus, dummodo trimestre non excedat, certum est eos, qui vacationum tempore choro non intersunt, quotidianas haud lucrari distributiones, ut millies resolvit S. Congregatio ac praesertim in Mileten. Maji 1587 ad 3. dub.; in Civitaten. Octobris 1587 ad 2. dub.; Civitatis Castellanae 19. Apr. 1614, Asculana 15. Jan. 1707 ad 2. dub. et in Suessana 18. Aug. 1708 ad 3. dub. ac testatur Bened. XIV. loc. supra cit. n. 36. Quin aliquid operetur capituli consensus pro distributionum perceptione tempore absentiae sine aliqua ex legitimis causis supra recensitis, sicut impune illorum despicitur dissensus, ubi legitima adest absentiae causa: illarum siquidem perceptio minime dependet a capitularium consensu, sed ab ipsa distributionum natura, seu ab actuali servitio ac interessentia divinis officiis. In hac enim re adeo gravis est legum canonicarum rigor, ut capitulares, quibus uti praesentibus accresceret absentium portio, ad vitandas collusiones et fraudes juxta praescriptum Conc. Trid. s. 24. c. 12. nequeant iis distributiones amissas eoque minus amittendas remittere vel donare, nisi postquam fuerit peculiaribus canonicis distributa fallentiarum quota sub poena nullitatis donationis et transactionis, si forte intercesserit, prout docent Fagnan. ind. cap. Licet num. 90 et 91; Passerin. loc cit. reg. 8. n. 127 et sqq.; Bened. XIV. inst. eccl. 107 §. 7 num. 42; Giraldi, jur. pontific. p. 2, sect. 137 not. 3. in fin., ac firmat S. Congr. in Terracinen. 13. Jan. 1624 ad 2. dub. et in Avenionen. 25. Sept. 1700 ad 4. dub. Haec in jure pro plena rei cognitione erant mihi exponenda. Quid autem expediat in facto, prudenti EE. VV. judicio reservatur.

Gaudeant impetratis et notificetur Eminentissimo Episcopo.

414. Signina.

Die 20. Martii 1824.

Bruno Milani Signinae cathedralis ecclesiae canonicus die 14. Novembris 1822 adscriptus fuit collegio capellanorum cantorum capellae Pontificiae; et die 20. Februarii 1823 ab hac Sac. Congregat. petiit et obtinuit indultum abessendi a choro durante munere, amissis etc. Novas deinde preces obtulit die 13. Septembris 1823, ut fructus sui canonicatus consequeretur etiam a die, quo inter capellanos cantores cooptatus est, usque ad diem, quo praefatum indultum obtinuit.

Vicarium capitularem requisivi pro informatione et voto, audito capitulo: ipse vero una cum capitulo respondit, quod, cum canonicus Milani domesticis ecclesiasticisque bonis satis commode vivat, non eget fructuum petitorum pro sua honesta vitae sustentatione; et insuper, quod cum numerus choro inservientium ob multorum aetatem, infirmitates, nec non ob alternativam, valde rarus sit, gaudeat impetratis, quae forsan non impetrasset, si haec nota fuissent Sac. Congregationi; et ideo petitionem canonici Milani prorsus esse rejiciendam contendit.

Pro gratia nihilominus instat canonicus Milani asserens, indultum a Sac. Congr. sibi concessum non esse privilegium novum, sed potius declarationem antiquorum jurium collegio cantorum capellae Pontificiae competentium. Reque vera Sixtus V. in sua constitutione edita anno 1586 de cantoribus capellae Pontificae statuit, quod „tam ipsi, quam alii pro tempore existentes cantores capellani sint et esse censeantur, prout hactenus semper fuerunt, nostri et pro tempore existentis Rom. Pontificis veri et indubitati familiares, continui commensales, ac solitam portionem panis et vini habeant etc.

At familiares Papae a jure gaudent indulto exemptionis a choro ex cap. Cum dilectus, de clericis non resid., in quo haec leguntur: „Mandamus, quatenus non obstante constitutione, quae contra absentes canonicos inter vos dicitur emanasse, fructus praebendae suae assignetis eidem in nostro servitio commoranti; cum familiares nostri, qui circa nos se obsequiosos exhibent universis, minori non debeant praerogativa gaudere, quam vestrum singuli, quorum negotia per ipsos saepius promoventur.“ Idemque habetur In cap. Ad audientiam eod. tit.

Profecto ea, quae a capitulo et vicario capitulari Signino fuere allata, vincere nequeunt rationum momenta, quibus nititur canonicus Milani.

Pro gratia juxta petita, amissis etc.

415. Montis Falisci. — Servitii chori.

Die 26. Junii 1858.

Angelus Montagnoli, canonicus ecclesiae collegiatae S. Joannis Baptistae oppidi Cryptarum Castri, Montisfalisci dioecesis, humiliter exposuit, sese ab H. S. O. per rescriptum diei 25. Septembris 1847 gratiam obtinuisse, qua sibi onus servitii choralis ad principales anni solemnitates reducebatur. Porro in rescripti forma clausula addita legebatur „juxta votum Episcopi,“ quod erat, ut reductionis indultum Orator consequi posset eo modo, quo paulo ante consecutus fuerat Demetrius Cordelli in eadem ecclesia beneficiatus: Cum vero indultum Demetrio Cordelli elargitum ad decennium coercitum inveniatur, dubitat Orator, an etiam rescriptum ab se adeptum die 25. Sept. 1847 idem temporis spatium non praetergrediatur. Itaque hujusce dubii declarationem postulat; quae si inimica sibi accidat, benignam prorogationem ad viginti annos, aut ad breviorem temporis decursum sibi expetit: causae enim, quae gratiam anno 1847 suaserunt, videlicet redituum beneficialium tenuitas, nedum eaedem sint eodemque statu permaneant, sed et ulterius de sua natura permanebunt.

Remissis de more precibus Episcopo Montisfalisci pro informatione et voto, audito capitulo, hoc, quod sequitur, responsum accepi: „Singula, quae in hic adnexis precibus Angeli Montagnoli de terra Cryptarum Castri hujus dioecesis narrantur, de veritate constare apparet ex actibus ecclesiasticis existentibus in hac cancellaria episcopali. Super quibus precibus auditum

fuit capitulum dictae terrae, quod mihi retulit concessionem petitionis Oratoris chorali servitio detrimentum afferre. Etenim, ait ipsum in sua relatione capitulari, ex canonicis, qui quatuordecim sunt, duo jubilationis indultum consecuti sunt, et alter jam completo servitio sacris canonibus praescripto in eo est ut consequatur, alter studiorum causa degit in seminario dioecesano, tres alii propinquant ad consequendum, cum parum distent a satisfactione quadragenarii servitii, et tandem alii duo habitualibus incommodis affecti saepe saepius a choro abesse coguntur, ita ut pauci admodum sint, qui chorali servitio operam suam praestare possint. Qua de causa idem capitulum in conventu habito die 20. Februarii mox elapsi cunctis suffragiis Oratoris petitionem rejicendam esse opinatum est, eo vel magis quod idem est de bonis ecclesiae satis provisus, et aliunde in hypothesi, quod mallet se de canonicatu dimittere (quod sine suo incommodo posset), non deessent alii ecclesiastici, qui canonicatum ipsum assumerent, et integrum chori servitium sustinerent.

E contra canonicus Montagnoli ad consequendam prorogationem ad viginti annos rescripti jam obtenti anno 1847, ubi hoc perpetuum non fuisse decernatur, in memoriam revocat praesertim tenuitatem sui beneficii, quae reapse tanta est, ut annui reditus ejusdem vix summam scutatorum novem attingant, et addit hanc beneficii tenuitatem, quae adhuc exstat et exstitura est, causam fuisse finalem, quare Sacra ista Congregatio ejus precibus censuit indulgendum.

Hujusmodi autem rescriptum non fuisse perpetuum, sed ad decennium dumtaxat haud videtur ambigi posse. Nam fuit a Sacra Congregatione emissum cum clausula sequenti „quemadmodum eadem de causa canonico Demetrio Cordelli concessum fuit,“ cui ad decennium tantum indultum fuerat. Verum, declarata rescripti hujus limitatione ad decennium, submisse arbitrarer petitam prorogationem excludendam esse utpote noxiam servitio chorali, ut capitulum contendit unanimi consensione.“

Ut magis magisque gratiae impetrandae facilem sternat viam canonicus Montagnoli, profert fidem Angeli Mariae Camilli, fabri murarii, qui perhibet ex judicio periti mensoris domunculam quamdam beneficialem reparatione quamprimum indigere, idemque in opus, sibi locatum, scutata viginti sex esse insumenda, praeter alia sex, quae non multo ab hinc tempore insumpta fuerant. Profert idem canonicus testimonium punctatoris capitularis, qui declarat, totius anni punctaturas ad scutata duodecim praefixa fuisse, nullo habito discrimine praebendarum, sive eae pinguissimae sint, ut archipresbyteratus et alii canonicatus nonnulli, sive tenuissimae, ut canonicatus, quem ipse possidet. Jamvero ex apertissima Conc. Trid. lege tertiam tantummodo fructuum partem pro distributionibus, earumque loco pro punctaturis, a praebenda separandam esse neminem latet. Cum vero confirmet Episcopus ejus canonicatus reditum novem scutata pertingere, illud sequitur, quod si ipse toto abesset anno, non solum totum praebendae reditum amitteret, quin etiam scutata tria de suo aere privato persolvere cogeretur.

Certum est tenuitatem redituum canonicalium a residentia et a chorali servitio praestando canonicum non eximere: in themate insuper multa sunt a capitulo producta et Episcopi sententia confirmata, quae canonicum Montagnoli integro servitio iterum subjiciendum suadent. Nihilominus an rationes ex adverso ab eodem Montagnoli oppositae tanti ponderis habendae sint, ut aliqua indulgentia dignus ipse videatur, pro ea, qua pollent, sapientia Eminentissimi Patres judicabunt.

Pro gratia prorogationis ad aliud quinquennium, extenso tamen servitio chorali ad omnes dies festos.

Die 18. Junii 1859,

... Iterum sed canonicus Montagnolius supplex adstat coram S. Ordine exponens, nullum sibi emolumentum obvenire ex edito rescripto ob adjectam conditionem „extenso tamen servitio chorali ad omnes dies festos“; quandoquidem ex lege fundationis canonicatus ad dies examussim festos tantum choro sese interesse teneri perpendit; quod probasse asserit occasione primaevi indulti anni 1847. Instat hinc pro moderatione rescripti, ne secus liberalitas S. Ordinis quae certo certius levamen aliquod quoad chori pensum secum ferre deberet, citra concedentis mentem, omni prorsus careat effectu. Utque ad exoptatam reductionem proniores habeat EE. PP., recolit reditum suae praebendae annua scutata novem tantum pertingere, dum contra fallentiae ad scuta duodecim indiscriminatim pro omnibus canonicis praefixa sunt. Exhibet insuper testimonium duorum canonicorum, quo probat sese, utut indulto praeditum suevisse nihilominus jugiter interesse chorali servitio in omnibus ecclesiasticis functionibus; adjutricem insuper operam se praebere parocho S. Petri ejusdem loci senio confecto in diurna nocturnaque infirmorum assistentia, ejusdem parochi documento demonstrat.

Standum esse in decretis dempta clausula „extenso servitio chorali ad omnes dies festos“.

X. DE DIGNITATIBUS ET OFFICIIS CAPITULI.

1. De vicario capitulari.

416. Goana.

Die 6. Martii 1847.

Vacante sede Episcopali Goanae dioecesis, P. A. Diaz, qui vicarii capitularis munus obivit, emolumenta quaedam secundum taxationem a praedecessoribus Episcopis factam tempore suae administrationis obvenientia percepit ex instrumentis confectis pro collatione beneficiorum et sacrorum ordinum, pro habilitatione ordinandorum, pro litteris patentibus confessariorum, praedicatorum, vicariorum, parochorum et aliorum officialium ecclesiae inservientium pro suis signaturis sigillo proprio, quo usus est, ac deducto salario tum notario, tum aliis scribentibus debito, quibus aliunde nullum aliud constitutum erat stipendium, necnon deductis, quae pro rerum provisione camerae necessaria erant; quod ex emolumentis dictis superfuit, in expensas pro decenti sui repraesentatione convertit, licet vicario capitulari in Goana dioecesi rationabile salarium ex aerario regis solvatur. Cum ergo procurator Archiepiscopi successoris emolumenta praedicta ab ex-vicario capitulari repetierit, lisque penes judicem saecularem exarserit inter utrumque, hic dubium EE. VV. proponit, utrum praefata emolumenta ad Archiepiscopum successorem, seu potius ad ipsum Oratorem, ex-vicarium capitularem, pertineant.

Emolumenta, quae sede plena ad vicarium generalem pertinuissent, sede vacante vicario capitulari competere, ea vero, quae ad Archiepiscopum, successori Archiepiscopo secluso privilegio Apostolico esse reservanda, non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili.

417. Goana.

Die 6. Martii 1847.

Idem P. A. Diaz, de quo in praecedenti supplici libello disquirebatur, tempore sui vicariatus eleemosynas et mulctas impositas dispensatis in impedimentis matrimonii dirimentibus in pios usus et opera erogavit ad formam ss. canonum, in pauperes scilicet et orphanos, de quorum paupertate ex parochi attestatione constaret. De his etiam lis pendet in saeculari judicio. Procurator enim novi Archiepiscopi illarum distributionum rationes expostulat, a quibus reddendis se immunem existimat ex-vicarius capitularis eo quod juxta clausulam Brevibus appositam distributio haec prudentiae et arbitrio dispensantis relinquitur, proindeque ad reddendas rationes nullatenus se compelli posse tuetur.

Vicarium capitularem non teneri ex capite, de quo in precibus, ad rationes reddendas Archiepiscopo.

2. De archidiacono.

418. Triventina. — Juris examinandi.

Die 8. Aprilis 1848.

Vitalis Mastrojocano, archidiaconus ecclesiae cathedralis Triventinae necnon examinator prosynodalis, cum ex munere debeat in generalibus ordinationibus non tantum ordinandos praesentare, sed Episcopo interroganti respondere promovendos ad diaconatum et ad presbyteratum dignos esse, exponit a se id muneris tuta conscientia expleri non posse, quin ordinandorum examini cum aliis examinatoribus interveniat. Episcopus autem consilium iniit de archidiacono amplius non advocando ad praefatum examen, sicuti neque ad aliud, quod fit super qualitates concurrentium ad beneficia parochialia obtinenda, in quo tamen examine archidiaconus, qui simul examinator prosynodalis est, praeferendus videretur, cum etiam a Patribus Tridentinis vocetur: „oculus Episcopi“. Quare Orator in duplici suo munere archidiaconi et examinatoris prosynodalis sese laesum esse existimans ad hanc S. Congr. confugit, ut ipsi facultatem faciat, utrique examini promovendorum tum ad ss. ordines, tum ad ecclesias parochiales, etiam invito Episcopo, interveniendi.

Priusquam ea, quae juris sunt, perpendantur, notandum est, qua occasione, qua de causa Episcopus Triventinus archidiaconum ab utroque examine removerit. In concursu sub fine anni 1843 Triventini habito ad providendum cuidam regii patronatus ecclesiae archipresbyterali, accidit, ut archidiaconus subsignare recusaverit testimonio ab aliis examinatoribus dato in favorem junioris cujusdam presbyteri, cui favebat vicarius generalis, sed quem archidiaconus prae ceteris concurrentibus longe minus dignum reperiebat non solum propter aetatem et exigua merita, verum etiam propter criminis probrosi accusationem apud Episcopum factam, quae causa fuerat, cur a ss. ordinibus per duos proxime elapsos annos eum arcuisset Episcopus. Inde origo jurgii vicarium generalem inter et archidiaconum; Episcopus autem pro parte vicarii stetit et in literis diei 20. Januar. 1844 archidiacono datis, postquam ab ipso veniam petiit de dura nimis ratione, qua in ipsum animadverterat, subdit: „Ne moleste feras te non amplius a me advocari ad concursus et ad examina pro ordinibus suscipiendis, cum hoc faciam, „ne amplius sit jurgii occasio ulla“.

Id aegre ferens archidiaconus plures praecedentiae querelas contra vicarium generalem moverat, quibus jam valedixit. Quod vero ad praesentem recursum attinet, Episcopus Triventinus desuper pro informatione requisitus respondit: „In examinibus praecedentibus pro sacris ordinationibus archidiaconum non adhibendum esse censui, quantumvis sit archidiaconus et examinator prosynodalis, quia secundum legem electio examinatorum in meo arbitrio posita est et, qui juro suo utitur, neminem laedit.“

Memorat quidem Conc. Trid. sess. 24 cap. 12 de ref., archidiaconos in jure dici oculos Episcopi; sed de archidiaconis jurisdictionem obtinentibus loquitur et idcirco eos vult, ubi fieri potest, magistros in theologia seu doctores aut licentiatos in jure canonico.

Quidquid sit de appellatione, certum omnino est, idem Concilium s. 23. c. 7. de ref., ubi ex professo tractat de ordinandorum examine, ne verbum quidem facere de archidiaconis, sed totam rem Episcopo remittere, qui „sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis ordinandorum genus diligenter investiget et examinet.“ Itemque sess. 24. c. 18 de ref., ubi Concilium ecclesiis vacantibus providendum statuit per concursum coram examinatoribus synodalibus, iterum de archidiacono perfecte silet; imo ipsorum examinatorum synodalium electio seu delectus pro unoquoque concursu arbitrio Episcopi relinquitur, „ut ex illis sex praedictis eligat, quos maluerit.“ Quam tamen legem de examinatoribus synodalibus in concursu ad ecclesias parochiales ab Episcopo adhibendis nullo pacto extendi posse ad casum de examine ordinandorum aperte docet Bened. XIV. de syn dioec. l. 4 c. 7 n. 2., eo innixus principio, „quoniam Tridentinum synodales examinatores exigit tantum in concursibus ad parochiales, cumque agatur de sanctione restringente facultatem alias Episcopo a jure communi concessam non debet extendi ultra casum expressum.“ Et hanc sententiam ibidem confirmat auctoritate Gavanti in praxi dioec. syn. c. 31., S. Caroli Borromaei in conc. prov. Mediol. V., et Bened. XIII. in constitutione „Pastoralis“.

Archidiaconus igitur Triventinus, quatenus examinator prosynodalis est, frustra contenderet se examini ordinandorum interesse debere; ad illud tamen vocari potest ab Episcopo, sed non ut examinator prosynodalis neque ut archidiaconus, bene vero tanquam sacerdos aut vir prudens divinae legis peritus, ut loquitur Conc. Trid. Neque invocari possunt antiqua archidiaconorum jura, quibus ita derogatum fuit tum a Conc. Trid. tum a consuetudine, ut Bened. XIV., constit. „Ex quo dilectus“ de archidiaconatu asserere non dubitat: „Hujus dignitatis sive officii veteribus quidem temporibus gravissimi, nunc munus omne eo redactum est, ut Episcopo ordinationes generales celebranti, cum ipsi commodum fuerit, assistat, promovendos ad ipsam ordinationem evocaturus.“

Quid autem dicendum sit de attestatione illa ab archidiacono in ordinatione emittenda, luculenter docet idem Bened. XIV. de synod. dioec. lib. V. c. 3 n. 4: „Praedicta archidiaconi attestatio nunc merus ritus et caeremonia est, cum jam aliunde ordinandi vitam et mores Episcopus ante exploraverit; idcirco Innocent. III. culpa vacare dicit archidiaconum, illum dignum affirmantem, quem indignum esse non novit, quamvis ignoret, an revera dignus sit.“

Idemque tradiderat in Institut. eccl. 72 n. 22, cui sententiae adhaeret Giraldi in cap. 7 de officio archidiaconi l. 1 Decret. tit. 23.

Quoad alteram archidiaconorum facultatem, qua poterant ac debebant examinare promovendos ad beneficia parochialia, extra omnem controversiam

videtur ipsis ablata esse a Conc. Trid., prout censuit haec S. Congr. apud Fagnanum, cujus resolutionem auctor ipse refert in cap. Ad haec, de officio archidiac. num. 25 hisce verbis: „Cum quaesitum fuerit, an facultas de jure antiquo competens archidiacono examinandi nedum promovendos ad ss. ordines, sed etiam instituendos in ecclesiis . . . . . sit sublata per Conc. Trid. dispositionem, quae habetur sess. 24 c. 18, ubi quoad ecclesias parochiales hoc munus demandatur examinatoribus electis in synodo; secundo, quatenus sit derogatum praerogativae archidiaconi, ut non possit solus haec facere, an saltem debeat intervenire cum examinatoribus, licet ipse non sit unus ex deputatis in synodo? S. Congr. ad primum censuit: Concilium privasse archidiaconum sua facultate examinandi. Ad secundum respondit: „Non debere, nisi sit unus ex deputatis in synodo.“ Hinc patet archidiaconum Triventinum nullo jure intervenire debere examini praeficiendorum ad parochiales, nisi ad hoc munus exercendum ab Episcopo eligatur, cujus arbitrio Concilium relinquit inter examinatores synodales eligere, quos maluerit.

Verum pro ejusdem facultate interveniendi ordinandorum examini facere videtur ipsius Fagnani sententia, in praecedenti resolutione fundata: dubio enim proposito, utrum a Conc. Trid. ablatum sit archidiaconorum jus utrique examini memorato interveniendi, respondet distinguendo: „quam quidem facultatem ex sententia S. Congregationis Concilium Trid. non sustulit, nisi quoad parochiales, quae conferendae sunt praevia forma examinis per concursum.“ Item pro archidiaconi jure interveniendi ordinandorum examini stant alii magnae notae doctores, hi scilicet, qui illam attestationem, quam in ore archidiaconi ponit Pontificale Romanum, veram ac sinceram attestationem esse volunt. Sic Catalanus, commentar. in Pontific. Rom. part. 1. de ordinat. diaconi ad verba: „Scisne illos dignos esse“ defendit, eam attestationem nequaquam fieri posse ab archidiacono, non tantum, quando ordinandos indignos esse novit, sed etiam quando eos dignos esse non novit, et pro hac opinione affert auctoritatem Van Espenii juris eccles. univ. part. 1., tit. 12. c. 1. Hujus autem canonistae ea de re doctrina si admittenda foret, plane archidiacono Triventino faveret; licet enim fateatur archidiaconorum auctoritatem et jurisdictionem fere totam a consuetudine pendere, paucosque esse, qui suae antiquae auctoritatis vestigia retinuerint, nihilominus contendit hodie adhuc de jure communi archidiaconis competere jus interveniendi ordinandorum atque promovendorum ad beneficia examini: „Licet Conc. Trid., ait, aut synodi locales vel Episcoporum decreta aliquos speciales examinatores nominent, nullatenus ipse archidiaconus censetur exclusus, sed hi archidiacono censebuntur adjuncti.“ Enimvero, si archidiaconus, ut tenet Pignatelli. consultat. 181 tom. 4 n. 1. et seqq., peccaret mortaliter pro indignis et imperitis testando, hoc profecto nequiret peccatum evitare, nisi ordinandorum examini interesset. Neque huic resolutioni obstare videtur Conc. Trid., pergit idem auctor, nam in sess. 23 c. 7 non immutatur ea juris communis dispositio, quae potius confirmatur ex praemissis verbis: „Antiquorum canonum vestigiis inhaerendo;“ nec dici potest, hac ratione archidiaconum fieri arbitrum ordinandorum, cum ipsi complures examinatores adjungere possit Episcopus.

Tandem si archidiaconus in examine ordinandorum munus sibi a jure communi concessum adhuc exercet, attendenda venit opinio jure verior et a canonistis communiter recepta, juxta quam in tali munere exercendo vi dignitatis archidiaconus ab Episcopo removeri nequit, neque pro suo lubitu potest Episcopus illius officium exercere, quia archidiaconus ad hujusmodi

munus non est ab Episcopo assumptus, sed datus a jure, cum munus idem ex canonis privilegio annexum sit dignitati, uti docte ratiocinatur Fagnan, loc. cit. n. 31 et 32.

In hac clarissimorum canonistarum discrepantia quoad examen ad ordines promovendorum, quid sit servandum in praxi, statuet prudentissimum EE. VV. judicium.

Non constare de bono jure Oratoris et scribatur Episcopo juxta mentem. Mens est, S. Congregationem approbasse declarationem factam archidiacono non amplius posthac ipsum revocaturum ad examina.

3. De archipresbytero.

419. Montisfalisci. — Archipresbyteratus quoad onus magisterii.

Die 11. Januarii 1868.

Oppidum exstat in dioecesi Montisfalisci a S. Laurentio nuncupatum, quod a fundamentis exstructum fuit munificentia san. mem. Pii VI, collectis simul incolis ex vetustissimo loco, cui ob insalubre coelum paulatim valedixerant. Translata pariter fuit in novum oppidum antiqua parochialis ecclesia, cujus rector archipresbyteri titulo in collationis literis, sive apostolicis sive episcopalibus decoratus ostenditur. Praeterea ex monumentis, quae reliqua adhuc sunt, apparet quidem nonnullos canonicos fuisse addictos servitio ecclesiae deserti castri, qui collegium quoddam efformasse videntur, eosque cum iisdem juribus in novam ecclesiam fuisse translatos; at nullum vestigium reperitur, ut episcopus ait, retroactis temporibus usque ad annum 1796, quo demonstretur, aut archipresbyterum inter dignitates fuisse adscitum, aut ecclesiam praedictam fuisse recensitam inter insignes collegiatas. Imo signa omnia sive positiva, sive negativa collegialitatis suadent, non amplius quam simplicem collegiatam inibi exstitisse.

Sed post memoratum annum 1796, quo tempore circiter accidit nova oppidi S. Laurentii veteris deductio, res in facto immutatae videri possunt. Ab illo enim anno invenitur, archipresbyteratum semper fuisse per apostolicas literas collatum, et ecclesiam titulo collegiatae forsan insignis in iisdem decoratam, injuncto onere archipresbytero gradum magisterii in s. theologia, aut doctoratus, vel licentiatus in decretis suscipiendi. Unica quoad onus istud exceptio reperitur in collatione anni 1828; attamen ea exceptio potius quam auferre, idem onus firmare videtur. Legitur enim in Apostolicis literis: „Nos tibi, ut tu gradum magisterii in theologia, vel doctoratus aut licentiatus in decretis ratione dicti archipresbyteratus suscipere minime tenearis . . . auctoritate Apostolica tenore praesentium ex causis nobis notis de speciali dono gratiae concedimus et impertimur.“

Anno 1841 novus ecclesiae archipresbyter, habito concursu, electus fuit Vincentius Contedini, eidemque ob defectum aetatis nondum presbytero, per literas Apostolicas diei 4. Decembris ejusdem anni duplex onus, prout sequitur, injunctum est: „Volumus, scilicet quod, „cum primum ad aetatem legitimam perveneris, sacrum presbyteratus ordinem, atque infra annum proximum gradum magisterii in theologia vel doctoratus, aut licentiatus in decretis in aliqua approbata universitate studii generalis praevio rigoroso examine ac alias servatis servandis, suscipere omnino tenearis, alioquin archipresbyteratus praefatus vacet eo ipso.“

Perspecta hujus magisterii oneris impositione, praedictus archipresbyter pluries congruam dilationem ad gradum academicum suscipiendum rogavit a Sacro Ordine, et totidem vicibus petitam gratiam obtinuit. Die vero 5. Februarii 1866, re melius ponderata, petiit, ut clausula illa, qua praefatum onus imponitur, ex Apostolicis literis auctoritate Sanctissimi Patris, si opus foret, deleretur.

Requisitus Ordinarius, ut audito capitulo in scriptis, referret super bono jure Oratoris, et animi sui sententiam ostenderet, postquam ipse superallatas factorum circumstantias retulerit, ita prosequitur animadvertens:

„Duas fingi hypotheses posse videntur, ob quas mutatio status illius ecclesiae, a collegiata scilicet titulo tenus ad collegiatam insignem evenire potuerit. Aut enim in fundatione novi oppidi nova praerogativa ecclesia illa fuit aucta, aut ex mere officialium datariae errore, falsoque supposito, quod ea insignis collegiata esset, indeque archipresbytero, tanquam dignitati, onus injunctum magisterii in theologia, vel doctoratus aut licentiatus in jure gradus assumendi.

„Quamvis prima hypothesis absona non videatur; nullum tamen monumentum praerogativae obtentae in re non admodum antiqua invenire potui, aut oblatum fuit a partibus. Altera vero censeri nequit absurda, cum in hac ipsa dioecesi, in casu forsan non absimili, idem onus a Dataria Apostolica archipresbytero Cryptarum Castri impositum, sententia sacri ordinis diei 25. Junii 1864 deletum fuit.

„Quare anceps haereo circa preces porrectas ab archipresbytero S. Laurentii, quibus petit, ut onus gradus academici suscipiendi per bullas Apostolicas sibi injunctum, praefati Sacri Ordinis auctoritate tollatur. Attamen nisi demonstretur, novam praerogativam illi ecclesiae fuisse collatam, putarem Oratorem eo onere haud posse gravari. Interim seriem singularum vacationum et collationum praedictae parochiae ex actis hujusce curiae depromptam, quoad longius repeti potuit, transmitto una cum actu votoque capituli legitime habiti die 15. Aprilis 1866.“

Ex actis curiae sequentes provisiones vacantis paroeciae adnotantur. Anno scilicet 1635 die 20. Januarii, literae collationis expeditae fuerunt per Episcopum, qui haec praemonebat: „Cum itaque parochialis ecclesia collegiata nuncupata S. Laurentii in terra S. Laurentii per obitum Francisci Macrini vacaverit, ejus collatio et provisio ad nos vigore indulti (vacaverat enim praebenda mense Octobris) spectet et pertineat.“ In literis Apostolicis diei 24. Septembr. 1638 sequentia leguntur: „Cum parochialis ecclesiae archipresbyteratus nuncupatae S. Laurentii terrae ejusdem . . . . vacaverit (mense Julio) et vacet ad praesens, nullusque de illa praeter nos hac vice disponere potuerit, sive possit.“ Rursus anno 1676 per Datariam Apostolicam collata fuit paroecia Ubaldino Jacopini „rectori archipresbytero nuncupato parochialis ecclesiae archipresbyteratus nuncupat. S. Laurentii.“ Iterum in collationibus annor. 1669 et 1721 eadem ecclesia S. Laurentii renunciatur tamquam simplex parochialis ecclesia, vel parochialis ecclesia archipresbyteratus, et in ea pariter quae locum habuit anno 1760 in Episcopi literis legitur: „Cum itaque archipresbyteratus terrae S. Laurentii ecclesiae collegiatae dictae terrae . . . . vacaverit et adhuc vacet, sententia privationis contra Bernardinum Cavalloni per nos lata etc.“

Haec in antiquis provisionibus; in ea vero, quae peracta fuit per Apostolicam Datariam anno 1796, prima scilicet post novum exstructum oppidum, haec leguntur quoad ecclesiae titulum et onus magisterii Archipresbytero injunctum: „Archipresbyteratus saecularis et forsan insignis collegiatae,

quae etiam parochialis existit ecclesiae S. Laurentii . . . . quae inibi dignitas principalis existit . . . volumus quod tu infra annum proximum gradum magisterii in theologia, vel doctoratus aut licentiaturae in decretis suscipere tenearis.“ Quod rursus expresse renunciatum reperitur in literis Apostolicis annor. 1826 et 1828 per eadem fere verba: „Archipresbyteratus nempe saecularis et forsan insignis collegiatae, quae etiam parochialis . . . quae inibi dignitas principalis existit.“ Neque aliter in postremis Datariae literis an. 1841, quibus praebenda archipresbyteralis collata fuit hodierno ipsius rectori Contedini.

Perlectis archipresbyteri precibus, cum capitulum in iisdem deductum esse reperierit, dubitari posse, num praefata ecclesia proprie dicta collegiata dicenda sit, ex defectu decreti erectionis, et nonnullarum ex praerogativis, quae in collegiata ecclesia deesse non possunt, summo studio demonstrare adnititur naturam collegiatae favore ejusdem ecclesiae, tum quia sub hujusmodi titulo constanter eadem enunciata sit in pluribus Summorum Pontificum literis, et in actis curiae episcopalis, tum quia fere omnia verae collegiatae indicia, et plurimas ejusdem qualitatis conditiones prae se ferat, minime obstante, ut ipsi canonici arbitrantur, quod nonnulla revera desint, quae inter praerogativas et onera collegiatarum recensentur. His tamen praemissis, praedicti canonici favent plenissime Oratoris archipresbyteri precibus, eumdemque summopere commendant, eum etiam in finem, ut vota ipsius ab hoc Sacro Ordine excipiantur. Assentiri autem se praedictis precibus affirmant „cum non constet, antecessores Oratoris istud onus habuisse seu potius re vera lauream recepisse vel aliarum dioecesis collegiatarum archipresbyteros ad gradus academicos promotos esse.“

Tum Episcopus itaque, tum canonici in eadem sententia versantur, et propitio suffragio Oratoris preces prosequuntur; nec absque solidis, ut videtur, argumentis. Enimvero praetermisso dubio, quod ingeri posset in casu de qualitate proprie dictae collegiatae ecclesiae, minime profecto comprobatum existit, quod eadem inter insignes adnumeranda sit; saepius enim in Apostolicis literis, quas superius recensuimus, dubitative tantum, nempe forsan insignis renunciatur. Tridentina vero Synodus „sess. 24. cap. 12 de reform. hortatur, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates . . . . . in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris, vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico.“ Ad haec insuper accedit, archipresbyteratum, de quo agitur, non semper collatum fuisse per Apostolicam Datariam ante annum 1796, et tamen compertum est, primarum dignitatum collationem etiam in collegiatis reservatam esse Apostolicae Sedi per reg. 4. cancell. Quapropter cum statui pro certo nequeat, eumdem archipresbyteratum reapse insignitum aliquando fuisse titulo dignitatis, ex ipso facto episcopalium collationum argui non immerito potest, quod praedictus archipresbyteratus nomine tenus solummodo dicatur dignitas, reapse autem sit tantum parochialis; quod in simili exemplo declaratum fuit ab hoc Sacro Ordine de archipresbyteratu S. Joannis oppidi Cryptarum in „Montisfalisci Archipresbyteratus 12. Dec. 1676, relata in altera Montisfalisci Archipresbyteratus super onere magisterii diei 25. Junii 1864 §. Recolendum.“

Et haec porro est causa Montisfalisci, quam Episcopus prae oculis habuit, cum praesentem casum expenderet, quamque egomet Eminentissimis Vestris judicandam proposui in folio praedicta die distributo. Praestat sane paucis sic complecti speciem disputatae quaestionis, et inde subnectere EE. VV. consultissimum rescriptum. Quidam Ferdinandus Franciosi consecutus

fuerat a Dataria Apostolica archipresbyteralem eamdemque parochialem praebendam in terra Cryptarum, et sub eadem clausula, qua Oratori Contedini, impositum eidem extiterat in bullis Apostolicis onus magisterii vel doctoratus. Gravatum se reputans hujusmodi onerosa clausula, exposuit Sacrae Congregationi, archipresbyteratum, de quo quaestio erat, tanquam mere parochialem a Sacro Ordine olim declaratum, et perpetuo ut talem usque ad annum 1803 habitum fuisse, ita ut nonnisi per errorem Dataria Apostolica eumdem tanquam dignitatem reputaverit, et ex eodem errore onus, de quo supra, tum illo anno, tum deinde noviter provisis injunxerit.

Etenim animadvertebatur, archipresbyteratum in antiquis collationis literis, quas modo Dataria, modo Episcopus expedivit, nunquam dignitatem, sed constanter appellatum fuisse parochialem, usque ad annum 1796, quo collatum fuit cuidam Marenghi, qui laurea in utroque jure decoratus jam erat, et deinde in subsecutis vacationibus etiam non doctoribus, cum clausula tamen, ut provisi gradum academicum infra annum, prout in casu de quo agitur, suscipere tenerentur. Addebatur insuper, Concilii Tridentini verba in sess. 24. cap. 12 hortamentum potius, quam legem prae se ferre, illudque protendi quidem ad collegiatas insignes, non autem ad simplices collegiatas, qualis erat collegiata S. Joannis oppidi Cryptarum. Proposito itaque dubio: „An et quomodo annuendum sit Oratoris precibus in casu?“ rescriptum fuit: „Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo, et notificetur ministris Datariae Apostolicae pro futuris vacationibus.“

Profecto si hujusce casus adjuncta singulatim conferantur cum iis facti circumstantiis, quae in praesenti casu occurrunt, difficillime invenietur, in quo unus ab altero differre videatur. Consequens hinc esse videtur, quod iisdem in jure animadversionibus in utroque militantibus, eadem dispositio locum habere debeat. At Eminentiae Vestrae judicabunt.

Juxta preces pro deletione oneris; facto verbo cum Sanctissimo, et notificetur ministris Datariae Apostolicae pro futuris vacationibus.

420. Carpensis.

Die 10. Julii 1824.

Ruralis paroeciae in Mutinensi territorio rector Joannes Coccapani ad archipresbyteratum cathedralis ecclesiae Carpensis, primam illius capituli dignitatem, transiit, ut serenissimo obsequeretur Mutinae duci, ejusdem archipresbyteratus patrono. Imminet Carpensi archipresbytero cura animarum quinque millium et ultra, quot nempe integram civitatem Carpensem componunt; in eaque ab unico capellano adjuvatur. Archipresbyteratum Joanni renuntiavit sacerdos Valerius Benincasa, ad societatem Jesu regressus, qui annuente s. m. Pio VII., et consentiente Mutinensi duce, pensionem annuam scutorum 170. 15. eidem societati reservavit, adeo ut tantumdem, sive alia scutata 170. 50. hodierno archipresbytero pro se et capellano supersint.

Dicta lex est in Apostolicis litteris collationis, ut archispresbyter Coccapani infra triennium doctoris gradu in sac. theologia insigniri teneretur: ipse autem cum animarum cura distentus et diuturnis morbis conflictatus indicatam legem implere nequiverit, dilationem ad annum ab hac Sac. Congregatione impetravit. Anno exeunte, cum infirma esset valetudine, non dilationem tantum, sed dispensationem ab adipiscenda theologici magisterii laurea petiit: dilationem autem indulsit, dispensationem Sac. Congr. negavit

Novas preces mense Januarii labentis anni obtulit archipresbyter Coccapani, nunc annos numerans quinquaginta quinque, et dispensationem iterum a suscipienda laurea flagitavit. Requisitus de more Carpensis Episcopus, audito capitulo, quod archipresbytero favet, haec retulit: „Paroeciae administratio diurnis nocturnisque curis archipresbyterum adeo defatigavit, ut ipsum vacare studiis minime patiatur, et si quod sentio, libere explicare possum, difficultas postea non evanescet, bene vero in dies augebitur. Dum enim aetas progreditur, conatus iidem graviores evadunt, sensim vires prosternunt, animum labefactant. Joannes Coccapani . . . sufficientis scientiae, ac probitatis summae diuturnum et commendabile praebuit experimentum. Quod si ipse ad resignandam archipresbyteri dignitatem nunc cogeretur, in praesenti rerum statu nemo hic plane adesset, qui tantum onus in se suscipere vellet ac posset. Quae cum ita sint . . . attento longo servitio laudabiliter ecclesiae praestito, attentis virtutibus, quibus fulget archipresbyter Coccapani, attento onere pensionis ab ipso adhuc solvendae, nisi mea me fallit opinio, dispensari posset a rigoroso examine in aliqua universitate subeundo pro theologica laurea adipiscenda."

Obligatio magisterium adipiscendi a Trid. Synodo sess. 24. cap. 12. de reform. descendit: verum ea pertinet ad archidiaconum, uti patet ex Tridentini verbis, ibi „archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores, aut licentiati in jure canonico." Cum archidiaconus sit de jure prima post Episcopum dignitas in ecclesia; memorata obligatio ad primas dignitates, quavis appellatione donatas, extendi consuevit: hinc nil mirum, si archipresbytero Coccapani in bulla collationis dicta fuerit lex adipiscendi lauream in sac. theologia, cum archipresbyteratus prima sit post Episcopum Carpensis ecclesiae dignitas.

Verum non absolute ipsismet archidiaconis, imo tantum ubi fieri poterit, praedictam obligationem Trid. Synodus imposuit, quod profecto intelligendum est, si absque gravi incommodo id obtineri valeat. In themate autem ex tenuitate redituum, qua fit, ut archipresbyter Coccapani stipendium praebere nequeat aliis, qui vices suas gerant, ut studiis vacare possit; et ex provecta aetate ipsius archipresbyteri non immerito censendum est, absque gravi ipsius incommodo fieri non posse, ut ipse doctoratum consequatur.

Cum itaque Oratoris precibus et capitulum et Episcopus faveant, sintque plurimi facienda, quae de illius sufficienti scientia, summa probitate, ac optima paroeciae administratione Episcopus testatur; benigne excipienda ejus petitio, vel certe peculiaribus archipresbyteri Coccapani circumstantiis meliori, quo fieri poterit, modo consulendum videtur.

Pro gratia prorogationis arbitrio et conscientia Episcopi, servata forma praecedentis indulti, non obstante variatione circumstantiae expositae.

4. De canonico theologo.

421. Firmana. — Praebendae theologalis.

Die 24. Aprilis 1852.

Apostolicis litteris datis sub die 19. Martii 1807 sa. me. Pius VII. ecclesiam SS. Joannis et Benedicti in terra Montis Georgii ad collegiatae honorem evexit, jussitque insimul theologalem esse instituendam praebendam

ubi primum vacare contingeret unum ex binis beneficiis a S. Susanna et a S. Lucia nuncupatis, quae capitulari censui ad id adjecta fuere. Statim ac horum beneficiorum prior contigit vacatio sollicíti capitulares fuere, ut ex hac quoque parte ab Eminentissimo Archiepiscopo tunc temporis cl. me. Brancadoro Apostolicae litterae executioni darentur. Verum ille forte haud divitem capituli conditionem misertus, adeo supersedit, ut canonici usque ad annum 1840 ne excogitarint quidem de theologali praebenda instituenda. Archipraesul tamen, qui in Firmana sede Eminentissimo Brancadoro successit, canonicos monuit, ut vel ad institutionem theologalis praebendae devenirent, vel ab Apostolica Sede prorogationem implorarent. Huic postremae novi Archiepiscopi injunctioni obsequentes capitulares H. S. O. sunt adprecati, ut ad aliud decennium saltem dignaretur hujusmodi erectionem protelare, votique compotes facti sunt rescripto diei 3. Aprilis 1841.

Petitae suspensionis rationem hauriebant ex inopia redituum, aucta ex impensis, quas ipsi canonici sustinere debuerunt in reparando nimirum templi fornice, in eoque ampliando, utpote incapaci ad populum continendum; in solutione aeris alieni, quod contrahere capitulum debuit pro aedificanda frumentaria domo, nec non pro restauratione nonnullarum domorum colonicarum, pro constructione organi, et pro aliis rebus ad divinum cultum sacrarumque functionum decus augendum, ceu fusius enarratur in folio pro congregatione diei 23. Junii 1838.

Impraesentiarum nonnullae adhuc ex iis perseverant causae, aliaeque superaccessere, quibus moti capitulares supplici postulant libello ac confidunt ad alterum decennium prorogationem suspensionis elargitum iri a benignitate Eminentissimorum Patrum. Exponunt siquidem hoc temporis spatio reditus praebendae theologalis insumendos in restauranda turri campanaria, choro aptius transferendo retro altare majus, nec non quibusdam rusticanis domibus reaedificandis vel reparandis ad colonos recipiendos prorsus necessariis. Hisce addunt expensas, quas capitulum sustinere cogitur pro lite, quae coram S. Rotae auditorio agitur a marchione Friderico Passeri, cui absque gravi capitularium jurium jactura valedicere non posset. Animadvertunt tandem biennium jam praeterlabi, quo ipsis non solvitur annuus canon scutator. biscentum quadraginta ab emphyteuta J. B. Celestri, qua de re obstringuntur judicio agere ad devolutionem fundi emphyteutici acceptandam.

Rogatus Eminentissimus Archiepiscopus refert summam a capitularibus corrogatam e decennali antedictae praebendae suspensione pertingere ad scutata quingenta viginti septem: non exiguam pecuniae vim adhuc capitulo esse necessariam, nempe scutata centum viginti unum pro instauratione turris campanariae, ac scutata saltem octingenta pro reparatione quarumdam ruralium domorum, ceu patet ex peritia apposite redacta: neque capitulo, quod reditibus utitur sane exiguis oneribusque non paucis praegravatur, alia suppetere media, quibus recensitas expensas valeat sustinere; cuique enim canonico vix praebenda obtingit scutator. 35, et mansionario scutator. 21; sacrarii autem ita exigui sunt reditus, ut necessariis expensis ne valeant quidem facere satis. Nihilominus concludit laudatus Eminentissimus Vir non ideo Oratoribus „indulgendam esse prorogationem quinquennio ampliorem, ne diutius quam par est populus spirituali bono privetur, quod ab erectione theologalis praebendae percipi poterit.“

Sane si cujusque canonicatus diuturna suspensio ss. canonum praescripto adversatur, Card. De Luca de jurepatr. disc. 20. num. 13., Fargna eod. tract. part. 2. cas. 27. cap. 6. num. 4 et passim S. haec Congregatio docuit, potiori id ratione videtur sentiendum de theologali praebenda, quam

erigendam in insignibus collegiatis, vel insigni oppido impense demandarunt sacrosancta Tridentina Synodus sess. 5. cap. 1. de ref., nec non Benedictus XIII. in notissima constit. „Pastoralis officii: ne caelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat. Quibus etiam consona fuisse videtur mens sa. me. Pii VII. dum collegiatam, de qua sermo est, censu duorum beneficiorum dilatam voluit ad hoc, ut in ea theologalis instituerétur praebenda.

Juvat nihilominus animadvertere cum Eminentissimo Archiepiscopo ad miseram capituli conditionem, nec non graves expensas, quas ferre adhuc adigitur ad divinum cultum et ecclesiae decorem tuendum. Novum autem non est, ut ad capituli indigentiis subveniendum vel ipsa canonicalis jam erectae praebendae suspensio decernatur, ut in Firmana, Praebendae 26. Martii 1791, in qua indulta fuit vicennis canonicatus suspentio ac applicatio capitulo oppidi S. Victoriae in exstinctionem aeris alieni pro fabrica ecclesiae contracti. Nec secus evincitur ex Mediolanen. Canonicatus 31. Maji 1794. §. Graves. Nec pariter novum, quod suspensionis prorogatio admittatur, ubi eaedem perseverant rerum circumstantiae, vel mediorum inopia, quae suspensionem ab initio suasit, ceu ex constanti S. Congregationis stylo obvium est.

Accedit in casu agi de oppido haud perinsigni, et de collegiata, in qua adsunt archipresbyter et canonicus curatus, qui in verbi Dei praeconio sedulam operam navantes, coelesti illo pabulo commissam plebem minime enutrire cunctantur.

Quatenus prorogationis necessitas agnoscatur, de tempore quod erit illa duratura apte judicari poterit habitis prae oculis tum annuis praebendae suspensae reditibus, nimirum scutat. 52, tum summa pro enunciatis expensis eroganda superius memorata.

Pro prorogatione erectionis praebendae theologalis ad quinquennium tantum ad effectum erogandi reditus praesertim in restaurationem turris campanariae, facto verbo cum Sanctissimo.

422. Apuana.

Die 30. Aprilis 1836.

Hujus dioecesis Episcopus intuens cathedralis ecclesiae capitulum esse theologali praebenda destitutum, postquam incassum modum omnem perquisierit, tandem, „cum habeat summam quandam a pluribus benefactoribus collatam pro operibus piis,“ consilium iniit, illam erigendi in annuum reditum scutatorum 90 circiter, ac opportunas ab H. S. O. exposcit facultates, quasdam in fundatione apponendi conditiones absolute necessarias, quae ita sese habent: Praebendatus obligatus erit ad scholas saltem tres de theologia dogmatica quavis hebdomada in seminario Apuano habendas vel de re morali, si hujus disciplinae magister fuerit impeditus seu in alio casu aliquo Ordinario placuerit; tum autem lectionibus s. scripturae dispensatus erit ... Intervenire debet omnibus processionibus ordinariis et extraordinariis, et choro omnibus festis de praecepto et illis, quae in ecclesia cathedrali solemniter celebrantur, praecipue primae classis et in his chorus a primis vesperis incipit.“ Hisce et aliud onus accensetur, dictis supra diebus et in unaquaque feria sexta quadragesimae confessiones in eadem ecclesia excipiendi. Pro coronide demum exoptat Episcopus, ut fundationis obtentu prima unicaque vice sibi liceat „illam praebendam sine concursu conferre sacerdoti Aloysio

Giumelli hujus dioecesis non solum optimis moribus praedito, sed etiam docto et in universitate Pisana laureato; mea enim et aliorum opinione ipse ad hoc officium magis idoneus est."

Ex Episcopi precibus atque informationis literis S. Congregationi ab ipso porrectis hucusque dicta decerpsi. Reliquum est subjungere tredecim esse in capitulo canonicos, quos inter poenitentiarius et quatuor dignitates recensentur praebendarumque reditus, praeter quod tenuissimi sint, diverso quoque modo et summa percipiuntur et 50 nummos comprehensis etiam extraordinariis emolumentis et distributionibus non excedunt. Ideo Episcopus concludit, omnino fundationes deesse, quibus erigi posset praebenda theologalis. Episcopi consilio accedit capitularium et seminarii administratorum votum.

Attentis peculiaribus circumstantiis pro facultate erigendi praebendam theologalem eamque hac prima vice tantum conferendi absque concursu sacerdoti Aloysio Giumelli, arbitrio et conscientiae Episcopi; facto verbo cum Sanctissimo.

423. Amerina. — Erectionis praebendae theologalis.

Die 2. Junii 1860.

Cum S. Congregatio in litteris responsivis ad relationem status ecclesiae Amerinae semel iterumque hortata fuerit Episcopum, ut in collegiata ecclesia oppidi Lugnano theologalis praebenda ad censuram Concilii Tridentini sess. 5. cap. 1. de reform. erigeretur, id se in praesens praestare posse sibi suasit idem Episcopus, cum in ipsa collegiata per renunciationem clerici Ubaldi Vincentini Viterbiensis vacavit canonicatus nuncupatus Aloisi sub invocatione S. Mariae Magdalenae, de jure patronatus familiae Pagliacci Sacchi Fazi ejusdem civitatis Viterbii, cujus reditus annua scuta 150 circiter pertingunt. Sed vero rogati asserti patroni assensum denegarunt, veriti ne eorum in exercitio juris nominandi libertas coarctetur, quam sartam tectamque omnino volunt. Hinc Episcopus supplici oblato libello postulat declarari. 1. An in casu dictum beneficium juris patronatus erigi possit in praebendam theologalem non obstante oppositione patronorum? 2. Si affirmative ad 1. cum quibus conditionibus erectio fieri debeat?

Ad rem vero animadvertit Episcopus: „Sine dubio patronorum libertas in conferendo erectione praebendae theologalis restringetur, cum non jam, ut saepius antea, nominari possint clerici minoris aetatis. Sed optime fieri poterit, ut etiam in posterum patroni praesentent personas actu non aptas, dummodo in hoc casu ab alio, consentiente Episcopo, lecturae scripturales habeantur.

Si haec conditio adjiciatur patroni rationabiliter dissentire non possunt, cum nunc aliud beneficium non vacet et illud beneficium sufficientes habeat reditus ad sustentationem canonici theologi, qui fere semper aliunde requiritur, dum aliae praebendae excepto archipresbyteratu non superant scut. 100."

Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 1. de reform. praecipit, ut etiam in ecclesiis collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, ubi nulla praebenda aut praestimonium seu nullum stipendium pro canonico theologo deputatum reperitur „praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur." Quatenus vero nulla vel non sufficiens praebenda in ipsis ecclesiis fuerit, Concilium alia media praescribit, quibus erectioni theologalis consulere debeant Episcopi,

nimirum per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, vel per contributionem beneficiatorum suae civitatis et dioecesis, vel alias, prout commodius fieri poterit.

Quod vero excipitur praebenda vacatura ex causa resignationis, intelligendum de resignatione in favorem, ceu ex mente Concilii animadvertunt Barbosa de canon. cap 21. n. 10, Pax Jordan. elucubr. can. lib. 7. tit. 3. num. 12 et Card. Petra ad constit. 2. Innoc. VI. tom. 4. n. 22. Et quamvis expresse non declaretur, quod praebendae de jurepatronatus laicorum assignari debeant ad usum theologalis, attamen et ipsas comprehendi docent Barbosa collect. dd. in Conc. Trid. sess. 5. cap. 1. de reform. num. 16. Garcias de benef. cap. 5. num. 16. Moneta de ultim. volunt. cap. 2. n. 262.

Identica fere quaestio proposita fuit coram S. Congregatione die 14. Januarii 1804 in Maceraten. Praebendae theologalis. Statuerat Episcopus, cum alia non suppeterent media, deputare pro theologali in collegiata oppidi Montis Milonis quintam praebendam ibidem vacantem, cujus juspatronatus ad ejusdem loci communitatem pertinebat; sed acriter obstabat communitas ob id praesertim, quod cum ex constit. Benedicti XIII. incipien. „Pastoralis officii“ praebenda theologalis conferri debeat „doctori in s. theologia ceteroquin magis idoneo in formali concursu ab examinatoribus renunciato,“ exinde profecto cohiberetur patroni libertas, cum ad concursum omnes accedere possent, etiam alienigenae, et in illo ad praebendam theologalem probari. E contra vero perpendebatur, quod laudata constitutio Benedicti XIII. praescribit, praebendam theologalem conferri debere eo plane modo quo parochiales conferuntur, ceu tradit Benedictus XIV. de synod. dioec. lib. 4. cap. 7. num. 2. Hinc si parochiales de jurepatronatus laicorum conferuntur sine concursu ei, qui a patrono praesentatus fuit, et ab examinatoribus approbatus ex Trid. sess. 24. cap. 18. de reform., consequi nec praebendam theologalem de jure patronatus laicorum conferendam esse per concursum, ita ut nullum, vel saltem minimum inferatur praejudicium patronis laicis. Proposito autem dubio: „An sit locus erectioni praebendae theologalis ex vacanti quinto canonicatu de jure patronatus communitatis Montis Milonis in casu? S. Congregatio respondit: „Affirmative.“

In praesenti specie, quod aliud nullum medium adhiberi queat, ex eo colligere fas est, quod licet S. Congregatio theologalis in hac collegiata erectionem saepe Episcopis Amerinis injunxerit, numquam tamen illam perficere ipsi potuerint. Ceterum hanc vacantem praebendam utpote reliquis pinguiorem magis aptam fore ad hunc usum recte perpendit Episcopus; quamobrem decernent EE. VV., utrum patronorum dissensus attendi debeat, ne vacans praebenda ad theologi officium deputetur. Perpendent etiam, num probanda sit ratio ab eodem Episcopo proposita, ne jura patronorum vel minimum laedantur, ut nimirum facultas detur iisdem patronis nominandi etiam actu non idoneum, dummodo biblicas conciones per substitutum haberet. Id ceteroquin enim menti S. Concilii Tridentini repugnaret, cujus ex dispositione in cit. sess. 5. cap. 1. de reform. persona, quae ad theologalem adsciscitur, debet esse adeo idonea, ut per se congrue munus subire valeat, alioquin collatio nulla quidem est et invalida, teste Card. Petra loc. cit. num. 31. et seqq.

Erigendam esse praebendam theologalem ex canonicatu Aloisii, ita tamen ut patroni nominare debeant actu idoneum ad munus obeundum.

424. Sebenicen. — Praebendae theologalis.

Die 29. Aprilis 1854.

Episcopus Sebenicen. supplici dato libello mense Augusti superioris anni exposuit, ab immemorabili tempore canonicos theologos suae cathedralis ecclesiae inferioris cleri instructioni deditos lectiones s. scripturae a jure praescriptas non habuisse. Nihilominus, ex bulla sa. me. Leonis XII. uti in aliis, ita penes ejusdem cathedralis capitulum, canonicum theologum absque speciali ac separata praebenda conservatum fuisse, quamvis canonicorum numerus dimidio minor antiquo fuerit. Hinc Orator Episcopus habita ratione, tum ad immemorabilem consuetudinem, tum etiam ad exiguum canonicorum numerum, qui gravissimis aliis negotiis, sive curae animarum, sive institutionis cleri detinentur, postulabat, ut capitulo suae cathedralis a lectionibus scripturalibus dispensatio concederetur.

Antequam vero petitionem hanc ad S. Congregationem deferrem eidem Episcopo rescribendum censui, ut magis praecise referret de numero capitularium tam de praeterito, quam de praesenti, et cur potius non expediat, ut aliquae saltem habeantur infra annum lectiones s. scripturae. Haec autem ad rem ab eo accepi: „In praeterito capitulo hujus ecclesiae tres dignitates et duodecim canonici praebendati exstiterant, quibus duo tantum mansiones inerant, poenitentiariae nempe ac theologalis. In praesens per reformationem bullae „Locum b. Petri“ sa. me. Leonis XII. in capitulo sex sunt membra, duo dignitates nempe, et quatuor canonici praebendati, quibus incumbit onus poenitentiarii ac theologalis non solum, verum etiam per leges summi Imperantis, rectoris paroeciae urbanae, et inspectoris scholarum popularium totius dioecesis.“

„Nunc vero dignitarii duo vel sexagenarii sunt vel physicis incommodis laborant, duo canonici munus poenitentiarii et inspectoris generalis scholarum jam adimplent, et duo, quamvis munere parochiali possint sese onerare, et aliunde pro meritis ad canonicatum evecti sint, tamen non sunt apti ad officium theologale explendum: quumque capitulum his angatur angustiis, Episcopus Orator munus theologale vel sexagenariis, vel valetudinariis dignitariis deferre, vel canonicis poenitentiario et scholastico adjungere deberet. Commisso igitur munere theologali vel uni ex duobus dignitariis, vel uni ex duobus canonicis poenitentiario scilicet et scholastico, primi aetatis et valetudinis causa, secundi vero suis in officio mansionibus intenti nimiumque defatigati, impares essent muneri theologali integre et juxta ecclesiae praescriptum exequendo.

„Quibus perpensis, attenta immemorabili consuetudine in contrarium, et spectata possibilitate, ut in posterum etiam aliquis ex canonicis minus idoneus theologali muneri adoptetur per denominationem summi Imperantis, vigore jurispatronatus in bulla Leoniana supracitata concessi, Episcopus Orator, ne obliterentur omnino lectiones scripturales a S. Trid. Synodo, summorum Pontificum constitutionibus, ac praesertim nuperrima sa. me. Gregorii XVI. enixis precibus humiliterque postulat, „ut sibi et Ordinario pro tempore tam in praesenti, quam in futuro liceat vel dignitariis deferre, vel canonicis poenitentiario, scholastico, et parocho munus theologale adjungere; et pro arbitrio, perspecta circumstantiarum congruentia, numerum praedictarum lectionum minuere et determinare, easque commutare in morales sermones ad populum.“

Jam vero in responsione ad haec tria, quae in sua postrema relatione Episcopus expostulat, haec prae oculis habenda. Ad primum nimirum id quod statuit Concil. Trident. sess. 5. cap. 1. de reform.: „In ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis . . . ubi nulla praebenda aut praestimonium, seu stipendium hujusmodi (pro theologo) deputatum reperitur, praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur.“

Ad alterum, quod, licet de numero lectionum nihil praefinierit Conc. Later. in cap. Quia nonnullis, de magistr. neque Concilium Trid. cit. loc., attamen Concilium Lateranense V. sub Leone X. constituit, ut theologus bis, aut semel ad minus per singulas hebdomadas, impedimento cessante legitimo, legere debeat: ac tandem Concil. Romanum anni 1725 quadraginta saltem lectiones per annum haberi voluit; neque sine speciali indulgentia minuendo earum numero annuit H. S. C., uti in Balneoregien. Visitationis ss. liminum 9. Maji 1830 (?).

Ad tertium demum, nempe ad commutationem lectionum s. scripturae in sermones morales ad populum, ex doctrina Sacrae Congregationis, de qua Benedictus XIV. de synodo dioec. lib. 13. cap. 9. num. 17, receptum est, a canonico theologo suo muneri satisfieri, si sacrae scripturae libros explicet et declaret, quam si in theologia scholastica clerum erudiat. Ac praeterea, addit idem Pontifex, nonnullorum Episcoporum mandato laudabiliter factum esse, ut per canonicum theologum ea traderetur theologia, quae est de conscientiis et moribus dirigendis. Attamen perpendendum est, theologales lectiones prorsus diversas esse a praedicatione verbi dei parochis injuncta, ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 4. de reform. Hinc cum Episcopus Fulginatensis in sua quadam relatione exposuisset, a theologo doctrinam christianam loco scripturae sacrae in modum catecheseos explicari, juxta morem, qui a pluribus ante annis obtinuerat, volentibus Episcopis decessoribus; et haec S. Congregatio rescripsisset hoc a se minime probari, „quippe munus parochi est et esse debet, cum theologus non tam ad populi, quam ad cleri institutionem destinatus sit,“ canonici autem apud S. Congregationem institissent, ne quid innovaretur, proposito dubio: „An canonicus theologus loco explicationis scripturae sacrae possit explicare catechesim, et docere lectiones theologiae moralis in casu?“ S. Congregatio, contra votum Episcopi canonicis propitium, rescripsit die 3. Julii 1784: „Scribatur Episcopo juxta mentem: mens autem est, ut omnino servetur cap. 7. sess. 24. per eos, qui curam animarum gerunt; quo vero ad canonicum theologum, suas lectiones peragere debere“ juxta tradita a Bened. XIV. de synodo lib. 13. cap. 9. num. 17. Ac nuperrime in Casalen. 26. Junii 1847 ad dubium: „An et quomodo theologus parere debeat mandatis Episcopi circa lectiones sacrae scripturae instar concionis habendae, habita praecipue ratione sensus mystici et moralis in casu?“ S. Congr. respondit: „Negative, et servetur lectio biblica ad tramites Conc. Trid. sess. 5. cap. 1, et prout exponitur in Conc. Rom. tit. 1. cap. 8.“

Quoad consuetudinem vero non legendi, S. Congregatio in causa Agen. 11. Sept. 1621 censuit, eum qui praebendam theologalem obtinet, etsi ejus praedecessores numquam legerint, teneri tamen, et ab Episcopo cogi posse id munus per se ipsum explere, alioquin per substitutum ab Episcopo cum congrua fructuum assignatione eligendum. Hinc etsi, uti refert Episcopus, S. Congr. Episcop. in Bononiensi 8. Maji 1637 declaraverit: „Canoni-

cum S. Petronii Bononiensis non teneri legere, quod nulla ejus lectionis adesset necessitas, et quod ejus antecessores numquam legerint:“ attamen quod hujusmodi necessitas non adsit in casu, nec probat, nec asserit Episcopus.

Ceterum judicabunt EE. PP. an actualis capituli Sebenecensis status et conditio, nec non cetera rerum adjuncta quae Episcopus exponit, aliquid de juris rigore remittendum in casu suadeant.

Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia juxta petita ad quinquennium, ita tamen, ut lectiones biblicae non immutentur in sermones morales ad populum, sed potius ratio habeatur doctrinae traditae a Benedicto XIV. in syn. dioec. l. 13. c. 9. n. 17; facto verbo cum Sanctissimo.

425. Caurien. — Lectionis scripturalis.

Die 26. Augusti 1848.

Canonicus theologus seu lectoralis ecclesiae cathedralis Caurien. in Hispania a primaeva institutione usque ad a. 1824 sacras literas explicabat in loco intra ipsam cathedralem designato, quo omnibus, feminis tantum exceptis, patebat accessus. Anno 1824 capitulum sede vacante in edictis convocatoriis ad concursum pro collatione theologalis praebendae novam addidit conditionem a futuro proviso adimplendam, sacras nimirum literas imposterum docendi in seminario dioecesano, ubi cum alumnis extranei etiam conveniunt; cui tamen conditioni praebendatus electus aliis distentus muneribus, dum vixit, ad annum scilicet 1836 minime satisfecit, cum nec in seminario, nec in aedibus cathedralis unquam lectiones habuerit.

Collata anno 1836 eadem praebenda Amato Miranda hic per biennium circiter munus implevit in seminario; at postea animadvertens praefatam conditionem a capitulo adjectam fuisse absque Sedis Apostolicae approbatione, continuo querelas admovit tum Episcopo tum ipsi capitulo protestatus contra conditionem docendi in seminario superius enunciatam, tum quia a legitima auctoritate non emanaverat attenta dispositione S. Conc. Tridentini et antiquissima consuetudine sive ipsius cathedralis Caurien. sive omnium aliarum ecclesiarum Hispaniae, tum etiam, quia injustitia non carebat, cum canonicus theologus, qui tenui potitur praebenda ex obligatione docendi in seminario distributiones omitteret quotidianas, quas ut lucretur ex peculiari illius ecclesiae statuto divinis interesse debet officiis. Capitulo vero cum Episcopo reluctante S. adiit Congregationem canonicus Miranda declarationem expostulans quoad justitiam et observantiam praefatae conditionis, utrum scilicet attentis facti et loci circumstantiis in seminario vel potius juxta pervetustam consuetudinem in cathedralis aedibus sacras literas tradere teneatur.

Literae datae sunt vicario capitulari, ut audito capitulo et transmissis particulis tum synodorum tum constitutionum capitularium ad rem facientium et copia decreti capitularis, referret de asserta consuetudine ac de vera necessitate tradendi sacras litteras in seminario et de natura distributionum, quas theologus absens ex munere debet amittere: quibus ille obiter satisfecit hoc dato responso:

„Apparet olim fuisse et nunc esse in hac cathedrali locum, in quo canonicus lectoralis sacras literas docere consuevit. Animadvertendum tamen est, tunc temporis non fuisse in hac civitate conciliare seminarium quoadusque a. 1819 translatum fuit ex villa Caceres hujus dioecesis. Reditibus exiguis, quibus praedictum seminarium fuit dotatum quibusque vix sustineri

poterat, attentis, capitulum ordinarium sede vacante et mortuo canonico lectorali ante translationem seminarii electo disposuit in edicto ad concursum exprimi obligationem, qua qui fuerit electus, teneretur sacras literas docere in praefato seminario vel materiam, quam Episcopus designaret. Hoc fecit capitulum innixum cap. 18 de ref. sess. 23. Conc. Trid. et statuto 2. tit. 7. hujus ecclesiae iis terminis concepto: „leget singulis diebus, qui non fuerint festi de praecepto, nisi infirmitate sit impeditus, excepta feria quinta, cum in hebdomada aliud festum non incidat. Et leget ab initio mensis Octobris usque ad finem Junii in loco, hora et materia sibi a Praelato assignata, dummodo sit aliquis locus s. scripturae et poterit lector in legendo casus morales explicare et pro fallentia cujusque lectionis afficietur poena obol. 20;“ item decreto 36. Concilii provincialis Compostellani a. 1565 celebrati, ex quo depromptum indubitanter praedictum statutum, quod quidem sic se habet: „qui s. scripturae praelegendae juxta formam Conc. Trid. fuerit deputatus, teneatur omnibus pro festis diebus lectionem publice legere loco et tempore ab Episcopo designando. Illi vero ad legendam materiam singulis annis Episcopus assignet, quam utiliorem auditoribus judicaverit, dummodo super aliquo s. scripturae loco lectio versetur; poterit ad morales casus ac dubia scholastica se interim convertere. Ne tamen in vacuum laborare contingat, provideant Episcopi, ut clerici sive ad cathedralem ecclesiam sive ad alias pertineant, dictae lectioni intersint, canonicis poenis et censuris adhibitis, si opus esse judicaverint. Lectori sua multa arbitrio Episcopi, cum officio eum deesse contigerit, imponatur, et cura visitandi quotidie lectioni assignatum locum alicui timorato viro committatur, cui moderatum stipendium sive de multis, sive aliunde per Episcopum assignetur.“ Hanc in seminario docendi obligationem duo sequentes Episcopi approbaverunt et tam praecessor Oratoris, quam Orator ipse non ignoravere, utpote quae continebatur in edicto convocatorio ad praedictae praebendae provisionem. Nullam ille contradictionem protulit toto tempore, quo lectorali praebenda potitus fuerit, i. e. ab anno 1825 usque ad a. 1834. Et quamquam verum est parum illi curae docendi fuisse ob innumera negotia, quibus erat distentus, semper enim fuit a secretis Episcopi, Episcopus ipse hac aliisque de causis praedicto seminario summa largitate donavit. Orator demum, qui et docuit in seminario primo et secundo anno, postquam fuit electus, a docendo cessavit ob rationes, quae in suis precibus, quas devolvimus continentur et innixus in nota quadam antiquitus ad marginem relati statuti 2. tit. 7. hujus ecclesiae posita, quae sic se habet: haec assignatio loci, horae et materiae non est in usu, quibus permotus et allegans praxim, quam dicebat esse omnium totius orbis ecclesiarum, restitit mandatis Episcopi et ab a. 1838 usque nunc nec in seminario nec in cathedrali nec alibi docet. — Certum est ex constitutionibus capitularibus tam canonicum lectoralem quam magistralem et doctoralem teneri ad interessendum missae de tertia, ille diebus, quibus legit, isti vero dum parantur ad concionandum vel informandum respective; cui missae si defuerint, amittunt juxta easdem constitutiones distributiones quotidianas ad formam Trid.“

Dubitari profecto nequit, quin locus ad habendam s. scripturae lectionem designatus per Concilium Trid. sit cathedralis vel collegiata, minime vero alius privatus locus, ceu diserte declaravit S. Congr. in Amerina 15. Mart. 1710 libr. decr. 60. pag. 98, in qua proposito tertio dubio: An lectio s. scripturae sit facienda publice in ecclesia, an vero in sacristia? responsum datum fuit: Affirmative quoad primam et negative quoad secundam partem. Et quamvis in Fossanen. 11. Mart. 1662 lib. 23.

decr. p. 82. dubio sic concepto: An Episcopus statuere potuerit, ut lectiones a canonico theologo non in cathedrali ecclesia, sed in palatio episcopali habeantur? censuerit S. Congr. respondere: „In hoc casu potuisse statuere“ facta tamen relatione Sanctissimo, Sanctitas sua sententiam S. Congregationis non probavit. Scire vero praestat, quod reproposita die 22. Sept. 1668 eadem quaestione, instante Episcopo, qui referebat in cathedrali auditorium infrequens ac pene desertum esse et confessarios ipsos ad lectionem non accedere (casus enim conscientiae theologus exponebat) ac proinde melius in palatio episcopali obtineri finem ubi clerum praesentia sua alliceret. S. Congr. iterum respondit: Affirmative, declarando insimul, quod theologus pro diebus lectionis quotidianae perciperet distributiones, etsi choro non inservisset (lib. decr. 26. p. 106.).

Sanctioni igitur Tridentinae synodi et S. Congregationis declarationi consentanea exinde videtur praxis et consuetudo ecclesiarum Hispaniae et praesertim Cauriensis, ex qua theologus munere suo in cathedrali perfungitur. Neque locum cathedralis facile immutandum, sed nonnisi maxima urgente causa, monet Card. Petra in comment. ad constit. Apost. t. 4. const. 2. Innoc. VI. n. 52, ea potissimum de causa, quia Concil. Trid. in s. 5. c. 1. de ref. respectum habuit ad cleri et populi frequentiam, quae in ecclesiis fieri solet liberius.

At vero si justae concurrant causae, loci mutatio minime denegatur Episcopo, qui prudenter arbitrari potest, ceu tradit idem Card. Petra loc. cit., dummodo utatur arbitrio rationabili et conformi S. Concil. Trid., videlicet quod hujusmodi lectio fiat omnino publice in loco publico, ut nedum ecclesiastici, sed omnes de populo in lege divina instruantur. Nec desunt in thesauro S. Congr. exempla, quibus probata est translatio lectionis e cathedrali in seminarium, ut in Sarsinaten. 9. Sept. 1843; in Piscien. 23. Mart. 1839, in qua eadem de causa ac in hodierna facta fuit ab Episcopo mutatio loci, ex paupertate nimirum seminarii, ubi theologus gratis docere tenebatur. Praeterea haec fuit constans S. Congregationis sententia, ut Episcopus possit arbitrio suo theologum compellere vel ad s. scripturam explanandam vel ad casus conscientiae seu theologiam moralem explicandam, ut resolutum fuit in Pacen. 28. Sept. 1765 ad 1. dub. et tradit Gallemart. ad s. 5. c. 1. de ref. num. 16, Fagnan. in cap. Quia nonnullis de magistris n 29 et Benedict. XIV., dum munere secretarii fungebatur hujus S. Congregationis in adnot. circa dub. praeb. theol. die 5. Jun. 1723. Unde et illud sequebatur, ut arbitrium Episcopi probaretur quoad loci mutationem; nam theologia moralis vel in seminario, ut plerumque fit, vel in loco separato cathedralis, non autem in publico et e suggestu explicatur. Neque diversa dicenda est praxis hodierna; nam licet S. Congregatio in Derthonen. V. SS. LL. 27. Julii 1844 ad 3. dub. mandaverit, omnino observantiam encyclicae s. m. Gregorii XVI. ceu commutationem s. scripturae in casus conscientiae denegaverit; idemque declaraverit in Casalen. 26. Jun. 1847, arbitrium tamen Episcopi rationabile non quoad locum, sed quoad materiam tantummodo cohibuit.

In casu autem materia eadem lectionum servata est, itemque earundem numerus, locus tantum fuit commutatus. Accedit quod lectio nec ante capitulare decretum ab Episcopis successoribus probatum in publica ecclesia haberetur, sed in separato loco, licet intra aedes cathedralis ipsius, ubi tamen omnes tam de clero quam de populo exclusis tantum feminis convenire poterant; at nec in seminario ulli vetatur ad lectionem accessus, cum non solum

alumni, sed omnes ad ejusdem scholas publice admittantur. Quare cum ex causa rationabili hujusmodi commutatio facta fuerit et consentanee ad dispositionem tum concilii provincialis, tum capituli statutorum ac praesertim S. Conc. Trid. s. 23. c. 18. §. Deinde, capitulare decretum nulla videtur reprehensione notandum.

Una igitur superest difficultas ex privatione quotidianarum distributionum exsurgens, si ob lectionem canonicus Orator nequeat missae de tertia praesentiam facere; qua de causa loci commutationem ipsemet lamentatur, praesertim cum tenui fruatur praebenda. Ast praeterquam facile occurri potest huic incommodo horam lectionis designando cum praefata missa haud incompatibilem, non incongrua videretur derogatio eidem statuto, maxime cum adversetur repetitis ac pene innumeris S. Congregationis declarationibus ecclesias etiam Hispaniarum respicientibus. Et re quidem vera in Oriolen. 12. Aug. 1628 l. decr. 13 p. 509 a tergo S. Congr. censuit, Oratori theologo illa die, qua legit, tribuendas esse distributiones quotidianas omnium horarum, licet choro non inserviat. Idemque in Mediolanen. 11. Maji 1630 l. decr. 14. p. 285; in Hispalen. 15. Jul. et Anagnina 16. Dec. 1645 lib. decr. 17. p. 496 et 533 aliisque sexcentis, quae confirmantur ex sequenti declaratione reddita Nuntio Hispaniarum: „Theologus, qui divinis pro praesente habetur diebus, quibus legit, non est censendus praesens matutino, quod recitatur sero praecedenti pro die subsequenti ex consuetudine ecclesiae“ (lib 1. posit. dub. ad c. 1. sess. 5.) Quibus consona est omnium canonistarum sententia ac praesertim Card. Petra ad const. 2. Innoc. VI. n. 54. t. 4.; Fagnan. in cap. Licet de praeb. num. 116 et 169; Barbosa de can. et dignit. c. 27. n. 33. sqq.; Pignatell. tom. 3. consult. 62 n. 38 et tom. 9 consult. 115 n. 31; Gonzalez ad reg. canc. §. proem. n. 180; Ventriglia in prax. part. 2. annot. 12. §. 1. n. 24 et seqq. Imo resolutum fuit a S. Congregatione in Avenionen. Octbr. 1586 l. decr. 4 p. 189 ad dub. 17: „Quid de anniversariis censendum maxime stante consuetudine, quod vel aegroti vel negotia capituli curantes habeantur pro praesentibus? Non gaudere distributionibus, quae dantur pro anniversariis, nisi anniversaria incidant in diebus lectionum, in quibus lector habetur pro praesente.“ At hujusmodi resolutio consuetudini loci innixa dicenda est, nam ex praxi S. Congregationis uti canonico theologo quotidianae seu ordinariae debentur distributiones die qua legit, etsi choro non intersit, ita denegantur extraordinariae, quae inter praesentes appellantur.

Praevia absolutione quoad praeteritas omissiones lectionum servetur capituli decretum ab Episcopo approbatum, donec aliter statuatur, et canonico theologo integrae tradantur quotidianae distributiones pro diebus, quibus legit, perinde ac si choro personaliter adesset, non obstante statuto capitulari et notificetur Episcopo.

426. Andrien. — Distributionum.

Die 9. Septembris 1848.

In ecclesia cathedrali Andriensi sex numerantur distributionum classes, quae, prout sequitur, exponuntur:

„1. Quatuor fallentiae quotidianae absentium a choro, quarum quaevis diebus ferialibus est statuta in valore duarum ex 5 partibus oboli Romani, diebus festis autem in valore quadruplo, et in quibusdam magnis solemni-

tatibus in valore decuplo; sub finem autem anni eae einter omnes canonicos dividuntur.

2. Anniversaria fixa, simplicis punctaturae, in quibus absentia multatur duabus partibus oboli Romani.

3. Anniversaria fixa alterius speciei ex fructibus legatorum, de quibus non expresse disposuerunt testatores, uti soli corporaliter praesentes percipiant distributiones.

4. Processiones, sive ex ritu Ecclesiae universalis sive ex speciali ritu ecclesiae Andrien., in quibus omnibus distributiones percipiuntur ex summis statutis, quae a massa capitulari separantur.

5. Emolumenta funeralia ex conventione cum variis confraternitatibus.

6. Emolumenta obvenientia 3., 7., 30. die pro defunctis confraternitatis ss. sacramenti."

Accidit anno superiori, ut canonicus theologus Bernardinus Frascolla, cum processioni SS. Corporis Christi non interfuisset, punctatus fuerit, etsi eadem die legere teneretur s. scripturam; contra quam poenam ipso reclamante in conclusione capitulari habita die 5. Junii ejusdem anni per suffragiorum majoritatem resolutum fuit super exorta controversia oraculum S. Sedis implorare, quod reapse factum est per canonicum ipsius capituli procuratorem, qui S. huic Ordini exhibuit libellum, in quo petiit ut declararetur, an canonicus theologus in cathedrali Andriensi diebus quibus legit vel lectionem praeparat, non solum distributiones quotidianas, sed etiam extraordinarias et eventuales, sicut in processionibus, anniversariis, funeralibus, lucretur.

Episcopum rogavi, ut audito capitulo et canonico theologo referret de distributionum natura et particulas constitutionum capitularium ad rem facientes transmitteret. Ille autem deductiones capituli et theologi transmittens retulit, distributiones illius esse naturae, quae in 6 classibus supra descriptis apparet, constitutiones vero capitulares fuisse deperditas anno 1799 in Gallorum irruptione; et tempore ab illo traditionalibus solummodo statutis hanc ecclesiam gubernari. Observat Episcopus, a canonico theologo tantummodo pro die lectionis, non tamen pro diebus praeparationis distributiones illas peti. Deinde prosequitur: „De capitulari conclusione animadvertatur, non ideo pertimescendum esse theologo, quia major votantium numerus ipsi adversarius sonuerit. Nam, ut praeteream generales Ecclesiae sanctiones, indubium est, ab immemorabili consuetudine non interrupta tam poenitentiario, quam theologo Andriensi nunquam negatas, quae modo impugnantur, distributiones. Quinimo cum theologo praecessore servatum est, ut diebus omnibus, quibus se praeparationi additum dicebat, quamvis extraordinariis non gauderet distributionibus, tamen semper ut praesens choro haberetur, diebus vero lectionis praesens omnibus et ordinariis et extraordinariis haberetur distributionibus. Hinc factum est, ut dignitates omnes capitulari sessioni die 13. Sept. interessentes peritioresque canonici, quamvis numero dissidentium pauciores, non dubitaverint juratam pro theologo ferre sententiam; neque praetereundum multos etiam prudentiores consulto a capitulari sessione abfuisse, ne conscientiae suae detrimentum paterentur. Dum enim privatim theologi petitionibus favebant, non ausi sunt aperte praerupto flumini contraire. — Praeterea certum est, theologum nulla separata gaudere praebenda vere proprieque dicta ideoque crudior videtur recurrentium immoderantia, qui operario evangelico nullam habenti debitam mercedem etiam distributionum frustula negare contendunt." /

Nullum movetur dubium, quin canonicus theologus diebus, quibus legit, quotidianas percipere debeat distributiones, etsi absit a choro, juxta constan-

tem S. Congregationis sententiam in Caurien. proposita per summaria precum in superioribus comitiis amplissime confirmatam. Tota hinc quaestio concluditur quoad distributiones extraordinarias, quas vere praesentibus tantum dandas esse contendunt plerique ex capitularibus in conclusione ab Episcopo transmissa, ac proinde canonico theologo diebus lectionis minime deberi, si divinis officiis ceterisque functionibus, quibus adnexae sunt praefatae distributiones, non intersit. Hujusmodi enim distributiones nemini debentur, qui non est vere praesens, etsi ex fictione juris habeatur ut praesens, quales sunt infirmi, jubilati, ceterique omnes ex legitima causa absentes quamvis indultum habeant praegnantissimis ac effrenatis clausulis munitum, ceu docent Piton. in discept. eccl. I. n. 10 et 33; Pignat. in tom. 3. consult. 19 n. 7; Scarfant. in addit. ad Ceccoper. tom. 3. addit. 3. num. 11 seqq. et tom. 1. lucubr. can. l. 2. tit. 13. n. 22 seqq.; Bened. XIV. inst. eccl. 107 n. 58 et seqq. et S. C. in dubiis indultor. 6. Maji 1820 §. Indulta, ubi plures ad rem cumulantur editae resolutiones. De canonico vero theologo apposite tradit Moneta de distrib. quotid. part. 2. qu. 11. n. 72 et novissima habetur S. hujus Ordinis declaratio in Piscien. Indulti 23. Martii 1839, in qua proposito dubio: An et quomodo confirmandum sit decretum ab Episcopo Rossi latum super perceptione distributionum in casu? hoc datum et responsum: In casu, de quo agitur, affirmative exceptis distributionibus inter praesentes dividendis, atque auctoritates superius allatae a plerisque capitularium cathedralis Andriensis consonant omnino cum innumeris S. O. resolutionibus ac perpetua constantique ejusdem Ordinis praxi.

At canonicus theologus non solum quotidianas seu ordinarias, sed extraordinarias etiam distributiones in classibus superius relatis enunciatas sibi deberi nititur ostendere tum ex jure communi, tum ex peculiari ecclesiae Andriensis consuetudine et observantia, declarans tantummodo, se nunquam postulasse, ut in choro pro praesente habeatur iis diebus, quibus se ad legendum parat, sed iis tantum, quibus reipsa legit. Ex jure communi, quia in concilio Basileen. sanctum fuit sess. 3. c. 3: „Verumtamen ut theologus liberius studio vacare possit, nihil perdat, cum absens fuerit a divinis“ idemque probat ex canonistarum auctoritate ac praesertim Van Espen in jur. eccl. univ. part. 3. c. 5. §. 5 et part. 1. tit. 11. c. 6, Fagnani in cap. Licet de praeb. in l. 3 decret., quin obstet quod doctores citati de quotidianis loquantur distributionibus, quia divisionem distributionum in ordinarias et extraordinarias posteriori tantum aevo invectam esse asserit ac infert ex definitione, quam de illis tradit Fagnan. loc. cit. Idque magis declarat ex testimonio Barbosae de canon. et dignit. cap. 27. num. 33. Gavanti in opere theol. canon. t. 2, Ferraris s. v. Canonicus n. 41 et 42, qui omnes concludunt, deberi theologo diebus lectionis non solum quotidianas distributiones sed etiam emolumenta quaecunque personaliter interessentibus dari solita omnesque resolutionem citant S. Congregationis in Oriolen. 12. Aug. 1628, quibus addit auctoritatem canonistae Neapolitani Gagliardi, qui innixus declarationi Greg. XIII. apud Fagnan. loc. cit. 26. easdem distributiones canonico curato, poenitentiario et theologo ex munere absentibus tradendas esse nominatim indigitat.

Ex consuetudine deinde sibi vindicat theologus distributiones etiam inter praesentes dividendas, quia immemorabilem in cathedrali Andriensi vigere consuetudinem affirmat una cum archidiacono aliisque capitularibus, (quorum partem saniorem et peritiorem edicit Episcopus) cujus virtute praesentes habentur choro pro omnibus distributionibus, etiam extraordinariis non

solum theologus sed poenitentiarius aliique ad varia capituli officia deputati, quam confirmat ex facto ejusdem processionis SS. Corporis Christi, a qua cum praeter theologum abfuisset etiam procurator capituli ad lites, qui Romae morabatur, ac alius canonicus procurator ad reditus, ii ambo veluti interessentes dictae processioni habiti sunt, unusque theologus punctatus est, quare jure meritoque existimat theologus se lucrari debere enuntiatas distributiones eoque magis illas quae in quarta classe describuntur, quia cum non ex piorum fundatorum voluntate proveniant, sed ex massa capitulari quotidianarum distributionum naturam induere reputantur.

Iis autem, quae hactenus utrinque deducta sunt, pauca addam ex munere. Positum est extra controversiam neque theologum neque alios supra recensitos ex jure communi lucrari eas distributiones, quae inter praesentes appellantur, praesertim si ex legatis et pia testatorum dispositione dimanant, sicut controverti nequit, quod eisdem quotidianae debeantur distributiones; neque aliter intelligi debet canon. Concilii Basileen. ac sententia Van Espenii et Faguani, qui profecto ignarus dici nequit praxeos S. Congregationis, quae usque ab initio suae institutionis constantissime declaravit, primi generis distributionum vere tantum praesentes participes esse; nunquam vero eos, qui solum ex juris fictione veluti interessentes reputantur. Nec mirum esse debet, si Barbosa cum aliis post ipsum citatis contrarium sentire videantur; innituntur enim omnes cuidam resolutioni in Oriolen. 12. Aug. 1628, quae aliter prorsus ac ipsi concludunt, reapse sonat, cum ex ea canonico theologo nonnisi quotidianae decernantur distributiones, ex tabulario enim S. Congregationis fideliter deprompta hisce verbis concepta est: S. C. censuit theologo illa die, qua legit, tribuendas esse distributiones quotidianas omnium horarum licet choro non inserviat (l. 13. Decret. p. 509). At si canonico theologo Andriensi distributiones extraordinariae non debentur ex jure communi, certe eidem non esse denegandas ex comprobata immemorabili consuetudine apertissime evincit resolutio S. C. in Avenionen. Oct. 1586 (l. decr. 4. p. 189) in qua proposito praeter alia dubio 17: Quid de anniversariis censendum maxime stante consuetudine, quod vel aegroti, vel negotia capituli curantes habeantur pro praesentibus? prodiit responsum: Non gaudere distributionibus, quae dantur pro anniversariis, nisi anniversaria incidant in diebus lectionum, in quibus lector habetur pro praesente.“

Superest nunc, ut nonnulla animadvertam quoad abusum in Andriensi cathedrali vigentem dividendi scilicet in fine anni fallentias absentium inter omnes indiscriminatim capitulares (de quibus fit mentio in prima distributionum classe) quae ex praescripto S. C. Trid. s. 21. c. 3 de ref. solis inservientibus debent accrescere. Quem abusum quoties alicubi S. Congregatio deprehendit existere, toties eradicare curavit, non obstante quacunque consuetudine in contrarium, uti factum legitur in Carpentoraten. proposita per summaria precum die 2. Junii 1731 l. 81 decr. p. 269. et in Terracinen. seu Letina pariter per summaria precum proposita die 27. Martii anni superioris, in qua mandatum est Episcopo, ut hujusmodi abusum omnino tolleret, in quocunque dioecesis capitulo vigere comperisset.

Aliud etiam occurrit in capitulo cathedralis Andriensis, quod S. Congregationis sollicitudinem exposcit. Capitulum scilicet regitur traditionalibus tantum statutis, ceu monet Episcopus, cum nullas habeat scriptas constitutiones. S. autem Congregatio, ubi hunc defectum animadvertit, semper consuevit Episcopo committere, ut capitulo mandaret earumdem constitutionum

confectionem intra sex menses explendam, quas demum Episcopus ipse corrigeret et approbaret.

Canonicum theologum in casu, de quo agitur, lucrari distributiones etiam inter praesentes, etsi choro non inserviat pro diebus tantum, quibus legit, et notificetur Episcopo.

427. Nucerina.

Die 18. Augusti 1827.

G. S. canonicus cathedralis ecclesiae Nucerinae canonico theologo rude donato et infirmitate laboranti pro munere sacram scripturam diebus festis in cathedrali templo exponendi ab Episcopo fuit suffectus, constituto annuo emolumento scutatorum 20 eidem a canonico theologo persolvendo. Ex hoc dilato munere censet canonicus Sillani sibi jus esse abessendi a choro die illa, qua lectionem sacrae scripturae habere tenetur. Et quoniam nonnulli capitulares indulto gaudent abessendi a residentia alii infirmitate detinentur, aut fidelium confessionibus excipiendis festis praesertim diebus vacare debent, idcirco idem canonicus postulat, ut vacatione, qua ipse gauderet die festo, uti valeat die feriali.

Ablegatis de more precibus Episcopo pro informatione et voto responsum dedit: „Canonici Sillani preces fuerunt meae cathedralis prout jussum erat, capitulo propositae. Canonici rem totam mihi permiserunt, prout ex exemplari congregationis capitularis constat, quod his litteris adjungo. Mihi nihil est, cur supplicantis canonici votis contradicam, imo cum diebus festis soleant rariores in choro adesse canonici nonnullis populi excipiendis confessionibus vacantibus, satius existimo, canonicum Sillani loco ferialium dierum in festis choro interesse. Unum videndum superesset, an is, qui pro alio facit, debeat illius legitima exemptione gaudere, quod ab EE. VV. decernendum erit.

Pro gratia pro die arbitrio Episcopi statuendo. Proptereaque eadem S. Congregatio benigne commisit Episcopo Nucerino, ut pro suo arbitrio Oratori gratis indulgeat, ut a servitio chori die feriali ab eodem Episcopo statuendo durante enunciata substitutione vacare possit et interim fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat perinde, ac si choro et officiis divinis personaliter interesset.

428. Barchinonen. — Praebendae theologalis.

Die 2. Junii 1860.

Sacerdos Andreas Posa et Morcia in cathedrali Barchinonensi canonicus lectoralis, et in seminario episcopali ejusdem civitatis sacrae scripturae professor exponit: „Quod cum ipse primus existat lectoralis dictae ecclesiae, qui a tempore immemorabili munus sacram doctrinam docendi exercuerit, oborta sunt dubia in coetu capitulari, utrum scilicet talis lectoralis gaudeat privilegio exemptionis a choro pro tota die a s. m. Gregorio Papa XIII. canonicis theologis huic perutili muneri occupatis concesso, cum acquisitione distributionum, quamvis semel tantum mane, vel sero doceat, ut ita expeditius legat. Item, utrum dictus lectoralis possit abesse a sua ecclesia trimestri Julii, Augusti et Septembris, quod tempus ceteris professoribus concessum

extendi etiam ad canonicum theologum sacram scripturam, seu theologiam dogmaticam in seminario docentem affirmant celebriores Sac. Concilii Tridentini expositores, Gallemart etc. absque distributionum subtractione, ut ita a docendi defatigatione quiescat, suoque muneri aptius fungendo disponatur: cum alias capitulares Barchinonenses speciali gaudeant privilegio abessendi a sua ecclesia quolibet anni tempore, juris exceptionibus servatis, absque tali distributionum subtractione.

„Quare Orator ut conscientiae securitati consulat resolutionem pro sequentibus dubiis enixe ac humiliter postulat:

„I. Utrum Orator ejusque successores in tam perutili onere ex Episcopi mandato occupatis praedicto Gregorii XIII. privilegio exemptionis a choro pro tota die, quamvis semel tantum theologiam dogmaticam seu sacram scripturam doceant, gaudere censeantur?

„II. Utrum Orator ejusque successores eodem modo cursus scholastici tempore in seminario sacrae scripturae, seu theologiae dogmaticae moderationi occupati dicto trimestri Julii, Augusti et Septembris, ut a docendi defatigatione quiescant, suoque muneri deinceps adimplendo aptius praeparentur, possint a residentia vacare, quin distributiones amittant; citato privilegio ecclesiae Barchinonensis capitularibus specialiter concesso non obstante.“

Supplicem hunc libellum Episcopo remisi pro informatione et voto, audito capitulo in scriptis, et ut referret, an Orator possideat praebendam theologalem sic dictam, et de observantia quoad enunciatas exemptiones; ab eoque sequens responsum accepi: „Visis matureque perpensis adjunctis precibus, audito pariter in scriptis capitulo, sic respondendum duxi: Sacerdotem Andream Posa et Morcia revera in hac alma ecclesia cathedrali praebendam theologalem sic appellatam possidere. Ipsius antecessores, quoniam docendi munus proprie dictum non exercebant, sed solummodo statis anni dominicis homiliam circa sacrae scripturae caput libere electum in publicum recitabant, privilegiis, quae exposcit Orator, minime fruebantur. Ipsi, licet semel in die legat, concedi quidem potest exemptio a choro pro tota die, si ita sacrae Congregationi bene visum fuerit: illud tamen advertendum judico, quod in hac cathedrali ex speciali privilegio matutinum cum laudibus recitatur vespere praecedenti pro die sequenti.

„Ceterum in hac ecclesia praebendam obtinentes, ex Sacrae Congregationis decreto sub die 24. Januarii anni 1626 possunt a choro abesse recreationis gratia absque ulla et fructuum et distributionum amissione, cum hac expressa conditione, nempe quod ad duos menses reducatur vacatio a choro trium mensium a Tridentino permissa. Oratori ergo si permitteretur a choro abesse per tres menses, nedum deesset talis conditio a Sacra Congregatione praescripta, sed etiam nimium distingueretur a suis canonicis, qui licet non doceant, nihilominus alia onera adimplent, et ad suae ecclesiae servitium, et ad quorumdam hujus civitatis nosocomiorum administrationem spectantia, imo et ipsius Oratoris status melior evaderet, cum pro suae praebendae obtentu docendi munus tamquam peculiare officium ipsi injunctum fuerit absque speciali privilegio.

„Tandem cum tam dignitates tam canonici recreationis beneficio aestivo tempore tantum uti soleant, si alicui per amplius ac per duos menses a choro abesse permitteretur, non omnes possent tali gratia perfrui, quin chori servitium detrimentum pateretur, habita pariter ratione eorum, qui vel pro aegritudine, vel alia legitima de causa sunt dispensati. Sacra tamen Congregatio, quod melius in Domino judicaverit, statuet ac decernet.“

Cum canonicus Orator recte muneri suo satisfacere censendus sit docendo ex consensu Episcopi, cujus prudenti arbitrio relinquitur modum hac in re praescribere, s. scripturam in seminario episcopali, quamvis ejus antecessores biblicas conciones in ecclesia habere consueverint; ceu colligitur ex pluribus hujus S. Congregationis declarationibus, ac ex doctrina Bened. XIV. de syn. dioeces. lib. 13. cap. 9. num. 17, hinc dubitandum non videtur, quin ipse omnibus frui possit privilegiis, quae canonicis theologis concessa sunt. Quin officiat antecessores suos privilegiis hujusmodi usos antea numquam fuisse. Cum enim haec inducta fuerint non tam in ipsius theologi gratiam, quam in favorem officii, ut nimirum theologi suo obeundo muneri aptius incumberent, ceu monet Pax Jordan. elucub. divers. tom. 2. lib. 7. tit. 3. num. 57, patet non usum privilegiorum, de quibus agitur, contrarium jus non inducere in detrimentum praesertim successorum, uti discusso formiter articulo declaravit S. Congregatio in Perusina Theologalis 30. Julii 1859 ad 1. dub.

Quibus praemissis, ad primum propositum quaesitum quod attinet notandum est: jure communi inspecto theologiae lectores absentes causa legendi a choro non percipere distributiones quotidianas, sed dumtaxat fructus suae praebendae ex textu in cap. Quia nonnullis, neque Concilium Tridentinum hujusmodi privilegium canonico theologo fuisse impertitum; quapropter immediatis post Concilium temporibus saepe S. Congregatio resolvit hujusmodi theologos amittere distributiones quotidianas, cum divinis non intersunt, ceu teste Card. Alciato in manuscripto ad cap. 1. sess. 5. de reform. referunt Fagnan. in cap. Licet num. 116. de praeb. et Card. Petra in comment. ad constit. 2. Innoc. VI. tom. 4. num. 33. Verum, ceu ibidem adnotat idem Eminentissimus Petra, recurrente theologo Eginaten. ecclesiae, S. Congregatio iterum consulendo, an pro horis quibus legit quotidianas distributiones lucrari posset, cum Sacra eadem Congregatio censuisset jure non deberi, sed agendum cum Sanctissimo pro gratia, re delata ad Gregorium XIII. tunc primum ex ejusdem Pontificis oraculo, distributiones etiam quotidianas ex gratia deberi canonico theologo, pro tota die qua legit, etiamsi choro non intersit, resolutum exstitit; minime obstante textu in contrarium adducto in cap. Quia nonnullis, quippe qui non loquitur de lectore, qui ratione ecclesiae suae in ea legit, ut facit canonicus theologus.

Itaque ab eo temporis constans fuit S. Congregationis sententia, ut theologus non solum pro eo tempore et hora quibus legit, sed pro tota die distributiones quotidianas lucretur, etiamsi choro non inserviat, ceu habetur ex sequentibus resolutionibus, in Tropien. 9. Maji 1597: „Auctoritate sibi tributa Sac. Congregatio indulsit, ut eo die, quo theologus sacram legit scripturam ex munere sui officii ad praescriptum Concilii percipere possit distributiones quotidianas, quamvis divinis non intersit,“ lib. 9. decr. pag. 13; in Mediolanen. 29. Aprilis 1597: „Theologo illa die, qua legit, tribuendae sunt integrae distributiones quotidianae omnium horarum, licet choro non inservierit,“ lib. 7. decret. pag. 106. Idemque ceteris missis resolutum fuit nuperrime in Bisarchien. 16. Sept. 1857 ad dub. III. favore theologi docentis ratione sui muneris theologiam scholasticam in seminario.

Imo theologum nedum distributiones quotidianas pro tota die, qua legit, verum etiam quaecumque emolumenta incerta inter praesentes distribuenda lucrari, colligitur ex decreto S. Congregationis in Avenionen. Octobris 1586 ad 17. ibi: „Theologalem praebendam obtinens non lucratur distributiones, quae dantur pro anniversariis, nisi anniversaria incidant pro diebus

lectionis, in quibus lector habetur pro praesente," lib. 4. pag. 189 et ex Oriolensi 12. Augusti 1628.

Verum, quod in praesenti specie notandum est, si matutinae laudes diei subsequentis ex ecclesiarum consuetudine recitentur de sero praecedenti, theologum eadem die legentem non lucrari earumdem distributiones rescripsit S. Congregatio Nuncio Hispaniarum Decembri 1587: „Theologus, qui divinis pro praesente habetur diebus quibus legit, non est censendus praesens matutinis, quae dicuntur sero praecedenti pro die sequenti. lib. 5. decret. pag. 71. a ter. et firmat Fagnan. in cit. cap. licet. n. 117. et Petra cit. loco n. 50.

Quoad alterum postulatum satis est recolere, posse quidem theologum lectorem in publicis universatibus more vacare a lectionibus mensibus Julii, Augusti et Septembris, ut resolvit S. Congr. in Camerinen. 25. Aug. 1606 lib. 10. decr. p. 136 minime vero exemptum hoc tempore esse a servitio chori ad effectum percipiendi distributiones quotidianas: qua quidem in re eodem jure censetur cum ceteris ejusdem ecclesiae canonicis, uti censuit eadem S. Congregatio in Asten. tom. 12. pag. 43, sub die 30. Maji 1620 in qua postulatum fuit: „An lector s. scripturae possit in omnibus illis mensibus vacare a lectionibus, more aliorum lectorum, quae in universitatibus solent feriari?" ac responsum prodiit: „Lectorem sacrae scripturae posse a lectionibus vacare, ut mos est aliis lectoribus publicarum universitatum: ceterum non propterea licere ipsi eodem tempore abesse a servitio chori et ecclesiae, quin imo hac in parte lectorem censeri eodem jure cum aliis ejusdem ecclesiae canonicis."

Ad primum, gaudere pro integra die, qua habetur lectio: ad secundum, detur decretum in Asten. tom. 12. pag. 43 Decretorum.

429. Centumcellarum. — Praebendae theologalis.

Die 18. Decembris 1847.

Flagitante Jacobo Semeria in Circumcellensi cathedrali canonico theologo facultatem vacandi a lectionibus scripturalibus per quatuor menses aestivos Julii nimirum, Augusti, Septembris et Octobris juxta praxim a suis praedecessoribus servatam ab ipsa cathedralis erectione anno 1825, nec non ipsarum lectionum reductionem ad septem tantum supra viginti, illius preces primum rejectae sunt. At postea ingeminatis ejus precibus favorabile accessit capituli votum ac propitia Episcopi suffraganei sententia in haec verba: „Capituli sententiam et ego libenter amplector iisdem compulsus rationibus, et quia insuper talium vacationum adsunt forsitan exempla, et quia hisce mensibus hac in urbe fervet aestus pene intolerabilis, et quia adempta canonico theologo facultate silendi his mensibus, ille aut frui non posset feriis a concilio concessis aut interrupte frueretur, et quia si scriptura ferialibus diebus explicaretur, aut nemo e fidelibus adesset, aut pauci, et quia demum haec scripturae explicatio locum invenire non posset nisi diebus a capitulo indicatis. His adnotandum insuper est, a canonico theologo morales et liturgicos casus quolibet mense esse resolvendos exceptis vacationum mensibus, quae quidem res alicujus momenti est."

Capituli autem sententia hisce nitebatur rationibus, consuetudini nempe ab ipsa cathedralis erectione, qua canonicus theologus semper quatuor praefatis mensibus a lectione cessavit, et in aliis octo mensibus lectionum numerus ad viginti quinque cohibitus fuit; deinde incompatibilitati aliarum functio-

num cum lectionibus scripturae quibusdam anni festivitatibus et diebus praesertim solemnioribus contingentium, ita ut maturo examine instituto alios quam viginti septem festos dies capitulum non invenerit, quibus biblica lectio posset haberi.

Quia vero hujusmodi praxis exorbitans videbatur a jure et expresso Concilii Romani adversabatur mandato, nihil in re statuendum putavi, sed facta super Oratoris precibus Sanctissimo Domino nostro in audientia diei 7. Septembris anni superioris relatione rescribi mandavit: „Dummodo lectiones scripturales 40 quotannis habeantur pro gratia vacationum enuntiatis mensibus arbitrio Eminentissimi Episcopi ad triennium.

Benigna tamen hujusmodi concessione non contentus fuit canonicus Semeria; novoque oblato libello supplici institit, ut lectiones saltem ad duas supra triginta reducerentur, tum quia, nisi lectio feriatis diebus esset habenda, nullus alius festus liber a functionibus occurrebat in reliquis octo mensibus ad quadragenarium lectionum numerum explendum, tum etiam, quia ipse praeter lectiones scripturales morales ac liturgicos casus magistrali solutione octies in anno explanare tenetur, quae proinde solutiones locum scripturalium lectionum tenere possent, ut numerus praescriptus impleretur. Attexuit autem libello nonnullas juridicas deductiones, quibus suae petitionis justitiam nititur demonstrare.

Profert primum tum plures s. hujusce Congregationis declarationes, tum doctrinam Pontificis praestantissimi Bened. XIV., ut statuat canonicum theologum suo munere perfungi, sive sacras literas exponat, sive scholasticam tradat theologiam, vel etiam explanet conscientiae casus, Bened. XIV. de syn. dioec. l. 13 cap. 9. n. 17 et Institut. eccles. 57. n. 8. Gallemart. ad cap. 1. sess. 5. Conc. Trid. n. 16, et pluries S. C. ac praesertim in Hispalen. 5. April. 1576 et in Pacen. 24. Aug. 1765 ad 1. dubium; deinde consuetudinem allegat sive ipsius urbis Centumcellensis sive aliarum finitimarum, ita ut nunquam integrae habeantur lectiones quadraginta; quam consuetudinem servandam esse arbitrio Episcopi jam decrevit S. C. in Patavina 15. Jul. 1641 lib. decret. 15. pag. 490, ac semper circa numerum ac materiam lectionum s. Congregationem rescripsisse patet tum ex cit. Patavina, tum ex Amerina 15. Martii 1665 tum demum ex Urbinaten. Visitationis ss. liminum 10. Martii 1665 aliisque permultis, firmatque Card. Petra ad constit. II. Innocentii VI. num. 48. Recens praeterea adduxit exemplum, quo S. C. censuit lectiones ad duas quolibet mense reducendas ob easdem impedimenti causas, quas affert Orator, ob concurrentiam scilicet functionum, quae sine scandalo nequeunt omitti, in Bagnoregien. Visitationis ss. liminum 9. Maji 1840.

Hinc profert quandam resolutionem in Assisien. 27. Jan. 1646, quam citat ipse Gaudentius de Janua de visitat. praelatorum, t. 1. dubit. 13. cap. 5. num. 33, cujus vi cum concedatur theologo facultas vacandi a festo S. Joannis Baptistae usque ad diem quintam Novembris, praeter alias infra annum vacationes, impossibilis redditur numerus lectionum quadragenarius.

Hisce omnibus addit tum praebendae tenuitatem ratione praesertim loci, cum 110 scutata non excedat, tum grave munus confessiones militum stationalium excipiendi sibi ab Ordinario demandatum aliasque non leves occupationes, quibus ipsius valetudo non raro afflictatur.

At vero, quamvis controverti nequeat constantem fuisse usque ad annum 1843 S. Congregationis sententiam cum doctrina relata Pontificis Max. Bened. XIV. quoad materiam a canonico theologo pertractandam, ita ut loco

s. scripturae theologiam scholasticam posset docere, aut conscientiae casus explanare, post editam tamen encyclicam anno 1842 a fel. mem. Gregorio XVI. a prisca sententia sacer hic Ordo recessit, districte mandans, ut s. scriptura a theologo omnino explicetur, uti testantur Derthonen. Visitationis ss. liminum 27. Julii 1844 ad 3. dub. et Casalen. 26. Junii 1847 ad 1. dubium.

Quoad numerum vero lectionum, etsi arbitrio Episcopi remitti soleat, hoc tamen ita intelligendum est post claram dispositionem Concil. Roman. anno 1725 celebrati, in quo sub tit. I. cap. 7 districte praecipitur 40 lectionum numerus, ut illius arbitrium a praefati concilii dispositione sit regulandum, quemadmodum adnotatur in Conversan. Officiorum capituli 24. Sept. 1729 §. In similibus his apertis verbis: „Theologus enim ad certas lectiones juxta consuetudinem vel ad arbitrium Episcopi tenetur, ut resolutum fuit in Patavina 15. Julii 1645 et in Amerina, Theologalis 15. Martii 1710 ad 4. dubium, dummodo tamen non sint infra numerum quadragenarium singulis annis, ut disponitur in concilio Romano ultimo tit. I. cap. 7.

Huic conciliari praescriptioni unanimiter respondent tum constitutiones capitulares Centumcellenses a Leone XII. et Gregorio XVI. confirmatae, tum ipsum synodale statutum a viro eminentissimo Card. Macchi confectum. Neque legitima videtur exceptio ab obligatione solvendi octies in anno conscientiae casus petita, nam ex eisdem constitutionibus profluit onus quadraginta lectiones quotannis habendi et casuum moralium controversias explicandi.

De consuetudine vero quid sit sentiendum in themate, utrum scilicet inter corruptelas sit reponenda, seu potius uti legitima reputanda, facile judicabunt EE. PP., ubi eam e diametro pugnare conspicient cum dispositione concilii Romani et constitutionum capitularium sive synodalium, ac intra limites brevissimi temporis contineri. Exemplum autem ab Oratore adductum in Balneoregien. longe diversum casum exhibet; ibi enim, etsi lectiones fuerint ad 24 annuas reductae, injunctum fuit canonico theologo onus gratis docendi ss. canones in seminario, quod antea minime sustinebat.

Resolutionem vero a canonico Semeria allatam in Assisien. nulla ratione reperire mihi datum fuit in authentico S. C. registro, et alias e contra reperi, quibus vacationis tempus ad tres menses cohibetur, Julii nimirum, Augusti et Septembris, ut in Anagnina 16. Dec. 1645 lib. 17. decret. pag. 533; in Assisien. ad cap. 1. sess. 5. de ref. pos. 1. et in Melevitana Synodi 2. Julii 1707: quod profecto probat benignam Sanctissimi Domini Nostri indulgentiam in concessione vacationum per quatuor menses superius enuntiatos.

Neque admittenda videtur excusatio ob tenuitatem praebendae, cum haec sufficiens reputetur a Bened. XIII. in sua constitutione „Pastoralis officii“ edita post Concilium Romanum, si scut. 60 exaequet, cumque H. S. C. resolverit in una Civitatis Ducalis 18. Junii 1757 ad 1. dub. canonicum theologum ad scripturae lectiones teneri etsi ipsius praebendae fructus ducata 34 non excederent. Ceterum aliorum onerum assumptio multo minus canonicum Semeria ab integro lectionum numero excusare videtur, cum ex horum praestatione fraudari nequeat principalis obligationis implementum.

Hic deest responsum, sed ad easdem preces Jacobi Semeria in libro decretorum sub die 25. Sept. 1848 reperitur sequens rescriptum ex audientia Sanctissimi: „Sanctissimus audita relatione D. Cardinalis Episcopi Centumcellarum et infrascripti Secretarii S. C. Con-

cilii benigne commisit eidem Eminentissimo Episcopo, ut veris existentibus enarratis pro suo arbitrio Oratori gratis indulgeat, ut per biennium proximum tantum 30 lectiones s. scripturae pro unoquoque anno habere valeat.“ — Die 10. Jan. 1851 idem indultum ad triennium prorogatum est.

430. Calaritana.

Die 23. Decembris 1826.

Calaritanus Archiepiscopus huic S. Ordini exposuit, lectionem sacrae scripturae, quam diebus dominicis post vespertinas laudes in cathedrali ecclesia habere solet canonicus theologus, saepenumero impedimento fuisse, quominus catechesis, cui frequens populus solet interesse, in eadem ecclesia expleretur. Hinc facultatem petiit lectionem scripturae sacrae in memoratam catechesim commutandi. Rogatus idem Archiepiscopus de consuetudine quoad praeteritum et an potius provideri posset per translationem lectionum sacrae scripturae ad alias horas etiam de mane, haec retulit: „Licet hujusmodi lectiones retroactis temporibus habitae fuerint diebus dominicis post meridiem, constat tamen ipsas saepe impedivisse, quominus catechesis haberetur hora populo frequentanti magis accomodata, quemadmodum constat mane haberi minime posse, cum et evangelii explicatio a canonico parocho et officia divina a capitulo habeantur solemniter hisce diebus. Quapropter ad haec incommoda vitanda atque ut clerus et populus multiplici divino pabulo atque instructione minime destituatur, putarem audito capitulo, praedictas lectiones haberi commode posse singulis feriis quintis mane scilicet post missam conventualem, nisi aliqua ecclesiastica extraordinaria functio sit impedimento.

Affirmative juxta votum Archiepiscopi, ita tamen, ut intra annum saltem quadraginta lectiones habeantur.

431. Sabinen.

Die 9. Maji 1829.

Aegidius Paradisi cathedralis ecclesiae Manlianensis canonicus theologus duobus jam abhinc annis sine indulto abest residentia et in liceo Interamnensi humaniores litteras docet. Itaque cum ad rhetoris ibidem munus nuper adlectus fuerit, ab hoc S. Ordine absentiae annum ad deliberandum suppliciter postulavit. — Delegatus Sabinensis, quem pro informatione et voto ex more rogavi, ait imprimis, canonicum Paradisi saepe saepius a se monitum graviterque increpitum fuisse, ut ad ecclesiam rediret, quin tamen unquam paruerit. Praeterea ex S. Congregationis praescripto integram transmisit auditi capituli resolutionem, quam ipse paucis ita complexus est: „Orator, inquit, qui sacris litteris in cathedrali explicandis incumbere debet, id jamdudum negligit parvi pendens meas monitiones et minas de alio in ejus locum subrogando, ni muneris sui partes adimpleret. Hinc ea, quam profert, causa, ut veniam absentiae consequatur, satis justa et legitima esse mihi non videtur. Accedit grave damnum servitio chori obvenire, si facultas ei concedatur abessendi ad annum, ut petit, cum numerus canonicorum, qui choro intersunt, sit admodum imminutus, ob rationes, quas capitulum a me auditum aperte pandidit.

Quapropter preces canonici theologi Aegidii Paradisi rejiciendas esse autumarem, nisi aliter judicent EE. VV. RR.

Perpensa relatione auditoris Delegati Sabinen. affirmative ad tres menses deliberandi causa et Ordinarius interim deligat ecclesiasticum virum, qui Oratoris sumptibus scripturales habeat lectiones.

5. De canonico poenitentiario.

432. Volaterrana.

Die 1. Februarii 1834.

Jacobus Leoncinius in cathedrali ecclesia canonicus postulat, ut cum ipse unicus sit ea in civitate atque in ampla illa dioecesi poenitentiarius onereque idcirco praegravi obstringatur, quod septimo jam anno rite atque prae muneris ratione obire adnisus est, sibi potestas fiat, „ut sine praejudicio actualis ultimi canonici optione gaudere possit, qua gaudet Volaterranum capitulum, ut, cum post multorum annorum servitium non jam servire possit in illo poenitentiarii laborioso munere, valeat optare alias praebendas vacantes, sicut ex indulto Apostolico diei 17. Sept. 1819 canonicus theologus ejusdem cathedralis fecit.“ Rogatus Episcopus de sententia retulit canonicum poenitentiarium „temporali tenui mercede dignari absque peculiari emolumento aut distributione: spiritali labore fatigari, sed prae aliis canonicis temporalia non recipere, ex quo oritur desiderium aliarum praebendarum gravescente praesertim aetate. — Digladiantur inter se (pergit Episcopus) circa relatas preces canonici, ultimo non excepto, multi quidem adversantur, nonnulli vero memores alterius Apostolici indulti canonico theologo concessi, a capitularibus recepti unanimi voto, evidentis paritatis gratia et nullis moti privatis injuriis justae annuunt petitioni. Nos vero (concludit Episcopus) pro discretione certantes humillime proponimus, attento officio satis laborioso, tenui reditu praestito et imminutione virium procedente aetate canonicum poenitentiarium absque praejudicio ultimi canonici, expleto decimo sui ministerii anno pro requie optare posse illas praebendas tantum, quae vacaverint mensibus Sedi Apostolicae reservatis, Januarii scilicet, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris et Novembris, nequaquam vero aliis quatuor ordinariis, idest Martii, Junii, Septembris et Decembris: et quia leges in Hetruria civiles existentes talem Apostolicae Sedi reservationem negant ne conscientiae periclitentur, prudentia suppetit hoc remedium, nec non in Apostolico exarando opportunum ducimus, octo menses ut supra absque canonica forma referre, ne careat in hoc Tusco statu effectu civili petita Pontificis gratia.“

Attentis peculiaribus circumstantiis et inspecta tenuitate praebendae poenitentiariae pro gratia speciali faciendae optionis juxta legitimum capituli morem post ultimum ex actualibus canonicis, desumenda post illum potioritate pro canonicis deinceps derenturis, donec vel Orator, vel successores ipsius ad aliquam ex pinguioribus praebendis rite ascendant, quae perpetuo affecta poenitentiario pro tempore sit, facto verbo cum Sanctissimo.

433. Lucana. — Praebendae poenitentialis.

Die 18. Februarii 1865.

Anno 1845 Archiepiscopus illius temporis vicarii generalis munus credidit sacerdoti S. Polini metropolitanae ecclesiae canonico poenitentiario. Porro is retenta poenitentiali praebenda, a poenitentiarii nihilominus officio sese

dimisit, quod alteri ejusdem metropolitanae canonico Leonardo Mariae Cardella, praeeunte S. Sedis indulto derogationis concursus, collatum fuit.

Modo e vivis erepto Polini anceps hodiernus Archiepiscopus haeret super vacatione praebendae, an scilicet censenda sit per obitum vacans praebenda canonici poenitentiarii, seu potius tanquam alia simplex praebenda, cujus tamen collatio ac provisio ad Sedem Apostolicam ratione mensium pertineret; ita ut poenitentiarii officium retinendum sit stabiliter adnexum praebendae ab actuali poenitentiario retentae. Quapropter supplex judicium S. Ordinis exquirit, quo super ejusmodi negotio absque errandi formidine procedere valeat.

Praenotandum, in ecclesia Lucana pro utraque poenitentiarii ac theologi officio praebendam propriam juxta praescriptum a Tridentina Synodo sess. 5. cap. 1., sess. 24. cap. 8. de ref. constitutam reperiri, prout colligitur ex ipsis relationibus super statu illius archidioecesis, quae apud acta S. Congregationis asservantur. Praenotandum insuper in indulto derogationis concursus superius memorato nullum occurrere verbum, ex quo deprehendatur canonico Polini factam fuisse facultatem retinendi praebendam, licet adnexum officium dimiserit.

Quo posito, in jure haud controvertitur, ac centies S. Congregatio definivit, prout videre est in Vicentina Optionis 31. Januarii 1852 non licere poenitentiario prout et theologo, officio dimisso, retinere praebendam, cui officium ipsum perpetuo ac inseparabiliter adnexum fuerit; adeoque perperam factum fuisse videtur, ut officium a Polinio dimissum alteri conferretur sine illa praebenda, quae eidem officio adnexa ac subjecta erat, quaeque suapte natura eidem addici debebat.

Licere utique quandoque in casu vacationis cum S. Sedis indulto pinguiorem praebendam, vel etiam iterato optare, donec ad aliquam ex pinguioribus perveniatur, quae utpote congrua perpetuo tandem poenitentiario pro-tempore affecta esse intelligatur. At vero in themate non quaeritur de peracta vel peragenda optione pinguioris praebendae, sed potius disquiritur, num per modum facti poenitentiarii officium de una ad aliam praebendam transferri, eique addici valuerit, quod quidem nullo jure admitti posse videtur.

Superest exinde EE. VV. perpendendum, num per obitum antiqua poenitentiarii praebenda ab eo retenta censenda sit vacans uti simplex praebenda canonicalis, vel potius ministerio juris devoluta ad canonicum, qui in praesens poenitentiarii munere fungitur: quo altero in casu sequeretur realis vacatio alterius praebendae ab actuali poenitentiario de facto retentae.

Praebendam poenitentialem, quam retinet canonicus Polini, spectare ad canonicum poenitentiarium Cardella, proindeque hujus praebendam vacare.

434. Ripana. — Canonici poenitentiarii.

Die 2. Junii 1860.

Consuetudo invaluit in ecclesia cathedrali Ripana, ut canonicus poenitentiarius, dum tempore divinorum officiorum sacramentales confessiones audit, insignia canonicalia induat, quae sunt rochetum cum cappa tempore hiemali, et cum superpelliceo tempore aestivo, quibus illius ecclesiae canonici utuntur. Cum nuper ad novas constitutiones capitulares conficiendas animum applicuissent canonici, in articulo, qui ad canonicum poenitentiarium

refertur, legem proposuerunt, ut ad tramites praedictae consuetudinis canonicus poenitentiarius canonicalibus indumentis amictus confessiones excipere debeat, ut praesens in choro ad quotidianas lucrandas distributiones censeri queat.

Porro contra hujusmodi propositam legem protestatus est canonicus Petrus Veccia, novus illius ecclesiae poenitentiarius, et dato huic S. Congregationi supplici libello rem EE. VV. judicio definiendam subjecit, postulans ut declaretur, „an Orator, ut consideretur ut praesens in choro, debeat suscipere in cathedrali confessiones cum indumentis canonicalibus et an his amictus confessiones excipere possit?“

Episcopus super hujusmodi recursu informationem ac votum rogatus, tam canonici Veccia, quam capituli deductiones transmisit, sed a suo voto promendo abstinet, hoc unum adnotans, nimirum, usum excipiendi sacramentales confessiones a poenitentiario cum insigniis choralibus pluribus in locis ab antiquo servari, nempe in ecclesiis metropolitanis Firmana et Spoletana, nec non in cathedralibus Recinetensi, Anconitana, Maceratensi, Tolentinensi, Auximana, Mathelicensi, Aesina, Asculana, et Amerina, ceu ab relationibus illorum Ordinariorum sibi constare affirmat.

Canonicus Veccia vim alligatae consuetudinis ex eo praeprimis impetit, quod haec initium habuerit ab anno 1795 quo primum a S. Pontifice Pio VI. capitulum rocheti et cappae ornamentis uti obtinuit, cum ante id tempus solo superpelliceo et almutia canonici uterentur, adeoque consuetudo spatium 40 annorum tantum complectitur. Ceterum hujusmodi onus imponi non posse canonico poenitentiario sustinet, quippe qui a Concilio Tridentino sess. 24. cap. 8. de reform. privilegio auctus fuerit, ut tamquam praesens haberetur in choro, dum actu confessiones audit, quin tamen obligaretur assumere choralia indumenta; nec de hujusmodi obligatione vola aut vestigium apparet in synodo Ripana, et in antiquis constitutionibus capitularibus manuscriptis. Immo plura refert decreta S. Rituum Congregationis, quibus generatim vetitum edicitur canonicis sacramentum poenitentiae ministrantibus uti choralibus indumentis; ut adeo quaelibet contraria consuetudo tamquam abusus et corruptela reprobanda sit. Hujusmodi decreta habentur apud Gardellini, nimirum diei 19. Julii 1773. num. 4216. 16. Aprilis 1831. num. 4515. 12. Novembris 1831. n. 4520. ad 26. 7. Aprilis 1832. n. 4534. 16. Aprilis 1842. num. 4792. 23. Maji 1846. n. 4902. ad 3 et 4.

E contra capitulum sequentibus rationum momentis votum suum tuetur: „1. quia haec est consuetudo nunquam interrupta in hac cathedrali. 2. quia eadem praxis observatur in ecclesia metropolitana Firmana et in omnibus cathedralibus suffraganeis. 3. quia canonicus poenitentiarius ut habeatur tamquam praesens in choro, debet, dum suscipit confessiones, induere eadem insignia, quae induere debent alii canonici divino officio assistentes. Praeterea rationabile est, poenitentiarium ut talem facile ab iis cognosci posse, qui eum adire volunt.“

Hujusmodi vero usum antiquiorem esse concessione insignium rocheti et cappae probant testimonio canonici senioris, qui tradit poenitentiarium tempore divinorum officiorum confessiones excipientem consuevisse deferre almutiam, quae antiquum erat insigne canonicorum Ripanae ecclesiae.

Quoad decreta vero S. Rituum Congregationis ex adverso relata observant, ea referri ad capitula collegiatarum, quae poenitentiaria carent, et ceteros generatim canonicos respicere, minime vero canonicum poenitentiarium,

cui applicanda ob speciales rationes non videtur disciplina hujusmodi, quae aliis convenit canonicis, qui ad confessiones excipiendas ratione sui muneris non tenentur.

Servetur consuetudo.

435. Romana. — Servitii choralis.

Die 27. Augusti 1859.

In generali conventu diei 27. Novembris 1858 proposita fuit quaestio cui titulus: „Romana distributionum“ sub dubii formula: „An canonicus et beneficiatus confessarii S. M. Transtiberin.; dum actu confessiones excipiunt, diebus quoque non festis de praecepto frui debeant cunctis distributionibus iis comprehensis, quae inter praesentes dividantur“ cui datum est responsum: „Affirmative exceptis iis distributionibus, quae ex voluntate testatorum debentur tantum actu praesentibus.“

Orta hinc controversia est quoad sensum et applicationem praefatae resolutionis inter beneficiatum confessarium ad instar poenitentiarii et collegium beneficiatorum non jam relate ad participationem distributionum choralium, quas integras percipit beneficiatus, sed relate ad servitium altaris quod per turnum incumbit beneficiatis in missis conventualibus dierum ferialium.

Scire quandoquidem praestat in capitulari statuto quoad missam conventualem diebus ferialibus, pro qua collegium non habet distributiones proprie dictas de massa, haec cap. 18 praescribi ut, „si aliquis beneficiatus non adest, alius ejus vice celebret missam et recipiat ab eo, qui debebat celebrare, obol. 10, et, si non est, qui pro absenti celebrare velit, hic solvat 20 obol., 10 obol. pro capellano missam celebrante et 10 obol. pro sacristia.“ Subinde vero temperatus aliquantulum fuit a collegio rigor ejusmodi poenalis dispositionis ac diuturna eaque nunquam interrupta consuetudine invaluit, ut is, cui per turnum incumbit altaris servitium, si in eodem deficiat etiam ratione infirmitatis, debeat omnino solvere mulctam obol. quinque toties quoties favore ejus qui vices agit; cui quidem observantiae etiam hodiernus beneficiatus confessarius fideliter sese subjecit usque ad diem resolutionis superius relatae. Quandoquidem cum modo in vim ejusdem resolutionis sese exemptum censeat ab onere inserviendi altari per turnum actu quo audit confessiones renuit etiam statutam mulctam obol. quinque solvere. Sed in diversam abeunte sententiam beneficiatorum collegio, consultum utrinque adierunt Eminentissimum commendatarium. Ast Vir Eminentissimus perpendens rem esse de interpretatione rescripti S. C. definitionem controversiae ablegandam censuit ejusdem S. Ordinis judicio partium deductiones una cum suo voto transmittens.

Collegium itaque beneficiatorum animadvertit ejus collegam poenitentiarium teneri ex decreto anni 1837 diebus saltem festis de praecepto confessiones audire; aliis autem diebus ad libitum; contra onus conventualis exhiberi ad dies feriales; haud hinc iis diebus fas esse beneficiato confessario deesse oneri, quod ex justitiae debito ipsi incumbit, ut satisfaciat muneri merae charitatis. Secus illud abnorme eveniret, ut quandoque missa conventualis solemnis deficeret; cum enim choralibus illius ecclesiae determinati non sint dies respectivi servitii, sed liceat iisdem satis facere ai punti sic dictis ad libitum intra mensem, fieri posset ut aliquando nemo eorum ad ecclesiam accedat, ad quos haud spectat praefatus

turnus. Nec ceteroquin posse alios ad id adigi, quin novum onus imponatur contra legem fundationis.

Resolutionem S. Congregationis minime respexisse in ejusmodi onus beneficiati confessoris, quia nequivisset eumdem exonerare cum aliorum praejudicio, quos haud fas est adigere ad alienum onus ferendum, praesertim absque emolumento, dum e converso confessarius habet annuum stipendium scut. 18 ex massa beneficiatorum.

Contra beneficiatus confessarius invocat dispositiones quoad poenitentiarios in genere receptas, quas inter ea recensetur, ut nequeant ipsi ab excipiendis confessionibus sese recusare, quoties a fidelibus requirantur; et si audire renuerint, possint ab Episcopo puniri. Hinc cum resolutio diei 27. Novembris aequiparaverit beneficiatum confessarium poenitentiariis quoad eorum privilegia, retinendum etiam ipsum voluisse obnoxium correspectivo oneri excipiendi confessiones, quoties ab aliquo requiratur. Ex quo sequi putat, ut, cum nequeat simultanee inservire altari ac confessionario, non debeat subjacere mulctae, si primo deficiat, quippe actu, quo confessiones audit, habeatur, perinde ac si choro interesset.

Atque eo usque suam exemptionem tuetur, ut instet declarandum, vel ipsum haud teneri ad partem turni efformandam; vel eliminatis mulctis in contumaces quoad servitium altaris, assignetur potius per modum regulae emolumentum omnibus iis, qui servitium obierint tam ratione proprii turni, quam supplementi aliorum; idque perfici posse autumat detrahendo a communi massa summam necessariam.

Neutri tamen favet collegium: eique adstipulatur votum Eminentissimi Commendatarii, qui, dum fusius evolvit momenta a praedicto collegio adducta, censet nulla alia ratione consuli posse fideli altaris servitio, quam per expositam methodum jugiter ad haec usque tempora utiliterque servatam. Idque servari posse absque incommodo a beneficiato etiam confessario sibi suadet, „cum ex tenore decreti ejus obligatio stricta excipiendi confessiones restringatur ad dies festos de praecepto, aliis autem diebus ad libitum sit. His igitur diebus beneficiatum confessarium turnum praedictum assumere posse, praesertim cum quavis hebdomada tantum per dimidiam horam huic negotio incumbere teneatur, postquam duas et aliquibus mensibus etiam tres hebdomadas omnino liberas habuit.“

Jure communi firmatum est, missam conventualem praecipuam esse divini officii partem, imo ad illam canonicas horas ordinari, cap. Cum creatura. de celebrat. miss. Gavant. in rubr. miss. tom. I. part. I. tit 7. num. 2. et S. Congr. passim. Item mulctas seu fallentias aequiparari distributionibus quotidianis earumque vices fungi iis in capitulis, in quibus distributionum peculiaris massa desideratur. De canonico poenitentiario autem receptum est eum cogi haud posse ad ferenda capitularia munera quae cum praecipua obligatione audiendi confessiones conciliari facile nequeunt. Sic licet poenitentiarius valeat exercere officium secretarii, archivistae, aliaque facilioris expeditionis, haud nihilominus tenetur assumere administrationem seu oeconomiam bonorum et rerum capitularium, ut caeteri canonici, quemadmodum nec officium punctatoris prout definitum fuit a S. Congr. in Dubia poenitentiarii 3. Octobris 1671, et in Anagnina Residentiae 12. Decembris 1656. Ast quod ministerium altaris in munere diaconi ac subdiaconi prostat Albanen. Servitii choralis diei 30. Julii 1831, in qua proposito dubio: „An canonicus poenitentiarius ca-

thedralis ecclesiae Albanensis teneatur ad serviendum pro diacono et subdiacono diebus solemnioribus in casu?“ datum fuit responsum: „Affirmative, nisi actu fidelium confessiones excipiat.“

Beneficiatum confessarium teneri diebus ferialibus ad servitium altaris, ac si in eo deficiat, teneri ad solutionem multae juxta capitulare statutum et consuetudinem.

6. De canonico sacrario.

436. Civitatis Castellanae.

Die 29. Januarii 1853.

Supplici conqueritur libello apud S. hunc Ordinem sacerdos Aloysius Fornari canonicus collegiatae oppidi Vineanelli de sua remotione ab officio sacrarii, quod a decem supra septem annis exercebat jussu principis Joannis Ruspoli loci dynastae, ejusdemque collegiatae patroni, nec non de transcriptione cujusdam epistolae, quam sibi injuriosam dicit, in libris capitularibus, quam idem patronus hac super re capitulo dabat die 17. Februarii anno 1851, atque instat pro aliqua provisione.

Tenor epistolae sic se habet: „Petitionem accepi a majore parte canonicorum subscriptam, qua remotio ab officio sacristae canonici Aloysii Fornari propter injuriam fratri meo illatam postulatur. Solummodo ad evitandam vindictae speciem hanc remotionem jubere nolui; nunc autem petitioni majoris partis capituli me opponere nolens his literis canonicum Fornari ab officio sacristae removeo idque canonico Crescenti Annesi confero. Hae literae capitulo congregato legantur et a canonico secretario in capitularibus regestris adnotentur.“

Episcopus, quem rogavi, refert, se diu multumque adlaborasse ut hujusmodi controversiam componeret, sed frustra. Recenset rationum momenta hinc inde adducta, et dubitative se habet super controversia absolvenda. Dubitat siquidem, num patrono fas sit pro lubito destituere sacristam vi statutorum, vel potius necessaria sit legitima causa; num insuper haec fulciri queat facto celebris notae, de qua patronus conqueritur. Ceteroquin adnotat patronum spectatissimum esse, quemadmodum integrae honestatis habetur; nec in medium profertur nota, quae tanti fuit causa dissidii.

Remotionem sustinet patronus ex eo, quod officium sacristae sit ad sui nutum amovibile juxta capitularia statuta sic se habentia „Sacrista eligendus a patrono ejusque successoribus semper amovibilis ad nutum etc.“ nullam idcirco fuisse injuriam canonico Fornari, si suo jure utens, illum ab officio dimovit; maxime cum id fecerit postulantibus praestantioribus ejusdem capituli canonicis. Nec tamen, subjungit, hoc jure usus fuisset, ni ille malemeritus esset de familia patroni, dum in nota publici ordinis perturbatorum ad provinciae praesidem transmissa nomen etiam recensuit Augusti Ruspoli, qui tantum e converso ab illis impiorum conatibus abhorruerat, ut ea tempestate cum familia peregre abiisset.

Epistolam autem remotionis in libris capitularibus transcriptam, nec verba injuriosa redolere pergit idem patronus, nec praeter statuta et praxim capituli insinuatam fuisse in ejusdem actis. Statutum praescribit: „Canonicus secretarius habebit librum, in quo scribentur omnia acta capitularia . . . et

alium librum, in quem referentur omnes literae earumque responsa, qui quovis anno archivistae tradendus est."

Reponit Orator se non sine famae jactura remotum ex abrupto fuisse ab officio, quod fideliter per septemdecim annorum spatium exercuit. Negat se auctorem notae perduellium, sed dumtaxat rogatu praesidis municipalis se quosdam correxisse mendos syntaxis, quae obreperant in dicta nota ab eodem praeside sibi ab hoc ut corrigeretur prolata. Tantum abfuisse, ut canonici praestantiores suam remotionem postularent, ut antea renuerint ab insinuanda epistola patroni in actis capitularibus, nec nisi perterriti minis judicialis contestationis postea consenserunt. Ceterum absonum plane aequitati putat Orator ab ecclesiastico officio aliquem arceri ex causa prorsus extranea, nihilque cum officio commune habente.

Retenta statuti dispositione nullum dubium, quin sacristae officium ad nutum patroni amovibile sit. Quo posito satis exploratum est remotionem ab patroni voluntate dumtaxat pendere, nec ullam amotionis causam requiri, dummodo ea non fiat in odium vel malitiam. Id enim importare verbum illud ad nutum observat Garcias de benef. par. 1. cap. 2. num. 83. Card. De Luca de benef. disc. 80. num. 5. Atque ita pluries definitum est a S. Congr. ut in Montis Alti Remot. capellani 12. Junii 1762, et in Hortana Capellaniar. 8. Aprilis 1843. Utrum in odio, an potius ex legitima causa, quae etiam levis vel levissima sufficeret juxta Pignatell. tom. 9. consult. 143. et S. Congr. in cit. Montis Alti §. Et eadem remotio in themate demandata sit a patrono, colligere erit ex enarratis in facto, quemadmodum etiam ex epistolae tenore judicandum erit, num ea reapse injuriosa sit ut deleri ab actis mereatur, et num ad rem faciat statuti relatus articulus. Novum autem non est, ut si quid in capitularibus regestris fuerit adnotatum quod injuriam sapiat, id omnino abradi praecipiat S. Ordo, ceu jussit in una Theatina in peculiaribus comitiis definita, et nuper in Verulana 11. Martii 1843 ad 2. dubium.

Firma manente remotione ab officio sacristae delendam esse epistolam e libris capitularibus.

7. De canonico caeremoniarum magistro.

437. Spoletana. — Indulti.

Die 18. Julii 1857.

Sacerdos Joannes Fratticcioli praebendatus choralis in insigni collegiata et parochiali ecclesia divi Petri civitatis Spoletanae, quum recenter ab Archiepiscopo nominatus fuerit in suum magistrum caeremoniarum, supplici oblato libello ab Hoc S. Ordine humiliter petit indultum distributiones quotidianas lucrandi diebus et horis, quibus Archiepiscopo in praefato munere in qualibet dioecesis ecclesia assistit.

Super hisce precibus haec monet Archiepiscopus: „Praebenda choralis, quam Orator possidet, tenues habet reditus, impares profecto ad congruam ejus sustentationem, nec praeter eam alio potitur beneficio aut ecclesiastico proventu. Nullum pro caeremoniarum magistro Archiepiscopi constitutum est emolumentum; adeoque ejusmodi officium gratuito semper exercitum ab aliis sacerdotibus, et ad praesens ab Oratore exercetur. Ex decisione istius Sacri Ordinis reddita sub die 10. Augusti 1739 indubium videtur quod

caeremoniarum magister gaudere debet quotidianis distributionibus, quando Archiepiscopo assistit in cathedrali. At res perincommoda foret, si Archiepiscopus alium caeremoniarium sibi providere teneretur, quando aliis in ecclesiis sacras peragit functiones. Hinc, non obstante renuentia canonicorum, qui ad rem fuerunt capitulariter auditi, prout mihi erat injunctum, censerem, Oratori concedi posse indultum lucrandi quotidianas distributiones diebus et horis, quibus in caeremoniarii munere mihi assistit, sacra peragenti sive in cathedrali, sive aliis in ecclesiis; eo vel maxime quod non adeo frequentes sint ejusmodi sacrae functiones."

Capitulum autem indulto refragatur perpendens „caeremoniarium semper fuisse simplicem sacerdotem vel beneficiatum cathedralis, quin in aliis ecclesiis functiones habuerit, inter 14 capituli membra, quibus capitulum constat, unum jubilatum esse, alterum jubilationi proximum, servitium chorale per tertiariam expleri, duos ex capitulo per turnum pergere debere in duas paroecias longe distantes, quarum cura capitulo incumbit, denique saepissime unum vel alterum infirmitatis causa vel ex alia justa ratione a choro abesse; dispensationem caeremoniarii ex omnibus istis motivis chori servitio, praecipue diebus festis, valde nocere."

Quoad magistros caeremoniarum, qui Episcopo assistunt pontificalia exercenti sive in cathedrali, sive in aliis locis dioeceseos, saepe resolutum fuit a S. Congregatione, eos distributiones amittere, praeterquam quando in cathedrali hoc munus exerceant, ceu in Ravennaten. Distributionum quotidianarum 1. Augusti 1739, in Pisana Jurisd. et Jurium 27. Julii 1839 ad dub. 8, et in Lucana Expens. fabricae et alior. jurium ad dub. 5. 30. Martii 1844. Notandum vero, quod hisce in casibus agebatur de magistris caeremoniarum, qui ex ipsius capituli cathedralis gremio assumpti fuerant, quos ideo uti choro praesentes fortasse censuit S. Congregatio ad effectum lucrandi distributiones, quando in eadem cathedrali ecclesia, cujus addicti erant servitio, hujusmodi munus exercerent. Perpendendum eapropter quid juris obtineat, ubi caeremoniarum magister ad aliam ecclesiam, seu collegiatam, ceu in casu, pertineat; an scilicet distributiones lucrari valeat nedum (uti ex paritate rationis videretur) si in propria ecclesia, verum etiam ubi in cathedrali hoc munere fungatur, ceu Archiepiscopus in sua relatione censet; cujus quidem rei nullum exemplum mihi invenire datum fuit. Notandum praeterea, quod in allatis resolutionibus hujusmodi officiales mercedem pro eo munere percipiebant, quod tamen aliter se habet in themate. Hinc videant EE. PP. an peculiaris haec circumstantia, praeter caeteras, quas recenset Archiepiscopus, Oratoris precibus ex gratia saltem favendum suadeat. Ac reape S. Congregatio, cum tenues forent praebendae, non semel concessit canonicis absentibus ratione muneris gratuito exerciti, ut lucrari possent quotidianas distributiones; quod quidem indultum tribuendum censuit canonicis Episcopum in visitatione dioecesis comitantibus in S. Miniatis VV. SS. LL. 8. Februarii 1817.

Ceterum praetereundum non est, caeremoniarum magistro assignari debere certum competens stipendium praeter emolumenta aliqua extraordinaria, juxta caeremonialis Episcoporum praescriptum lib. 1. cap. 5. num. 8. ubi cautum legitur: „Ut autem ipsi caeremoniarum magistri necessariis rebus pro victu et vestitu juxta eorum statum non indigeant, animumque diversis curis et perturbationibus defatigare non cogantur, sed a cunctis aliis negotiis remoti omni studio et diligentia, ac toto pectore in commissam ipsis

curam, et munus suum facilius incumbere possint, providebit Episcopus, ut ipsis constituatur aliquod certum et competens stipendium: et insuper ut eis applicentur emolumenta aliqua extraordinaria. Item aliquibus privilegiis, et praerogativis decorentur, ut promptiori animo suo muneri satisfaciant, ac libros necessarios sibi comparare possint.“ Quousque vero aliunde provisum non sit, magistro caeremoniarum subveniendum esse pro rata ab Episcopo, et capitulo, cum aliis docet Nicol. in Flosc. verb. Magister. num. 1.

Affirmative quoad functiones in ecclesia collegiata S. Petri tantum, in reliquis providebit Archiepiscopus ad formam juris.

XI. DE REBUS QUIBUSDAM INTERNIS CAPITULI.

438. Maceraten.

Die 13. Septembris 1856.

In constitutionibus capituli cathedralis ecclesiae anno 1742 exaratis, haec quoad edendarum deliberationum ac electionum formam habentur: „1. Omnes resolutiones votis secretis eruendae sunt. 2. In omnibus deputationibus et officiis exercendis per duos canonicos, alter ex senioribus, alter ex junioribus eligatur et id quidem semper schedulis vel scrutinio secretis. 4. Tertio quovis anno eligatur ut supra canonicus secretarius.“ In synodo autem Teloni cap. X. de canonicis, statuitur quod „in electione officialium et decidendis quibuscumque negotiis ad bona capituli spectantibus singulorum suffragia semper secreta habeantur, ut unusquisque votum suum liberius praebere valeat, et factiones, et controversiae, quae saepe possunt excitari removeantur. Si factum contra fuerit, quidquid in hujusmodi capitulis decisum actumque erit irritum nullumque declaramus.“

Pluribus attamen ab hinc annis usus invaluit, ut in capitularibus deliberationibus nec non officialium electionibus (excepta electione vicarii capitularis, quae per schedulam perficitur) votum ad aures secretarii capitularis aperiatur. Quod cum deliberantium libertati contrarium visum fuerit moderno Episcopo, necnon perturbationibus inter capitulares ansam quandoque praebere queat, ad quodvis in posterum periculum eliminandum, supplici libello declarari quaerit a S. hoc Ordine idem Episcopus, num invecta methodus statuti capitularis ac synodali praescriptioni conformis habeatur, sin minus toleranda sit contraria, quae huc usque obtinuit, consuetudo.

Capitulum perpendit, non agi in themate de electionibus proprie dictis, pro quibus certa determinataque forma sub nullitatis poena praestituta est, sed de deliberationibus super negotiis ac deputationibus capitularium ad quaedam officia obeunda, quibus proinde perperam applicaretur quidquid a ss. canonibus pro electionibus sancitum est. Subinde cum nulla lex urgeat, per quam capitulares ad unam prae alia methodo edendi suffragium adigantur; quod statutaria aut synodali lege vel consuetudine invectum est, id omnino servandum edicit. Et pressius ad rem, contendit nullam inordinationem prae se ferre praesentem deliberationum formam, quae quidem per secreta suffragia expleri palam est, prout capitularis constitutio ac synodalis lex praescribunt; nec enim refert illud ad aures alicujus proferri, semper enim secreti suffragii qualitatem retinet, quemadmodum secreta dicitur electio

quamvis pura et simplex ostensio schedae facta alicui sit ex electoribus ad effectum, ut videat quem ipse eligat, Navar. cons. 7. lib. 4. de elect. Ceterum quidquid sit de statuti ac synodi praescriptione, rem omnem conficere putat diuturnam eamque pacificam observantiam, quae sive interpretative, sive praescriptive obtineat, magno semper in pretio est habenda; nec fas est Episcopo eam e medio tollere, praesertim quando nullum abusionum vel perturbationum argumentum praebet; et ceteroquin penes etiam alia capitula vigere compertum est.

Contra Episcopus perpendit, adversus patentem legem non induci observantiam vel consuetudinem; et praecise de ea, quae capitulari statuto adversatur, excipit juramentum quod super statutorum observantia unusquisque e capitulo emittere solet, cujus ea est vis, ut contra statutum non possit allegari contraria observantia, cum promissio de illis observandis se opponat initio contrariae consuetudinis, ceu identicis verbis tradit Scarfanton. elucubr. can. lib. 4 animadv. ad tit. 12. num. 15 et Rota decis. 210 num. 10 par. 17 recent.

Quibus ita se habentibus, planum esse ait praesentem suffragandi methodum longe diversam haberi ab ea, quae in statutis ac synodo recensitis praescribitur, quandoquidem obvius ipse verborum „per schedulam et vota secreta“ sensus id prae se fert, ut non vocaliter sed per signa, nimirum per globulos in urnam conjiciendos electio seu deliberatio a capitularibus perficiatur; nec ceteroquin intelligi, quomodo secretum dici queat suffragium, quod ad aures panditur; et quomodo assequi valeat scopus legis synodalis, nimirum libertatis in suffragio edendo, et aversionis factionum, ac controversiarum, dum revelandi suffragii periculum non arcetur. Ceterum haud refert, an perturbationes huc usque ortae fuerint nec ne; cum tamen methodus invecta abusionum germen prae se ferat, et proinde tractu temporis contingere possit, quod nondum evenit, ceu jugis comprobat experientia, consultius esse concludit, ut lex, quae perennitatis vim habet, ad observantiam revocetur.

Sed videant EE. VV., quid in themate statuendum sit.

Non esse tolerandum abusum, et serventur constitutiones capitulares.

439. Terracinen. — Juris suffragii.

Die 3. Martii 1860.

Princeps dignitas insignis collegiatae S. Joannis Baptistae Terracinae ex Apostolica bulla erectionis a Pio VI. f. r. lata, praepositura est, cui septimo anno ab erectione cura animarum adjuncta fuit. Canonicus praepositus semper ac in omnibus capitularibus deliberationibus duplici voto seu suffragio usus est. Anno sed vero 1854, cum canonici bullam erectionis collegiatae forte ad examen revocarent, praeter exspectationem compertum habuere, praepositum, contra bullae dispositionem, duplex votum usurpare. Questi sunt statim cum hodierno praeposito Nicolao Buongiovanni; verum cum pacifice rem componere haud valuissent, hanc S. Congregationem supplices adeunt, ut, enodata controversia, unum tantummodo votum, ad tramites bullae praeposito competere declaretur.

Rogatus, ut moris, Ordinarius, ita rem omnem ac animi sui sententiam pandit: „Dico quid sentiam, perspecta bullae dispositione, et examinata re-

sponsione in scriptis data a praeposito, quam una cum precibus et particula bullae remitto. Post narrativae partem bullae erectionis, in dispositiva ipsius bullae clare sancitum est, praepositum habere vocem et votum in explendis negotiis ipsorum collegiatae canonicorum; insuper postquam enumerata sunt jura praepositi juraque canonicorum, onera honoresque ambarum partium, immediate sequitur clausula, quod praefata jura etc. nullo unquam tempore ex quocumque capite, et quacumque causa quantumvis legitima immutari nullatenus unquam possint, sed valida et efficacia existant, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere debeant. Cum haec clausula adjecta sit in ipsa dispositivae parte, et adjecta sit particularibus ordinationibus ac dispositionibus relate tam ad praepositum, quam ad canonicos ipsius ecclesiae collegiatae, perconsequens importat nullitatem qualiscumque actus, qui contrarii esse possunt dictis ordinationibus et dispositionibus, uti patet in cap. Quia propter 42. de elect., in cap. Si cui 23. eodem in 6. Atqui praepositus in explendis ipsius ecclesiae negotiis non utitur jure suo, nempe non uno voto utitur, sed duo vota adhibet, quod est contra ipsius bullae ordinationem et dispositionem.

„Hisce non obstantibus cum per spatium sexaginta annorum semper praepositus duo suffragia tulerit, et hanc facultatem ab initio usque ad praesentem diem pacifice adhibuerit nullo reclamante, nullo contradicente, evidens est, quod haec praepositi facultas dandi duo suffragia acquisivit plenum suum jus, ac omnino praescripsit contra bullae dispositionem. Quare arbitror praepositum posse duo suffragia ferre ac manutenendum in sua antiqua et pacifica possessione.“

Ad petitionem suam sustinendam capitulum bullam erectionis collegiatae solummodo invocat, cujus particulam in medium profert. Inibi profecto post enarrationem privilegiorum collegiatae habetur: „In ea unam praeposituram, quae inibi dignitas principalis et unica existat . . . pro uno presbytero, qui in s. theologia magister . . . illiusque capituli caput existat, ac primum stallum in choro . . . nec non vocem et votum in capitulo ejusdem ecclesiae habeat, ac septem canonicatus, totidemque praebendas liberae collationis existant pro totidem clericis seu presbyteris futuris dictae ecclesiae canonicis, qui omnes, una cum praeposito praefato capitulum dictae ecclesiae consituunt . . . . praesentes . . . . semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri . . . . secus irritum et inane decernimus.“

In toto igitur bullae tenore nec verbum quidem excidit de istiusmodi duplici voto favore praepositi. Tamquam abusivum itaque atque irritum jus istud habendum esse videretur, prout nullum irritumque evadit, quidquid contra bullae ordinationes fiat.

Praepositus autem ad jus, quod sibi adstruit comprobandum consuetudine innititur. Recolit imprimis ex capitularibus actis, uti constat ex libris in archivio servatis, palam fieri praepositum ab anno 1789 seu septem post annos ab erectione collegiatae, ad haec usque tempora, duplex suffragium semper tulisse, canonicos autem unum.

Addit insuper, quod quamvis non satis manifeste idipsum appareat quoad primos septem annos, attamen nec contrarium id temporis unquam evenisse eruitur. Quam consuetudinem nunquam interruptam per spatium septuaginta sex annorum confirmat etiam testimonio Cajetani Loffredo

olim ejusdem collegiatae canonici, qui de facto proprio deponit, „per 22 annos, quibus ipse canonicus collegiatae fuerit, praepositum in omnibus resolutionibus capitularibus dua vota dedisse.“

Addit pariter, quod nunquam in contrarium reclamatum est, nec ab ipsis canonicis. Immo ipsis suasoribus duplex votum hodiernus praepositus emisit prima vice, qua anno 1835 capitulo interfuit. Ita ipse: „Ignorans talem consuetudinem ab istis incitatus sum, ut dua vota emitterem.“ Quod quidem a canonicis, qui modo reclamare non dubitarunt, non denegatur. Adducit tandem hanc eamdem consuetudinem immemorabilem, et pariter non interruptam de hujusmodi privilegio duplicis suffragii, vigere etiam in capitulo ecclesiae cathedralis ejusdem civitatis, favore archipresbyteri, contra quam perperam postremis hisce annis quidam e canonicis reclamarunt.

Servetur consuetudo.

440. Terracinen.

Die 27. Julii 1839.

In comitiis diei 2. Junii 1838 acriter dimicatum est distributis hinc inde allegationibus inter capitulum Terracinense et ejusdem archipresbyterum super jure eligendi procuratorem et nonnulla funerum emolumenta percipiendi. Cum ex S. Congregationis resolutionibus ac stylo a parte victa victrici non reficiantur expensae, hinc ab archipresbytero quamvis in omnibus victor ab arena discesserit, persolvendae sunt expensae sui procuratoris, advocati et allegationis in scutat. 259, quibus solvendis impar omnino est, cum praebendae reditus ex massa communi proficiscentes vix scut. 65 attingant, ita ut, si ad eas solvendas adigeretur, nihil ex praebenda perciperet per quatuor annos. Cum igitur litem sustinuerit ad tuenda nedum sua, sed successorum jura (prout sacramenti religione tenebatur) nec sejuncta fruatur praebenda, quae censu onerari possit, petit, ut detur facultas constituendi censum super massa capitulari ad solvendas expensas litis tam a canonicis quam ab archipresbytero actae et ut, cum unusquisque ex undecim canonicis et archipresbyter praeter missam conventualem quotidianam per turnum celebrandam teneantur ad alias 60 missas annuas pro benefactoribus et ad 30 missas in adimplementum diversorum legatorum piorum, istae 60 missae annuae pro benefactoribus ad 30 missas reducantur ad tot annos, quot sufficiunt, ut computato missae stipendio ordinario obolorum 15 summa expensarum litis attingatur. — Obstant precibus canonici, qui sartam tectam S. Ordinis praxim servari poscunt de expensis litis non reficiendis; at favet Episcopus, qui animadvertens primum in literis datis sub die 16. Februarii anni volventis durum ex una parte esse, archipresbyterum tot expensis onerari ex momentis adamussim per eum adductis, ex altera vero S. Ordinis disciplinam perspiciens, unam sibi superesse viam pandebat, nimirum imponendi censum super bonis capituli ad effectum satisfaciendi pecunia inde accepta expensis supra memoratis, ea tamen lege ut fructus a procuratore capituli pro tempore super quota archipresbytero pariter pro tempore debita persolvantur itemque ut quotannis summa aliqua non minor decem scutatis deponatur pro census exstinctione.“ Mox vero idem Episcopus sub die 1. Junii alias dedit literas, quibus archipresbyteri votis propius accedens censum uni-

verso capitulo imponendum probabat addita lege, ut solutis fructibus aliqua summa non minor duodecim scutatis quotannis deponatur pro census redemptione; immo si fieri posset, utile videretur plures census imponere sicque eos successive redimere.

Attentis peculiaribus circumstantiis pro facultate arbitrio et conscientia Episcopi imponendi censum passivum in summa scut. 259 super bonis capituli minori, quo fieri poterit, interusurio ex massa totius capituli persolvendo et onere annuam quotam scutorum 10 ex eadem massa deponendi usque ad integram census exstinctionem sub poenis contra alienantes bona ecclesiae latis, docto (sc. Episcopo de solutione quotae annuae.).

PARS V.

DE REBUS PAROCHIALIBUS.

I. DE ERECTIONE, DISMEMBRATIONE ET UNIONE PAROCHIARUM.

441. Aversana.

Die 18. Septembris 1824.

Hominum millibus sexdecim floret Aversana civitas, in novem paroecias distributa, inter quas paroecia S. Joannis Baptistae in Savignano sex et amplius incolarum millia complectitur; unde gravis exoritur difficultas spiritualibus ipsorum indigentiis opitulandi. Exstat et ecclesia parochialis S. Joannis Apostoli, quae mille tantum parochianos numerans a tribus rectoribus gubernatur, et quae ita reditibus abundat, ut rectorum singuli non solum integram congruam consequerentur, si reditus inter ipsos aequaliter distribuerentur, sed illam longe superarent: ex inaequali autem distributione jurgia et contentiones oriuntur, quae in vulgus prodeunt, et scandalum civibus ingerunt.

His malis occurrere satagens Episcopus ab hac Sac. Congregatione facultatem implorat paroeciam S. Joannis Baptistae dismembrandi, duasque novas paroecias erigendi, cum et ecclesiae et dotes necessariae praesto sint; quae novae paroeciae a duobus parochis gubernentur ab ecclesia S. Joannis Apostoli una cum redituum parte avocandis, ut haec deinceps uni tantum pareat rectori. In hac vero erectione et circumscriptione paroeciarum levioris momenti mutationis inducerentur in limitrophis paroeciis S. Audeni, quae partem longinquam amitteret, vicinioremque consequeretur; et SS. Philippi et Jacobi, quae proprios fines aliquantulum ampliaret:

Rogavi de more eumdem Episcopum, qui auditis interesse habentibus haec retulit:

„1. Oeconomus curatus approbatus in concursu pro collatione paroeciae vacantis dismembrandae habito, nempe S. Joannis Baptistae, consensum praestitit.

2. Parochus S. Audeni ex justis causis se consensum denegare respondit; quales sint rationes, non indicavit, forsitan, quia irrationabiles sunt.

3. Parochus SS. Philippi et Jacobi consentit.

4. Duo ex tribus parochis S. Joannis dixerunt, dismembratione paroeciarum onus sustentationis ecclesiae et curae animarum aggravari; tertius dictam divisionem ad salutem animarum conducere confessus est. Episcopi relationi subscribit promotor fiscalis inanesque exceptiones a dissentientibus prolatas nullo in pretio habendas concludit. Nuper autem novis datis literis monuit Episcopus, in paroecia S. Joannis Baptistae nunc ex tribus parochis

illum solum remanere, qui consensum divisioni praestiterat, cum aliorum duorum alter ad aliam paroeciam, alter in vitam aeternam transierit.“

Tridentina Synodus sess. 21. cap. 4. de reform. expresse statuit, quod „in iis (paroeciis,) in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitis rectoribus (Episcopi) juxta formam constitutionis Alexandri III. quae incipit Ad audientiam, constituere possint.“ In Alexandrina vero constitutione sancitum legitur, quod in nova erigenda parochia „competens honor pro facultate loci matrici servetur.“ Quae autem difficultates, quae causae novam erectionem paroeciae promereantur, prudenti arbitrio judicis, idest Episcopi, communiter relinquitur. Plurimi caeteroquin est faciendus consensus parochi, cujus paroecia dismembratur.

In eadem Trid. Synodo sess. 24. cap. 13. de reform. Episcopis mandatur, ut pro tutiori animarum salute unicuique paroeciae suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo sacramenta licite suscipiant.“ Constans autem praxis apud Sac. Congregationem invaluit prohibendi, ne plures parochi unam tantum regant ecclesiam.

Cum assensum praestiterit parochus, de cujus paroecia dismembranda est sermo; cum nullae sint, nec esse amplius possint querelae duorum parochorum, qui ad novas paroecias erant transferendi: cum denique nulla sit habenda ratio injusti dissensus parochi S. Audeni, qui causas dissentiendi silentio premit; precibus annuendum arbitrarer.

Pro gratia juxta votum Episcopi, servato aliquo honoris signo favore matricis ecclesiae S. Joannis Baptistae, arbitrio ipsius Episcopi, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

442. Urbanien.

Die 2. Augusti 1823.

Exstant in territorio oppidi Saxicorbari dioecesis Urbaniensis duae finitimae rurales paroeciae, altera S. Sophiae di Monte Locco familiis decem et octo hac illac dispersis constans, altera S. Mariae in Valle di Soto sex tantum domunculas villicorum intra suos fines numerans; harum ecclesiae inter se distant mille circiter et quingentos passus et utriusque paroeciae populus animas 150 attingit. Reditus earum, comprehensis incertis stolae, adeo tenues sunt, ut, secuta vacatione, inutiliter indictus fuerit concursus nec reperiri potuerint sacerdotes, qui ad eas regendas se offerrent, dum vitam duxit postremo defunctus Antistes Leonini, qui tempore s. visitationis anno 1818 expletae, ne praedictae paroeciae diutius suo remanerent viduatae pastore, illas univit, servatis omnibus de jure servandis, ac obtento consensu capituli collegiatae Saxicorbari, ad quod spectat nominatio vicarii perpetui S. Sophiae, et cui reservavit jus rectorem alternis vicibus praesentandi. Decrevit praeterea idem Episcopus, ut in loco medio ex caementis existentium parochialium ecclesiarum nova ecclesia ad utriusque populi commodum construeretur. — Verum decessit Episcopus Leonini, antequam paroeciarum unionem executioni mandaret: quae ut omnino perficeretur, et, si quid deesset, ab hac S. Congr. suppleretur, preces obtulit hodiernus Vicarius Apostolicus, quae die 23. Nov. elapsi anni 1822 dimissae fuerunt rescripto: „Exspectetur novus Episcopus“ Aliquot elapsis mensibus, id ipsum exoravit fiscalis promotor Urbaniensis curiae; et Vicarius Apostolicus pro

informatione et voto requisitus, duplicem ob causam unionem paroeciarum probandam esse respondit. Altera est defectus redituum, qui ad congruam sufficiant duorum rectorum: nam „supportatis (inquit) omnibus oneribus, et incertis stolae comprehensis, quae ferme nihili aestimantur, summam scutorum sexaginta non excedunt (reditus paroeciae S. Sophiae). Pari modo alterius S. Mariae vix scuta quinquaginta pertingunt. Si sacerdos unus utroque patrimonio fruatur, ex altari vivet, cui inservit; si inter duos dividatur, ab altero esuriendum, ab altero mendicandum: hinc nullus exstitit, qui tam misero stipendio militare voluerit. Prima paroecia nunc animabus octoginta, secunda vero septuaginta constat.“ Alteram vero causam elicit ex infelici statu ecclesiae parochialis S. Sophiae, quae in solo fragilissimo fundata, et pluribus ab hinc annis fatiscens, vel vetustate, vel natura soli ex parte diruta est et derelicta, nec amplius ad reparationem apta: altera (nempe S. Mariae) valde angusta est, atque opportunissimum foret, ut vel ex utriusque ecclesiae caementis in firmiori situ, et loco dicto Cabraccio, vel alio commodiori, nova ecclesia parochialis erigeretur, vel pro populi numero ampliaretur.

„Alia media (prosequitur Vicarius Apostolicus) pro supplenda tenuitate congruae, et huic malo succurrendi non suppetunt, cum miseriis, quae in montibus facilius inhabitant, illarum parochiarum incolae valde pergraventur.“ Denique addit: „Si fines metiantur utriusque parochiae, non modo conterminae sunt, sed quasi consertae, nec majorem vel longitudinem vel latitudinem habent duorum millium passuum: nullo dividuntur aut torrente aut flumine, et licet sitae inter aspera montium, possunt incolae huc et illuc e suis tuguriolis, in unum ad ecclesiam statutis diebus convenire.“

Rogatus deinde idem Vicarius Apostolicus de iis, quae ad novae ecclesiae aedificationem pertinent, retulit, ad domum parochialem reparandam, et ad fabricam novae ecclesiae impendenda esse scuta 716; caementa vero ecclesiae S. Sophiae aestimari scutis 31. 50. Adesse insuper alia scuta 200 ex quinquennali paroeciarum administratione collecta; his accedere, quod parochiani gratuitam operam discrete per vices praestare non recusant: unde concludit: „Si designatus parochus, qui zelo domus Dei sit accensus, aliquid certum per decem ad quindecim annos, vel saltem quod est supra congruam contribuet . . . spatio non multorum annorum ecclesia decora in loco habitantibus omnibus opportuniore consurget, interim divina officia, ut nunc, peragentur in ecclesia Sanctae Mariae.“

Parochiani autem, seu potius praediorum, quae a parochianis coluntur, proprietarii in unum congregati consuerunt, primum esse constituendum parochum, deinde ad constructionem ecclesiae parochialis domusque parochi progrediendum; in tale opus erogari posse pecuniam paroeciis vacantibus collectam et 15 sc. quae novus parochus per 10 vel 15 annos dare debeat et parochianos subsidia et operam gratuitam pro viribus esse praestituros.

Profecto ad duos sustendandos parochos tenues admodum videntur reditus paroeciarum S. Sophiae ac S. Mariae Saxicorbari, quoniam altera paroecia reddit annua scuta 60, altera quinquaginta; si vero utraque summa uniatur, et juxta SS. Concil. Trid. sess. 24. cap. 13 de reform., et constit. s. m. Pii V. incipien. Ad exequendam, metienda sit congrua, ad unum tantummodo parochum honeste alendum sufficiet. Paupertati paroeciarum accedit, quod ecclesia S. Sophiae, jam pene diruta, in loco minus apto reparationi sita sit, neque media vel ad augendos reditus, vel ad restaurandam ipsam ecclesiam inveniuntur sive ver aliorum beneficiorum unionem, quae nulla designantur a Vicario Apostolico, licet expresse requisito, sive per collectam parochianis imponendam; quoniam suis laboribus vix quotidia-

num victum quaeritant. Censerem itaque, confirmandam paroeciarum unionem decretam ab Episcopo Leonini, utpote juri conformem, ad cujus tramites uniri valent ob tenuitatem redituum et destructam ecclesiam, beneficia curata, quae contermina sunt, praesertim ubi pauci in una paroecia, paucique de populo in alia commorentur, prout in themate contingit, Concil. Trid. sess. 21. cap. 5. de reformat., et Sac. Congregatio in Nepesina Unionis 15. Martii 1783. §. Justa autem.

Probanda vero est reservatio ab Episcopo facta favore capituli collegiatae Saxicorbari juris praesentandi alternative parochum post unionem parochiarum. Capitulo enim habitualem curam paroeciae S. Sophiae confirmavit haec Sac. Congregatio in Urbanien. 11. Decembris 1784, lege adjecta deputandi vicarium curatum cum onere residentiae. Hinc de cura, non de jurepatronatus agitur, ideoque locum sibi minime vindicat regula, quod per beneficiorum unionem, et ob non factam ecclesiae reparationem juspatronatus amittatur.

Quod vero ad novae ecclesiae in loco utrique plebi accommodato constructionem, permulta sunt, quae illam decernendam suadent. Plurimi siquidem faciendum est populi commodum; accedit in themate necessitas ampliandae ecclesiae, ut possit utramque plebem recipere. Consulendum vero decori domus Dei, cum exstans parochialis ecclesia indecora et angusta renuncietur. Media denique non deficiunt, a pietate fidelium praecipue provenientia. Parochiani enim et eorum praesertim domini manum praebere adjutricem non recusant; quorum idcirco videtur non despicienda voluntas exspectandi novum parochum pro designando loco ecclesiae construendae, atque ut de opere et pecunia praestanda cum ipso conveniant, et obligationem in forma juris valida emittant. Sacri namque canones plurimum solent laicis indulgere, ut ad opera pietatis alliciantur.

Pro gratia unionis; et interim Vic. Apostolicus deputet vicarium curatum cum emolumento scut. 90, nec non obtenta obligatione parochianorum et possidentium in forma juris valida, proponat media aedificandae quam citius ecclesiae, tam ex pecuniis depositis, quam ex superexstantibus reditibus paroeciarum, et notificetur ministris Datariae Apostolicae.

Graviter aegrotante Sanctissimo D. N. Pio PP. VII., cum Sacrae Congregationi opportunae facultates ab eodem fuerint indultae, die 4. ejusd. mensis Augusti editum est rescriptum: „Vigore facultatum a Sanctissimo tributarum expediatur in forma.“

443. Castri Maris.

Die 17. Decembris 1825.

Paroecias di Fuscolo, nec non di Depugliano in civitate Literarum, ecclesiae olim cathedrali, nunc collegiatae univit anno 1811 Episcopus de Turri, et parochum in collegiata ecclesia constituit: cum vero expertus fuerit, ita animarum curae non satis esse consultum, ecclesias deinde praedictarum paroeciarum collegiatae succursales esse voluit Defuncto nuper ejusdem collegiatae parocho, Episcopus Castri Maris, ad cujus dioecesim civitas Literarum nunc pertinet, ab hac Sac. Congregatione implorat, ut memoratas paroecias in pristinum statum restituere, habitualem tamen curam populi prope collegiatam degentis capitulo tribuere valeat, exercendam per vicarium inter canonicos quolibet triennio ab Episcopo pro tempore eligendum.

Preces de more ad eumdem Episcopum remisi, ut audito capitulo referret de praecisa distantia utriusque ecclesiae succursalis rursus in paroeciam erigendae; de numero animarum, tam iisdem, quam collegiatae subjiciendarum, et cur non magis expediat, ut cura animarum in collegiata per vicarium, non post triennium amovibilem, sed perpetuum exerceatur. Episcopus autem ita rem omnem, et animi sui sensum aperuit:

„Civitas Literarum ex pluribus partibus plus minusve usque ad 300 passus inter se distantibus constat; altera, nominata „la piazza“, ubi ecclesia collegiata exstat, 60 tantum personas continet, in altera, Fuscolo, ubi antea erat paroecia, 400 circiter habitantes numerantur; tertiae denique, Depugliano, quae etiam antea parochum proprium habebat, habitantes ad 500 ascendunt. Episcopus della Torre has duas paroecias supprimere et cum cathedrali unire voluit, sed convictus necessitate curati ibi residentis paroecias in succursales commutavit. Sed institutio hujusmodi curatorum amovibilium malos, qui exspectari poterant, effectus produxit, ad quos evitandos restitutionem antiquarum paroeciarum necessariam existimo, eo magis, quia votum urgentissimum populi accedit et sufficientes adsunt reditus. — Capitulum unanimiter consensum praestitit. — Ut deinde in perpetuum cura habitualis capitulo assignetur, requiritur ob parvum sacerdotum numerum et ad evitanda scandala ex discordia inter parochum et capitulum saepius exorta et ad instruendam istam ecclesiam reditibus necessariis. Denique opportunum esse censeo, ut ad exercendam curam tertio quoque anno ab Episcopo canonicus ex tribus a capitulo propositis eligatur, cum aetate provecta vel alias ob causas facile aliquis tali muneri minus idoneus evadat.“

Ecclesiae di Fusculo, itemque di Depugliano parochiales erant, et anno 1811 ecclesiae cathedrali, nunc collegiatae, fuere unitae, eo nempe tempore, quo Episcopus, fortasse invitus, paroeciarum numerum imminuere debuit. Caeterum illas succursales deinde constituit; ideoque utilitatem, imo necessitatem patefecit, de qua nunc aperte testatur hodiernus Episcopus. Justa igitur adest causa, ut Episcopi petitioni sit annuendum, Rota in recent. part. 3. Dec. 68. num. 45, part. 7. Dec. 68. num. 9, part. 11. Dec. 224. num. 4, et part. 19. tom. 2. Dec. 578. num. 1. et 7. Praesertim cum collegiatae capitulum suum praebuerit assensum, cum sufficientes reditus non desint parochis assignandi; cum denique concurrat votum urgentissimum populi: quae omnia et utilitatem, et necessitatem redintegrationis paroeciarum confirmant.

Quoad collegiatam vero nihil obest, quominus habitualis cura adscribatur capitulo; ac reapse complura sunt et collegiatarum et cathedralium capitula, penes quae habitualis manet animarum cura: minime tamen probandum, ut actualis per canonicum vicarium quolibet triennio amovibilem exerceatur. Tridentina enim Synodus sess. 24. cap. 13. in fin. jubet Episcopis, „ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant.“ Vicarios autem curatos amovibiles constitui vetuit S. Pius V. sua celebri constitutione Ad exequendum, qua etiam congruam vicariis perpetuis assignandam taxavit, Sac. Congreg. in Tudertina 27. Aprilis 1822, in Praenestina, Administrationis sacramentorum 22. Februarii 1823. §. Plura, in Cingulana, Jurium parochialium 14. Junii 1823. §. Tridentina, et in Aesina, Reductionis, et absolutionis 21. Februarii 1824. Ipse demum hodiernus Episcopus Castri Maris de indicatis olim paroeciis, nunc succursalibus fatetur, institutionem curatorum amovibilium malos produxisse effectus,

adeo ut non facile intelligatur, quomodo deinde optare possit, ut in ecclesia collegiata vicarius quovis triennio amovibilis constituatur.

Quoad redintegrationem paroeciarum di Fusculo et di Depugliano pro gratia juxta votum Episcopi: quoad collegiatam vero pro gratia, deputato vicario perpetuo pro exercitio curae animarum ad formam SS. Conc. Trid. et const. S. Pii V. Ad exequendum.

444. Montis Alti.

Die 24. Novembris 1827.

In Apennini declivio terra exsurgit Montis Monachi, quam caput appellant finitimarum villarum. Hujus terrae spiritualem curam regit parochus Insulae S. Blasii, quae duobus milliariis et quingentis circiter passibus distat a Monte Monachi. Cumque difficiles sint viae et hiberno tempore nive dealbentur, nequit interdum parochus Montemonachium pergere et parochianis spiritualia subsidia ministrare. Capellanum sacerdotem illuc mittere consuevit parochus, sed ob tenuitatem stipendii et sacerdotum penuriam factum est, ut pluribus abhinc annis aut neminem invenerit aut sacerdotem, qui ad missam tantummodo celebrandam idoneus esset. Hisce malis occurrere cupiens demortuus Episcopus dismembrationem ac novae paroeciae erectionem in ecclesia S. Blasii Montis Monachi moliebatur, imo ab imperante Summo Pontifice bona suppressae confraternitatis B. M. V. a Monte Carmelo pro novi parochi dote obtinuit. Communitas quoque laetabunda pro novae paroeciae erectione summam scutatorum 300 opportunis a S. Congregatione Boni Regiminis facultatibus aucta se soluturam spopondit. Verum Episcopus morte praeoccupatus rem ad exitum perducere non potuit.

Opus incoeptum hodiernus perficere exoptat Antistes atque hanc ob causam preces obtulit S. Congregationi, quibus exposuit enixa vota communitatis Montis Monachi, ne diutius fideles spirituali pabulo careant. Parochus quoque „pro salute animarum desiderat, ut haec nova paroecia omnino independens reddatur et jam assensum praestitit pro separatione Insulae S. Blasii et villarum annexarum, se contentum declarat, si terra Montis Monachi cum tribus villis vicinis et supradicti fundi cum aliis, qui possent assignari ad suam congruam constituendam, sibi relinquerentur, omnibus bonis Insulae S. Blasii parocho nominando relictis.“

Hinc facultates postulat Episcopus novam erigendi paroeciam ac bona omnia, tum veteris paroeciae, tum suppressae confraternitatis nec non summam scutorum 300 a communitate Montis Monachi solvendam et scutata quinque supra septuaginta a Summo Pontifice dudum assignata pro congrua hodierni parochi ita inter veterem ac novum parochum dividendi, ut quisque mediam assequatur eorundem bonorum partem. Tandem petit, ut hodiernus parochus evadat rector novae paroeciae, quin examini aut concursui subjiciatur.

Rogatus idem Episcopus, ut referret de annuo reditu et oneribus bonorum tam suppressi sodalitii, quam paroeciae S. Blasii loci „dell Isola“ respondit annuos reditus „sodalitii del Carmine“ in dicto oppido suppressi ad summam pertingere scutor. 12. Illos vero paroeciae S. Blasii „all' Isola“ ad scut. 73 circiter evenire. Nulla sodalitii bona, utpote locata, reali onere seu dativa premuntur praeter quaedam missarum onera; bona vero praefatae paroeciae S. Blasii gravantur dumtaxat scut. 3. 55. pro vectigalibus et scut. 8 pro nonnullis expensis, quorum idcirco annuus reditus scutata 60 circiter

attingit praetor fructus scutor. 25 sortis principalis ab ipsomet parocho retentae. Tandem obtestor EE. VV., pergit Episcopus, ut parochum novae paroeciae S. Blasii intra moenia Montis Monachi erigendae ad distinctionem ruralis „all' Isola" plebani nomine insignire dignemini, ita ut plebanus ille, simplex iste parochus ad instar ceterorum vocetur.

Pro gratia juxta preces et votum Episcopi, ita tamen ut uterque rector parochus nuncupetur et nova erigenda paroecia in Monte Monacho per concursum conferatur, ad formam S. Concilii Trid. sess. 24. cap. 18 de ref.

445. Imolen.

Die 30. Januarii 1831.

Ante annum 1805 duodecim in civitate Imolae numerabantur ecclesiae parochiales, quarum nulla alteri subjiciebatur. At Vicarius Apostolicus peculiaribus facultatibus a Summo Pontifice donatus sub finem ejusdem anni, ut morem gereret Italico gubernio, novum ordinem constituit illius civitatis paroeciis. Hinc quatuor tantum designavit principales paroecias, quibus quatuor praeessent parochi, reliquas autem octo parochiales ecclesias nuncupavit vicarias, ita ut quaelibet paroecia binas sibi haberet subjectas vicarias curatas. Nihilominus tum parochis, tum vicariis propriam ecclesiam, populum ac praebendam tribuit eosque eadem auctoritate donavit et eisdem oneribus obstrictos voluit. In eo autem paroeciae a vicariis distabant, quod illae per concursum forent conferendae, his autem praeficerentur presbyteri ab Episcopo eligendi, quodque paroeciarum rectores parochiali sigillo uterentur et in ecclesiasticis functionibus vicarios praeeminentia praecederent. Usque dum Italicum stetit gubernium, ordinem ejusmodi servari opus fuit, at postea cum Pontificio regimine ecclesiae in pristinum statum restitui coeperunt. Initio autem cunctis vicariis parochiale sigillum donatum fuit. Dein cum duae vacassent vicariae, ad parochialium ecclesiarum gradum auctoritate Sedis Apostolicae ipsae evectae fuerunt ac nuper praevia unius alteriusque vacantis vicariae suppressione earundem populus hac annuente S. Congregatione unitus fuit ecclesiae cathedrali sub invocatione S. Cassiani. Cum itaque quatuor nunc supersint vicariae, ac res in eo versentur statu, ut neque antiquus neque recens Imolae habeatur paroeciarum ordo et conditio, idcirco Eminentissimus Episcopus supplicem Summo Pontifici obtulit libellum ac sibi facultatem tribui postulavit eas omnes ecclesias, quibus animarum cura adnexa est, declarandi paroecias ac etiam quatuor existentibus vicariis sublato vicarii nomine canonicam concedendi institutionem, „ita tamen, ut quisque rector praedictarum ecclesiarum praecedentia in sacris functionibus respective gaudeat habita ratione antiquioris possessionis suae ecclesiae, exceptis parocho S. Cassiani, cui praecedentia supra omnes convenit et parocho S. Nicolai, qui utpote regularis ex consuetudine semper postremum locum inter parochos hic tenuit." — Preces hujusmodi Eminentissimus Episcopus, cui de more dedi literas, notas fecit tum parochis, tum vicariis curatis, qui omnes, pergit Eminentissimus, consensum praestiterunt, si excipias parochum regularem S. Nicolai, qui praecedentiam ecclesiae attributam, dum a presbytero saeculari regebatur, aegre dimittit. Verum in restitutione paroeciae S. Nicolai ordini Praedicatorum jus praecedentiae non est concessum, imo sublatum, ut ex allegatis apprime elucescit; quocirca istum non esse audiendum censerem." Hujus rei seriem supplicemque Eminentissimi Episcopi libellum Sacratissimo

Principi Pio VIII., cum retulerim, die 11. hujus mensis, mandavit ipse, ut res juxta votum hujus S. O. definiretur. Igitur, ut Summi Pontificis mandata ea, qua par est veneratione exsequar, ab EE. VV. peto, an sit annuendum precibus Eminentissimi Episcopi Imolensis.

Affirmative in omnibus.

446. Mutilana. — Dismembrationis paroeciae.

Die 31. Martii 1855.

Episcopus recens institutae Mutilanae dioecesis exponit, in Mutilana civitate unam tantum exstare paroeciam, quae tam late jurisdictionem suam protrahit, ut praeter civitatem ipsam vicina etiam suburbia ac circumstans territorium torrente interjectum complectatur, quo fit, ut non sine magna difficultate et unus parochus omnium parochianorum indigentiis occurrere, et horum plerique ad ecclesiam accedere possint. Cui malo mederi cupiens supplex facultatem postulat duas ex una paroecias erigendi, cum altera ecclesia praesto sit, hac proposita separationis ratione, ut altera de novo erigenda paroecia animas 1347 in civitate, extra vero 643 numeraret; altera 1197 in civitate et 441 in suburbiis recensere posset. Addit paroeciam in praesens rectore destitui, et conspicuo scut. 1000 reditu potiri, quibus addenda scut. 60 quae ab Hetruriae gubernio ratione indemnitatis aedium quotannis persolvuntur. Antiquae enim prioratus aedes ab institutione dioecesis in domum episcopalem conversae sunt.

Supplici accepto libello, eumdem rogavi Episcopum, ut referret, cur non potius sit providendum populi necessitati ad tramites Conc. Trid. sess. 21. cap. 4. de reform., sin minus de vera dismembrationis necessitate, tum ut audito capitulo referret etiam de summa pro congrua utrique paroeciae assignanda, et utrum domus pro novo parocho adsit. Ipse autem retulit ad primum „omnes exstare rationes dismembrandi hanc paroeciam S. Stephani, et novam constituendi ad tramites Conc. Trid., quia adjungendo alios sacerdotes rectori ejusdem S. Stephani ecclesiae spirituali egestati tamen provisum non esset propter difficultatem magnam locorum et frigora et nives, quae tempore hiemali impediunt, quominus ab una in aliam civitatis partem parochiani se conferant, et tamen Apostolicum beneplacitum humiliter petii ad levamen conscientiae meae, et venerationem S. Apostolicae Sedis, quia in bulla Sanctissimi D. N. PP. Pii IX. de die 7. Julii 1850, quae incipit „Ex quo licet“ vigore cujus haec nova dioecesis instituebatur, de una paroecia sermo est tantum, et ego magnopere timebam ab illa recedere.“

Ad alterum vero, haec habet: „Capitulum hujus cathedralis ecclesiae per me auditum non tantum assensit, sed etiam favorem maximum praestitit animo meo de dismembratione paroeciae S. Stephani, et de omnibus quae ad hoc referuntur; idest de assignandis priori ejusdem cathedralis ecclesiae scut. circiter sexcentis, pariterque scut. circiter quadringentis rectori paroeciae noviter erigendae, sicuti etiam de assignandis utrique rectori triginta scutatis ex summa, quam solvit unoquoque anno Etruscum gubernium ratione indemnitatis aedium pro parocho priore: et habito respectu ad hanc civitatem haec summa satis est ad inveniendam commodam et decentem habitationem pro canonica utriusque.

Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 4 de reform. diserte cavit, ut Episcopi „in iis paroeciis in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta, et divina

officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus juxta formam constitutionis Alexandri III. quae incipit „Ad audientiam“ constituere possint“. Cum autem in jure statutum non sit, quanta esse debeat hujusmodi distantia ad hoc, ut censeatur parochianos non posse sine magno incommodo ad ecclesiam accedere, id judicis arbitrio relinquitur, ceu passim declaravit S. Congregatio, uti in Massanen. et Populoniae Dismembrationis paroeciae 9. Maji 1840. §. De distantia: ubi etiam advertitur, grave incommodum eo magis verificari, ubi asperitas viarum accedat, maxime in hieme imbribus vel nivibus impedientibus, Gonzalez com. ad cap. Ad audien. num. 4, Fagn. ibid. n. 1 et 2. Judex autem Episcopi arbitrio et prudentiae valde deferre debet in ejusmodi judicio, ceu probe monet Rebuff. in praxi benef. part. 1 de erect. in curat. et paroch., cui profecto locorum indoles et commissi gregis necessitas magis quam alteri cuilibet notissima merito censetur.

S. Congregatio rerum perpensis adjunctis paroeciarum dismembrationes aliquando probavit, uti in Segobricen. Dismembrationis 30. Januarii 1740, in Nolana, Parochialis 12. Februarii 1757 et in Fesulana Dismembr. et erect. paroeciae 30. Aprilis 1836; saepius vero denegavit, ceu in Anconitana, Dismembr. et Reintegr. 12. Februarii 1803, in Asculana Dismembr. 14. Januarii 1804, in Bononien. 30. Maji 1835, in quibus etsi de magna paroeciarum amplitudine, viarumque distantia ac difficultate constaret, maluit capellano curato providere, quam ad subsidiarium remedium devenire novae paroeciae suscitandae.

In casu capitulum, quod vacante paroecia unice interesse haberet, assensum praestitit, ac competens ex fructibus ecclesiae matricis portio novo assignatur parocho. Nihilominus erit EE. VV. perpendere, an expositae causae ejusmodi sint, ut dismembrationis necessitatem suadeant, vel expediat potius capellanum curatum deputare, licet hoc remedium, ex Concilio Trid. cit. cap. 4. sess. 21 proprie adhibendum sit, cum populus ita sit numerosus, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo.

Ceterum dismembratione admissa aliquod honoris signum favore ecclesiae matricis servandum erit, juxta praescriptum cit. constitutionis Alexandrinae cap. Ad audientiam de eccl. aedif., quod tamen Episcopi arbitrio moderandum relinquitur, juxta Fagnan. ad cit. caput num. 8 et Monacell. formul. pract. etc. tom. 2. num. 12 et seqq.

Pro gratia juxta petita servato aliquo honoris signo favore matricis ecclesiae arbitrio Episcopi; facto verbo cum Sanctissimo.

447. Oppiden. — Dismembrationis paroeciae.

Die 20. Decembris 1856.

Quatuor circiter passuum millibus, aspero ac torrente interjecto itinere, a paroeciali ecclesia S. Nicolai extra moenia civitatis Oppidi, cui subest, distat pagus Piminoro, quingentum et amplius incolis frequens, ubi capellanus seu oeconomus curatus residet ac parochi vices gerit. Cum vero ob aeris salubritatem ac fertilitatem soli incolarum numerus augeatur in dies, qui agrorum cultioni dediti per circumpositos colles hac illac dispersi morantur, hinc experientia compertum est, unius capellani curati ministerium impar esse, ut spirituali illorum bono et curae rite prospiciatur. Quod qui-

dem cum probe nosset Episcopus, et incolarum votis ac necessitatibus satisfacere cuperet, e re sua duxit penes S. hunc Ordinem instare, ut sibi liceat pagum Piminoro a veteri paroecia dismembrare, novamque ibi erigere, atque ita actualem ejus oeconomum, assumpto archipresbyteri titulo, verum parochum constituere, eique alterum sacerdotem coadjutorem adjungere.

Exponit autem in praesentiarum oeconomum curatum octoginta ducatos pro decenti sua exhibitione, ac viginti pro ecclesiae cultu a loci beneficentia annuatim percipere; demptis vero expensis sexaginta ferme ducatos eidem superesse comprehensis incertis utriusque stolae. Cum praeterea actualis oeconomus capellaniam possideat in altera vicina paroecia loci Lubrici ubi praeter parochum alii sex adsunt capellani, hinc facile monet augeri posse novi archipresbyteri congruam et coadjutorem constitui, siquidem novae paroeciae perpetuo assignentur hujus capellaniae fundi ac reditus, qui computantur in annuis duc. 123. 50, ita tamen ut inhaerentia onera (quae pro omnibus capellaniis praeter nonnulla officia sunt missae lectae 400 et missa cum cantu singulis diebus festis solemnioribus) pro sua parte quoad missarum applicationem servata proportione archipresbyter in posterum adimpleat.

Parochus S. Nicolai et capellani loci Lubrici, pro eo quisque quod eorum interest, Episcopi petitioni libenter assensi sunt.

Licet odiosa sit in jure paroeciae dismembratio, justa tamen concurrente necessitatis vel utilitatis causa denegari non consuevit. Inter legitimas autem causas recenseri solent, quae in themate allegantur, augmentum nempe populi, distantia locorum, et viarum asperitas, Reiffenst. in lib. 3. decret. tit. 48. §. 2, Fagn. in cap. Ad audientiam, 3. de eccl. aedific., et passim S. Congr., ceu in Nolana 12. Februarii 1757; Fesulana 4. Jun. 1836 et Massanen. et Populoniae 22. Augusti 1840. Eoque magis concedenda videretur in casu, quod nullus se opponat, adsit consensus parochi ecclesiae matricis, et tandem precibus incolarum accedat votum ardentissimum Episcopi, cujus prudenti arbitrio plurimum hac in re deferendum esse docent Barbosa ad Conc. Trid. sess. 21. cap. 4. de ref. et Rebuff. in prax. benef. part. 1. de erect. in curat. et paroch. Accedit quod cum necessario secundus deputandus sit sacerdos, saluti spirituali fidelium melius provisum erit institutione archipresbyteri, qui eos proprio nomine regat, quam alterius oeconomi deputatione, prout censuit S. Congr. in Nolana praecitata.

Ubi probetur novae parochiae erectio, videant EE. VV. an probandus etiam sit modus prospiciendi congruae ab Episcopo propositus. Licet etiam juxta Trid. sess. 21. cap. 4. de ref. desumenda ea praecipiatur ex proventibus ecclesiae matricis, aut a fidelibus conferenda; nihilominus suppleri posse beneficii simplicis unione patet ex eodem Tridentino sess. 24. cap. 13. sess. 21. cap. 5. et docent Monacelli Formul. leg. 61. tit. 2. form. 2. num. 1. et Fagn. l. c. num. 33 et 34. Nec grave detrimentum cuipiam obventurum est ex capellaniae translatione ac unione; huic enim consentiunt ceteri capellani, qui unice interesse habent, liberae enim collationis capellaniae videntur, quisque eodem modo, quo antea varia officia in ecclesia Lubrici adimplere curabunt; et nec debitis suffragiis defraudari continget piorum fundatorum animas, quamvis missae juxta numerum ad translatam capellaniam spectantem alibi celebrentur.

Quoties vero EE. PP. Episcopi precibus annuendum esse censuerint, decernere etiam dignentur, utrum juxta receptam S. H. C. disciplinam, eccle-

siae matrici S. Nicolai competens aliquis honor servari debeat, cui locum esse docet Reclusius de erect. paroch. p. 1. tit. 3. num. 127, licet ecclesia noviter erecta ex reditibus antiquae nullatenus dotetur.

Pro gratia juxta petita, facto verbo cum Sanctissimo.

447. Asculana. — Dismembrationis et erectionis paroeciae.

Die 31. Martii 1860.

Exstant in dioecesi Asculana duo oppida Trisungo et Faete, quae constant mille circiter incolis, quaeque in spiritualibus a capellano, sub dependentia praepositurae S. Petri et plebaniae Sanctissimi Salvatoris civitatis Arquatae (modo suo rectore viduatis) reguntur. Distant oppida ab ecclesia paroeciali matrice bismille circiter passus, eoque, ob vias asperas sinuosas ac paeruptas, valde defficilis hiemali praesertim tempore patet accessus, ut adeo non sine valetudinis periculo infantes praesertim deferri ad parochialem ecclesiam possint pro baptismatis collatione, quam aliquando ad plures dies differri necesse est. Hinc ob expositas causas in votis perpetuo illorum oppidanorum fuit erigendi paroeciam in loco Trisungo ac proprium habendi parochum ibi residentem, cui pro congrua dotatione assignarentur decimae quae a praeposito S. Petri et a plebano Sanctissimi Salvatoris in praedictis oppidis percipiuntur, una cum annuo canone quem vocant „della canna S. Giovanni.“ Quorum votis nuper iteratis per petitionem, cui plusquam centum incolae subscripserunt, adhaerens Episcopus, supplicem huic S. Congregationi porrexit libellum, ut ad quaslibet difficultates, quae in posterum excitari possent, praecavendas suprema ejus auctoritate proposita dismembratio novaeque paroeciae erectio decerneretur ad reddendum cultum istius ecclesiae splendidiorem et magis regularem, praesertim cum talis dismembratio praebendis parochialibus S. Petri et SS. Salvatoris, non parvis reditibus praeditis, magnum detrimentum inferre non possit.

Episcopus rogatus, ut magis praecise referret de annuo reditu et oneribus utriusque paroeciae in apposita notula describendis cum respectivis titulis seu capitibus, hujusmodi notulam accurate confectam transmisit, una cum litteris in quibus de plebaniis S. Petri et SS. Salvatoris testatur: „Prima habet annuos reditus scut. Roman. 141. 50, computatis sc. 48 ex decimis frumenti profluentibus; alterius reditus ad sc. 194. 77. ascendunt, computatis pariter sc. 52 decimarum. Si decimae indicatae utriusque paroeciae novo parocho locorum Trisungo et Faete attribuerentur, parocho S. Petri remanerent annua scut. 150. 50, cum non amplius solvendae essent scut. 12 pro capellanis loci Piedilama et loci Trisungo et parocho SS. Salvatoris remanerent sc. 150. 77. computatis 8 scut. capellano loci Trisungo non amplius solvendis. Ad aequandos, quantum fieri potest, reditus, annuus canon „della canna S. Giovanni“ in scut. 40 nunc ad parochum SS. Salvatoris pertinens inter parochum S. Petri et plebanum SS. Salvatoris dividi sic posset, ut hic annua sc. 130. 77, ille 125. 50 haberet.“

Post haec in novis suis literis novam quaestionem EE. PP. judicio Episcopus subjicit per haec verba: „Ut parochi civitatis Arquatae habeant onus aequale circa curam animarum, ratione etiam habita locorum situs et viarum asperitatis et quia ecclesia SS. Salvatoris ruinam minitans restitui non potest, propono, ut titulus SS. Salvatoris uniatur cum isto S. Petri et huic parocho assignentur civitas Arquata, loci Borgo, Camartina cum duabus domibus ecclesiae S. Petri contiguis, ut secunda paroecia transferatur

ad locum Pie di Lama pariter cum titulo S. Petri eique subjiciatur locus ipse, ut denique remaneant tertio parocho, uti jam indicatum supra est, loci Trisungo et Faete."

Neminem latet Concilium Tridentinum, sess. 21. c. 4. de reformatione, expresse statuere, quod in iis paroeciis, „in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus, (Episcopi) juxta formam constitutionis Alexandri III. quae incipit, Ad audientiam, constituere possint." In citata autem constitutione sancitum legitur, ut in nova erigenda parochia, competens honor, pro facultate loci, matrici ecclesiae servetur." Porro ut ad eamdem constitutionem notat Fagnanus „requiritur ad erectionem novae parochiae, ut citetur rector matricis ecclesiae: nam etsi erectio fieri possit etiam ipso invito, tamen non potest fieri nisi eodem citato et requisito"; ut in cap. Multis consiliis, et cap. Felix, et cap. seq. 16. quaest. 1, et tenet glos. fin. in cap. Nulli 2. distinct. 99 et Lap. alleg. 66. n. 3. vers. Debet tamen requiri.

Jam vero quod spectat ad causas a Concilio requisitas, Episcopus Asculanus tum distantiam et difficultatem viarum, tum incommodum parochianorum ad sacramenta percipienda in litteris suis allegat. Et quamvis plebaniae S. Petri et SS. Salvatoris impraesentiarum praepositis careant, ita ut rector ecclesiae matricis citari nequeat, attamen ex petitione ab incolis Trisungo et Faete porrecta sat colligitur, consensum horum praepositorum antea jam requisitum fuisse, licet illum dare recusaverint. Perpendenda etiam praxis S. Congregationis, quam perpetuo secuta est, cum de novis erigendis paroeciis agitur, ut nimirum ad praescriptum cit. constitutionis Alexandri III. incip. Ad Audientiam aliquod honoris, subjectionis ac obsequii signum veteri ecclesiae ab nova paroecia praestandum decernatur. Quod quidem vel in annuo canone, vel in censu, vel etiam in uno cereo matrici ecclesiae quotannis offerendo aliquando praefinitum fuit, ceu in Anglonen. 20. Dec. 1704 vel tandem arbitrio Episcopi statuendum non semel relictum fuit, ceu in Fesulana Dismembrationis et erectionis paroeciae 30. Aprilis 1836. Itaque erit EE. PP. definire, an et quomodo locus sit dismembrationi et erectioni novae parochiae, et utrum probandus sit modus prospiciendi illius congruae ab Episcopo propositus.

Quoad quaestionem subsidiariam, quam movet Episcopus in ultimis suis litteris, de translatione ecclesiarum disponit S. Concilium Tridentinum, sess. 21. cap, 7. de reform. Unde translationes paroeciarum ab hac S. Congregatione conceduntur, quando scilicet justa concurrit utilitatis vel necessitatis causa, ut videre est in Brictinoriensi, Translationis ecclesiae parochialis 14. Dec. 1782, et in Amerina, Translationis 8. Maji 1706 ibidem citata. Jamvero cum fabricam S. Salvatoris fatiscentem declaret Episcopus, nec ullum suppetat reparationis medium, videant EE. PP. an et quomodo in casu precibus ejusdem Episcopi sit annuendum.

Pro approbatione dismembrationis ac erectionis novae paroeciae juxta votum Episcopi, praestita tamen a novo parocho quotannis in festo s. titularis favore praepositurae S. Petri et plebaniae Sanctissimi Salvatoris oblatione unius librae cerae elaboratae in signum matricitatis, necnon translationis utriusque paroeciae juxta petita.

449. Neten. — Unionis beneficiorum parochialium.

Die 18. Aprilis 1863.

Archipresbyter Carmelus Maltese parochus matricis ecclesiae S. Matthaei Apost. et Evang. loci Scicli Netensis dioecesis in Sicilia supplici libello exposuit, adesse in dicto loco Scicli praeter matricem paroeciam S. Matthaei, aliam etiam paroeciam nuncupatam S. Maria la Piazza liberae collationis Ordinarii Neten., praevio tamen concursu ad formam Tridentinae legis. Haec vero paroecia S. Maria la Piazza ex causa terraemotus disjuncta ab ecclesia matrice S. Matthaei, quae separata manet in disrupto monte et extra communem oppidanorum habitationem, a tribus annis a die nempe 9. Sept. 1861, qua praevio concursu Orator archipresbyter renunciatus fuit parochus matricis ecclesiae S. Matthaei, suo pastore vacans reperitur, et licet Episcopus consueto indicto concursu ut eligeretur parochus curaverit, minime tamen optatum effectum consecutus est, cum duo, qui se experimento exhibuerunt, inhabiles ad parochi munus suscipiendum declarati fuerint. Ceterum nec probabilitas adest, ut aliquis e clero Scicli ad vacantem paroeciam eligi cupiat, eo quod quatuor existentibus eo in oppido collegiatis, omnes ecclesiastici canonicatu gaudent, cujus reditus majores illis sunt, quos paroecia S. Mariae deductis oneribus redderet. Cum ergo ecclesia S. Matthaei in summitate ardui montis extra oppidum sita sit, et ecclesia S. Mariae in medio maneat 10 mille illius oppidi incolarum, hinc ex necessitate majores functiones in hac ecclesia peraguntur. Propterea parochus ecclesiae matricis rogat, ut saltem durante vita Oratoris, duae istae paroeciae uniantur, ita ut utrique remaneant jurisdictio, onera et praerogativa separata ad instar loci Neten., in quo 14000 animae reguntur ab uno parocho et quinque capellanis curatis.

Hujusmodi preces, prout opus erat, ad Episcopum pro informatione et voto ablegatae fuerunt, eidemque mandatum est, ut referret de annuo reditu, oneribus ac numero animarum utriusque paroeciae, comprehensis incertis utriusque stolae, et de vera necessitate seu evidenti utilitate propositae unionis doceret. Quibus prout referam, literis 21. Februarii huj. anni satisfecit Episcopus.

Jam ab initio suarum literarum praemonet Netensis Antistes preces archipresbyteri veritati probe consonas esse, eumdemque maxime commendat veluti ecclesiasticum virum qualitatibus omnibus praeditum parocho necessariis. Quoad alia vero a Sacra Congregatione requisita ita sese expedit: „Annui reditus vacantis paroeciae ascendunt ad unc. 50, detractis oneribus restant unc. 26 et tar. 18; reditus ecclesiae matricis ascendunt ad unc. 66 et tar. 20, detractis oneribus restant unc. 29 et tar. 14. Fructus incerti ad minimum reducti sunt abolitione quartae funerariae et decimarum. Jus tertii non laeditur, quia paroecia vacans meae liberae collationi subest, cui renuncio favore parochi Maltese, quia non potui reperire personam idoneam, et quia hoc modo facilius servitium fidelibus praestatur; quasi 10000 animae curae duarum paroeciarum subjectae sunt.“

Cum in themate archipresbyter postulet, ut duae proprie dictae paroeciae insimul uniantur, ita ut utrique remaneant jurisdictio, onera et praerogativa separata atque sibi liceat easdem retinere ad vitam, patet heic agi de unione aeque principaliter, et ad tempus facienda, quae nihil aliud operatur, nisi ut rector unius sit rector alterius, utroque interim beneficio in suo statu et honore permanente, sicut antea cum propriis suis reditibus et

privilegiis; Barbosa de off. et potest. Episc. p. 3 alleg. 66. num. 46. Archipresbyteri vero precibus Episcopus ipse consentit, qui juri suo super collatione vacantis paroeciae in favorem Oratoris et ad ipsius vitam renunciat. Atqui parochialium uniones utpote odiosas reprobatas conspicimus a Trid. Synodo sess. 24. c. 13, maxime si temporaneas et ad vitam postulantium, cum hoc secundo casu in utilitatem magis beneficiati, quam ecclesiae fieri videantur. Non facile propterea concedendas hujusmodi uniones tradit Sacra Congregatio in Florentina Unionis 18. Martii 1820, et in Lancianen. Unionis 11. Junii 1825, quia jure optimo, ut habet Conc Trid. sess. 14. c. 9. de reform., „distinctae fuerunt dioeceses et paroeciae, et unicuique gregi proprii attributi pastores . . . qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo ecclesiasticus non confundatur.

Attamen parochialium etiam ecclesiarum unionem justa intercedente causa a sacris canonibus probari docet textus in cap. Exposuisti 33. de praebendis, uti etiam in cap. Dudum 1. de reb. eccl. non alien. in 6. nec non et Concilium ipsum Trid. sess. 21. c. 5. de reform., Barbosa collect. doct. in Conc. Trid. sess. 7. cap. 6. de reform. num. 11; et alii communiter. Quae justa causa, ut in cit. cap. Exposuisti explicatur, ecclesiae utilitas et necessitas est. Absoluta porro necessitas in themate minime adesse videretur, cum non pauci sint clerici, qui in collegiatis deserviunt, ex quibus oeconomus saltem pro vacante paroecia eligi posset ab Ordinario. At de temporanea necessitate, de ea nempe quae ex actuali tenuitate redituum exsurgit dubitandum non superesset, cum ea praecise de causa paroecia S. Maria la Piazza a tribus annis ordinario suo rectore destituatur, nec spes sit, ut facile reperiatur aliquis, iisdem perdurantibus circumstantiis, quae in supplici libello expositae sunt, qui animarum curam in ea paroecia velit assumere, relicta ditiori provisione, qua gaudet in aliqua ex collegiatis illius oppidi. De utilitate tandem, quae in parochianos utriusque paroeciae ex petita unione redundaret, satis praecise agit Episcopus in suis literis, quas superius exhibui. Ceterum Episcopus archipresbyteri preces commendat, ut suum consequi valeant effectum, si Eminentiis Vestris visum fuerit pro unione rescribere.

Negative et Episcopus curet aliis remediis augmentum congruae parochialis S. Mariae.

450. Remen. — Parochialis.

Die 22. Junii 1850.

In civitate Sedan archidioecesis Remensis duo habentur parochi, quorum quisque propriam ecclesiam habebat, distinctamque animarum curam inibi exercebat At novem circiter abhinc annis, collabente una ex his duabus ecclesiis, illius parochus in alteram S. Caroli translatus est, ubi ex Archiepiscopi decreto una cum rectore parochiae S. Caroli curam exercet suorum parochianorum et sacramenta administrat, et unum tantummodo officium, missam scilicet, concionem, ceterasque parochiales functiones alternatim cum praefato rectore per dies dominicos pro omnibus peragit, indistincte utriusque parochiae fidelibus. Plura exinde incommoda pluresque abusus irrupisse lamentatur parochus S. Caroli, ita ut nec proprium oves pastorem agnoscant, nec translatus parochus longaevae parochi titularis 84 annorum aetati ac meritis unquam parcat, illius despectum et supplicationem confovens, nec deni-

que ex hac collisione juniores parochorum vicarii dependentiam servent ac subjectionem, et nequeant in officio contineri.

Haec gravato nimis animo ferens annosus S. Caroli parochus, hujusmodi scandalorum germina praecidere pertentavit, praesertim cum agatur de civitate, in qua plures cum catholicis permixtim degant heterodoxi, non semel ab Archiepiscopo petiit, ut alter parochus in ecclesiam ruralem, haud longe a civitate sejunctam, prout civilis etiam auctoritas offerebat, nova facta finium parochialium circumscriptione transferretur, donec antiqua reaedificaretur parochialis ecclesia, vel saltem proprias horas cuique parocho assignaret, quibus uterque officium et functiones parochiales in eadem ecclesia S. Caroli singulis diebus festis perageret, ut per hanc methodum et oves proprium pastorem, et pastor proprias oves agnosceret. Neutrum tamen adhuc praestante Archiepiscopo Sanctissimo preces porrexit, ut vel per alterius parochiae suppressionem unio favore propriae ecclesiae perficiatur, praesertim cum unus tantum parochus ex actuali Archiepiscopi dispositione utriusque parochiae necessitatibus sufficere videatur, vel alter parochus ad aliam transferatur ecclesiam, praevia nova animarum circumscriptione, ita ut propriae ecclesiae usus pacificus sibi ac privativus relinquatur.

Nuntius Apostolicus Parisiensis, qui supplicem parochi libellum transmisit, reddit in primis ejusdem parochi meritis testimonium in haec verba: „Parochus Orator inter Galliarum clerum maxima veneratione dignus est, quippe qui in ecclesiasticis et civilibus anni 1792 vicissitudinibus proscriptus, in exilium ejectus et acriter vexatus est. Praeterea a suis parochianis ob virtutes et scientiam valde amatur, quas ob causas jam ab iis, qui antea rerum publicarum gubernacula tenebant, sedes episcopales ipsi oblatae sunt, quas constanter recusavit.“ Referens deinde incommoda ab ipso parocho recitata, observat: „Celare non debeo, Archiepiscopum Remensem eadem incommoda cognoscere quidem, et minuere studere; sed cum auctoritates civiles et urbis et districtus proponant, ut altera parochia in ecclesiam ruralem ab urbe dissitam transferatur, ex quo in illa urbe non esset nisi una sola parochia ad detrimentum spirituale habitantium, Archiepiscopus praesentia incommoda ad tempus ferre mavult, ut ex habitantium querelis auctoritates civiles inducantur ad restituendam ecclesiam lapsam, et ita utraque paroecia conservetur;“ ac demum concludit: Sed quia ad reaedificationem ecclesiae necessario intervenire debent illae civiles auctoritates, tota res ut difficillima habenda est.“

Licet regulariter unaquaeque ecclesia, cui adnexa est cura animarum, suum peculiarem ac distinctum debeat habere rectorem juxta Trid. praescriptum sess. 24. cap. 13 de reform., ibi: Distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eos cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant; sicut enim unum corpus duo capita, ita una ecclesia non potest duos habere sponsos seu rectores (cap. 15 de praeb.) ea tamen est ss. canonum dispositio ut minime prohibeatur in una eademque materiali ecclesia duos haberi animarum rectores, id unum siquidem reprobatur, quod duo parochi jurisdictione aeque principali in unum gregem indivisum, seu mysticam ecclesiam auctoritatem exerceant. Plurium enim concursus (ait Card. de Luca de benef. lib. 12. disc. 49 num. 11.) ad idem dominium vel jus seu eamdem possessionem in jure prohibitus est, quando ab utroque praetenderetur in solidum, quo casu dicitur adesse incompatibilitas.“

Neque desunt exempla, quibus s. haec Congregatio hujusmodi methodum, justa intercedente causa, probaverit, uti factum est in Sutrina 3. Februarii 1787; ubi permisit, ut in oppido Triboniani duo diversi parochi in eadem ecclesia residerent, ibique curam super distinctum seperatumque gregem exercerent et sacramenta administrarent. Satis autem innuitur in altera Sutrina Missae pro populo 16. Jul. 1791, argumenta distincti gregis et separatae parochiae inde desumi, quod quisque parochus proprium habeat fontem baptismalem, ss. oleorum repositorium, libros parochiales, missam quisque pro populo celebret, concionem habeat, catechesim tradat, et sacramenta propriis ovibus administret.

Ex iis facile deprehenditur, haud esse reprobandum factum Archiepiscopi Remensis ex peculiaribus causis, quas Nuntius Apostolicus enumerat, ac proinde omnino rejiciendam parochi S Caroli petitionem. Suppressio enim alterius parochiae, quae semper et ubique habita est odiosissima, quippe quae in detrimentum vergit animarum maxime repudianda videtur in Gallia, ubi rariores sunt parochiae et stipendium singulis parochis a gubernio persolvitur; translatio autem proposita in ruralem ecclesiam, licet ss. canonum sanctioni minus adversa, sua tamen in specie praesertim habet incommoda cum animarum praejudicio, et ecclesiae collabentis restaurationem seu reaedificationem, quae temporis progressu, immutatis paulisper regni circumstantiis, non desperatur, haud amplius sperare licet.

Potius hinc perpendendum videtur, num sit Archiepiscopo suadenda horae distinctae assignatio cuilibet parocho, qua quisque et missam diebus festis celebret pro ovibus sibi concreditis, et concionem habeat, et ceteras de more parochiales peragat functiones atque alia hujusmodi, ut et subditorum vitetur confusio, et scandala eliminentur, et tum pastor proprias oves, tum oves proprium valeant agnoscere pastorem.

Scribatur Archiepiscopo, ut curet pro sua prudentia providere ad formam ss. canonum, quatenus expositae circumstantiae adhuc perseverent.

451. Nucerina. — Translationis paroeciae.

Die 6. Junii 1863.

In oppido Fossati dioecesis Nucerinae duae exstant paroeciae. quarum una quae titulo gaudet ss. apostolorum Petri et Pauli, cum ecclesiam possideat angustissimam et crescenti in dies animarum numero incapacem, vetustate fatiscentem, forma indecoram, humiditate perpetuo laborantem, ita ut parietes situ obsiti sint et sepulcra plena aquis illuc ex superiori monte, ad cujus radices sita est ecclesia, permeantibus, hinc actualis parochus Joannes Del-Bianco videns, ob haec incommoda populum minus frequentem ad eam accedere, et cupiens divino cultui decentius providere, consilium iniit transferendi hanc paroeciam in ecclesiam municipio propriam S. Sebastiano dicatam; servatis utriusque ecclesiae honoribus et oneribus. Anno itaque 1860 hoc consilium patefecit fel. rec. Episcopo Francisco Agostini, qui illud non modo approbavit, sed curavit insuper, ut a municipibus approbaretur, et difficultates, si quae essent, superarentur. Collatis hinc inde consiliis, convenit inter parochum et municipes, ut ad ampliandam et ad elegantiorem formam redigendam ecclesiam S. Sebastiani, tria scutatorum millia impenderentur, quorum a municipio 1200, a ven. sodalitio presbyterorum ex concessa jam facultate a S. Sede 900, a ven. sodalitio sanctissimi sacramenti 300, a s.

monte frumentario 35, ab ipso parocho Del Bianco 600 scut., concederentur. Haec tamen conventio die 19. Augusti 1860 in consilio rejecta a municipibus fuit; sed die 28. Novembris superioris anni cunctis pene suffragiis approbata fuit, his tamen legibus et conditionibus:

„1. Ut maneant integra jura, quae nunc municipium habet in ecclesia S. Sebastiani, excepto condominio cedendo parocho, qui pro se et successoribus ad dimidiam partem sustentationis expensarum suscipiendam se obligare debet.

2. Ut municipium cedat paroeciae domum ecclesiae S. Sebastiani contiguam et recipiat veterem domum parochialem ad ecclesiam SS. Petri et Pauli pertinentem.

3. Ut quaedam ecclesiae S. Sebastiani proprietas maneat in absoluta proprietate et administratione municipii ita ut, si parochus quocumque modo in eam se ingerere velit, eo ipso jus suum amittat et in priorem ecclesiam et domum parochialem redire debeat.

4. Ut parochus se obliget ad solvendam summam a locis piis promissam, antequam opera restaurationis ecclesiae S. Sebastiani incipiantur, quia municipium nonnisi pro scut. 1200 promissis responsabile esse vult.“

Plebanus Del-Bianco e contra actum consiliarem communitatis Fossati hisce excipere conditionibus exoptat, nimirum ut Sancta Sedes benigniter indulgeat:

„1. Ut occupari possit parva capella B. M. V. gratiarum ad ampliandam ecclesiam S. Sebastiani, altare tamen B. M. V. gratiarum intactum maneat in ecclesia S. Sebastiani.

2. Ut cum translatione parochiae transferantur etiam altaria sine amissione indulgentiarum et privilegiorum in septem altaria in ecclesia S. Laurentii existentia, ita ut titulares, si opus fuerit et Ordinario placuerit, duplicentur.

3. Ut sodalitium presbyterorum non solum scut. 900 jam concessa, sed etiam alias summas, si fieri possit, secundum beneplacitum Ordinarii erogare possit.

4. Ut etiam alia loca pia mutuum secundum beneplacitum Ordinarii restituendum dare possint et ut locus pius Serafini (pro dotationibus puellarum miserabilium) scut. 300 eroget sine vinculo restitutionis.

5. Ut sodalitium ss. sacramenti praeter 300 scut. jam concessa aliam summam Ordinario consentiente erogare possit.

6. Ut parocho liceat duas domunculas vendere, quarum una prae se fert valorem scutorum 95. 85, 5, altera scutorum 35 et utriusque proprietas ad paroeciam SS. Petri et Pauli spectat, ad suam solam utilitatem, utque concedatur saltem pro dimidia parte suspensio legatorum piorum et officiaturarum.“

Requisitus vicarius capitularis pro informatione et voto, auditis omnibus interesse habentibus muneri suo satisfecit amplissimam relationem mittens, (ex qua praecipue deprompsi, quae huc usque narravi) votumque suum undequaque propitium pandens, atque ita concludens: „Oraculum sanctissimum erit solummodo attendendum, quo favente, ac propitio, minime sane dubitandum, quin ob praefatam transactionem prospiciatur cultui divino, religionis bono, atque animarum; ac ipsum Fossati oppidum templo decentiori, quo caret, ditetur.

Hisce in facto praemissis breviter adnotandum in jure videtur, translationem ecclesiae parochialis non esse denegandam, quoties justae ac legitimae

causae concurrant. Quas inter praecipue recensetur indecentia et angustia ipsius transferendae ecclesiae, ut ad rem Rebuff. in prax. benefic. de transl. Episc. n. 7; adeoque utilis, ac imo necessaria retinenda videtur translatio paroeciae ratione majoris decentiae et commoditatis novae parochialis. Hinc Sacra haec Congregatio translationem in firmiorem et commodiorem locum saepe concessit, ceu videre est in Burgen. Translationis ecclesiae parochialis et tituli 14. Novemb. 1733; Mediolanen. Translationis parochialitatis 3. Aprilis 1734.

Quin obstet in casu, quod parochialis transferri non debeat si reparari valeat, „ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant, ut monet Sac. Concil. Trident. sess. 21. cap. 7. de reformat. et retinuit S. H. O. in una Civitatis Castelli 13. Martii 1762. Etenim ex causis supramemoratis impossibile fere videtur, ut praefata ecclesia ad meliorem et decentiorem formam redigatur; eo vel magis quia „ipsa parochialis domus (ut vicarius capitularis in sua relatione testatur) supra ejusdem ecclesiae dorsum evehitur.“ Qua inspecta circumstantia, si ecclesia restauranda foret, ea domus demolienda atque evertenda omnino esset et tum in graviores incideretur sumptus pro nova aedificanda parochiali domo, nec tamen declinarentur difficultates, quas ipsa natura loci prae se fert.

Quod si translatio parochialis ecclesiae EE. VV. probanda videbitur, tunc examinanda veniet etiam conventio quoad provisionem mediorum inter partes sub reservatione beneplaciti Apostolici statutam. Juxta relationem periti expensae necessariae pro meliorationibus ecclesiae S. Sebastiani summam attingunt scutatorum 2064. 01. 6. quae tamen summa, cum ad rem ventum erit prohabiliter, ut fieri solet, non sufficiet; ac proinde prudenter amplior pecuniae summa provisa est. Quae pecunia ab ipsa Fossati communitate decreta constituit summam scutorum 3035, quam sufficere posse arbitratur vicarius capitularis. Sed qui praesunt ven. sodalitatibus, et ipse parochus Del-Bianco Apostolicam sanctionem implorant, ut tuta conscientia pecunia locorum piorum erogari possit, pro ea pecuniae quantitate, pro qua Apostolicis hactenus indigent facultatibus.

Nec juri contraria hujusmodi erogatio videtur; nam pro aedificatione vel reparatione ecclesiae parochialis etiam legata pia missarum aliquando adhibentur, ad tradita per Amostaz., de causis piis lib. 1. cap. 14. n. 36: et lib. 2. cap. 12. n. 35, Brasch. de potest. eccles. tom. 3. cap. 24. Et sodalium etiam consensum ad obtinendam erogationem pecuniae redundantis sodalitatis pro fabrica ecclesiae parochialis maxime facere docetur in Ripana 16. Junii 1787 ad I. dubium. Quin imo aliquando concessa etiam fuit subsidiorum dotalium suspensio, ut in Melevitana Reaedificationis ecclesiae die 9. Julii 1842 ad III. dubium. Ecclesiae enim aedificium vel reparatio, cum tendat ad majus divini cultus incrementum, maximis in jure favoribus gaudet.

Neque etiam deneganda videtur parocho facultas alienandi duas parvas domos, quarum complexiva aestimatio summam affert scutatorum 140. 85. 5, cum ipse parochus cedat domum suae proprietatis, cujus valor aequat summam scutatorum 568. 10. 82.

Superfluum sane adnotare ducerem, quod quoties Eminentissimis PP. placeat translationem decernere, rejicienda omnino sit sanctio poenalis, quam municipes in tertia conditione ab ipsis proposita, appingendam putarunt, ea siquidem juris ecclesiastici esset invasiva.

Quoad reliquas vero facultates a parocho petitas, cum omnes in ecclesiae bonum vergant, cumque illis ad beneplacitum Episcopi uti tantum po-

stulet, Eminentiarum VV. prudentiae judicandum relinquitur, utrum illi concedendae sint, nec ne.

Dilata et ad mentem.

Die 26. Septembris 1863.

Mens autem erat, ut novas ego exquirerem a vicario capitulari informationes.

Paucos post dies datis literis ad praefatum vicarium capitularem plenissimae executioni commisi mandata Eminentiarum Vestrarum, et vicarius literis diei 18 praeteriti Julii injuncto sibi muneri prout sequitur, satisfactum fuisse refert:

„ . . . 1. Uti jam antea exposui, prorsus fieri non potest, ut antiqua ecclesia parochialis restauretur, primum quidem propter infelicem ejus situm, deinde propter ejus pessimam constructionem, cum sit visu deformis absque ullo architectonico ordine constructa et ipsa parochialis domus super ecclesiae dorsum evehatur; tum ecclesia populum in dies crescentem continere non potest, ita ut ampliatio necessaria sit; sed haec ampliatio et restauratio tantas requireret expensas, quae erogari prorsus non possunt.

2. Ecclesia, in quam paroecia transferenda est, est, uti jam retuli, templum pietate et religione dignum; sita est in medio pagi et viae principales ad eam conducunt neque minus ante ecclesiae ingressum forum satis amplum patet. Ad hoc magis elucidandum schema loci descriptivum transmittam.

3. Antiqua domus parochialis, in quam domus infirmorum transferenda est, multo salubrior est, quam ecclesia, quia est super hanc constructa, ita ut parochi antea nunquam de insulabritate domus parochialis, sed tantum ecclesiae questi sint.

4. Nunquam audivi, municipium patronatum novae ecclesiae parochialis praetendere et credo municipium concessionibus sibi factis esse contentum imo conditioni quoad parochum in administrationem bonorum municipalium se ingerentem tanquam irrationabili esse renuntiaturum.“

Schema loci descriptivum vulgo Pianta topografica a vicario capitulari una cum suis literis transmissum in aula sacri consilii Eminentiis Vestris exhibebitur; interim praemonendum mihi superest, parochum Del-Bianco plenissime adhaerere conditionibus ab eodem vicario capitulari commendatis, iisque omnibus, quae super proposita translatione sapientiae Eminentissimorum Patrum magis in Domino expedire videbuntur.

Quoad translationem in genere affirmative, quoad modum dilata et ad mentem.

452. Placentina. — Bonorum parochialium.

Die 2. Maji 1868.

Initio saeculi decimisexti tam ecclesia archipresbyteralis S. Martini loci Stateria, quam paroecia S. Mariae Montis in Placentina dioecesi proprium ac independentem parochum habebant. Lapsu temporis, ignoratur quo modo, istarum duarum paroeciarum unio effecta fuit; adeo ut parochus, qui residebat penes ecclesiam Stateriae usque ad annum 1779, easdem duas paroecias gubernaret auxilio unius cappellani amovibilis ad nutum, et tenui mercede remunerati. Gravia incommoda, quae ex hac unione obveniebant, moverunt animum tunc temporis Placentini Antistitis Pisani, qui propterea in actu s. visitationis decretum edidit die 10. Junii 1779, vi cujus capellanus,

qui vices parochi fungi debebat penes ecclesiam S. Mariae Montis, periculum facere teneretur coram Ordinario, ut approbaretur ad curam animarum, nec non cautum fuit vi ejusdem decreti, ut amoveri nequiret capellanus absque Ordinarii consensu, assignatis interim pro sua sustentatione nonnullis fundis ex iis, quos possidebat antea parochus.

Ast cum decretum Episcopi ad menten parochianorum S. Mariae de Monte omnia incommoda minime sustulisset, hinc supplices hanc S. C. initio hujus saeculi adierunt expostulantes, ut prima vacatione ad dissolutionem istiusmodi unionis deveniri posset, restituta hoc modo antiquae conditioni paroecia S. Mariae. Hac occasione petierunt etiam, ut effecta dissolutione unionis, assignetur parocho S. Mariae praeter reditus ac fundos, quos tunc temporis possidebat capellanus curatus vi decreti diei 10. Junii 1779, etiam praedium, quod exstat in communi (di Carreggio Cicala) quodque le case bruciate nuncupatur, nec non tria sextaria frumenti, quae eidem a plebanis praestari solent titulo locationis ab haeredibus ac successoribus capitanei Petri Raguzzi. Cum Sanctissimus benigne excepisset preces parochianorum S. Mariae, prodiit rescriptum die 1. Octobris 1802, quo responsum est: „Arbitrio Ordinarii Placentiae pro dismembratione ecclesiae parochialis S. Mariae vallis Tidoni ab ecclesia parochiali et archipresbyterali S. Martini de Stateria effectum habitura vel de consensu actualis archipresbyteri S. Martini, sive per obitum, sive alio quocumque modo ea eventura sit, ita ut deinceps in ecclesia S. Mariae vallis Tidoni constituatur parochus perpetuus eligendus per concursum ad formam Concilii Tridentini, cum assignatione respectivorum fundorum ad emolumentum, ratione praesertim habita antiquae divisionis.“

Quamvis nondum vacatio evenisset, Episcopus tamen Placentinus rescriptum hoc executioni mandavit cum clausula (ut dicitur) nunc pro tunc, decreto edito die 15. Octobris 1802. In hoc decreto Episcopus quoad bona assignanda parocho S. Mariae Montis sic se habet: „Cui sic electo (parocho) ejusque successoribus usque in perpetuum ex nunc pro tunc habita etiam eo meliori modo, quo haberi potest, ratione antiqua divisionis, assignavit, et assignat, nedum bona omnia et emolumenta, de quibus in memorato decreto quondam illustrissimi et reverendissimi domini Episcopi Pisani antecessoris sui immediati die 10. Junii 1770, novum etiam praedium situm intra fines ejusdem parochialis S. Mariae Montis, et in communi Careggi-Cicala nuncupatum „le case bruciate“ ac jus exigendi canonem sextariorum trium tritici, qui dictae plebi Stateriae modo rependitur a successoribus quondam capitanei Petri Raguzzi etc.

Omnibus hoc modo compositis, vix primae vacationi locus effectus fuit, parochus S. Mariae constitutus fuit et res pacifice processerunt, ut videtur, usque ad annum 1866. Quo tempore actualis parochus S. Mariae Joannes Caramella, capta occasione vacationis ecclesiae S. Martini de Stateria, hanc S. Congregationem adiit supplici libello exponens: „Parochiae S. Mariae olim possessionem quandam „il fornello“ dictam habuisse videtur. Nam in inventario, quod invenitur in archivio hujus paroeciae, expressis verbis, „il fornello“ proprietas S. Mariae Montis edicitur, quod etiam traditione probatur. Cum igitur rescripto Pontificio omnia bona paroeciae S. Mariae restitui deberent ideoque etiam „il fornello“ jam ab anno 1800, quod tamen non est factum, nunc dubium nascitur, an durante vacatione ecclesiae S. Martini de Stateria hic defectus suppleri possit.“

Super his precibus rogavi de more Placentinum Antistitem, qui audito in scriptis curatore vacantis ecclesiae loci Stateriae apposite deputando, suam

ederet animi sententiam. Episcopus mandatis S. O. obtemperans allegationes transmisit curatoris vacantis ecclesiae. Hic in sua allegatione refutare satagit, quod a parocho Caramella insinuari videtur, quod scilicet minime servata fuerit clausula rescripti diei 1. Octobris 1802, habita videlicet ratione antiquae divisionis, dum idem rescriptum executioni mandabatur. In primis enim in actu executionis ejusdem rescripti apertis verbis declaratur, opportunas assumptas fuisse notitias, antequam ad paroeciarum divisionem deveniretur, et unicuique proprii reditus tribuerentur. Praesumendum igitur est, tunc temporis defecisse argumenta ad evincendam proprietatem praedii del fornello favore ecclesiae S. Mariae Montis. Praeterea in precibus, quas paroeciani S. Mariae Montis Sanctae Sedi obtulerunt pro dismembratione duarum paroeciarum, dum sermo est de praedio vulgo dicto „case bruciate“ et canone trium sextariorum frumenti, ne verbum quidem habetur de praedio del fornello. Atqui si vere existeret traditio, cui innititur parochus Caramella, certe paroeciani S. Mariae Montis operam dedissent ad idem praedium proprio parocho vindicandum. Tandem favore ecclesiae paroecialis plebis Stateriae habetur antiqua et realis possessio ejusdem praedii, quae constituit, donec contrarium non probetur, praesumptionem veri dominii. Occurrit denique favore ecclesiae Stateriae plus quam quadragenaria praescriptio nunquam interrupta. Hisce omnibus accedit etiam, quod etiamsi devinci posset proprietas praedii del fornello pro ecclesia S. Mariae, minime tamen sequi videretur, idem restituendum esse eidem ecclesiae, quia clausula quae in Pontificio rescripto legitur habita videlicet ratione antiquae divisionis, usurpata videtur potius ad denotandam proportionem, quae servari debebat in bonorum divisione, quam ad statuendum, ut stricte omnia et singula antiqua bona singulis ecclesiis redderentur eo plane modo, quo ante unionem res se habebant.

Juxta exposita lectum.

453. Nucerina. — Onerum.

Die 9. Aprilis 1859.

Paroecia S. Donati, in qua duae olim erant ecclesiae comparoeciales, altera sub eodem titulo S. Donati, altera sub invocatione S. Geruntii, anno 1534 concredita et assignata ab Episcopo Nucerino fuit capitulo S. Venantii Fabriani, ea sub lege ut capitulum paroeciam ipsam tam in spiritualibus, quam in temporalibus provideret, cujus rei causa omnia paroeciae bona capitulo eidem attributa fuere. Constat vero capitulum perpetuo paroeciae rectores nominasse a quibus annuam pensionem exigere suevit; item aliquando pro fundorum et ecclesiae manutentione graves tulisse expensas, atque alia identidem peregisse in administratione paroeciae, quae vel patroni, vel principalis ejusdem rectoris propria viderentur.

Nunc vero incolae Castri Donati supplici oblato libello conqueruntur, curam et administrationem paroeciae a capitulo penitus posthaberi, quamvis a pluribus actualis Episcopi decretis in s. visitatione editis, ut muneri suo satisfaceret, excitatum fuerit. Praecipua querelarum capita sunt, quod parietes ecclesiae S. Geruntii (quae diruta fuit et nunc ad usum sepulcreti inservit) residuae, eversae fuerint, ita ut fidelium cadaverum ossa inhumata ibi maneant, et viatorum proculcationi exposita; quod domus parochialis, et ecclesia reparationibus, ac sacris supellectilibus indiget; quod praedia ad paroeciam spectantia, neglecta penitus cultura, nullos pene reditus jam ferre valeant, ita ut actualis parochus consuetam pensionem tradere capitulo

renuerit, ac relicta fundorum administratione, a quibus nullum sperare posset lucrum, recipiat nunc a capitulo annua scuta 25, praeter decimas et incerta emolumenta utriusque stolae. Instant eapropter ut aliqua provisio decernatur.

Remissis Episcopo precibus pro informatione et voto, audito capitulo, tum capitularem resolutionem, tum suam relationem ob eo accepi. Capitulum porro praeprimis monet, merito dubitari posse de validitate decreti Episcopi Nucerini anni 1534, quo non per viam unionis, sed simplicis collationis tradita eidem fuit paroecia S. Donati; cum constet hujusmodi decretum ab Episcopo successore Mannelli anno 1564 revocatum fuisse, qui ideo paroeciam contulit cuidam Aemilio Frastro, eumque in ejus possessionem immisit. Quamvis vero promota a capitulo hac super re fuerit quaestio coram S. hac Congregatione, latet vero quem ea exitum habuerit; sed illud certum esse ajunt quod nonnulli episcopi hujusmodi jus in capitulo recognoscere detrectarunt.

Denegant vero per verba in decreto collationis paroeciae anni 1534 „onera incumbentia debite supportabis“ et per alia, quibus ad hujusmodi collationem deveniri edicitur „ne defectu rectoris (paroecia) in spiritualibus, et temporalibus detrimentum patiatur“ inferri posse onus manutentionis ecclesiae et supellectilium; numquam enim in bullis quibus ab Episcopis, jus capituli detrectantibus, nominati ac instituti fuere parochi, hujusmodi manutentionis onus impositum legitur, quamvis ipsis eadem bona, capitulo cessa, attributa fuissent. Nequidquam vero bonorum cessionem tamquam hujusce oneris correspectivum censeri posse, cum bona data fuerint, ut capitulum de congrua providere posset parochum, qui vicaria ejus potestate paroeciam administraret.

Nihilominus affirmant pluries capituli expensis reparationes utriusque ecclesiae S. Donati et S. Geruntii, quousque haec eversa non fuit, peractas fuisse; sed adnotant, non semel parochianos etiam suam operam et opes in id contulisse.

Neglectam fundorum culturam capituli culpae tribui non posse censent, quia fundos perpetuo administrarunt parochi pro tempore, ad quos illorum usufructus pertinuit, quique eapropter pensionem capitulo rependebant, ob expensas ab eodem sustinendas. Capitulum vero in praesens hosce fundos in administratione retinet, quorum reditus vix asserunt exaequare summam scut. 25 quotannis, quam actuali parocho tradit. Ceterum cum parochus jure decimandi potiatur, satis congrue provisus habendus est, juxta computum quem capitulares exhibent.

Ignaros autem se profitentur cujusnam mandato muri coemeterii eversi fuerint, cum nemo ex modernis canonicis, cum id evenit, exstaret, nihilque in libris capitularibus hac de re adnotetur.

Quibus praemissis in haec verba concludunt, „paroeciam, de qua agitur, titulo collationis, non unionis capitulo datam esse ideoque capitulo semper licere paroeciae collatae renunciare. Ut igitur dissidiis finis ponatur, capitulum suo renunciationis jure se uti velle et ejus acceptationem expostulare declarat.“

Episcopus vero animadvertit, minime obstantibus quaestionibus, de quibus mentionem faciunt capitulares, eos tamen ad haec usque tempora parochum S. Donati nominasse; item dum negant se teneri ad manutentionem ecclesiae, fatentur tamen non levibus in hanc causam expensis capitulum fuisse obnoxium anteactis temporibus. Quod vero opponunt, parochis ab Episcopis aliquando nominatis, onus manutentionis impositum non fuisse, respondet, ideo parochos hujus oneris expertes fuisse declaratos, quia jure

patronatus super paroecia minime potirentur, quod ad capitulum pertinebat. Nec pariter consistere, bona a capitulo, ut aleretur parochus, haud vero ad ecclesiae vel domus paroecialis manutentionem accepto habita fuisse, cum capitulum ipsum fateatur, reditus ex iisdem promanantes, non omnino ad parochum alendum fuisse erogatos, propterea quod capitulum, quin daret, a parocho quotannis pensionem exigebat, ceu factum est usque ad annum 1841. „Et qua ratione, inquit Episcopus, dicendum capitulum posse a parocho pro tempore praefatam pensionem recipere, nisi propter impensas ad ecclesiae domusque parochialis conservationem requisitas?“

Ab exhibito autem documento constare ait, capitulum materiam parietis, quae ad sepulcreti usum adhuc supererat, alienasse, soluto ab emptore pretio circiter scut. 10.

Fundorum vero jacturam capitulo tribuendam censet ob neglectam culturam, praesertim postremis decem et octo annis, a quo tempore nimirum illorum administrationem gerit, iisque utitur fruitur, juxta transactionem anno 1842 capitulum inter et parochum initam.

Post haec ita sententiam suam pandit Episcopus: „Nunc autem canonici libentissime juri nominandi usque adhuc exercito valedicerent, fundosque, sicuti actu reperiuntur, paroeciae redderent; sed videretur a reverendissimo capitulo in primis s. visitationis decreta executioni esse demandanda, decreta inquam, quae dum munus s. visitationis in illa paroecia tertio navabam diebus 12. et 13. Junii 1858 haud effectum sortita novi, unde ea confirmare mihi opus fuit. Deinde valde congruum esset, ut tantum solveret, quantum interest, ut eadem praedia rustica, si fieri posset, primaevum statum recipiant, idque ratione etiam contractus initi.“

Utriusque vero partis rationibus perpensis, quid consilii capiendum sit definient EE. VV.

Pro acceptatione renuntiationis paroeciae adimpletis tamen prius conditionibus ab Episcopo Nucerino propositis.

II. DE CONCURSU PAROCHIALI.

454. Sancti Miniatis.

Die 11. Junii 1825.

Vacante paroecia oppidi Montiscabuli, dioecesis S. Miniatis in Hetruria, parochiale templum in oppido unicum et pro populi frequentia nimis angustum, Episcopo consentiente, eversum fuit, ut ejus loco amplior et aptior excitaretur ecclesia. Itaque parochiae oeconomus constitutus est; deinde novae ecclesiae statim fundamenta jacta: cui quidem pio operi saecularis ipsa potestas auxilium praebuit indulgendo, ut reditus dempto oeconomi stipendio superexstantes, qui in Hetruria vacabili nuncupantur ac hospitalibus adscribuntur, in novae ecclesiae constructionem erogentur.

At nimium tenuis est vacabilium, sive redituum superexstantium annua quantitas; ideoque si hoc tantum subsidio absolvenda esset ecclesiae constructio, multos adhuc per annos oppidani et ecclesia carerent, et parocho. Hinc Episcopus a Sac. Congregatione veniam implorat, tum super bonis ecclesiae Montiscabuli censum imponendi scutorum bismille ad ratas redimendum, tum parochiam illam liberae collationis conferendi absque concursu a Tridentina Synodo praescripto, et praevio tantum examine privato eligendi

idoneum, et sibi apprime probatum sacerdotem, qui et a populo et a gubernio in parochum expetitur, quique omni studio et opera ecclesiae fabricam quantocius ad exitum perduci curabit.

Requisitus, ut moris est, idem Episcopus retulit, pro complemento fabricae ecclesiae necessaria esse Florentina scuta 4787; non aliter ad ecclesiam cito perficiendam deveniri posse, quam imposito super bonis parochialibus censu; fructus compensativos non excessuros annua scuta quinque in singula centum. Parochum pro tempore obligatum fore, et ad solvenda fructuum nomine scuta 100, et post quinquennium ad deponenda quotannis scuta 150 pro census exstinctione; parochiae annuum reditum esse scutorum 900; onera vero computatis scutis 100 pro fructibus, et scutis 150 pro restitutione sortis census, ad scuta 680 pertingere, ita ut adhuc pro parocho scuta 220 supersint: de incertis autem stolae nullam fere rationem haberi posse, utpote quae ob parochianorum paupertatem minima sint.

Denique suam informationem ita claudit Episcopus: „Non expedit, dictam paroeciam amplius per oeconomum curatum administrari, quia populus et gubernium pluries instanter parochum a me petierunt, deinde quia paroeciam conferre volo sacerdoti cuidam, mihi, gubernio et populo gratissimo, qui valde idoneus est ad spirituale regimen et ecclesiae constructionem ad exitum perduci curabit.“

Sane facultas pro census impositione concedenda videtur, cum id necessitas novam parochialem ecclesiam construendi postulet: eoque certius, quia unica est paroecia in oppido Montiscabuli; ideoque nulla ibi nunc exstat parochialis ecclesia. Concurrente siquidem necessitate, non impositio tantum census, quae speciem alienationis prae se fert, sed etiam vera, ac proprie dicta alienatio permittitur, ut in Theatina Alienationis 5. Martii 1735, et in Bononien. Beneplaciti 28. Martii 1744, et ad perficiendam ecclesiae fabricam tributa facultas fuit imponendi censum in Amerina 18. Septembris 1771.

Quo vero ad collationem parochiae, indicendum esse concursum statuit Tridentina Synodus sess. 24. cap. 18. de refor.; at nonnullis in casibus potestatem Ordinario tribuit, ut possit, „si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen . . . adhibere.“ Diversi quidem a praesenti themate sunt casus, qui a Concilio Trid. enumerantur; omnium tamen una est ratio, necessitas et ecclesiae utilitas. Cum itaque paroeciae Montiscabuli collatio absque conciliari concursu illi ecclesiae apprime utilis futura sit, imo et necessaria videatur; etiam ad mentem Concilii Trid. Episcopo S. Miniatis petita facultas erit elargienda.

Pro gratia impositionis census juxta votum Episcopi; et pro facultate conferendi paroeciam arb. consc. et juxta votum ejusdem Episcopi, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

455. Beneventana. — Concursus parochialis.

Die 25. Maji 1844.

Sacerdos Angelus R. ex A., oppido Beneventanae dioecesis, 30 annos natus, vacante Terrae Novae ejusdem dioecesis archipresbyterali paroecia anno 1838 ad hanc assequendam solus concursum iniit. At tale scientiae specimen dedit, ut rejici meruerit. Insequenti anno 1839 die 2. Decembris novus concursus habitus est, et iterum unus Angelus R. experimentum subiit, sed

meliori quam primo eventu, nam ex 26 votis 15 cum dimidio assecutus est, unde approbari meruit. Die 7. ejusdem mensis in paroeciae possessionem ivit; mense Januario ejusdem anni ad curiam archiepiscopalem delatum est, sacerdotem A. R. in jus vocatum fuisse, ut solveret ducata 120, ad quorum solutionem literali obligatione die ipsa concursus sese obstrinxerat, favore Lucii, ut iste efficeret, ut paroeciam assequi valeret. Statim processus incoeptus est, sed culpa sacerdotis R. nonnisi die 19. Aug. 1843 est absolutus. Constat ex sententia de syngrapha, confessus est Orator, proximum summae solutioni se fuisse, ut paroeciam assequeretur, at postea cum Lucio deposuit, summam depactam fuisse pro expensis expeditionis, possessionis ac vestium. Constitit, ceu habet sententia, ex testibus Lucium die concursus conclave ingressum fuisse, dum quaestiones dabantur concurrentibus, ac deinceps durante concursu in aula conclavi proxima permansisse, minime vero intus, et dumtaxat concursu expleto cum sacerdote egressum fuisse ex archiepiscopali palatio. Aeque ex testibus constat, neminem durante concursu ingressum fuisse conclave. Hinc vicarius generalis sententiam tulit in haec verba: „Per hanc nostram sententiam Angelum R. declaramus oneratum foedatumque indiciis, praesumptionibus et conjecturis indicantibus realis simoniae flagitium secum ferens excommunicationem, collationis nullitatem, proindeque eum a divinis et a praedicti archipresbyteratus cura arcemus, donec a s. Sede Apostolica super indiciis, praesumptionibus et conjecturis ipsis de plenitudine potestatis declaratum vel indultum fuerit.“ Hac lata sententia archipresbyter R. supplicem misit libellum ad absolutionem a censuris impetrandam et ad habilitationem pro assecutione paroeciae.

Clarae mem. Card. Archiepiscopus rogatus anumeratis indiciis ac conjecturis sacerdoti A. R. adversis ita refert: „Inspiciendum autem est, Lucius an solverit pecuniam, ut beneficium parochiale conferretur sacerdoti A. R. Praemittendum est, examinatores synodales ad concursum illum vocatos existimationem habere virorum honestate praeditorum, et merito ab omnibus incapaces reputari suo muneri defecturos. Praeterea una cum sacerdote R. erant sub eodem conclavi sub vigilantia notarii curiae archiepiscopalis quinque alii presbyteri ad idem sustinendum periculum pro aliis vacantibus paroeciis dioecesis. Isti omnes formiter examinati se neminem in aulam concursus introeuntem vidisse affirmarunt nec praesuppositam casuum resolutorum clandestinam traditionem aspexisse, quae ab eorum oculis effugere non potuisset, si revera confecta. Quamobrem censeo, non esse traditos, prout Lucius Angelo obtrudit, casus resolutos nec alia ratione beneficium paroeciale pecunia comparatum sacerdoti R., sed veritati magis congruere istius circumventam simplicitatem callida illius machinatione. Confirmant hoc pravitas morum et in hujusmodi artificiis concinnandis diffamatio ejusdem Lucii, de quibus loquitur etiam regius judex Altavillae sequentibus verbis: „Ex parte mea declarare debeo, Lucium esse hominem in astutiis versatum, cui fides adhibenda non est; solet enim pecuniam extorquere sub praetextu protectionis penes superiores.“ Magistratus loci Arpaisis dictus „corpus decurionale“ conventu solemni diei 25. praeteriti mensis Maji consilium cepit arcendi perpetuo Lucium a publicis muneribus obeundis, idque ob causas a judice regio memoratas.

Sacerdos Angelus R. ab initio processus detrusus est in domum religiosam, suspensus ab ordine, officio et beneficio, et suspensione hac remanet usque ad praesentem diem innodatus. Videtur igitur promeritam poenam solvisse pro culpa quacunque commissa in acquisitione beneficii paroecialis Terrae novae. Praeterea bonae vitae et famae semper existimatus est et in

gerendo officio oeconomi ecclesiae Arpaisis, quod tenuit annis circiter quinque, humanitatis, diligentiae et prudentiae specimen praebuit, quam ob causam omnibus acceptus est. De bonis ejus moribus testes in processu examinati loquuntur una cum judice Altavillae, cujus verba non pigeat audire: „Econtra archipresbyter R. est homo bonus et probus, astutiarum incapax, ex quo conjicitur, ipsum non esse reum criminis simoniae.“

Promotor hujus meae curiae, cui terminum decem dierum assignavi ad deducendum, quidquid in Domino censeret, non contradicit rehabilitationi petitae a sacerdote Angelo R. Quatenus vero EE. VV. placeat eundem sacerdotem rehabilitare ad beneficium parochiale, nullum idcirco scandalum oritur, quoniam communis sententia est, eum hac in re deceptum fuisse solitis astutiis Lucii.“

Consulendum Sanctissimo pro gratia ad cautelam absolutionis, dispensationis et rehabilitationis tam ad officia sacerdotalia quam ad retinendum beneficium parochiale arbitrio et conscientia vicarii capitularis, imposita tamen eidem salutari poenitentia peractisque ab eo spiritualibus exercitiis in domo religiosa ab eodem vicario capitulari designanda, et monito Lucio, ut consulat conscientiae suae.

456. Pacten. — Dubium concursus.

Die 31. Julii 1852.

Exponit Episcopus, quod concursu pro vacanti archipresbyteratu communitatis S. Stephani solemniter habito mense Maji anni 1848, et tribus rite approbatis, ipse sacerdotem Cajetanum Arinao tanquam magis idoneum praeelegit instituitque; at vero appellatione a mala examinatorum relatione ad metropolitanum interposita, tam dictus praeelectus quam appellans Nicolaus Marinaro trina sententia inhabiles omnino ad recensitum beneficium declarati fuere. Hinc impraesentiarum anceps haeret idem Antistes, utrum tertius approbatus, sacerdos nimirum Croce Melia, qui nullam in lite partem habuit nec rejectus proinde fuit, nunc in beneficium instituendus maneat, an vero ipso posthabito ad novum concursum deveniendum sit.

Posito axiomate, quod in quavis vacatione parochialis ecclesiae sub poena nullitatis collatio fieri debeat per concursum, Barbosa de off. et pot. Episc. p. 3. alleg. 60. num. 13, tota jam quaestio ex eo pendet, an facta ab Episcopo electione, absolutus sit concursus vereque plenum beneficium. Pro affirmativa subscribit Massobrius, praxis habendi concurs. requis. 3. dub. II. num. 3. docens, si magis idoneus inter approbatos desistat, cedat vel decedat, aperiendum esse novum concursum, dummodo iste ab Episcopo praeelectus jam fuerit; secus vero, si ante electionem destiterit. Rationem in medium affert, qua finitum omnino et absolutum ait concursum per electionem ab Episcopo peractam, quippe ejusmodi electio in se habet complementum concursus nec non jus in re confert. Eo vel magis in themate, ubi electionem realis etiam institutio secuta est.

Difficilior tamen res ex nullitate electionis judicialiter declarata forsan evaderet. At hic considerandum apprime venit, quod cum ad juris communis nec non ad Concilii Tridentini tramites inappellabile omnino fuerit judicium Episcopi praeeligentis et proin praeelectio nullo remedio posset rescindi; Fagnan. in cap. Eam. de aetat. et qualit. n. 21. et seq. notissima Piana constitutio posthabitis appellationem quidem concessit, verum antiquae leges id saltem adhuc obtinent, ut minime suspensivam vim, sed devolutivam

tantummodo sortiatur ejusmodi remedium, et praeterea ad terminum legalem 10 dierum et ad personam ipsius appellantis absolute videatur restrictum, siquidem appellans ex H. Sacrae Congregationis praesertim stylo per novum examen se ipsum magis idoneum probare debeat ad effectum, ut annullata praeelectione ipsi beneficium conferatur, Giraldi, exposit. jur. pontif. p. 2. summ. constit. sect. 144. num. 6., Fagnan. loc. cit. num. 31. 29.

Hinc si doctores consentiunt, non obstante appellatione collationem etiam minus idoneo factam validam omnino haberi usque ad sententiam rescissoriam, ita ut male praeelectus fructus etiam suos faciat, Garcias de benef. p. 9. cap. 2. n. 239 et seq. et sola res judicata ipsum a possessione removeat, Gonzalez in reg. 8. cancell. gloss. 6. num. 198; in themate jam acta omnis quaestio apparet. Simulac nimirum Croce-Melia elapso termino legali Episcopi eligentis judicio acquievit, juri suo renuntiavit, nec instantia ab alio mota ullum pro ipso effectum sortiri valuit. Quare cum beneficium ab initio valide collatum fuerit, superveniens sententia rescissoria pro solo appellante, nisi ipse etiam rejiceretur, operari aliquid potuit; quoad sacerdotem Croce-Melia tanquam tertium ab eoque extraneum novam tantummodo vacationem inducebat, pro qua novus ex lege requiritur concursus.

Quibus nec repugnare videtur Pitonii in discept. eccles. 31. num. 4. assertio, qua, si pendente appellatione decedat praeelectus, locum esse subrogationi pro appellante magis idoneo tuetur, exemplum ducens ex eo juris patronatus casu, quo a patronis plures fuerint praesentati et praemortuo magis idoneo ab Ordinario confirmato succedat alius praesentatus. Misso enim, quod in themate non solum Ordinarius praeelegit, verum etiam praeelectum instituit, id quod a nuda praesentationis confirmatione vel maxime differt; Pitonius praeterea agit de eo, qui partem in appellatione habuit et proin cedente per obitum competitore, legali quodam titulo in ejus locum subrogatur. Quia tamen ipse Pitonius fateri videtur, hac spectata legis dispositione in cap. Cum. Ferrarien. de const. ad aequitatis magis gratiosae, quam ad rigorosae justitiae normam procedere, cum appellatio haec tantum devolutiva sit, nec res vertatur de titulo beneficii, saltem pro extraneo ab instantia appellationis nil operari posse ejusmodi subrogationem litiganti tantummodo concessam in propatulo est.

Esse locum novo concursui.

457. Beneventana. — Concursus parochialis.

Die 19. Decembris 1857.

Sequens casus exponitur ab Eminentissimo Archiepiscopo: „In concursu habito pro quadam paroecia, juxta dispositionem sacrosancti Concilii Tridentini sess. 21. cap. 5, et constitutionem S. Pii V. quae incipit In conferendis, nec non illam Benedicti XIV. quae incipit Cum illud pro conciuncula propositus fuit textus s. evangelii feriae secundae dominicae quartae quadragesimae, videlicet: „Invenit in templo vendentes boves et oves et columbas, et nummularios sedentes“ (sull' interesse) l' interesse è un grande peccato rispetto a dio; un gran male contro il prossimo: una grand empieta contro se stesso.“

„Inter concurrentes tantum unus sacerdos cum laude approbatus remansit; sed hic conciunculam fecit textui s. evangelii proposito utique accomodatam nempe circa debitam ecclesiae Dei venerationem, et non themati sull' interesse. Inter examinatores orta fuit controversia; alii validum concur-

sum declararunt, quia praefatus sacerdos conciunculam textui s. evangelii accomodatam peregit, et quia idem probavit facultatem pro concione dicendi. Alii vero incompletum, adeoque nullum retinuerunt, quia conciuncula dato themati minime fuit accomodata.

„Ad eliminandam hanc controversiam convenerunt examinatores dubium isti S. Congregationi Concilii proponere, videlicet: „An concursus praedictus sit completus ac validus, et approbatus dictus sacerdos censendus sit?“

Momentum quaestionis, ceu per se patet, in eo versatur, utrum scilicet defectus, qui exponitur, substantialis dicendus sit adeo, ut nullitatem concursus prae se ferat. Porro neque in Concilii Tridentini decreto, neque in cit. Pontificum constitutionibus examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa ac peculiaris servanda proponitur. Id tamen probe praestituit epistola encyclica, quam de mandato Sanctissimi die 10. Januarii 1721 ad omnes Episcopos direxit S. haec Congregatio, ibique ad rem, de qua agitur, hoc servandum proponitur, nempe „ut assignentur eaedem omnibus concurrentibus quaestiones, iidem casus, idemque textus evangelii, super quo sermones aliquid praescribant ad probandam dicendi pro concione facultatem.“ Cetera pariter quae perscribuntur observanda eo adamussim tendunt, tum ut idoneitas concurrentium comprobetur, tum etiam ut quaelibet inter concurrentes ipsos evitetur querelarum occasio, et si quae adfuerint, tuto decerni queat de examinatorum relatione, et de judicio Episcopi.

In praesenti itaque specie cum, qui approbati non fuerunt, de examinatorum relatione conquesti non sint, id unum inquirendum superesse videtur, an videlicet de approbati idoneitate quoad scientiam satis constet, quamvis hic conciunculam proprio marte potius, quam secundum propositum thema exaraverit; quo quidem in casu, licet in forma defectus irrepserit, finis tamen legis servatus fuisset. Favere approbato id videtur, quod conciunculam textui evangelico, qui eo ignorante propositus fuit, maxime accomodatam peregerit; unde suspicio abest, quod eam paratam haberet. Accedit, quod in epistola encyclica S. Congregationis idem textus dumtaxat proponendus edicatur, ex quo integrum manet concurrentibus illud excerpere ac evolvere thema, quod maluerint, dummodo ab textu alienum omnino non sit. Nihilominus hac in re locorum consuetudines servandae videntur, quae dispositioni legis non contradicunt, sed ei potius, ceu in casu, favent.

Quatenus itaque dubium supersit de approbati idoneitate, videant EE. PP., an expediat hunc potius novo periculo quoad facultatem dumtaxat pro concione dicendi subjici, quam praehabiti concursus nullitate declarata novo concursui ex integro locum fieri, praesertim vero ubi periculum non sit, ne aliorum jura laedantur.

Constare de validitate concursus.

458. Spoletana. — Examinatorum synodalium.

Die 13. Januarii 1844.

Post nuperrimam synodum dioecesanam ab ejusdem archidioecesis Praesule celebratam plures ad H. S. O. delatae sunt querimoniae contra ejusdem acta, quae nondum subjici EE. VV. judicio possunt, cum monumenta et partium jura adhuc desiderentur. Inter quaestionum capita disceptandum erit, super validitate electionis examinatorum synodalium. Pendente itaque hoc judicio supplex adstitit Archiepiscopus referens, quadringentis circiter congregatis in synodo lecta fuisse nomina examinatorum, deinde semel iterumque

interogatos fuisse adstantes a secretariis per verba: „Placetne vobis?“ sed octo vel decem tantum respondisse: „Placet“ ceteros vero siluisse nec oppositionis verbum protulisse. Ex hoc factum est, ut examinatores munus exercuerint, et nonnullae paroeciae fuerint collatae. Quamvis Archiepiscopus pro validitate electionis sentiat, nihilominus pro quiete conscientiae suae, et ad ulteriores dissensus impediendos supplex Beatissimum Patrem rogavit, ut dignetur „concedere supplementum ad defectum qui forsitan occurrit expliciti consensus in synodo, in electione examinatorum synodalium, et in collationibus parochiarum postea peractis.“

Consulendum Sanctissimo pro sanatione et convalidatione tam electionis examinatorum sgnodalium ad cautelam et sine praejudicio partium usque ad definitionem causae coram S. Congregatione introductae, quam collationum, quatenus opus sit, parochiarum, quae subinde secutae sunt ad quoscumque juris effectus et praecipue quoad sacramentorum administrationem.

459. Astoricen. — Examinatorum synodalium.

Die 23. Septembris 1865.

Episcopus Astoricen. in Hispania, provinciae olim Compostellanae nunc a non multis annis Vallisoletanae, in relatione status ecclesiae suae ad hunc Sacrum Ordinem transmissa die 29. Novembris anni 1864 inter alia sequens postulatum judicio Sacri Consessus subjecit: „In dioecesi ex consuetudine, sicut in aliis ecclesiis regni Hispaniae, examinatores synodales pro examine et ratione laboris in concursu pro obtinendis parochiis, aliquod parvulum emolumentum suscipiunt. Estne sustinenda haec consuetudo, vel omnino abolenda, licet immemorabilis, tanquam Tridentino contraria?“

Ut planiori via ad propositum dubium examinandum procederetur, die 27. Januarii huj. anni eumdem Episcopum rogavi, ut referre vellet, in quo praecise consistat hujusmodi emolumentum, et utrum idipsum obtineat in circumjacentibus dioecesibus praesertim ejusdem ecclesiasticae provinciae Compostellanae, et sequens responsum per literas die 12. Junii currentis anni datas accepi: „Emolumentum, quod ratione laboris ab examinatoribus pro-synodalibus percipitur in hac dioecesi ad 13 vel 15 regalia reduci potest pro unoquoque ex approbatis, dummodo beneficium curatum obtineant, ita ut, qui nullum beneficium obtinent, non adstringantur ad solutionem 220 regalium, quae quantitas distribuitur inter eos, qui synodum componunt. Non ita in circumjacentibus dioecesibus, sed in quibusdam Compostellanae provinciae, ad quam haec dioecesis pertinebat, aliquod stipendium a pro-synodalibus percipiebatur, non idem in omnibus, sed majus vel minus.

Tridentina lege in cap. 18. sess. 24. de reform. examinatoribus synodalibus praescribitur: „Jurent omnes ad sancta Dei evangelia, se quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. „Expositione non indigere hujusmodi verba animadvertit Benedictus XIV. de synod. dioec. lib. 4. c. 7. ut illico et perspicue mens Tridentinorum Patrum dignoscatur. Quanti vero facienda sit quaelibet in contrarium consuetudo, satis concludenter erui posse videtur sive ex generali censura, qua in constitutione s. m. Pii IV.

In principis apostolorum vel irritantur, si praecessissent, vel interdicuntur, ita ut incipere non possint quaecumque consuetudines Tridentinis decretis contrariae; Benedict. XIV. inst. eccl. 60 n. 7. Card. De Luca de canon. et cap. disc. 33. n. 3. in adnot. ad Conc. Trid. disc. 1. n. 16 Pitonius discept. eccl. 23. n. 16 et 17, discept. 112 n. 29. sive ex specialibus hujus Sacri Ordinis resolutionibus, quas adhibitis diligentiis mihi datum est colligere in perantiquis Sacrae Congregationis decretorum libris.

Porro in una Aurien. lib. decr. 2. pag. 193, Episcopus declarari ab Eminentissimis Patribus rogabat, an examinatoribus in synodo dioecesana juxta formam Concil. Trid. deputatis aliquo modo et vigore consuetudinis liceret citra vitium simoniae, peracto examine, aliquid ab eo, cui beneficium collatum fuit, ratione dicti examinis accipere, et Sacra Congregatio respondit: „Non licere.“

Item in Salernitana lib. decr. 2. pag. 252 quaesitum est, quid sentiendum foret de decreto synodi dioecesanae „quo statutum fuerat congruum quoddam stipendium examinatoribus ex fructibus particularium ecclesiarum aut aliorum beneficiorum vacantium, et prodiit rescriptum: „Archiepiscopum non posse hujusmodi stipendium statuere, et decretum synodi dioecesanae esse nullum et delendum.“

In Civitaten. lib. decr. 7. pag. 70 ad III. dub. Sacra Congregatio rescripsit: „Non licere examinatoribus synodalibus quidquam accipere, non obstante quacumque consuetudine immemorabili“.

Refert Garcias in suo opere de benef. eccl. tract. par. 8. c. 1. num. 77. in concilio provinc. Toletano ann. 1566, et in provinc. pariter concilio Compostellano statutum fuisse, ut Ordinarii rectae suae conscientiae arbitrio, jubeant persolvi examinatoribus munus suum fideliter exequentibus aequam laboris mercedem ex reditibus ecclesiae vacantis, qui alioquin rectori debeantur. At idem auctor, praemisso quidem adesse nonnullos doctores, qui hujusmodi statutum minime adversari autumant Tridentinae legi, contrarium tamen retinendum esse concludit ex dicto Concilii decreto vers. Caveant et ex declarationibus S. Congregationis editis in Gerunden. 12. Augusti 1588, quae reperitur in lib. decr. 5. pag. 104 et 174, in Salernitana, eam forsitan quam egomet superius retuli ex lib. decr. 2. p. 252, et in Abulen. cujus praefatus auctor meminit in cit. op. par. 5. cap. 7. num. 11. Non aliter tandem resolutum prostat in Jacen. 14. Januar. 1758, in qua etsi ageretur de vetustissima consuetudine in pluribus Hispaniarum dioecesibus vigente, quam promotor fiscalis curiae episcopalis servandam esse contendebat tanquam Trident. Conc. dispositioni non adversam, proposito tamen dubio: „An et quomodo emolumenta debeantur occasione examinis in concursu, et collationis ecclesiarum parochialium in casu?“ Eminentissimi Patres responderunt: „Quoad praesides et examinatores negative“.

Ex hujusmodi Sacri Ordinis resolutionibus, quae praesertim pro dioecesibus Hispaniarum Compostellanae provinciae prodierunt, dubitari haud forsan immerito posset de bona fide, qua servari huc usque potuerit contraria consuetudo in dioecesi Astoricensi absque simoniae labe, de qua in praefato decreto Tridentinorum Patrum, videant tamen Eminentiae Vestrae, utrum legitimae excusationi et inconditionatae absolutioni sit locus quoad praeteritum, cum Petr. Navarr. de restit. lib. 2. c. 2. num. 188, Ledesma in summ. par. 2. tract. 7. c. 1 conclus. 7. circa 13. difficultatem communem esse doceant hujusmodi usum in Hispaniarum ecclesiis, et Raphael della Torre de relig. 2. tom. quaest. 100. art. 6 disp 3. referat ideo probatum fuisse a conciliis provincialibus, quia emolumentum ipsum absque ullo prae-

cedenti pacto, largitionis tantum nomine et stipendii titulo persolvi consuevit. Animadvertunt enim praefati auctores, dignum esse mercenarium mercede sua; Benedictus vero XIV. de syn. dioec. loc. cit., quamvis non absolute approbaverit, multoque minus imitandum proposuerit, quod a Concilii Toletani Patribus gestum fuit, idipsum tamen minime improbavit.

Detur resolutio in Jacen.

460. Compostellana.

Die 22. Novembris 1834.

Post expletam per procuratorem ab Archiepiscopo Compostellano praeterito anno 1833 ss. liminum visitationem exhibitamque status suae ecclesiae relationem, hujus appendicem (ut ipse ait) misit ad Eminentissimum S. Congregationis Praefectum, in qua primum refert, se dioecesis visitationem obeuntem reperisse aliquot parochos, qui valde probabilem suae imperitiae suspicionem ipsi ingesserunt suique muneris duxisse eos ad examen vocare. Addit aliquos paruisse, sed alterum ex iis abnuisse sub obtentu asserti cujusdam Brevis a s. m. Clemente X. editi die 14. Maji 1672 ad Episcopum Pampilonensem missi, in quo cautum dicitur, ut: „curatus antiquior qui collationibus casuum praesidebit cum majori parte aliorum curatorum curatum, qui compertus fuerit esse insufficientis literaturae, per epistolam denunciare debeat Episcopo, qui absque majori verificatione juridica possit talem curatum ad se vocare et examinare atque debito remedio providere, neque admittantur denunciationes nec aliter vocentur ad examen curati nec examinari possint.“ Addit praeterea idem Archiepiscopus: „Concursu generali ad provisionem paroeciarum nunc occupor; timeo, sicut in duobus praecedentibus accidit, aliquos parochos ad alias ecclesias transferri conantes inveniri minus aptos, immo reprobari a synodo. Quid hujusmodi faciam? Suis paroeciis reliqui tres aut quatuor, quos reprobavit synodus, non ad suas, sed ut ad alias paroecias transirent. Verum si impares sunt ad alias, cur non erunt ad suas? Sunt itaque illiterati saltem praesumptione sufficienti: attamen praeceptum Tridentini sess. 21. c. 6. de ref., ut imperitis rectoribus vicarii pro tempore cum parte fructuum deputentur, adimplere nequeo, si ad Breve relatum Clementis X. stare debetur.“

Litteras Apostolicas in forma Brevis s. m. Clementis X. pro dioecesi Pampilonensi editas nullimode obstare, quominus Archiepiscopus Compostellanus caute et prudenter ad formam S. Concilii Tridentini sess. 21, cap. 6 de ref. ad examen revocare possit parochos, de quorum imperitia vehemens suspicio sit ac ad formam ejusdem Concilii coadjutores deputare, donec sufficientem scientiam vel pro iisdem paroeciis vel pro aliis fuerint assecuti.

III. DE RESIDENTIA PAROCHORUM.

461. Anglonen. et Tursien. — Residentiae.

Die 22. Februarii 1851.

Est in civitate Tursii collegiata ecclesia et simul parochialis sub invocatione S. Mariae Majoris, et cura animarum, quae per praepositum exercetur. Hujus p roeciae ambitus, qui a reliquis civitatis regionibus reputatur

omnino sejunctus, positus est in loco summo et invio, ita ut difficile sit civibus interiorem partem incolentibus illuc accedere diu, difficillimum nocte, quia praeruptae et lubricae sunt viae, quibus ad eam paroeciam patet accessus.

Hodiernus praepositus Philippus d'Alessandro nuper exposuit se 22 abhinc annis, ab ipsa scilicet die possessionis praeposituraе extra paroeciae fines in attigua tamen paroecia s. Michaelis Archangeli in domo paterna habitationem, noctu praesertim, retinuisse, exemplo ductus suorum praedecessorum, donec novissima excitatus monitione Ordinarii de obligatione intra paroeciae ambitum diu noctuque residendi ad S. Congregationem confugit pro obtinenda dispensatione. Ut autem gratiam consequeretur, plures adducebat causas; parvum scilicet numerum animarum, quingentas non excedentium, breve itineris intervallum a propria habitatione ad paroeciam, et nullum hactenus tot annorum spatio animabus obventum detrimentum ex materialis residentiae defectu; oeconomum praeterea noctu residere in paroecia, qui vices parochi gerit et omnes canonicos praefatae collegiatae, quotquot intra limites paroeciae degunt, in promptu esse, ut cuilibet parochianorum occurrant necessitati; infirmam exinde valetudinem, qua laborat, non parvum accepturam esse detrimentum, si in summo civitatis cacumine, id est intra paroeciae fines residere cogeretur, parochialium tandem redituum tenuitatem eam esse, quae non permittant. Oratori domum in propria paroecia conducere, praeter incommoda et animi anxietates quibus tum ipse tum ejus familia afflictaretur, si propriam domum deserere teneretur.

Episcopum hac de re sciscitatus sum, qui situs difficultate confirmata adeo ut etiam canonici dispensationem a divinis officiis quotidie persolvendis obtinuerint, haec insuper addit: „Nonnulli ex praepositi Oratoris praedecessoribus revera habitarunt extra dictam paroeciam. In eadem paroecia sunt alii sacerdotes, qui possent vices parochi supplere, sed eorum mores non sunt satis recti. Proindeque sacramentorum administrationem aliaque parochi officia aut omitterent, aut male eis fungerentur. Oratoris valetudo infirma est, sed ego medicum in illa civitate celebrem consulens ab ipso audivi majus salutis detrimentum dicto praeposito afferri ex itinere a domo habitationis ad ecclesiam suae curae, quam ex residentia intra paroeciae limites. — Tandem reditus non sunt pingues, cum vix aut ne vix quidem ad 70 ducatos annuos perveniant, sed habita loci ratione posset etiam domum conducere, cum sumptus pro hac conductione tenues esse soleant. — Haec in conscientia, ne dispensatio sit obreptitia vel subreptitia. Sed etiam atque etiam Eminentiam tuam rogo, ut Orator voti sui compos fiat, tum quia obtorto collo residentiae legem servans nonnisi materialiter adesset, nullaque animabus utilitas obveniret; tum quia phantasiae vi agitatus posset revera ex habitationis mutatione aliquod sanitatis damnum pati.“

Parochis de jure divino mandatum esse residentiae onus omnes fere post Tridentinum sess. 23. cap. 1 de reform. sacrorum canonum interpretes uno ore profitentur. Ut autem hujusmodi oneri satisfaciant, necesse est, ut in aedibus parochialibus prope ecclesiam ipsam inhabitent, ut centies declaravit S. Congregatio, et signanter in una Ravennaten. lib. 2. decret., in Tarraconen. residentiae 24. Mart. 1736 ad 1. dub., in Fulginaten. 19. Aug. 1752 ad 1. dub., in Tiburtina 29. Julii 1786 aliisque collectis in cit. Tarracon. §. In Nullius; aut saltem si domus parochialis non exstaret, aliam domum incolat, ac etiam conducat parochus oportet intra limites paroeciae juxta declarationem in Ravennaten. anni 1577 ad 2. dub. aliisque supra citatis, prout etiam docet Giraldi ad Barbos. de parochis

part. 1. cap. 8. post num. 37., Ferraris verb. Parochus art. 2. a num. 14., Barbosa in Conc. Trid. sess. 23. cap. 1 de ref. n. 45 et Gallemart. ibid. n. 7 et 10.

Neque ab hac praeceptiva residentiae lege excusat aeris intemperies, ut in cit. Tarraconen., in altera S. Agathae Gothorum 16. Martii 1641 et in Nicien. 4. Aug. 1645 et supra relati doctores exponunt; nec infirmitas, licet ex deficientia medicorum soleat ad tempus cum infirmis dispensari, ut ad breve tempus in vicinioribus locis ad curandam valetudinem secedant, relicto vicario curato, ut in Regien. a. 1573 lib. 1. decret. pag. 52, et referunt memorati auctores in loc. cit.; neque demum, redituum tenuitas, Ferraris loc. cit. n. 5.

Sunt tamen nonnulli doctores, qui arbitrantur parochum legi satisfacere, si resideat etiam extra paroeciam, sed in domo ita vicina paroeciae, ut commode possit eidem inservire, quos citat Barbosa in Conc. Trid. loc. cit. num. 45, idem de parochis loc. cit. n. 35 et Ferraris ibidem n. 17. At horum auctoritati contradicit Giraldi loc. cit. post n. 37, ubi refert ad rem plures resolutiones S. C. et praesertim in Pontis Curvi, Residentiae 20. Dec. 1755, quod profecto patet etiam ex citata Tiburtina anni 1786.

Quandoque tamen dispensatum fuit cum parochis ob defectum commodae domus in paroecia, vel ob aeris intemperiem eisdem permittendo, ut in loco vicino paroeciae inhabitarent relicto substituto penes ecclesiam parochialem, ut notat Barbosa de parochis n. 36. loc. cit. et Gallemart. loc. cit. n. 10, sed idem Barbosa paulo inferius observat idem amplius non concedii post solemnem resolutionem S. C. in Sarzanen. 13. Novemb. 1627 dispensationi prorsus inimicam. Nihilominus ob aeris insalubritatem hujusmodi indulta non denegantur, dummodo cura animarum per substitutum, qui diu noctuque resideat, fideliter administretur. uti factum est in cit. Tarraconen. ad 2. dub., dato indulto ad triennium, in aliisque collectis ibidem §. Saepius, necnon in citat. Tiburtina anni 1786, in qua praefigi terminum mandavit. H. S. O. parocho ad restaurandam domum parochialem, quo elapso intra paroeciam et in domo ipsa parochiali inhabitaret.

Ex his recte judicari potest, quid sit decernendum in themate. Quamvis enim Episcopus testetur de infirma parochi valetudine, de aliis presbyteris intra paroeciae limites degentibus, ac de tenuitate redituum, addit nihilominus magis nocere infirmae Oratoris valetudini ex medici testimonio frequentem illius accessum, qui difficilis est, et fere impervius, quam residentiam intra ambitum ipsius paroeciae; alios presbyteros non esse tales quibus munium parochialium exercitium et sacramentorum administratio committi utiliter valeat; redituum tenuitatem vero talem haud eam esse, ut domum in paroecia conducere prohibeatur praepositus, cum tenues sufficiant pro conductione sumptus. Contrariam autem observantiam nihili in materia faciendam esse docuit S. Congregatio in Fulginaten. 9. Sept. et 18. Novemb. 1719 et 13. Januar. 1720, ceu notat Ferraris loc. cit. n. 14.

Utrum vero ex speciali gratia, et ob validam Episcopi commendationem aliquam mereatur parochus indulgentiam, aut potius congruus terminus sit eidem arbitrio Episcopi praefiniendus ad conducendam et incolendam domum intra paroeciae fines positam, et ecclesiae magis proximam, dummodo propriam non habeat ecclesia domum parochialem, majori EE. Patrum judicio reservatur.

Negative, et curet Episcopus, ut saltem intra annum Orator habitationem transferat intra fines paroeciae, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 17. Decembris 1853.

Haud acquievit praepositus, sed mense Junio anni 1852 quando jam indultum expiraverat, alias dedit preces, quas tamen, cum nihil novi exhiberent, rejiciendas duxi.

Post haec perpendens ipse, Episcopum, licet in sua relatione non denegasset infirmam valetudinem, addidisse tamen majus salutis detrimentum ex medici judicio obvenire ex itinere a domo habitationis ad ecclesiam, quam ex residentia intra limites paroeciae, totus fuit, ut ejusmodi assertionem erroris ac falsitatis insimularet. Reque vera supplex iterum rediit medicorum testimoniis stipatus, quibus suadere nitebatur rem longe aliter esse, reditum nimirum ad residentiam non posse absque vitae discrimine ab ipso servari. Quibus etiam subtexuit attestationes quamplurium parochianorum et cleri, qui omnes id sentiebant preces benigne excipi posse, quin ullum animabus obveniret damnum.

Haec cum ita essent, iterum audiendum censui Episcopum, a quo haec accepi: „Infirmitas, quam nunc patitur levior est illa, quam patiebatur anno 1851, quando ista eadem S. Congregatio ei petitam dispensationem negavit, nec talis est, ut eum impediat a residendo. Loci sublimitas atque Oratoris infirma valetudo non sinunt eum facile et frequenter ad ecclesiam suam accedere, diligentem animarum sibi commissarum curam gerere, earumque necessitatibus praesto esse, quare magis magisque ad residendum tenetur. Medicorum testimonia ab ipso allata non videntur admittenda: hi enim illius timore agitati ad pacem servandam, quod ipse vult, testantur. Haec pro veritate. Attamen quemadmodum alias S. istam Congregationem rogavi, iterum nunc rogo, ut eum votorum compotem faciat. Deus enim scit, quanta homo turbidus et maledicus dicat et faciat pro dispensationis negatione, et quanta facturus sit et dicturus, si canonice in eum procederem, ut cogam ad residendum.“

E re esse censui negotium iterum S. Congregationis judicio submittere. Factum exinde est, ut labente superiori mense Augusti novum praepositus daret libellum querimoniis refertum de Episcopo ob nuper acceptum ab eo monitorium de observanda residentiae lege, et insimul decretum quo ipsum suspensionis poena ac fructuum parochialium privatione mulctabat; urgens proinde dispensationem a residentia ac infirmationem episcopalis decreti. Sed quoniam ex ipso decreti tenore satis patebat Episcopi consilium in eo fuisse, ut per suspensionis poenam contumacem praepositum compelleret ad residentiam a qua temere aberat, insinuandum ipsi censui, ut mandatis Episcopi pareret, donec super novis precibus S. Congregatio judicium proferret. Rei enim natura suadebat, recursum in devolutivo tantum esse admittendum.

Viderint igitur nunc Eminentissimi Patres, quid de utroque negotio, de expetita nimirum dispensatione a residentia, ac inflicta suspensione sit sentiendum. Quoad residentiam aperta est lex in Tridentino sess. 23. cap. 1. de ref. Quomodo autem ea a parochis sit servanda, ut nonnisi per praesentiam personalem, praecisam, ac continuam legi satisfieri possit; et adeo rigide, ut neque aeris intemperies, neque infirmitas, neque redituum tenuitas excusent, unanimiter tradunt doctores et S. Congregationis thesaurus abundat resolutionibus. Quod si quandoque reperiatur fuisse ob praedictas causas dispensatum, id nonnisi ex summa aequitate, et ad determinatum ac modicum tempus factum colligitur. Abnormis hinc videri poterit praepositi praetensa, qui dum per plurimos annos residentiae legem proprio marte despexit, illud insuper contendit, ut etiam quoad futurum sit ab ea dispensandus absque ulla temporis limitatione. Quod si indubium est, ipsum ad tramites

rescripti S. Congregationis 22. Februarii 1851 debuisse intra terminum praestitutum habitationem transferre intra fines paroeciae, injuria queritur de suspensionis poena sibi inflicta, quum contra parochos non residentes procedendum sit etiam ad beneficii parochialis privationem. Potius igitur propriae deberet consulere conscientiae, quia per aliud fere biennium suo fungi munere detrectavit.

In decretis sub die 22. Februarii 1851 data facultate Episcopo prorogandi absentiam ad alium mensem tantum.

IV. DE MISSA PRO POPULO.

462. Mechlinien. — Missae pro populo.

Die 25. Septembris 1847.

Cum aliquae controversiae super praecepto offerendi pro populo missae sacrificium inter plerosque Belgicae ditionis parochos excitatae fuissent, Marianus Verhoeven ss. canonum in universitate Lovaniensi antecessor, canonicam lucubrationem typis edidit, qua suborta quaestionum capita dirimenda suscepit. Et quamvis Apostolicarum constitutionum auctoritate, et hujus Sacrae Congregationis declarationibus innixus propositum argumentum doctrina et eruditione summa demonstrasset; nihilominus haud levia dubitationum genera superfuerunt, quae casum, de quo agitur, peculiariter afficere visa sunt. Itaque egregius ille vir ut in interpretandis „constitutionibus Apostolicis, quas post Concilium Tridentinum de gravissima hac re Summi Pontifices ediderunt, ne latum quidem unguem a mente Sacrae Congregationis Interpretum Concilii Trid. recedat," laudabili ductus obsequio sapientissimam O. V. sententiam rogavit hisce, quae sequuntur, propositis dubiis:

„1. An parochi debeant ss. missae sacrificium pro populo offerre diebus dominicis, et iis etiam festis diebus, qui per indultum Apostolicum diei 9. Aprilis 1802 suppressi sunt, licet hujus obligationis nova promulgatio ab Episcopo dioecesano non fiat.

2. An consuetudo unquam legitima haberi possit, vi cujus parochi non applicent pro populo ss. missae sacrificium dominicis aut saltem praedictis festis diebus suppressis.

3. An parochi ipsi ss. missae sacrificium pro populo offerre debeant, si legitima causa non impediantur, an vero per alium ex. gr. sacellanum aut presbyterum advenam huic officio satisfacere possint.

4. Quid censeri debeat de consuetudine, vi cujus parochus diebus dominicis et festis missam privatam pro pio aliquo benefactore applicet, et nullo legitimo impedimento detentus onus celebrandi missam pro populo in alium transferat sacerdotem."

„Praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere et pro his sacrificium offerre," disertissime edixit Trid. Synodus sess. 23. cap. 1. Itaque justae interpretationi praeposita Sacra haec Congregatio pluries declaravit, parochos et sui muneris officio ad hanc ministerii partem quibuscumque festis diebus obeundam obligari, et praesertim in Pistorien. et Praten. diei 14. Febr. 1699, quam suis Apost. litteris incip. Nuper diei 24. Aprilis ejusdem anni confirmavit Innoc. XII. recentius vero Benedict. XIV. ad removenda quaelibet effugia, quibus hujus oneris implementum declinari posset, celebratissimam

in eamdem hanc rem edidit const. Cum semper oblatas diei 19. Aug. 1744. Quae quidem tametsi ad Italiae insularumque adjacentium Episcopos data sit, nihilominus in qualibet catholici orbis parte vim suam exserere indubium est, tum quia ratio, cur Pontifex ille idipsum jubet, omnibus aeque parochis congruat ex regula: ubi eadem ratio, ibi eadem juris dispositio, tum quia idem Pontifex ibi Apost. Sedis et praesertim hujus S. Congregationis super hac re doctrinam potius declarat, quam novam legem inducat, ut ipse monet §. 2, tum denique, quia haec S. Congregatio non solum in hujus generis controversiis definiendis hujus constitutionis sanctionem perpetuo accomodat omnibus locis sive intra sive extra Italiam sitis, ut in Oveten. 26. Febr. 1774, in Namurcen. Missae convent. 6. Aug. 1842, et novissime in Briocen. inter supplices relata libellos die 8. Aug. 1846, sed nullam fere ad Episcoporum relationes de statu suarum ecclesiarum rescribit epistolam, in qua data occasione, cunctis indiscriminatim eamdem observari non mandat.

Neque vero ab hac lege exempti sunt dies, qui e festorum albo expuncti sunt per indultum Apostolicum diei 9. Aprilis 1802 a Card. Caprara promulgatum, cujus beneficio frui datum est Belgicis etiam dioecesibus, quae id temporis in Gallicana republica continebantur. Ibi enim, prout in similibus placitis ad alias nationes datis perspicue cautum est „in omnibus ecclesiis nihil de consueto divinorum officiorum sacrarumque caeremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverunt.

Jam vero per haec verba nihil prorsus missae parochialis praecepto est detractum, sed in suo plenissimo robore relictum est, ut advertit Sacra Congregatio in Cajetana 16. Dec. 1837. §. Verumtamen, in cit. Briocen. et in Cassanen. proposita die 5. Junii anni labentis per summaria precum; et jam declaraverat articulo penitus expenso in Camerinen. 28. Martii 1801 et concinit S. Congregatio Rituum in Aquilana 18. Oct. 1818. Quapropter passim haec S. Congregatio idipsum sancivit in responsis ad Episcopos tum Galliarum tum Belgii datis, licet quandoque justa de causa veniam reductionis elargiri non abnuerit.

Quod si ex indulgentia diei 9. Apr. 1802 parochialis missae praeceptum sartum tectumque servatum est, prono velut alveo sequitur nequaquam plane opus esse nova Episcoporum promulgatione: legem enim seu obligationem quae semper in suo robore perstitit iterum promulgari superfluum est. Et haec dicta sint de primo dubio.

Pauca de secundo: nam in memorata const. Benedicti XIV. aperte definitur, consuetudinem vel immemorabilem parochis minime posse suffragari, prout Sac. hic Ordo de obligatione missae conventualis non obstante plusquam centenaria, quae afferebatur consuetudine solemniter declaravit ad formam praelaudatae const. in Catanen. relata inter supplices libellos die 6. Febr. curr. anni. Id autem et de festis abrogatis disserendum esse liquido patet ex eo, quod permissio operum servilium, et missae audiendae remissio, in quo tota sita est placiti pontificii vis, nihil novi quoad missae parochialis obligationem importat, nec praedicta Benedictina constitutio, ubi hujusmodi consuetudinem uti abusum impraescriptibilem damnat, inter casum et casum distinguit, ideoque S. Congr. in Cajetana superius citata et definita die 20. Jan. 1838 ad II. dub. parochos ad idem onus adhuc obstringi judicavit quamvis quadraginta et amplius anni a Pontificis concessione effluxissent. Quin etiam eadem Sacr. Congr. in suis ad Episcoporum relationes

responsis hujus praecepti observantiam urget, quin inspiciat an adsit consuetudo necne.

Venio modo ad tertium dubium, super quo dubitare non posse videtur munus missae pro populo litandae esse prorsus personale, siquidem divina praescriptio illius proprie personam afficit, qui parochiali titulo insignitus est. Nec immerito; cum enim sacrificii fructus uberior ex opere operantis esse possit, jure putandus est enixius et efficacius ad Deum ille esse oraturus, cujus oves sunt propriae, quam qui mercenarius est. Deinde ex sententia Dianae, Pasqualigi, aliorumque qui referuntur in Tiburtina Applic. missae pro populo 21. Nov. 1801. §. Haec. in celebratione missae pro populo parochus ministerium mediatoris exercet, et hoc alteri mandari non potest, quippe eligitur persona. Hinc eadem S. Congr. in Castri Albi VV. SS. LL. diei 18. Julii 1789 rogata: „An parochi dd. ecclesiarum (cathedralis et S. Mariae) aliarumque collegiatarum dioecesis Castri Albi teneantur per se ipsos applicare diebus festis missam pro populo, seu potius possint per beneficiatos vel alios sacerdotes praedicto oneri satisfacere in casu?“ rescripsit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“ Quae declaratio sacellanis, de quibus agitur, in dubio aptissime quadrat: hi enim sunt simplices sacerdotes, quin ullum proprium habeant titulum, sed quidquid agunt ex auctoritate et mandato illius agunt, cui suppetias ferunt.

Quamvis autem Cavalerius tom. 3. oper. liturg. cap. 8. ad decis. 15. n. 3. (cujus refertur opinio in Fesulana 16. Junii 1770. §. Ceterum) doceat „necessarium non esse tam scrupulose hac in re parochos progredi, sed levi etiam de causa non infrequenter per alios supplere posse, nihilominus ex qualitate praecepti divini, ex gravitate apostolicae praescriptionis illud sequitur, ut id oneris sine gravissima causa in alios rejici minime possit. Et sane sacra Congregatio in dicta Fesulana ad dubia: „An parochi in dominicis aliisque festis diebus, praesente cadavere, possint celebrare missam pro defuncto, et in alium diem transferre missam pro populo applicandam in casu?“ et quatenus negative: „An saltem applicationi missae pro populo supplere possit per alium sacerdotem in casu?“ in comitiis diei 26. Januarii anni 1771 rescripsit: „Ad primum et secundum negative.“ Excipitur casus, quo parochia praebendae canonicali adnexa sit; tunc enim ex dilucida Benedict. const. dispositione §. 17. parochus missam conventualem celebrare ipse debet, parochialem vero alteri demandare. In aliis casibus necessaria est venia S. Congregationis, ut novissime in Silvae Ducis (Bois-le-Duc) in Hollandia die 11. Martii 1843 proposita per summaria precum; in ea S. Ordo annuit quidem precibus Vicarii Apostolici expostulantis, ut parochi sacellanos subrogare possent; facultatem tamen cohibuit „ad casus verae necessitatis, et dummodo fieret ex causa canonica.“

Neque vero fieri potest, ut hujusmodi obligatio per contrariam tollatur observantiam, ut exquiritur in 4. dubio. Ubi enim Benedict. XIV. edixit et pluries declaravit S. Congregatio onus missae pro populo esse personale, clarissime visus est Pontifex consuetudinem contrariam, secluso illegitimo impedimento, reprobare, cum aperte mandavit ad illud parochos teneri, „consuetudine etiam antiqua, seu immemorabili non obstante“; idque ex ea potissimum ratione, quia parochi munus in oblatione sacrificii est illud mediatoris, quod inhaeret personae, et per alium exinde nequit impleri; et quia praesertim haec obligatio a divino proficiscitur mandato, uti monet S. Triden. Syn., quod omnem prorsus contrariam respuit consuetudinem, quam reapse licet immemorabilem et ecclesiae statuto roboratam, aperte reprobavit S. Congregatio in cit. Castri Albi 18. Julii 1789, et tunc solum ea pro-

bata fuit ab hoc S. Ordine, ubi alternatim cum parocho hujusmodi celebrationem explebant, qui curam animarum coadjutricem vel habituariam saltem gerebant, numquam vero cum de simplicibus capellanis vel beneficiatis agebatur, ceu probant Tiburtina 21. Nov. 1801, Camerinen. Missae pro populo 16. Dec. 1820 et Spoletana Miss. pro pop. 14. Maji 1831.

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, excepto casu verae necessitatis et causa canonica.*

Ad IV. *Consuetudinem, de qua agitur, non esse attendendam.*

463. Lemovicen.

Die 19. Aprilis 1834.

Ad idoneos in seminario doctores praeficiendos, quin ex tenui ejusdem censu necessaria pro ipsis stipendia eruantur nec non ad quosdam vicarios alendos consueverunt Episcopi Lemovicenses iisdem titulum paroeciae, gallice: „succursale“ conferre, ut inde statutum a gubernio pro iis succursalibus stipendium accipiant. Episcopus vero praesentiae dispensationem iisdem concedit et rei divinae providet ope parochi vicini, cui datur ad hoc competens retributio, sicut habent vacante parochia. Nullum paroeciae (testatur Episcopus) infertur damnum, siquidem etiamsi res ita non esset, residentem parochum ob sacerdotum penuriam habere non posset. Insuper honorarii tenuitas et seminariorum egestas hunc agendi modum suadent et excusant. Multi titulo sic insigniti nullum aliud beneficium pro se ipsis habent, aliis confertur ut honorarii supplementum necessarium. Supplex idcirco postulat Episcopus, ut decernatur, utrum festis diebus celebrare pro populo debeant, qui titulum hujusmodi habent, ac si id oneris ipsis inesse edicatur, dispensationem petit saltem de praeterito.

Ex deductis constare de obligatione applicandi missam pro populo in casu, de quo agitur et consulendum Sanctissimo pro absolutione de omissionibus quoad praeteritum; optare autem S. Congregationem, ut quo celerius possit, per parochos vel vicarios per se ipsos in ministerium incumbentes paroeciarum succursalium procurationi Episcopus consulat.

464. Mindonien. — Applicationis missae pro populo.

Die 29. Julii 1854.

Dominicus Julianus Gonzalez parochus duarum paroeciarum, scilicet S. Justi vulgo Cabancos, et S. Stephani de Fornea dioecesis Mindoniensis in Galetiae regno, supplex postulat declarari: „1. An parochi duabus paroeciis praepositi suo muneri satisfaciunt applicatione solius missae dictis diebus pro suo grege existente in duabus paroeciis, quando isti tantum in una celebrant, et alius sacerdos illud facit in altera, qui pro sua intentione applicat? 2. Si iidem parochi duplicem celebrando, scilicet in utraque, ut accidit ubi non est alius sacerdos, qui pro eis celebret in una earum, poterunt unam applicare pro duobus populis sibi commissis, et aliam ad libitum eorum?“

Pariter exponit, „quod in toto anno 1847 cum bona fide et sequendo parochorum majorum hujus beneficii curati tantum celebravit et applicavit unam pro omnibus fidelibus viventibus in illis duabus parochiis sibi commissis, diebus quibus adstringuntur illi praecepto missam audiendi, quia in talibus diebus alius sacerdos semper celebravit in una ex parochiis applicando ad ejus libitum, et nunquam pro populo. Quamobrem si ita operando Orator munus suum non adimplevit, attentis praesentibus circumstantiis ecclesiae Hispanae paupertatis, et quod anno 1847 solum tertiam suae assignationis parvae partem percepit et operatus est juxta praxim suorum parochorum majorum, supplicat, „pro dispensatione missarum quae praedicta causa non fuerunt celebratae: nec non facultatem sibi fieri, ut in futuro satisfaciat ejus obligationi applicatione solius missae pro suis duabus paroeciis quando ipse celebrat tantum unam, et alius sacerdos facit in uno ex duobus populis cum applicatione ad ejus libitum.“

Precibus ad Episcopum ablegatis pro informatione et voto, et ut referret de annuo reditu et oneribus utriusque paroeciae comprehensis incertis stolae, utrum eaedem sint aeque principaliter aut subjective unitae, de bona fide quoad praeteritum et sacerdotum deficientia, sin minus impotentia, qui in alterutra ex parochiis applicare valeant pro populo; haec ab ejus vicario generali accepi: „Minimum praedicti beneficii juxta ultimum concordatum anni 1851 in septem mille drachmas ascendit, nostro idiomate 7000 reales, quas integras percepit dicto anno Orator, deductis quatuorcentis drachmis, ob bonorum beneficii aestimationem, extra stolae reditus, qui annuatim plusquam mille drachmas valent. Recognovi dicti lites beneficii ab anno 1695 usque ad 1846 in quo possessionem apprehendit relatus Gonzalez de altero parochiali beneficio promotus, et in eis solum scriptum inveni „Sancti Justi de Cabancos, et S. Stephani de Fornea, et S. Joannis de Villamastin annexorum“ (parochus duas primas tantum enumerat) et non exprimitur, utrum sint unita aeque principaliter, vel subjective; licet in aliis quamplurimis dioecesis locis haec circumstantia notetur. Etiam non est notitia judicialis neque extrajudicialis, quod in aliquo tempore dictae paroeciae duos vel tres parochos habuissent, sed tantum unum. In hac dioecesi ob defectum sacerdotis parochi, qui duas missas celebrant in diebus festis, non percipiunt stipendium pro nulla earum, neque percipere debet Orator quia bonis affluit.

„Oritur aliquod dubium, quando sacerdos absente vel infirmo parocho duas missas celebrat, quia tunc aliqui duo stipendia capiunt, unum a parocho tributum pro applicatione missae pro populo, et alterum pro particulari, super quo esset desiderabilis aliqua declaratio.

In re, de qua agitur praenotandum, conjunctionem tribus modis fieri solere confusione, cum duae pluresve ecclesiae aut beneficia ita coagmentantur, ut ex pluribus una ecclesia, aut unum beneficium fiat: subjectione, cum unum beneficium alteri subjicitur, ita ut ei quasi fundus accedat, et ejus privilegia, consuetudines, naturam assumat: denique alia est unio, quae dicitur aeque principalis, cum neutrum beneficium alteri subjicitur, neque duo beneficia in unum quasi corpus coalescunt, sed integra manent suumque retinent gradum ac titulum, sed ab uno eodemque ministro reguntur.

Jam vero, quamvis paroeciarum unio haud prae se ferre videretur onus duplicis applicationis, quia cum unus sit parochus, unus etiam quoad spiritualia censendus sit populus: et quamvis Benedictus XIV. in celebratissima constit. Cum semper oblatas multa de applicatione missae pro populo diserte praescribens et declarans, nullum faciat verbum de onere applicationis in diversis parochiis uni parocho commissis, attamen S. haec Congregatio

constanter edixit, parochos hac obligatione minime solutos esse, excepto casu unionis plenariae et extinctivae, uti formiter discusso articulo declaravit in Lucen. Applic. missae pro populo 12. Martii 1774; proposito enim dubio: „An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi teneantur dominicis, aliisque festis diebus missam in unaquaque ecclesia sive per se, sive per alium applicare pro populo in casu?“ responsum prodit: „Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva.“ Optime enim perpendebat folium in d. Lucen., quod nimirum, quando ecclesiae parochiales aut subjective, aut aeque principaliter uniuntur, utriusque parochiae populus distinctum corpus efformat, et unusquisque sua jura retinet, inter quae maxime recensetur incruenti sacrificii participatio per oblationem, quae fiat a parocho diebus saltem festis. Nemo autem inficiabitur parochos duabus ecclesiis praepositos curare debere, ut in unaquaque ecclesia diebus festis missa celebretur, cui fideles interessendo ecclesiastico praecepto satisfaciunt. Jam vero onus audiendi missam diebus festis ea praecipue de causa injunctum fidelibus videtur, ut uno animo unoque spiritu Deum exorent cum sacerdote celebrante, quem idcirco speciali ratione pro se et populo preces et sacrificium oportet offerre.

Quod vero de parochis, idem de sacerdotibus, qui parocho absente aut infirmo vices ejus gerunt dicendum ob identitatem rationis. Hinc in cit. const. Cum semper oblatas, §. Quum enim, cautum est, vicarios ecclesiarum parochialium, sive perpetui sint, sive ad nutum amovibiles, omnes indistincte teneri ad applicationem missae pro populo ipsorum curae commisso.

Superest itaque videndum, cujus naturae sit unio paroeciarum in presenti specie. Quamvis vero certo id noscere datum non sit, attamen cum hae paroeciae nomen ac titulum quaeque suum perpetuo distinctum retinuerint, ac parochi in singulis earum ecclesiis missam constanter celebrari curaverint, non temere pro unione aeque principali, sin minus subjectiva praesumi posset. Demum in dubio semper unio praesumenda est aeque principaliter facta, et continuativa jurium ecclesiarum, non autem subjective seu extinctive, uti monent Rebuff. in praxi tit. de union. num. 20 Gratian disc. forens. cap. 893. num. 14. Rota cor. Coccino dec. 2138. num. 6 et in recent. dec. 353 num. 10. part. 10.

Hac itaque in hypotesi, quatenus duplicis applicationis oneri subjectus censendus sit parochus Orator, decernent EE. PP., utrum dispensandum cum eo sit quoad futurum. In quo quidem rogantur prae oculis habere dioecesis consuetudinem, de qua meminit vicarius generalis, paroecialium redituum conditionem, et constitutionem Benedictinam, in qua §. Quin vero, facultas quidem conceditur Episcopis dispensandi cum parochis egentibus ad hoc, ut etiam diebus festis eleemosynam ab aliquo offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare valeant, transferendo infra hebdomadam applicationem pro populo; minime vero ab hac obligatione eos omnino absolvi permittitur. Ad praeteritum vero tempus quod attinet, attenta bona fide ac redituum tenuitate, aliqua indulgentia dignus videtur Orator.

Pro gratia absolutionis et condonationis quoad praeteritum celebratis tamen tribus missis, de quarum adimplemento coram Episcopo Mindonien. Orator docere teneatur. Quo vero ad futurum parochum Oratorem teneri, donec non constet de omnimoda unione utriusque paroeciae, ad applicationem duplicis missae sive per se sive per alium nec non teneri ad eandem applicationem eos sacerdotes, qui vices parochi absentis vel infirmi gerunt; facto verbo cum Sanctissimo.

465. Brixien. — Missae pro populo.

Die 3. Martii 1855.

Episcopus Brixien. exponit, in nonnullis paroeciis suae dioeceseos ab immemorabili morem inolevisse, ut a quibusdam piis sodalitiis, aut a praefectis fabricae ecclesiae retribuatur parocho peculiaris eleemosyna pro missa diebus dominicis aut festis de praecepto celebranda vel canenda. Ex antiquioribus autem regestis deprehendi, quandoque id fieri absque declaratione peculiaris applicationis missae a parocho faciendae, quandoque cum onere specialis applicationis pro determinata obligatione. Parochos vero quibus praedictae eleemosynae tribuebantur, alias missas pro populo diebus ferialibus numquam consuevisse celebrare, uti nec modo celebrant, qui easdem eleemosynas percipiunt.

Quare supplex ab S. Congregatione postulat declarari: „1. Utrum haec praxis ubi ab immemorabili consuetudine firmata invenitur tolerari possit, saltem pro diebus festis, quibus offertur eleemosyna absque obligatione determinatae applicationis? Et quatenus negative, 2. Utrum teneantur parochi omissa hactenus sacrificia implere per totidem missarum applicationem? Et quatenus affirmative, 3 facultatem petit „absolvendi ab hac obligatione parochos, qui bona fide missas, de quibus supra, non celebraverint.“

S. Congregatio constanter edixit, eos quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse, ceu testatur Benedictus XIV. in celebratissima constitutione „Cum semper oblatas“ §. 2. ubi §. 5. contraria quaelibet etiam immemorabilis consuetudo tamquam abusus et corruptela damnatur. Quod si in sequenti §. 8. Episcopis facultas tribuitur dispensandi cum parochis, quos revera pauperes esse cognoverint, ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, licite possint, ea tamen conditio adjicitur, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

Quibus positis liquido patet, graviter, contraria immemorabili consuetudine minime obstante, suo muneri eos in themate defuisse parochos, qui propriis neglectis ovibus pro privatis benefactoribus missas diebus festis accepta eleemosyna applicare non dubitarunt, quin tamen, quod magis reprehendendum, alio infra hebdomadam die defraudatum parochianis tam saluberrimi sacrificii fructum restituerint.

Nulla eapropter subesse videtur ambigendi ratio, quin parochi isti singula hactenus omissa sacrificia supplere debeant, nisi absolutionem et condonationem quoad praeteritum obtinuerint; quam quidem gratiam pro iis implorat Episcopus, qui in bona fuerint fide: nec sane hujus rei desunt exempla, uti in Camerinen. Missae pro populo 28. Martii 1801, in Feretrana 17. Septembris 1808, in Patavina 26. Februarii 1825 inter summaria precum relata.

E contra merito dubitari potest, an consuetudo haec reprobanda sit etiam in eo casu, quo parochi eleemosynas quidem hujusmodi percipiunt, nullam tamen idcirco specialem applicandi obligationem contrahunt. Nam licet qui stipendium elargitur, missam sibi applicatam velle praesumendum sit, quamvis id diserte non exprimat, ut adeo in dubio ab onere applicationis

hoc in casu, qui stipendium accepit, solutus non sit; et quamvis S. Congregatio generatim edixerit nullam a parocho percipi posse eleemosynam pro sacrificio, cujus applicatio populo debita est, uti in Oveten. 22. Januarii 1774, in Nullius-Nonantulae 30. Augusti 1798 nihilominus perpendendum est, juri suo quempiam nuntium mittere posse, idque praesumi in eo, qui stipendium sacerdoti confert occasione sacrificii, cujus applicationem jam alteri ex justitia debitam esse novit. Ceterum quisque stipendium elargiri potest, vel ut solummodo pro se specialiter oretur, vel etiam ut sacerdotis indigentiae liberaliter succurrat, aliisve ex causis; neque exinde obligationem, qua sacerdos erga priorem benefactorem devincitur violari tradunt Frasinellius de sacerd. obligat. ad missas pro aliis ex justitia celebrandas sect. 4. concl. 6. num. 4., Schmalzgr. in lib. 3. decretal. tit. 41. num. 107., Maschat. in lib. 3. tit. eod. de celebrat. miss. num. 7.

Ita pariter non alia ratione putandum videtur, S. Congregationem vetasse, quominus parochi a privatis benefactoribus stipendium recipiant, nisi quia praesumptio est, stipendio onus applicationis affixum esse, et consequenter quia utraque obligatio applicandi tam pro populo, quam pro privato benefactore unica oblatione impleri nequit; ceu innuere videtur Benedictus XIV. in cit. constitutione, uti patet ex iis, quae superius relata sunt. Quamobrem, quatenus parochi in casu accepto stipendio nullam peculiaris applicationis contrahant obligationem, nec omittant sacrificium applicare pro populo, in vim saltem immemorabilis consuetudinis, quae (ubi exposita consistunt) irrationabilis censenda non est, ab hujusmodi eleemosynarum perceptione distinendi minime viderentur.

Consuetudinem juxta exposita esse reprobandam et serrandam esse constitutionem Benedicti XIV. „Cum semper oblatas"; quo vero ad praeteritas omissiones consulendum Sanctissimo pro facultate absolvendi et condonandi imposita cuique parocho applicatione trium missarum, ita tamen, ut unusquisque indultarius de mandata celebratione enuntiatarum trium missarum coram proprio Ordinario docere teneatur.

466. Policastren. — Missae pro populo.

Die 23. Maji 1857.

Episcopus Policastren. in relatione status suae ecclesiae suppliciter ab EE. VV. declarari postulat: an soli curati teneantur ad celebrandam missam pro populo, seu potius omnes participantes per turnum. Ad rem autem adnotat quod „nullam habet parochus pro participatione congruam peculiarem, et in quibusdam ecclesiis statuta et consuetudines praecipiunt, ut missa ab omnibus de clero celebretur, a quibus per turnum hujusmodi obligationi satisfit. In aliis autem quibusdam ecclesiis missa eadem de more ad onus solius parochi recidit, quod aegre ab ipso defertur, cum clerus aliunde contendat istud missae onus esse ab uno parocho suscipiendum, quippe qui fructus faciat suos quaestus et emolumenta, quae ex matrimoniis et mortuorum exequiis sibimet soli proveniunt; quaestus inquam et emolumenta, quae revera ad paucos tenuesque Neapolitanos nummos reducuntur, minime prorsus aequiparanda quamplurimis aliis incommodis, quibus ratione sui muneris parochus ut plurimum extraordinarie subjicitur."

Parochos et eos, quibus animarum cura concredita est, divino praecepto teneri pro ovibus suis sacrificium offerre, declaravit Concilium Tridentinum

sess. 23. cap. 1. de reform., ita ut applicatio missae pro populo recenseatur inter munera pastoralia, quae parocho incumbunt ratione officii sui, ceu post constitut. Innocentii XII. diei 23. Dec. 1697, quae incipit „Nuper“ et Benedicti XIV. cujus initium „Cum semper oblatas“ diei 19. Augusti 1744 perpetuo docuit haec S. Congregatio.

Porro in sensu juris parochi proprie censentur, qui actualem curam habent, sive ii perpetui curati sint, sive ad nutum amovibiles, quamobrem hisce tantum id onus incumbit, non vero illis qui habitualis tantum gaudent honore, uti resolvit S. Congregatio, in Oveten. 12. Januarii 1774 et in Vicoaequen. Missae pro populo 7. Maji 1808, neque aliis sacerdotibus qui ab Episcopo deputantur ut parocho, sed sub ejus dependentia, in animarum cura suppetias ferant. Personalis enim esse hujusmodi obligatio videtur ac adeo per ipsum parochum adimplenda, velut censuit eadem S. Congregatio in Fesulana Missae parochialis 26. Januarii 1771, in qua proposito dubio: „An parochi applicationi missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem?“ rescriptum fuit: „Negative.“

Aliquando quidem parochis indultum est, ut per alios possent applicare missam, sed tum demum, cum legitime impediti per se non poterant, ceu in Comen. Missae parochialis et conventualis ad 5. dubium 11. Maji 1720 et in Viterbien. 31. Martii 1708 ad 2. dubium impressa in thesauro post annum 1740, in quibus tamen injunctum fuit parocho, ut suis sumptibus id faceret. Item etsi non desint exempla in quibus S. Congregatio statuit, ut parochus una cum suis coadjutoribus seu vicariis alternatim missam pro populo applicaret, id statuit, cum vicarii una cum parocho curam actualem haberent, uti videre est in Ripana Jurium parochialium 20. Novembris 1762. In themate autem licet participantes auxilium in cura animarum praestare parochis teneantur, ceu licet conjicere ex Episcopi relatione et ex universali praxi in receptitiis hujusmodi regni ecclesiis vigente, et habitualem fortasse curam habeant; non tamen actuali donatos esse vel ex eo patet, quod ipsi non percipiunt emolumenta ac incerta stolae, ut vocant, quae ad parochos privative spectant.

Nec parochis suffragari videtur, quod haec emolumenta admodum exigua sint; nam onus applicationis ab ipsis implendum est ratione muneris, non bonorum quae possident, Monacell. tom. 4. in supplem. ad tom 7. n. 3, S. Congregatio in Ferentina 26. Martii 1735, quamobrem nihil ad hoc refert, an congruam habeant, vel non, ceu habetur in cit. constit. Cum semper oblatas, vel quod aliquibus in locis ex peculiari statuto aut consuetudine ab omnibus de clero hujusmodi obligationi per turnum fiat satis, cum peculiaria statuta derogare nequeant legi generali ecclesiae, et ad hujusmodi onus teneantur parochi consuetudine etiam immemorabili non obstante, ut inquit Benedictus XIV. in cit. constit., ac reapse S. Congregatio in Tiburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801 in qua haec eadem allegabatur consuetudo ad dubium: „An vicarii perpetui Castri Madamae teneantur alternatim cum archipresbytero dominicis et diebus festis applicare missam pro populo, seu potius hoc onus spectet ad unum archipresbyterum in casu?“ respondit: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“ In hoc tamen casu consuetudo initium habuerat ex errore, quia nempe vicarii se veros parochos putaverant, ceu adnotatur in folio hujus causae §. Neque. Ita consuetudinem posthabuit in Castri Albi VV. SS. LL. 18. Julii 1789, in qua tamen constabat, beneficiatos non teneri ad parochum coadjuvandum in cura animarum, et

solum ex ejusdem parochi imperio, cui subdebantur, missam pro populo applicare solitos fuisse.

Ceterum consuetudinem hanc servandam esse censuit S. Congregatio in Camerinen. Missae pro populo et legatorum 16. Decembris 1820, in qua res erat inter canonicos primae erectionis, apud quos cura habitualis residebat, et vicarium curatum qui actualem exercebat: proposito enim dubio: „An et ad quem spectat onus celebrationis missae pro populo in casu?" responsum prodiit: „Affirmative ad quatuor canonicos primae erectionis ad formam consuetudinis." Perpendebatur enim in folio §. Attamen, quod licet in cit. constit. Cum semper oblatas, quaevis contraria vel longissima consuetudo abrogetur, ut ea non obstante missa pro populo omnino offeratur, nihil tamen sancitum in ea videtur, quo vetita sit consuetudo, ut missa ab habente curam habitualem celebretur.

Onus applicationis missae pro populo spectare ad parochum tantum.

467. Volaterrana. — Missae pro populo et praedicatonis.

Die 27. Februarii 1858.

Episcopus ecclesiae Volaterranae suppliciter ab EE. VV. declarari postulat: an tolerari debeat consuetudo, qua in ecclesia cathedrali omnes canonici per turnum missam pro populo applicant, et evangelii explicatio nequaquam fit in missa parochiali, sed tempore pomeridiano immediate post catechismi doctrinam pueris traditam. Ad rem autem haec habet: „Capitulum cathedralis hujus civitatis ad exercendam curam animarum sibi competentem vicarium perpetuum ab Episcopo praevio examine approbatum deputat. Quoad vero varia officia parochialia inveterata consuetudo haec habet: 1. Missa pro populo diebus festis de praecepto hora determinata et praevio signo campanae non a solo canonico parocho celebratur, sed ab omnibus canonicis per turnum. 2. Explicatio evangelii non ad normam S. Concil. Trid. (sess. 22. cap. 8) et secundum usum antiquissimum ecclesiae (Card. Bona, rer. liturg. lib. 2. c. 7. n. 6.) in missa, quae parochialis missae vices gerit, fit, sed horis post meridiem in amplissima capella cathedrali annexa post catechismum pueris explicatum a parocho habetur."

Constat apud omnes quod parochi et ii, quibus cura animarum commissa est, divino praecepto teneantur pro ovibus suis sacrificium offerre, uti declaravit Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de reform., et applicatio missae recensetur inter munera parochialia, quae parocho incumbunt ratione officii sui, ceu post constit. Innocentii XII. diei 23. Dec. 1697, quae incipit „Nuper", et Benedicti XIV. cujus initium „Cum semper oblatas" diei 19. Augusti 1744, perpetuo docuit haec S. Congregatio.

Porro in sensu juris parochi proprie censentur, qui actualem curam habent, sive ii perpetui curati sint, sive ad nutum amovibiles; quamobrem hisce tantum id onus incumbit, non vero illis, qui habitualis tantum gaudent honore, uti resolvit S. Congr. in Calaguritana Applicationis missae pro populo 12. Decembris 1764; in Oveten. 12. Januarii 1774 et in Vicoaequen. Missae pro populo 7. Maji 1808.

Itaque cum vicarius perpetuus ecclesiae Volaterranae actualem curam exerceat, ad ipsum spectare videtur applicatio missae pro populo, et nihil ad hoc refert consuetudo ex qua ceteri canonici huic muneri satisfecerunt, siquidem ad illud tenentur parochi consuetudine etiam immemorabili non obstante, ut inquit Benedictus XIV. in cit. const. Ac reapse Sac.

Congregatio consuetudinem posthabuit in Tiburtina Applicationis missae pro populo 21. Novembris 1801 et in Castri Albi VV. SS. LL. 18. Julii 1789, ac nuperrime in Policastren. proposita inter supplices libellos die 23. Maji anni p. p.; in qua cum quaesitum fuerit, an missa parochialis applicari deberet ab omnibus e clero participantibus per turnum juxta consuetudinem in nonnullis dioecesis locis vigentem, vel potius a parocho tantum, ceu apud alia ejusdem dioecesis loca in more erat, S. Congregatio indiscriminatim rescripsit: „Onus applicationis missae pro populo spectare ad parochum tantum."

Nihilominus, ad rem quod magis facere videtur, consuetudinem hanc servandam esse censuit S. Congr. in Camerinen. Missae pro populo et legatorum 16. Decembris 1820, in qua res erat inter canonicos primae erectionis, apud quos cura habitualis residebat, et vicarium curatum qui actualem exercebat. Proposito enim dubio: „An et ad quem spectat onus celebrationis missae pro populo in casu?" responsum prodiit: „Affirmative ad quatuor canonicos primae erectionis ad formam consuetudinis." Perpendebatur autem in folio §. Attamen, quod licet in cit. constitutione: Cum semper oblatas quaevis contraria vel longissima consuetudo abrogetur, ut ea non obstante missa pro populo offeratur, nihil tamen sancitum in ea videtur, quo vetita sit consuetudo, ut missa ab habente curam habitualem celebretur.

Quoad explicationem evangelii diebus dominicis et festis in ecclesia cathedrali faciendam, Patres Tridentini haec sanxerunt sess. 5. c. 2 de reform.: „Archipresbyteri quoque, plebani et quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis." Similiter sess. 22. cap. 8. haec habentur: „Mandat s. synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex iis, quae in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis." Igitur ex Tridentino Concilio inter missarum solemnia parochi singuli sanctum evangelium diebus dominicis et festis populo explicare tenentur, et S. Congr. in Pientina Praedicationis 14. Septembris 1748 ad dubium: „An parochus in ecclesia cathedrali Pientina teneatur diebus festivis in actu celebrationis missae parochialis ad explicationem evangelii?" EE. PP. responderunt: „Affirmative"; et in Lunen. Sarzanen. Praedicationis 16. Augusti 1828 ad dubium: „An et quo tempore fieri debeat explicatio evangelii in casu?" responsum prodiit: „Affirmative in missa parochiali." In hac autem causa vicarii curati Sarzanenses onus explicandi evangelium a sese abigere conati sunt, quia pueros rudimentis fidei imbuere solebant diebus dominicis et festis et praedicationem ad populum instituebant post doctrinam christianam. Itaque nulla ratione servari posse videtur consuetudo, quae viget in ecclesia Volaterrana; et reapse S. Congregatio in Hortana 8. Augusti 1744 ad dubium: „An canonicus parochus teneatur singulis diebus festis sermonem habere ad populum post lectum in missa evangelium, vel potius servanda sit consuetudo explicandi evangelium post doctrinam christianam haberi solitam a parocho in ecclesia cathedrali?" respondit S. Congregatio: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

Quoad applicationem missae pro populo servetur consuetudo; explicationem vero evangelii habendam esse in missa parochiali.

468. Dublinen. — Missae pro populo.

Die 2. Junii 1860.

Dublini plurimi sunt capellani asylorum pro pauperibus, carcerum, nosocomiorum, aliorumque ejusmodi locorum. Ab Episcopo nominantur et stipendia a gubernio recipiunt. Omnium qui praedictis locis detinentur curam gerunt, eisdemque ecclesiastica sacramenta, uno excepto matrimonio, administrant. Haec autem omnia praebent independenter a parocho. Exorto itaque dubio, utrum praefati capellani teneantur dominicis festisque diebus sacrum pro populo applicare, Sac. Congregatio de propaganda fide, cui rem retulerat Dublinensis Antistes, dubium hujusmodi huic S. Ordini definiendum remisit.

Indubii juris est quemlibet, cui animarum cura commissa sit, oves suas pascere et sacrificium pro eis offerre teneri, ut statuit Conc. Trid. sess. XXIII. c. 1. de reform. et Benedictus XIV. in constitutione „Cum semper oblatas“, die 19. Augusti 1744, et nuperrime Sanctissimus D. N. Pius PP. IX. in epistola encyclica incipien. Amantissimi die 3. Maji 1858 edita. Huic autem oneri animarum curatores ipsi per se satisfacere debent omnibus diebus dominicis ceterisque festis; idque sive amovibiles illi sint sive perpetui, sive congruos habeant reditus, sive non, quum ad hoc non causa redituum, sed ratione officii teneantur: Bened. XIV. constit. cit. et Sac. Congregatio in Senogallien. 20. Martii 1790 et alibi.

Verum ii soli hoc onere obstricti sunt, qui vero proprioque sensu dicuntur animarum curam gerere. Hinc ab eodem eximuntur coadjutores parochorum, itemque vicarii perpetui, nisi isti in solidum aeque ac parochi actualem obtineant curam, Sac. Congregatio in Tiburtina Applicationis missae pro populo 21. Nov. 1801. Huc quoque spectat duplex decretum Sac. Congregationis de propaganda fide pro missionariis dioeceseos Pekinensis, uti ex nota apparet ab ejusdem Congregationis archivio deprompta et apud acta exhibita. Quum enim decreto die 28. Januarii 1780 edito et a Summo Pontifice Pio VI. approbato die 13. Februarii 1780 declaratum fuisset, missionarios illos nullatenus parochos esse neque ecclesias eorum vere et proprie parochiales; posteriori decreto die 4. Januarii 1798. proposito dubio, utrum iidem missionarii immunes ab onere missam pro populo applicandi existimari deberent, Sac. Congregatio respondit: „Provisum per decretum 28. Januarii 1780 a Sanctitate Sua probatum.“

Eadem Sac. Congregatio alio decreto anni 1803 vicario Apostolico Tonkini occidentalis respondit: „Neque vicarios generales neque coadjutores vicarii Apostolici, uti nec ipsum vicarium Apostolicum ulla teneri obligatione applicandi missam pro populo cui praedictis titulis praesunt, sed ex charitate tantum id debere.“ Ratio autem hujus responsionis, in quantum ex relativa positione desumi potest, haec est, quod vicarii Apostolici non sint vere Ordinarii.

Quod vero ad hospitalia pertinet aliaque ejusdem generis loca, animadvertendum videtur, (quod de hospitalibus nominatim expendit Rota, in Valentiniana Jurisdictionis super manutentione 26. Junii 1751, coram Figueroa) praesumptionem juris esse, ea in aliquo parochiali districtu fundata esse atque constructa, et proinde eorum capellanum veris parochis aequiparari non posse, nisi contrarium clare demonstretur. Ad hoc autem demonstrandum nullatenus sufficit (uti ibidem Rota) quod in hujusmodi locis ecclesiastica administrentur sacramenta et curae animarum opera

detur. Hoc namque competere potest ex privilegio et praescriptione, nec veram parochialitatis rationem proprieque dictam animarum curam necessario includit.

Accedit in casu praesenti, nuptias coram capellanis nullo modo contrahi, uti ex Episcopi relatione apparet. Nihil autem in jure notius quam quod matrimonium coram vero parocho iniri debeat, iis etiam in regionibus in quibus sive propter defectum promulgationis decreti Tridentini (sess. XXIV. c. 1. decret. de refor. mat.) sive propter dispositionem Pontificiam, nullum adest impedimentum dirimens clandestinitatis.

Neque majoris momenti habenda est nominatio Episcopi, qua capellani instituuntur; quum ipsa collatio vicariae in titulum, praevio etiam concursu, tanquam nullius ponderis ad parochialitatem evincendam ab eadem Rota (ibid.) rejecta sit.

Non teneri.

469. Liparen. — Missae pro populo.

Die 23. Martii 1861.

Episcopus exponit: in sua dioecesi unam adesse parochialem ecclesiam, quae cathedralis est. Haec parochia plures circum habet insulas, inter se multo distantes, et unaquaeque insula plures continet pagos, in quorum singulis unum vel duo sunt sacella, pro quibus regendis saltem quadraginta inesse debent sacerdotes, dicti capellani vel capellani curati, quorum officium est concionari in festis, sacramenta eucharistiae, poenitentiae, extremae unctionis ministrare, mortuos benedicere, et ad sepulturam comitari. Aliqui eorum etiam baptizant, sed liber baptizatorum, sicut et confirmatorum, et mortuorum residet penes magistrum capellanum, vel parochum in cathedrali, qui praeest omnibus, et ad quem illi referunt adnotationem baptizatorum et mortuorum. Congrua vero uniuscujusque vel nulla vel minima vel ad maximum quinque obolis in diem. Populus autem alicujus pagi vivit non pane, sed herbis terrae vescitur.

Quibus ita se habentibus censent plures suae dioecesis theologi, solum parochum cathedralis teneri ad applicationem missae pro populo, illos vero capellanos nullam exercere animarum curam, tantum ministros esse coadjutores parochi, ideoque non comprehendi in literis encyclicis s. m. Benedicti XIV. Cum semper oblatas, et Sanctissimi D. N. incipien. Amantissimi redemptoris. Et revera ab immemorabili minime missam pro populo applicant.

Nihilominus Episcopus ad suae conscientiae tranquillitatem sequentia dubia declarari supplex expostulat, nimirum:

„1. Istiusmodi capellani an curam animarum exerceant, et num teneantur missam pro populo applicare?

2. Si affirmative, perpensa egestate dioecesis, Ordinarius maximam reperiet difficultatem imo impossibilitatem inveniendi sacerdotem, qui hoc onere sacramenta administret, quin et periculum erit relinquendi aliquas ecclesias sine sacerdote curato; ideoque expostulat, ut in posterum numerus missarum pro populo applicandarum reducatur ad festum Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, et Sanctissimi Corporis Domini tantum.

3. Praeteritae omissiones, si fuerint, rogat ut condonentur.“

In posterioribus suis literis addebat ad clariorem rei intelligentiam: „1. quod omnes et singulae praefatae insulae comprehenduntur sub paroecia

cathedralis, etenim in hac unus adest parochus, sive magister capellanorum, apud quem servatur liber baptizatorum, confirmatorum, matrimonialium, et mortuorum, atque unum constituunt territorium, unus est judex et gubernator civilis: 2. quod parochus applicat pro populo.“

Capellani pagorum, de quibus agitur, cum animarum curam exerceant dependenter a parocho cathedralis, hinc potius simplices illius coadjutores, quam veri parochi censendi videntur. Soluti eapropter habendi forent ab onere applicationis missae pro populo, ceu similibus in casibus pluries decrevit S. Congregatio; ceu videre est in Policastren. Missae pro populo 23. Maji 1857 proposita inter summaria precum.

Tralatitii praeterea juris est ex doctrina S. Congregationis, quod ubi una sit paroecia, unica tantum missa pro populo sit applicanda, ceu praesertim decisum apparet in Mindonien. et Maceraten., altera in congregatione mensis Julii, altera mense Septembris 1854 propositae inter supplices libellos, aliisque ibi citatis resolutionibus. Quod vero unica in casu exstet paroecia, satis luculenter inferri videtur ab Episcopi relatione. Ac revera in citatis exemplis eadem ferme recurrebant adjuncta rerum, ex quibus unitatem paroeciae retinuit Sacra Congregatio. Denique capellanis favet consuetudo, qua constat numquam huic oneri eos fuisse obnoxios; quod quidem argumento praeterea est neque ipsos uti veros parochos habitos unquam fuisse, nec diversas ac distinctas a cathedrali paroecias eosdem administrasse.

Verum ubi de hujusmodi obligatione quoad capellanos constaret, videndum qua ratione implorata reductio sit concedenda ob causas quas affert Episcopus; nec non demum providendum erit eorum conscientiae pro praeteritis omissionibus, a quibus ceteroquin bona fides eos plane excusare videtur.

Ad I. dubium: juxta exposita negative in omnibus. II. et III. provisum in primo.

470. Alben. — Applicationis missae pro populo.

Die 25. Junii 1864.

In Albensi civitate antiquitus cura animarum gerebatur ab archipresbytero in ecclesia cathedrali et ab aliis canonicis in aliis ecclesiis adjutricibus, prout eaedem nuncupabantur; sed archipresbyter privative quoad alios jus habebat administrandi baptismum, viaticum et extremam unctionem nec non peragendi denunciationes, assistendi matrimoniis, publicandi indulgentias aliaque his similia.

Inter canonicos, qui praefatas adjutrices ecclesias actu regebant, aderat archidiaconus cui, exceptis juribus privativis archipresbytero tributis, proprium erat quoad perexiguum tantum fidelium numerum sive jus tumulandi, sive onus missam ad populi ipsius commodum celebrandi in pervetusta ecclesia sub invocatione S. Mariae del Ponte.

Verum hujusmodi ecclesia ob temporum injurias fatiscente, in cathedralem ecclesiam sive jus illud sive onus translata ad tempus fuerunt per eumdem tamen archidiaconum exercenda.

Rebus ita se habentibus die 21. Junii 1823 Antistitis Albensis Antonii Nicola prodiit decretum, quo perpensis ex una parte „quod succursalis S. Mariae del ponte omnino caret dotatione et ecclesia, quod nulla spes est nova ecclesia donari et ejusdem rector nullas functiones parochiales exercet, exceptis sepulturis, ex altera autem attento parvo numero animarum,“ praefata succursalis ecclesia suppressa est, translatis simul in parochum cathe-

dralis iis omnibus, quae curam animarum respiciebant, haud excepto tumulandi jure, pro quo, libere ab archidiacono remisso, nihil archidiacono ipsi rependendum fore statutum est. Praeterea addebatur: nullum eidem (archidiacono) onus imponi, ita ut in actis dioecesanae visitationis anni 1837 supra relatae suppressionis habita mentione, expresse declaratum legatur, quod archidiaconus „nulla habet onera particularia."

Anno 1862 renunciatus fuit archidiaconus Jucundus Salvaj, qui cum casu agnovisset quemdam ex decessoribus suis etiam post peractam suppressionem missam pro populo applicasse, dubitare coepit, an revera ejusdem missae applicationis onus archidiaconatui inhaereret. Quapropter huic Sacrae, Cōngregationi supplices preces exhibuit, rogans ut ad conscientiae suae et successorum tranquillitatem Sacer Ordo definire vellet, an positis circumstantiis supra descriptis archidiaconus cathedralis Alben. missam pro populo succursalis suppressae S. Mariae diebus festis applicare teneatur.

Die 28. Novembris superioris anni eidem archidiacono utpote capitularis vicarii munere insignito porrectas preces transmisi, ut audito in scriptis capitulo, magis praecise referret, an archidiaconus adhuc aliquam exerceat parochialem jurisdictionem; quid intelligendum sit sub asserto jure dandi sepulturam; an onus missae festivae ex alio titulo, praeterquam parochiali, proveniat, et an parochus cathedralis applicet diebus festis pro populo.

Quibus sedulo obtemperans vicarius haec quae sequuntur, ex parte capituli retulit, videlicet:

„1. Archidiaconus quoad succursalem suppressam nullam exercet jurisdictionem vel functionem parochialem.

2. Jus sepulturae capitulum illud jus intelligit, quod habebat archidiaconus assistendi sepulturis, quae fiebant in succursali S. Mariae et emolumenta percipiendi, ut idem usus in aliis succursalibus S. Joannis Bapt. et SS. Cosmae et Damiani nunc in parochias erectis existebat.

3. Obligatio applicandi missam a nullo alio titulo derivare potest.

4. Parochus hujus cathedralis diebus festis missam pro populo applicat."

Ipse vero vicarius capitularium declarationi subscribens animadvertit: „Nihil de meo haberem, quod illis responsionibus adderem, nisi canonici parochi SS. Cosmae et Damiani diligentia factum fuisset, ut resolutio istius S. Congregationis, quae jam inde a die 13. Julii an. 1723 in re ipsa, de qua agitur, prodiit, in lucem revocaretur, quamque utpote maximi momenti capitulari actui adjiciendam puto . . . Si re integra resolutio an. 1723 mihi innotuisset, forsitan omni dubio excusso a nova expetenda Sacrae istius Congr. declaratione temperassem."

Praestat ergo verba cit. resolutionis heic referre, prout eadem reperiuntur in Alben. 17. Julii 1723 lib. decr. 69. pag. 367. Enarratis facti circumstantiis iisdem fere verbis, quibus et nos usi sumus, ita in praefata Alben. prosequebatur: „Quaeritur, an applicatio missae pro populo diebus festis spectet solum ad praefatum archipresbyterum, vel etiam repartiri debeat quoad alios parochos. Dein hi su plicant (canonici adjutricibus ecclesiis addicti) ab hac Sacr. Congregatione decerni, quod in suis parochiis celebranda sit missa pro populo diebus tantum solemnioribus vel solemnibus, cum apud ipsos integrum jus parochiale desit. Et Sacr. Congregatio Concilii, attenta relatione vicarii capitularis Alben. censuit, solum archipresbyterum teneri ad applicandam missam parochialem pro populo diebus festis de praecepto.

Post haec supervacaneum videtur quidquam ulterius addere. Enimvero cum neminem lateat, applicationem missae pro populo inter munera paro-

chialia recenseri, eamque parocho incumbere jure divino ratione officii: Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de refor. Bened. XIV. const. Cum semper oblatas §. Qui enim et Sacr. Congreg. passim tum inter antiquas tum inter recentiores resolutiones; definitum pariter est unam tantum missam pro populo applicandam esse, ubi unica sit parochia, ceu in rel. Alben. et ulterius in Balneoregien. Missae parochialis et conventualis 19. Augusti 1713 relata in Thesauro post ann. 1740 in qua ad VII. dub.: „An quatenus missa parochialis sit celebranda in diebus festivis a canonicis curatis in parochia contradae Raehotae sufficiat celebratio et applicatio unius missae pro populo, seu potius ambo canonici curati teneantur ad applicationem supradictae missae“ rescriptum fuit: „Sufficere unicam celebrationem et applicationem.“

Archidiaconum non teneri.

471. Astoricen. — Missae pro populo.

Die 9. Decembris 1865.

Astoricensis Episcopus in Hispania in relatione status ecclesiae suae ad II. S. O. transmissa die 29. Novembris anni 1804 inter alia sequens dubium proposuit:

„In hac dioecesi sunt quaedam ecclesiae filiales, quae a presbyteris parochorum adjutoribus pensionem licet parvam a supremo gubernio percipientibus reguntur. Hi coadjutores non missam pro populo in diebus festis applicant. Quaeritur rectene se gerant, an e contrario debeant pro populo missam applicare praedictis diebus.“

Ad hujusmodi quaestionem resolvendam cum pleniori causae cognitione, visum fuit eumdem Episcopum rogare, ut magis praecise referret, an filiales ecclesiae conferantur in titulum perpetuum, suam habeant plebem distinctis a matrice limitibus circumscriptam, earumque rectores independenter a parocho sacramenta administrent. Quaesitum insuper est, quot annui stipendii parochialis reditus sint, comprehensis incertis utriusque stolae.

Ad haec itaque reponens Episcopus die 12. Junii anni curr. sequentia retulit: „Ut clarius dubium proponatur animadverto: filiales paroecias sive ecclesias minime in titulum perpetuum conferri. Suam habere plebem distinctam a matrice limitibus circumscriptam, earumque rectores (coadjutores) dependenter a parocho sacramenta administrare. Annui stipendii parochialis quantitas non comprehensis incertis utriusque stolae, de quibus inter parochum proprium et coadjutorem conventio fieri solet, sunt 2000 vel ad maximum 2500 regalia. Utriusque stolae stipendia non eadem in singulis dioecesis ecclesiis, sed veluti 300 sive 500 regalia annua percipere poterit coadjutor mediam viam sequendo.“

Scitum in jure est applicationem missae pro populo diebus dominicis aliisque festis inter parochialia munera recenseri, eamque incumbere jure divino et ratione officii parocho et cuilibet animarum curam actu exercenti, sive perpetuus is vicarius sit sive ad nutum amovibilis, Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de refor. Benedict. XIV. const. Cum semper oblatas §. Qui enim et Sacra Congregatio in Salamantina et in Atrien. 22. Februarii 1862, alibique passim sive in thesauro resolutionum, sive inter summaria precum.

Definitum pariter est, unam tantum missam pro populo applicandam esse, ubi unica sit parochia, ceu in Alben. 17. Julii 1723 libr. 73. decret.

pag. 367 et in alia Alben. 25. Junii 1864, licet plures parochiales illi ecclesiae sint unitae unione subjectiva ceu in Nuscana 17. Januarii 1756. §. An canonici. Praestat igitur inquirere, utrum in casu agatur de una tantum paroecia vel de totidem paroeciis res sit, quot sunt filiales ecclesiae.

Pro pluralitate paroeciarum intelligi possent ea Episcopi verba, quibus refert hujusmodi ecclesias suam habere plebem distinctam, licet divisio haec necessario constitui tantum debuerit, ne confusio oriretur in exercitio jurisdictionis singulis coadjutoribus delegatae. At contrarium suadere videntur, quae idem Episcopus subjungit, unam scilicet ecclesiam esse matricem, ceteras nonnisi adjutrices, ob ingentem numerum fidelium primae subjectarum, quas etiam filiales vocat. Nec aliter insuper reputandum videtur ex dependentia illa, qua hi coadjutores administrant sacramenta, et ex conventione fieri solita inter parochum et coadjutores relate ad incerta utriusque stolae, quapropter istiusmodi rectores seu coadjutores simpliciter capellani appellari deberent.

At ii soli onere missae parochialis obstricti sunt, qui vero proprioque sensu curam animarum gerunt. Quod apertissime apparet tum in aliis, tum etiam in supracitata Alben. 17. Julii 1723 lib. decr. 73. pag. 367. Ubi quaerebatur, utrum unus archipresbyter teneretur missam celebrare pro populo, an potius etiam alii canonici in aliis ecclesiis adjutricibus. Et Sacra Congregatio, attenta relatione vicarii capitularis Alben. censuit, solum archipresbyterum teneri ad applicandam missam parochialem pro populo diebus festis de praecepto.

Id ipsum praescripsit H. S. Congregatio in Nuscana 17. Jan. 1756, ubi docuit canonicos collegiatae ecclesiae S. Mariae de Plano teneri unam tantum missam pro populo celebrare diebus festis, licet plures parochiales illi ecclesiae essent unitae. Ad dubium enim: „An canonici colleg. ecclesiae S. Mariae de plano . . . teneantur unam missam pro populo celebrare seu potius tot missas, quot sunt parochiales ecclesiae illi unitae; responsum prodiit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Non teneri.

472. Rupellen.

Die 8. Julii 1843.

Cum in regno Galliarum saepe eveniat, ut vacantibus paroeciis praeficiantur rectores finitimarum plebium, qui facultatem binandi diebus festis obtinent, dubium exortum est, num utramque missam pro respectivo populo applicare debeant, an satis sit, ut primam tantum in genere pro ovibus sibi sive ad tempus sive perpetuo commissis applicent. Re ad S. Congregationem delata responsum fuit, parochum teneri ad utriusque missae applicationem, primam quidem pro suis paroecianis, alteram vero pro ovibus alterius vacantis paroeciae suae curae ad tempus commissae, tam ratione habita ad diversitatem paroeciae quam ad peculiare alterum stipendium, quo augetur nec non ad dispositionem constitutionis s. m. Benedicti XIV. „Cum semper oblatas.“ — Nihilominus Episcopus Rupellen. in Urbe praesens exponit, nimis gravem esse hanc obligationem iis parochis suae dioecesis, qui alteram paroeciam vacantem administrant, utpote qui vix gallicas libellas 150 vel 200 pro labore extraordinario recipiunt quaeque vix sufficiunt pro expensis praesertim frequentis accessus ad paroeciam vacantem; petit hinc a S. Sede, ut mitius agatur cum parochis hujusmodi sive quoad praeteritum sive quoad futurum.

Attentis peculiaribus circumstantiis consulendum Sanctissimo pro facultate Episcopo, tam absolvendi super praeteritis omissionibus celebrata unica missa, supplendo de thesauro ecclesiae, quam dispensandi ad quinquennium cum parochis, qui alteri paroeciae vacanti praeficiuntur, super applicatione alterius missae pro populo diebus festis etiam suppressis a S. M. Pio VII. dummodo in festis Nativitatis et Ascensionis D. N. Jesu Christi necnon Paschatis Resurrectionis et Pentecostes atque Assumptionis B. Mariae Virginis et Omnium Sanctorum eam alteram missam applicent pro altera plebe sibi ad tempus commissa, firmo in his diebus onere applicationis primae missae pro aliis ovibus propriae paroeciae.

473. Bobbien. — Missae pro populo.

Die 12. Martii 1853.

Sanctissimus D. N. teterrimam temporum conditionem ac dioecesis paupertatem commiseratus instanti Episcopo die 7. Novembris 1850 facultatem indulsit suspendendi nimirum parochis, qui vere pauperes essent, obligationem applicandi missam pro populo diebus festis reductis, imposito singulis precum ab eodem Episcopo statuendarum onere. Jam inde properante hujusmodi indulti termino, iteratas dedit preces idem Episcopus, quibus primo praecedentis indulti prorogationem postulabat; deinde ut, parochi nedum ab onere applicationis missae pro populo in diebus reductis omnino exonerarentur, sed etiam iis facultas fieret applicandi annuatim quindecim missas diebus festis de praecepto cum eleemosyna, quae cedere deberet in opus propagationis fidei; dum durante praecedenti indulto laudabiliter factum fuisse exponit a singulis parochis indultariis, ut pro quolibet festo reducto eleemosynam solidorum sexdecim lubenter in idem opus offerrent.

Nil est quod referam praeconium, quo ipse Episcopus opus propagationis fidei extollit, et quam optime hucusque cesserit experimentum largitatis parochorum indulto utentium, ex qua contigit congruam satis eleemosynam collectam fuisse. Quoniam vero nonnulli alii illius ditionis Episcopi idem pro suis parochis urgent indultum, meum hinc puto Sacrum Ordinem sententiam rogare, ut tutius in hujusmodi negotio procedatur.

Notum in jure est animarum curatores jure divino obstringi nedum ad plebem sibi commissam salutaribus verbis instruendam, sed etiam ad sacrificium pro ea offerendum singulis diebus festis, Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de refor., Benedict. XIV. in constit. Cum semper oblatas. Quam obligationem etiam quoad dies festos a Sancta Sede suppressos vigere indubitatum est, et saepe saepius Sacra Congregatio declaravit, ut ceteris missis, novissime in Mechlinien. Missae pro populo 25. Septembris 1847 ubi ad dubium: „An parochi debeant ss. missae sacrificium pro populo offerre diebus dominicis, et iis etiam festis diebus, qui per indultum Apostolicum diei 9. Aprilis 1802 suppressi sunt?“ responsum edidit: „Affirmative.“ Nec id onus esse reducendum ratione tenuis paroeciae reditus, tenuit Sacra Congregatio in Ferentina 26. Martii 1735 et in Vicoaequen. Missae pro populo 7. Maji 1808; quandoquidem non ob congruam, sed officii ratione parochus illas celebrare ac pro populo applicare tenetur, Sacra Congregatio in Nullius Sublacen. Jurium parochial. 29. Januarii 1825. Juris itaque inspecta censura nullum dubium, Episcopi petitionem undequaque fore

respuendam, nimirum nedum quoad omnimodam dispensationem ab applicatione missae diebus festis reductis, sed etiam quoad reductionem propositam pro diebus festis de praecepto.

Inficiandum haud tamen est Sanctam Sedem benignam quandoque se praebere erga parochos, qui tanta paupertate premuntur, ut necessarium omnino sit per missarum eleemosynas suppetias ipsis ferre. Hac reapse suadente causa, praesertim si alia etiam rerum ac locorum adjuncta concurrant, dispensare non abnuit ab applicatione missae quoad dies festos reductos nonnullis exceptis tamen diebus, ceu usu venit cum parochis Galliarum, quorum egestatem haud desinunt proprii Episcopi lamentari.

Nec aliam certe ob rationem superius indultum Oratori Episcopo elargitum fuisse jam in facto narratum. At suspicandum merito nunc esset, num revera paupertas subsistat, vel ejusmodi sit quae digna agnoscatur levamine. Siquidem juxta ea, quae exponuntur, parochos per antecessum nil commodi expertos fuisse ex dispensatione quoad festos reductos patet ex eo quod respondentem iis diebus eleemosynam in opus propagationis fidei contulerint; idipsum autem practicandum foret quoad futurum relate ad dispensationem quindecim dierum festorum de praecepto. Num autem ad opus, ceteroquin optimum provehendum justitiae debitum posthaberi expediat, judicabunt Eminentissimi Patres. Illud tamen prae oculis habendum, fere numquam et nonnisi vehementissimis suadentibus causis pro parochis Italiae hujusmodi indulta prodiisse, etsi haud lateat plures ex iis adeo exigua frui congrua, ut vix Pianae constitutionis taxam pertingat. Unde verendum, ne per hujusmodi concessionem aditus ad relaxandam sanctissimam legem reseretur.

Negative.

474. Spiren. — Missae pro populo quoad dispensationem vel reductionem.

Die 18. Februarii 1865.

Episcopus Spirensis Sanctissimo D. Nostro supplices preces obtulit, quibus ob sacerdotum penuriam, praecipue vero ob praegrande onus missarum in unaquaque hebdomada celebrandarum, quo plures suae dioecesis parochi gravantur, veniam rogat vel omnino remittendi, mature praemisso examine et pro urgente necessitate, vel saltem ad pauciores missas reducendi nonnullis parochis obligationem applicationis missae pro populo in diebus festis legitime suppressis.

Refert enim: „In dioecesi Spirensi major pars incolarum protestantium confessioni adhaerens in oppidis et pagis cum catholicis permixtim habitat, qua ex causa plurimae parochiae catholicae nimium extensae sunt, amplectentes multas late circumcirca filiales et annexas. Et, quod maxime dolendum est, in permultis ejusmodi parochiis extensis et copiosis ob penuriam sacerdotum et nimiam exiguitatem proventuum ecclesiasticorum unicus tantummodo sacerdos sacris fungitur officiis. Inter parochos triginta duos, quorum singulae parochiae duo, tria, quatuor, quinque et sex millia parochianorum excedunt, sexdecim tantum sunt, qui gaudent auxilio sacellani, in aliis sexdecim parochiis nonnisi singuli existunt sacerdotes, inter quos insuper septem sunt, qui omnibus diebus dominicis et festivis binando in ecclesia parochiali et filiali dissita sacris fungi debent. Aliae viginti quinque parochiae cum pluribus filialibus et annexis, quae parochianos mille et quingentos usque ad duo millia complectuntur, quatuor exceptis, unius tantum curae commissae

sunt sacerdotis, quorum decem omnibus diebus dominicis et festivis in duabus ecclesiis dissitis celebrare tenentur.

„In his parochiis tam copiosis plurimae existunt missae fundatae; praeterea pro quolibet defuncto adulto tres post diem obitus missae plerumque celebrantur. Pro pauperibus defunctis ab omnibus parochis vi observantiae dioecesanae nonnisi difficillime relaxandae, una saltem missa gratis celebranda est. Alii parochiani, qui pro parentibus aliisque cognatis missas fundare nequeunt, in die obitus anniversaria missas celebrari desiderant; item et pro defunctis parvulis missas sic dictas angelorum, aeque ac pro omnibus fidelibus defunctis, et in aliis animae et corporis necessitatibus, et quidem in propria ecclesia, ut sacrificio missae adesse queant, et magno certe afficerentur dolore parochiani, si pio huic desiderio parochi satisfacere non possent. His accedunt missae pro sponsis celebrandae. In omnibus fere parochiis existunt piae sodalitates cum plurimis missarum fundationibus, aliaeque piae congregationes, quarum sodales collectis eleemosynis sacra tam pro vivis quam pro defunctis peragenda expostulant, quae aliaque sacra si parochus per alium sacerdotem in aliena ecclesia celebrari curaret, facillime incurreret suspicionem neglecti officii. Insuper in dioecesi Spirensi singularis existit societas sacerdotum sub nomine pacti Mariani, cui omnes dioecesis sacerdotes cum pluribus laicis adscripti sunt, qui pro singulis sodalibus defunctis tenentur missam celebrare vel celebrare facere.

„His omnibus accedit, quod pluribus parochis ob penuriam sacerdotum etiam vicinarum parochiarum vacantium cura, et saepius quidem per plures annos debeat commendari; quo fit, ut cumulatis missarum oneribus satisfacere omnino nequeant. Quodsi parochus auxilio sacellani saepissime destitutus longiori tempore aegrotat, missae fundatae, ut alias praetermittam, nimium retardantur, quod jamjam in aliis pluribus accidit parochiis copiosis uno tantum sacerdote gaudentibus, quod certe fideles nonnisi aegerrime ferunt.

„Rebus in dioecesi Spirensi sic stantibus supervenit epistola encyclica Sanctitatis Vestrae Romae die 3. Maji 1858 data, qua omnibus parochis aliisque animarum curam actu gerentibus in dioecesi viginti sex per annum missarum pro populo in diebus festivis reductis applicandarum nova obligatio injungitur. Cumulatis hisce oneribus persolvendis cum multi parochi meae dioecesis sane impares sese conspicerent, ex onerata conscientia instanter ad me preces direxerunt, ut Sanctitatem Vestram pro clementissima hujus obligationis remissione rogarem. Et re vera in dioecesi Spirensi, uti ex supra allatis patet, viginti saltem parochi existunt, qui obligationi missas in diebus festivis reductis pro populo applicandi satisfacere omnino, plures alii saltem in toto satisfacere nequeunt.“

Parochos aliosque omnes curam animarum actu exercentes divino praecepto teneri pro ovibus sibi commissis novae legis sacrificium offerre aperte docuerunt Tridentini Patres sess. 22. cap. 1. de reform., ita ut missae pro populo applicatio recenseri mereatur inter pastoralia munera, quae parocho ratione officii incumbunt uti Inn. XII. in const. diei 24. Aprilis 1699, eaque locum habere debeat tam in omnibus dominicis, quam in aliis solemnioribus festis juxta notissimam constitut Benedicti XIV. Cum semper oblatas, et quidem etsi tenues sint paroeciae reditus, Sacr. Congr. in Ferentina 26. Martii 1735 et in Viciaequen. 7. Maji 1808. Haec autem omnia firma manent non modo pro iis diebus festis, qui adhuc a populo servantur, sed etiam pro festis diebus jam suppressis. Summi enim Pontifices, qui christianam plebem ab onere audiendi sacrum illis diebus liberam reddiderunt, non exonerarunt parochos ab obligatione missam appli-

candi pro populo, sicuti elucet ex pluribus hujus Sacrae Congregationis declarationibus, ex ipsa Benedicti XIV. constit. num. 7, et ex praelaudatis literis encyclicis diei 8. Maji 1858 Sanctissimi D. Nostri cuj. init. Amantissimi redemptoris, quibus non novum aliquod onus imponitur, sed rursus tantum praecipitur et declaratur omnino observandam esse veterem obligationem, contra quam nulla quamvis antiqua seu etiam immemorabilis consuetudo adduci efficaciter posset, juxt. cit. constit. Benedict. num. 5.

Verum haud dubitare licet, quod magna occurrente exiguitate redituum parochialium in peculiaribus casibus pro re ac tempore aliqua praefatae obligationis remissio parochis tribuatur. In casu tamen res non est, ut videtur, de absoluta redituum exiguitate, sed de sacerdotum potius penuria, ex quo fit, ut unus parochus par non sit satisfaciendo oneribus missarum sive quae ex perpetuis legatis, sive quae ex fidelium oblationibus in dies proveniunt.

Utrum id legitimam exhibeat causam petitam remissionem elargiendi, erit EE. VV. decernere, nisi potius aliud lubeat adhibere remedium, quod ipsa Benedictina constitutio in §. 8 suppeditat, transferendi nimirum ad aliam infra hebdomadam diem missae pro populo celebrationem, quae praedictis festivis diebus incumberet.

Negative et ad mentem.

V. DE SEPULTURIS.

475. Parisien. — Emolumentorum.

Die 9. Septembris 1848.

Priusquam pro pace et salute ovium sibi commissarum gloriosam oppetiisset mortem Archiepiscopus Parisiensis, ut meliorem redderet conditionem illorum presbyterorum, qui singulis paroeciis addicti parochum adjuvabant tum praedicatione verbi Dei, tum fidelium confessionibus excipiendis, tum etiam in extremo agone laborantibus confortandis et mortuorum quandoque cadaveribus associandis, quique administratores nomine proprio nuncupabantur, edidit decretum. Sciendum est enim in archidioecesi Parisiensi, ut in ceteris Galliae dioecesibus, quamlibet paroeciam ob latissimos, quos habet fines praeter proprium parochum a duobus vel pluribus vicariis administrari, qui certam accipiunt pensionem a gubernio quotannis in gallicis libellis, vulgo franchi nuncupatis, quinquaginta supra tercentum et quandam insuper habent annuam assignationem super reditibus eventualibus libellarum duarum vel trium circiter millium. Presbyteri autem administratores paroeciae cujusque clerum constituentes, qui ex eorum officio cum illo vicariorum fere communi quasi parochi coadjutores in cura animarum censendi sunt, nihil prorsus emolumenti a gubernio consequuntur, sed ad necessariam sustentationem 1500 vel 2000 ad summum libellas percipiunt in singulos annos, a fabricae parochialis administratione ex quibusdam reditibus certis aliisque prorsus eventualibus efformata summa.

Cum autem post novissimam regiminis mutationem in Gallia valde decrevissent reditus hujusmodi eventuales seu fidelium oblationes, quibus praecipua sustentationis media consequebantur presbyteri administratores, Archiepiscopus tributo hisce vicariorum titulo, ad temporaneam, prout res et tempora postulabant, provisionem devenit, qua, collectis in massam commu-

nem per thesaurarium eligendum omnibus emolumentis ex administratione sacramentorum baptismi et matrimonii provenientibus nec non assignationibus fabricae parochialis ceterisque proventibus hactenus ex consuetudine vel statutis parocho tantum ejusque vicariis competentibus, novi etiam vicarii de iisdem imposterum participes fierent, ita ut, qui socii erant laboris, ad praemii quoque societatem admitterentur. Hanc tamen dispositionem ita temperavit Archiepiscopus, ut et parochis sarta tectaque manerent pensio a gubernio illis tributa, indemnitas pro locatione domus ad habitandum, funerum emolumenta atque oblationes, quae propter panis benedictionem a fidelibus fieri solent; et vicarii jam praeexistentes duplicem supra novos vicarios portionem semper obtinerent. — Quinam vero effectus decretum hujusmodi fuerit subsecutus, ex literis Apostolici Nuntii Parisiensis hauritur. Dum siquidem parochi jurium suorum laesionem lamentantur decretique nullitatem arguunt propter excessum potestatis archiepiscopalis, vicarii e contra ejusdem reclamant executionem. Quam controversiam quamprimum de mandato Sanctissimi proponendam, postquam folium erat jam distributum, accepi et hinc, ut mandatis facerem satis, in id veni consilii, ut per summaria precum Eminentissimis Patribus dirimendam proponerem.

Maxime controvertitur inter doctores, num in parochi congrua, quae ex constitut. S. Pii V. conficitur etiam ex reditibus incertis, computanda sint emolumenta ex administratione sacramentorum provenientia. Card. enim de Luca in disp. 18. num. 12. de paroch. affirmat ea esse computanda, cum non possit populus non mori, non nasci, non baptizari, non contrahere matrimonia; alii autem plerique, facta hujusmodi incertorum emolumentorum distinctione inter ea, quae habent quandam certitudinem moralem seu quoad substantiam ac ea, quae nec quoad substantiam nec quoad qualitatem certa esse possunt, referunt primi generis emolumenta esse computanda, minime vero cetera alterius generis. Ad primam autem classem referunt distributiones quotidianas, decimas frumenti, vini, olei et similium; ad alteram vero: sepulturas, funeralia, proventus baptismales, matrimoniales, eleemosynas altaris et similia, Giraldi ad Barbos. de paroch. in append. cap. 115 num. 34; Piton. discept. eccl. 46 num. 7, Reclus. de re parochiali p. 1. tit. 4 n. 100 et seqq. et Ferraris s. v. Congrua §. 2. n. 11. et seqq., ubi hanc reddit rationem, „quia ista non sunt fructus beneficii, sed merces et praemium laboris inservienti tantum debita“, ita ut merito possit inferri quod haec nullam faciant partem beneficii.

In dubium nihilominus revocari profecto nequit, quin funerum emolumenta nec non obventiones ex sacramentorum administratione provenientes ceteraeque fidelium oblationes, licet beneficium parochiale minime constituant, cujus locum in Gallia tenet assignatio per gubernium constituta, inter jura tamen parochialia recenseantur ac proinde ad parochum privative pertineant ceu de oblationibus intra paroeciam factis resolvit S. Congregatio in Fulginaten. 6. Apr. 1647, ac de emolumentis funerum, baptismorum et matrimoniorum, ita ut illa nequeant lucrari coadjutores in ecclesiis parochialibus deputati, seclusa contraria observantia in Vassionen. Visitat. ss. liminum 16. Dec. 1679 ad 3. dub.; in Velitern. Serv. paroch. 16. Junii 1702 et in Cassanen. Dismembr. 22. Jul. 1741. §. Verumtamen: quod ex ipsa disciplina Gallicana confirmat Gibert in corp. jur. can. tom. 2. tit. 10. cap. 5. art. 4. in fin. ex dispositione concilii Narbonensis et Turonensis. Nec refert, quod animarum cura ab administratoribus etiam presbyteris seu vicariis exerceatur: id enim non efficit, ut actualis, cujus ratione

praefata obveniunt emolumenta, resideat penes ipsos, sed penes parochum, in cujus adjumentum vicarii seu capellani acciti sunt et mancipati; nam hujusmodi capellani non sunt considerandi, sed solus parochus, qui proprie regit ecclesiam, ceu monet Reclus. loc. cit. tit. 1. num. 103 et seqq. Quare despicienda non est parochorum querela, cum ex decreto archiepiscopali maximam patiantur jurium suorum jacturam, sive jus commune spectetur sive consuetudo regionis, quibus ipsorum possessio defenditur, omnia enim jura clamant, ne quis jure legitime quaesito pro lubitu superioris exspolietur.

Contra tamen haec sunt perpendenda. Presbyteri administratores, vicariorum titulo decorati per archiepiscopale decretum, parochum vere adjuvant in exercitio curae animarum ita ut ipsius coadjutores consendi sint in sacramentorum administratione, ut populi numerositati valeat satisfieri. Jam vero Conc. Trid. in sess. 21. c. 4. Episcopis facultatem attribuit parochos cogendi ad coadjutores sibi assumendos in simili casu eosque providendi necessaria sustentatione ex quibuscunque reditibus ad paroeciam ipsam pertinentibus, uti monent Barbosa ad Conc. Trid. s. 21. c. 4. n. 14, Card. de Luca in adnot. ad dict. Conc. disc. 16. ac passim firmavit S. Congr. ac praesertim in Aquilana 5. Febr. 1604 ad 1. dub.; in Thelesina 8. Febr. 1774 ad 3. dub. (?); in Placentina 13. Apr. 1726 ad 1. et 2. dub.; in Constantien. 27. Junii 1761 ad 2. dub. aliisque innumeris. Certum est autem onus suppeditandi augmentum congruae ad eosdem pertinere, ad quos spectat congruam ipsam praebere ac supplementum hujusmodi praestandum esse, quando id Episcopus necessarium judicaverit ex traditis a Reclus. loc. cit tit. 4. num. 116 et seqq. et Pignatell. consult. 44. n. 10. tom. 8; quod pluries firmatum est per Rotam ac adamussim in dec. 2158 num. 48 coram Coccino, et in Asculana, Contrib. congruae 10. Maji 1756 coram Elephantutio. Si ergo Archiepiscopus cogere poterat ab initio parochos ad hujusmodi presbyteros assumendos cum congruae assignatione, facili negotio consequitur eosdem ad supplementum potuisse compellere.

Neque id absque legitima causa fecisse videtur. Cum enim unicum sustentationis medium praefati presbyteri ex eventualibus emolumentis perciperent atque haec notabiliter essent imminuta: presbyterorum conditio et sustentatio necessariam exigebat provisionem, quae haud grave parochis detrimentum attulisse videtur; nam praeter pensionem a gubernio illis attributam potioribus gaudent emolumentis, ita ut generatim conspicuam quotannis ex officio parochiali summam percipiant. Praeterea agitur de iis emolumentis, quae ratione servitii et laboris debita sunt, ceu supra demonstratum est, ac ad illos pertinent, qui incommodum sentiunt, uti animadvertebatur in Senogall. 13. Junii 1789. §. Quantum (?) exindeque haud incongruum apparet, quod Archiepiscopus ex illis meliorem reddiderit presbyterorum administratorum, qui una cum parocho laborant, conditionem. Ipsa enim S. Congregatio, licet consimiles coadjutores ab emolumentorum participatione excludendos censuerit in supra cit. Vassionen. et Veliternen. id tamen resolvit habere locum in casu, quo ipsi coadjutores congruam haberent, ceu patet ex resolutionum verbis, quae in Vassionen. haec sunt: „Coadjutor deputatus in ecclesia S. Luciae, qui habet congruam, non potest lucrari emolumenta funerum, baptismorum et matrimoniorum, quae sunt jura parochialia et dari solita parocho;“ et in Veliternen.: „Coadjutores habentes congruam non debent participare de emolumentis parochialibus“. In casu autem praesumendum est assignationem, quam praefati presbyteri percipiebant, non fuisse congruam ad decentem sustentationem habita ratione loci et pretii alimentorum, quae in praefinitione congruae semper habenda est,

uti adnotatur in Nepesina, Restaurat. eccles. 30. Maji 1772. §. Ex his.

Observandum insuper est ad Episcopum pertinere praefatorum emolumentorum taxationes in synodo vel extra edere aut saltem approbare eorumque quotas posse, prout melius judicaverit, dispescere, alii scilicet majorem, alii vero minorem assignando, easque etiam variare rerum, temporum, locorum vel personarum adjunctis immutatis. Quapropter, dum novam in praefato decreto illorum partitionem ac formam illa percipiendi constituit, haud censendus est Archiepiscopus factum admisisse, quod suam excederet potestatem. Hoc autem consonum profecto videtur iis, quae tradit Gibert loc. supra cit. sect. 17. §. 1, ubi disserens de taxis episcopalibus praescribentibus, quid possint vel non possint exigere parochi pro exercitio munerum suorum in Gallia ac praesertim Lutetiae Parisiorum, haec habet: „Circa quas taxas notandum, quod etsi temporalia respiciant, quae a sola potestate temporali pendent, Episcopi tamen, qui illas faciunt, non usurpant jus potestatis temporalis, quia id agunt ex concessa a lege auctoritate, uti patet ex edicto anni 1695 praecipiente, ut Episcopi praescribant, quis honor seu retributio dandus sit clericis pro munerum sacrorum exercitio ac consequenter ut finiant lites inter ipsos clericos subortas circa ejusmodi honorem.“

Haec sunt, Patres Eminentissimi, quae in angustia temporis colligere datum est sive in facto sive in jure: si autem plura innotuissent factorum adjuncta res, personas, officia, jura, de quibus quaestio est, respicientia, juris etiam elementa, quae magis ad propositae controversiae definitionem conferre potuissent, poterant forsan exhiberi, cum ex facto plerumque jus oriatur. Ex deductis tamen, quid sit resolvendum, EE. VV. judicabunt.

Sacra Congregatio etc. censuit pro dilatione et quamvis opinaretur pro confirmatione decreti, judicavit tamen rem omnem suspendere attenta annullatione ejusdem decreti facta a ministro cultuum ac proinde rescriptum fuit: Scribatur juxta minutam, Nuntio scilicet Parisiensi.

476. Patavina. — Emolumentorum funeralium.

Die 26. Januarii 1850.

Incolarum numerus Patavinae civitatis, haud computatis advenis studentibus ac militari praesidio exsurgit ad 40000 et cura animarum ante a. 1808 per triginta parochos titulares regebatur: quo tempore per infensissimum principis Eugenii decretum, duodecim tantum servatis parochialibus ecclesiis, reliquae perpetua fuerunt suppressione damnatae. Ut autem spirituali prospiceret bono animarum Episcopus illius temporis, cum parochorum numerus ita diminutus omnium necessitatibus occurrere nequiret, sapienti methodo die 30. Julii praefati anni 1808 in vulgus edita sancivit, ut rectores parochiarum unitarum praeter reditus parochiales duas ex tribus partibus perciperent omnium stolae albae et nigrae emolumentorum, quae ex suppressis paroeciis derivarent; injuncto tamen iisdem onere operam exhibendi ad spiritualem animarum assistentiam sub omnimoda parochorum servatorum dependentia adjecta limitatione ad eorum tantummodo vitam.

His autem antiquarum paroeciarum rectoribus vita functis, ne spiritualis animarum cura pateretur, alii suffecti sunt sacerdotes, ad Episcopi nutum amovibiles, qui titulo vicariorum coadjutorum in auxilium eorum parochorum addicti sunt, quibus major erat necessitas ob majorem animarum numerum assignata novis vicariis pro decenti eorum sustentatione congrua portione ex

reditibus paroeciarum antiquarum desumpta. Eorundem numerus vicenum exaequat. Portio non est omnibus eadem, sed major vel minor, ut opinor, pro majori vel minori onere et labore supportando; infima vero portio ad libellas monetae austriacae 240 cohibetur, maxima ad 936 assurgit, ita ut congruam plerisque parochis titularibus attributam transcendat.

Ast portio vicariis assignata quibusdam praesertim ex iis admodum tenuis visa est et continuo querimonias adversus parochos excitarunt eum in finem, ut incertis saltem emolumentis stolae participes fierent in eorum exemplum, quibus fuerant subrogati. Hisce querelis pertaesi protestati de nullo vicariorum jure ad praefata emolumenta parochi voluntarie Episcopo proposuerunt anno 1824: „tertiam partem incertorum stolae nigrae, seu, ad melius explicandum, tertiam partem proventuum e cera funerum occasione oblata resultantium, qualis tertia pars inter vicarios coadjutores in quavis paroecia dividetur;“ ea tamen conditione, ut coadjutores operam parochis navarent non solum in spirituali cura animarum administranda, sed etiam in omnibus negotiis, quae parochis ab ecclesiastica et civili auctoritate demandantur. Hanc parochorum aequam propositionem cum adjecta conditione firmavit episcopale decretum diei 20. Februarii ejusdem anni hisce verbis expressum: „Singuli parochi habentes nunc vel in futurum unum vel plures coadjutores vicarios nominatos e proventibus stolae nigrae eis singulis vicibus cedere debent tertiam partem, quae, ubi sunt vel erunt plures vicarii, inter eos aequalibus partibus dividetur.“

Hanc adamussim servatam esse praxim communi parochorum et coadjutorum consensu, apparet ex Episcopi literis usque ad annum 1845, quo vicarii coadjutores coram eodem Episcopo reclamarunt adversus parochorum oppositiones plenam enunciati decreti executionem. Precibus obsequens Episcopus literis illico datis primicerio congregationis urbanae, collegii scilicet parochorum, die 19. Junii ejusdem anni omnimodam ipsius decreti observantiam injunxit. Hisce Episcopi literis parochorum collegium moderate primum respondit, memoratum decretum generatim fuisse a parochis observatum; quodsi ex iis nonnulli executionem detrectabant, hos tantum esse ad officium revocandos. Sed cum iteratis vicariorum instantiis ad brachium saeculare sese Episcopus convertisset (rite ac prudenter necne EE. VV. judicio reservamus) et graves datae fuissent parochis praescriptiones ab eo, qui ecclesiasticis expediendis negotiis ex civili auctoritate praeest, de parendo adamussim superioris ecclesiastici mandatis, serio primum conquesti sunt parochi sibimetipsis fore cum civili auctoritate in negotio mere spirituali et ecclesiastico pertractandum, declarabant insuper, sese nunquam ab observantia decreti episcopalis recessisse juxta tamen praxim ab ipso die decreti servatam, tribuendi nimirum vicariis tertiam partem non omnium quidem emolumentorum funeralium, sed intortitiorum tantummodo juxta tenorem liberae parochorum cessionis; protestati sunt denique se eandem praxim et in posterum servaturos absque tamen parochorum successorum praejudicio quoad omnium emolumentorum pertinentiam.

Cum vero in sua quisque opinione permaneret, Episcopus scilicet vicariorum instantiae obsecundans omnium indistincte emolumentorum stolae nigrae tertiam partem iisdem vicariis tribuendam esse contenderet, et parochi panditam sententiam cum expressa limitatione et praeservatione sustinerent, rem totam demum ex communi consensu ad S. Congregationem definiendam attulerunt. Ante oculos ponit Episcopus tenuitatem portionis vicariis assignatae labori minime respondentis, meminit de consuetudine tribuendi vicariis seu capellanis tertiam vel quartam funerum partem tam in compluri-

bus Insubriae dioecesibus, quam in plerisque ruralibus Patavinae dioecesis paroeciis vigente, commendat denique vicariorum assiduitatem et opus parochis impensum cum magna istorum utilitate et solatio: quae omnia ad vicariorum petitionem benigne excipiendam argumenta si non juris, tamen aequitatis esse concludit.

Quae autem a parochorum collegio afferuntur, haec ferme sunt: Animadvertunt imprimis omnia emolumenta absque ulla limitatione ad parochos jure pertinere; hoc parochorum jus fuisse per Episcopum confirmatum in decreto anni 1808, quo sancivit, ut eveniente rectorum parocciarum tunc temporis suppressarum obitu, manerent „omnia incerta favore parochi pro tempore.“ Nec solum ex jure, sed ne ex consuetudine quidem aliquid vicariis deberi ex funerum emolumentis affirmant, siquidem ex cessione parochorum et subsecuto parochiali decreto anni 1824 nec temporis lapsum ad legitimam consuetudinem inducendam sufficere, nec animum suscipiendae obligationis haberi et portiones proinde intortitiorum huc usque vicariis attributas inter actus mere facultativos accenseri et quamvis tempus et animus concurrerent obligationis suscipiendae, haec tamen nihil in praejudicium successorum operari potuisse, compluribus allatis auctoritatibus conantur ostendere. Quodsi quodquam favore vicariorum inductum dici velit, id profecto tertiam intortitiorum partem haud excedere propugnant, ceu in praxi servatum est ab anno 1824; alias enim actus liberalitatis in damnum concedentis converteretur contra regulam juris 61. in 6. to., qua statuitur: „Quod ob gratiam alicujus conceditur, non esse in ejus dispendium retorquendum.“

Profecto si juris dispositionem inspiciamus, ab omni emolumentorum participatione vicarios excludi oporteret: haec enim omnia ad parochos privative pertinere pluries resolvit S. Congregatio ac praesertim in Fulginaten. 6. Aprilis 1647 et in Cassanen. Dismembrationis 22. Julii 1741. §. Verumtamen, maxime cum vicarii civitatis Patavinae habeant jam congruam assignatam, ceu supra dictum est, quo casu quadrat resolutio S. Congregationis in Vassionen. Visitationis ss. liminum 16. Dec. 1679 ad 3. dub., quod hisce verbis fuit decisum: „Coadjutor deputatus in ecclesia S. Luciae, qui habet congruam, non potest lucrari emolumenta funerum, baptismorum et matrimoniorum, quae sunt jura parochialia et dari solita parocho;“ et in Veliternen. Serv. paroch. 16. Junii 1702, in qua haec data fuit responsio: „Coadjutores habentes congruam non debent participare dē emolumentis parochialibus.“

Ast in themate probe considerandum est cessionem parochorum factam anno 1824 haud habere naturam simplicis liberalitatis, sed veram transactionem reputari cum titulo oneroso, siquidem parochi nonnihil ex emolumentis cesserunt, ut majus servitium a vicariis consequerentur, ceu aperte colligitur tam ex parochorum libello, quam ex subsecuto Episcopi decreto, quo enunciata concordia rite sancita fuit et comprobata. Hinc sequitur totam quaestionem in facto versari circa majorem scilicet vel minorem emolumentorum quotam vicariis attributam. Si enim attendere velimus verba decreti episcopalis, haec profecto nullam relinquunt dubitationem, quin vicariis tertia debeatur pars omnium indistincte emolumentorum ex funeribus provenientium, prout expetunt hodierni vicarii, Episcopi suffragio suffulti: sin autem parochorum libellus Episcopo tunc temporis oblatus inspiciatur et praxis post decretum servata, tertia emolumentorum pars ad intortitia tantummodo cohibetur, quae in die obitus circa feretrum apponuntur. Atque haec praxis

plurimum ponderis habere videtur, quippe quae indubia ac juridica retinenda est interpretatio decreti, ut hoc cum parochorum libello prorsus consentiat.

Ceterum nec in totum excipienda videtur vicariorum petitio, cum jam plerisque ipsorum satis abunde provisum sit per congruae assignationem, nec in totum rejicienda, cum congrua quibusdam attributa valde tenuis appareat, de qua tenuitate testatur etiam Episcopus, cui plurimum deferendum est; nam in congruae praefinitione haberi debet ratio circumstantiis loci et pretii alimentorum, veluti adnotatur in Nepesina. Restaurat. eccles. 30. Maji 1772 §. Ex his.

Ea igitur amplectenda videtur sententia, ut vicariis tertia pars tribuatur non omnium quidem funeralium emolumentorum, sed intortitiorum dumtaxat, quae circa feretrum defuncti apponuntur ad formam praxis post decretum anni 1824 observatae; hac enim dispositione mirifice adversae contendentium conciliantur sententiae et methodus certa praescribitur, quae servari debeat imposterum ad dissidiorum germina praecidenda; hac insuper ratione et aequitati consulitur, dum sufficiens vicarii pro majori servitio et labore congruae augmentum consequuntur et privilegiatae parochorum conditioni providetur, cum minus quo fieri potest, ipsorum juribus et emolumentis detrimentum inferatur.

Servetur conventio a parochis proposita anno 1824, nimirum dandam esse vicariis tertiam dumtaxat intortitiorum partem, quae circa feretrum defunctorum apponuntur.

477. Ferentina. — Emolumentorum funerum.

Die 27. Augusti 1853.

Dum literis Apostolicis sub plumbo datis anno 1801 parochialis ecclesia S. Mariae Majoris canonicorum collegio fuit decorata pluribus ob id unitis simplicibus beneficiis, ipsiusque parochialis congruae incorporatis reditibus, haec inter alia de noviter animarum cura erigenda statuta sunt, ut nimirum primus ex canonicis „vicarius curatus nuncupandus curam animarum parochianorum privative exercere“ teneretur, cui propterea assignata exstitit praebenda sexaginta ducatorum aureorum de camera (dupla scilicet canonicorum portio) ac triginta ducatorum pro distributionibus quotidianis „praeter incerta stolae ab exercitio curæ animarum hujusmodi provenientia.“

Reque vera hujusmodi emolumenta parochi sibi cuncta pacifice quaesivere usque ad annum 1834 quo primum contingente paroeciae vacatione dubium admovit capitulum circa emolumenta funerum pro parochianis, nec non incerta, quae percipiuntur in associatione atque exequiis fidelium curae haud subjectorum. Morem capitulo gessit Ordinarius illius temporis, dum occasione s. visitationis decrevit, vicario curato acquiri tantum incerta stolae omnium funerum et associationum defunctorum parochianorum; in aliis vero casibus vel alieni parochiani funeris in collegiata ex electione faciendi, vel associationis ad aliam ecclesiam, quidquid emolumenti in cera aut pecunia retraheretur, in totum ad capitulum pertinere salva vicario portione dupla, aliisque emolumentis functionibus super cadavera cohaerentibus et privative vicario curato reservatis.

Decretum tamen hujusmodi haud fuit executioni demandatum, et nonnisi post triennium facta iterum paroeciae vacatione, canonici ab S. hoc Ordine illius executionem petierunt; qui tamen cum ulterius haud processissent, res infecta mansit, illud tantum novi occurrens, quod anno 1840 vicarius

capitularis suo permisit decreto, ut incerta quae sub deposito manebant, inter canonicos distribuerentur haud excluso vicario curato. Ultimus at vero animarum curator sollicitus ne jura sibi suisque successoribus competentia violarentur, preces modo geminavit, ut quid super hujusmodi negotio esset sentiendum, S. Ordinis oraculo definiretur.

Episcopus rogatus vicarii curati partes tuetur, asserens ex consuetudine etiam in ipsa collegiata invecta, „omnia quae in defuncti honorem sive propriae sive alienae paroeciae quovis praetextu, quocumque tempore, ac quibuscumque circumstantiis accenduntur absoluto funeris officio ad parochum spectare.“ Porro consuetudinis argumentum maximum robur habere ubi res est de negotio ad funera pertinente scatet ex cap. 9. de consuet. et S. Congregat. in Camerinen. Sepulturae 18. Decembr. 1819 ad 2. dub. Quod quidem juri vel ipsi apprime congruit, quo sancitum est, emolumenta funerum absque distinctione jura mere parochialia esse et parocho deberi, ceu etiam pluries definivit S. Congr. praesertim in Vassionen. V. SS. LL. 16. Decembr. 1679. ad 3. dub. et Cassanen. Dismembr. 22. Julii 1741. §. Verum tamen.

Capituli autem eadem esse videntur rationum momenta, queis episcopale decretum innitebatur: nimirum vicario curato haud fas esse eadem condicere circa funerum emolumenta jura, quae antiquitus parocho ejusdem ecclesiae spectabant, utpote quae perempta fuisse patet per ejusdem paroeciae suppressionem et subsecutam vicariae erectionem; in bulla autem distinctim jura ac emolumenta assignata vicario curato fuisse; nec non paroeciam annexam capitulo, uno curae exercitio ipsi vicario reservato: eum autem in finem fuisse duplam portionem ipsi assignatam, ut duplici canonici et parochi muneri proprium non deesset emolumentum.

Quanti haec sint facienda judicabunt Eminentissimi Patres, quibus potissimum judicium ferre placeat circa emolumenta funerum extraneorum, ad quod coerceri controversiam facile intelligitur. Illud autem adnotandum, gratis asseri paroeciae habitualitatem capitulo fuisse reservatam, cum nullum ex bullis eruatur argumentum, si unum forte excipias, quod a nuncupatione vicarii curati depromitur. Ceteroquin ubi id etiam subsisteret, videndum, si quid relevaret; semper enim rediret, quod quum emolumenta funerum ob curae exercitium debeantur vicario curato penes quem illud manet, non capitulo essent adjudicanda: nisi per peculiarem conventionem (ceu in nonnullis capitulis usuvenit) aliter dispositum fuisset.

Omnia emolumenta funerum, tam parochianorum, quam extraneorum spectare ad parochum.

478. Civitatis Castelli. — Juris funerandi.

Die 18. Februarii 1865.

Die 4. Novembris an. 1863 in Civitate Castelli dies suos clausit nobilis jurisconsultus Angelus Tartarini, eique justa funebria in ecclesia cathedrali, prout testamento fieri jusserat, persoluta sunt. Parochus S. Fortunati, sub cujus jurisdictione domicilium habebat Tartarinius existimans, per legem, qua omnia cadavera in publico coemeterio humanda praecipiuntur, sublatam cuique fuisse facultatem eligendi sibi sepulturam, ac proinde nulla alia in ecclesia, si demas parochialem, funera peragi posse, protestationem suam apud curiam ecclesiasticam emisit, ut jura sua sarta tecta servarentur simulque declinata vicarii capitularis auctoritate, Sanctissimo Patri supplicem libellum

obtulit, quo postulavit, ut decidatur, ad suam ecclesiam parochialem pertinere jus exponendi cadaver praedictum, utque Oratori proventus funerarios restitui jubeatur.

Ablegatis de more hujusmodi precibus vicario capitulari pro informatione et voto, utque capitulum in scriptis audiret, ille a voto suo emittendo abstinuit, sed capituli deductiones ac documenta transmisit.

Ex his apparet, huic controversiae occasionem praebuisse concordiam quandam initam anno 1818 inter capitulum et parochos illius civitatis. In hujus concordiae capite quarto statuitur: „Jus cathedrali conservatur quartam funeris a suis parochialibus exigendi, si alibi humari elegerint, quin tamen illa ab aliis parochis exigi possit, si forte, qui eorum paroeciis sunt addicti, in cathedrali ecclesia voluerint tumulari.“ Hujusmodi concordia huic S. Congregationi proposita, ut confirmaretur, ad dubium: „An concordia sit confirmanda vel infirmanda in casu?“ responsum fuit die 8. Augusti praed. an. 1818: „Affirmative ad primam partem juxta modum, negative ad secundam. Modus autem est, ut in capite quarto loco verborum „quin tamen“ substituantur verba „et aeque.“ Verum deductis novis argumentis pro ecclesia cathedrali, S. C. ad dubium: „An sit standum vel recedendum a decisis in casu,“ die 5. Septembris ejusdem anni respondit: „In decisis, approbato etiam in totum capite quarto.“

Rebus sic stantibus, capitulum duplici ex capite parochi S. Fortunati petitiones oppugnat, 1. quia per eas nova juris doctrina traditur, 2. quia supramemoratae concordiae adversatur.

Quoad primum caput, animadvertunt canonici legem edictalem S. Congregationis editam anno 1817, quam invocat parochus S. Fortunati, jubere quidem, ut omnium fidelium cadavera in publico coemeterio sepeliantur, at simul salva et integra servare tam ecclesiarum quam fidelium acquisita jura, ita ut legis hujus violator minime habendus sit, qui in alia non parochiali ecclesia funera sibi explenda mandaverit, prout adnotatur in Derthonen. 24. Martii 1821. §. In quarto, in Camerinen. Funerum 24. Nov. 1821 et nuperrime in Aesina Jur. funerandi et restitut. emol. 26. Nov. 1864 et prout communis fidelium praxis tam Romae, quam alibi obtinet.

Quoad secundum caput ajunt capitulares, frustra parochum petere, quod eidem minime competere per resolutionem S. Congr. diei 5. Septembris 1818 statutum est.

His duo opponit parochus: Ac primo quidem, concordiam quam in medium afferunt canonici, odiosam esse asserit, utpote quae nativa parochorum jura laedit, ac proinde stricto sensu esse interpretandam. Cum itaque in ea statuatur, parochos civitatis non posse exigere quartam funeris ab iis parochianis, qui in cathedrali ecclesia voluerint tumulari, intelligendum est, tum parochos non posse exigere quartam funeris, quando aliquis ex eorum parochianis voluerit in cathedrali ecclesia non simpliciter exponi vel associari, sed vere et realiter tumulari. Quod cum per edictalem legem anni 1817 vetitum fuerit, jam omnis capitis quarti vis destruitur. Quam interpretationem exinde confirmari autumat parochus, quia quoad funera clerus dioecesis Tifernatensis statuto cleri Romani sese accomodare debet, in cujus cap. 4. §. 34 legitur: „Solae exequiae nullum praebent jus contra paroeciam, quamvis ecclesia sit patronalis, regia, vel quocumque modo privilegiata; et §. 36: Proinde quacumque in ecclesia celebratum sit funus, si cadaver alibi, quam in ecclesia exponente, vel in titulo defuncti conditum fuerit, funus integrum ad paroeciam pertinet; et §. 37: Quod etiam intelligi solet, si in ecclesia

titulari, quin in ea sepeliatur cadaver, funera celebrentur.“ Ex his concludit parochus S. Fortunati concordiam supradictam respicere electionem sepulturae in cathedrali ecclesia, non vero adimere parochialia jura, quando funera solummodo in eadem celebrantur, prout evenit in casu jurisconsulti Tartarini.

Secundo loco considerandum proponit idem parochus, idcirco a S. C. caput quartum memoratae concordiae in totum fuisse confirmatum, quia ex noviter deductis apparebat, paroecias Civitatis Castelli filiales esse ecclesiae cathedralis. At idem dici non posse tuetur de ecclesia S. Fortunati, quae non filialis cathedralis est, sed a remotissima antiquitate a jurisdictione monasterii Fontis Avellanae pendebat, quod in ea priorem parochum tenebat, idque ex vetustissimis monumentis colligit. Quare in concordia a parochis urbanis inita cum cathedrali ecclesia minime comprehendi parochiam S. Fortunati defendit.

In his parochi S. Fortunati deductionibus ventilandis erit Sapientiae EE. VV. animadvertere, resolutionem H. S. C. qua saepe dicta concordia confirmata est, posteriorem esse edictali lege, qua statuebatur, ut fidelium cadavera in publicis coemeteriis tantummodo tumulari deberent. Tum illud etiam notabunt, hodie supra memoratam concordiam in suo esse vigore, et vim legis habere pro omnibus parochis Civitatis Castelli, atque idcirco videtur, si parochus S. Fortunati ab illa eximi velit, debere prius in petitorio judicio rationes suas experiri.

Ponatur in folio:

Eadem causa in folio proposita sub titulo: *Juris funerandi et emolumentorum,* die 16. Februarii 1867 ad dubium: *An et quomodo annuendum sit parochi S. Fortunati precibus in casu?* responsum prodiit: *Negative, et amplius hujusmodi causam quoad praefatum dubium non proponi mandavit.*

479. Reatina. — Juris associandi cadaver.

Die 10. Junii 1865.

Cum Angelus Testa ex hac alma Urbe Reatem concessisset anno superiori recreationis causa, paucos post dies ab adventu ibidem ex inopinato morbo decessit intra fines paroeciae S. Juvenalis, ubi domum habitationis elegerat. Comitante parocho S. Juvenalis defuncti cadaver delatum est ad ecclesiam cathedralem, ibique funus expletum absque contradictione; utpote quia consuetudo est perantiqua et incontroversa in ea civitate funera peregrinorum et advenarum, qui decedunt, antequam quadraginta dies ab adventu dilabantur, in cathedrali templo fore peragenda, ibique illorum cadavera tumulanda, qua demumcumque in parochia civitatis incolatum habuerint et obierint, licet ecclesia cathedralis non sit parochialis.

Rumore dein perlato ad parochum S. Donati, intra cujus paroeciae fines sita est cathedralis ecclesia, de illius cadaveris translatione ex viduae voluntate Romam, ubi Angelus dum vita frueretur sepulchrum sibi constituerat, dubium S. huic Ordini proposuit, cui competat jus associandi cadaver ad locum usque sepulchri; an parocho S. Juvenalis, in cujus parochia decessit, seu potius capitulo Reatinae cathedralis jus ad funus et tumulationem habenti, an denique sibi, quippe cum cathedralis jus parochiae non habens in ambitu parochialis S. Donati reperiatur. Et sibi autumat deberi tum jure, quia si cadaver sit extrahendum ab ecclesiis regularium non parochialibus, asso-

ciatio pertinet ad parochiae rectorem, intra cujus fines est ecclesia aut conventus; tum facto duobus exemplis comprobato. Commemorat enim factum defuncti genitoris Reverendissimi Praesulis Vitelleschi, cujus cadaver Romam reducendum, cum jam esset tumulatum in ecclesia pp. praedicatorum sita intra fines ejusdem paroeciae S. Donati, cum ipso parocho actum fuerat de associatione ad Urbem, si translatio fieri tandem debuisset. Alterum vero profert exemplum defuncti canonici Leoni, qui decesserat apoplectico morbo correptus in ipsa cathedrali ecclesia; et parochus S. Donati non solum eidem sacramenta administravit, sed cadaver ab aedibus cathedralis extractum associavit in pompa funebri usque ad fores ejusdem cathedralis, ubi exequiae sunt persolutae et corpus sepulturae mandatum, etsi canonicus Leoni in alia parochia domicilium haberet.

Episcopus de more rogatus sententiam suam ita pandit: „Cum Angeli Testa cadaver in hac majori ecclesia tumulatum, minime tamquam depositum sit habendum, ita parocho S. Juvenalis nullum jus super eodem cadavere competere videtur. Et super cadavere praedicto nullum equidem jus parocho S. Donati competere dicendum: si verum est enim, quod haec ecclesia cathedralis intra fines ejusdem paroeciae S. Donati reperiatur, inficiandum haud est, cathedrales ecclesias minime parochis subjectas reperiri. Quamobrem existimo, quoties defuncti cadaver in alia ecclesia Romae sit tumulandum, capituli Reatini dumtaxat sit sacerdotem idem cadaver usque Romam secuturum eligere."

Quod sane jus tuetur capitulum privative ad parochum S. Juvenalis, quia hic functus est officio suo et omnis ejus jurisdictio ex casuali decessu acquisita cessavit in actu traditionis cadaveris capitulo cathedralis, cui competebat funus et sepultura illius advenae, teste Ferraris s. v. Cadaver in addit. n. 32. ex sententia S. hujus Ordinis et S. R. Congregationis et Barbosae de paroch. part. 3. cap. 27. n. 80 et seqq.; maxime cum cathedralis ecclesia censeatur in jure tamquam parochia universalis totius civitatis et districtus, et sit reapse in funeribus peregrinorum et advenarum, Passerin. de hom. stat. et off. tom. 2. qu. 87. n. 314, Barbosa de off. paroch. loc. cit. cap. 26 n. 35 et Petra ad const. 9. Innocent. III. n. 50; et quia delatio cadaveris ad sepulturam reputatur tamquam continuatio funeris, quod jam in ecclesia expletum est: ex thesaur. S. Congregationis in una Ordinis Praedicatorum 24. Januarii 1846 et in Portuen. et Centumcellarum 28. Martii 1835. Idemque jus sibi vindicat privative quoad parochum etiam S. Donati, tum quia nulla huic jurisdictio competit super defuncto nec ratione originis nec ratione domicilii, nec alio titulo; tum etiam quia post publici coemeterii erectionem subditus cujuscumque paroeciae, funere peracto in ecclesia parochiali vel alibi, defertur et comitatur ad sepulturae locum ab alio sacerdote independenter a parocho ab eoque minime electo aut designato. Rationis igitur identitate, si alibi sit cadaver loco coemeterii tumulandum, ab ecclesia cathedrali funerante et tumulante pendere arguit sacerdotis electionem, qui illud comitetur.

Parochus autem S. Juvenalis duplici causa propugnat associationem cadaveris ad Urbem ad se pertinere. Primum scilicet quia cadaver Angeli Testa relictum affirmat, non uti ibi tumularetur, sed loco depositi dumtaxat, atque id testimonio confirmat viduae ejusdem Angeli (quod tamen capitulum inficiatur absolute): quoties autem cadaver depositum est, non conditum, ei restitui debere, qui deposuit ex text. cap. 1. n. 6. de sepult. uti perpenditur in Faventina Praeeminent. 7. Julii 1760 et in

Brictinorien. 31. Maji 1766. §. Multa. Quod autem reapse loco depositi maneat in cathedrali cadaver, evincitur ex facto: alias enim statim delatum fuisset ad coemeterium. Deinde jus suum arguit ex generali ss. canonum dispositione, quod scilicet cadaveris associatio usque ad sepulturae locum inter jura parochialia connumeretur, Clem. Dudum de sepult. ut animadvertitur in una Marsorum 30. Januarii 1830. §. Nullo: decet enim ut parochi sint, juxta illud Apostoli, consolationum socii, qui fuerunt passionum, ut habet expresse textus in d. cap. 1. de sepult.

Eoque magis in dubio controversum jus associandi eidem adscribendum videtur, quia, cum ex originaria juris communis dispositione parocho reserventur funera etiam peregrinorum et advenarum, si decedant intra limites suae parochiae, in qua habitationem precariam elegerunt, contraria consuetudo privilegio aequiparanda ultra casum funeris et tumulationis haud esset protendenda: ex sola vero consuetudine jus capituli cathedralis oriri tradunt Petra loc. cit. et Passerin. loc. pariter cit. In dubio igitur jus nativum contra privilegiatum parocho videtur assistere. Quod demum exemplo confirmare se putat, affirmans cadaver cujusdam Mathaei Aluffi sui parochiani non jure a pp. praedicatoribus fuisse proprio parocho restitutum, et ad ecclesiam parochialem ab ecclesia regularium ab ipso parocho S. Juvenalis associatum, minime vero ab ipsis regularibus nec a parocho S. Donati, intra cujus parochiae fines est conventus et ecclesia pp. praedicatorum. Quo utitur exemplo ex paritate rationis in praesenti specie tum contra capitulum, tum contra ipsum parochum S. Donati: Angelus enim Testa, cum in sua parochia obierit, dicendus est suus parochianus, et sibi deberi restitutionem cadaveris usque ad Urbem associandi, sicut ad ipsum absque contradictione spectavit jus associandi ad ecclesiam cathedralem, illudque jus de facto pacifice exercuit.

In hoc partium conflictu, cui ex tribus competitoribus sit jus controversum adjudicandum, Eminentissimorum Patrum sapientia decernet.

Ponatur in folio:

Eadem causa sub eodem titulo in folio proposita die 22. Dec. 1866 ad dubium: *An et cui competat jus associandi cadaver in casu?* S. Congregatio rescripsit: *Affirmative favore parochi S. Juvenalis.*

VI. DE JURIBUS INTER PAROCHOS ET CONFRATERNITATES.

480. Isclana. — Processionis.

Die 29. Januarii 1859.

Exstat in oppido Casamicciola dioecesis Isclanae ecclesia sub invocatione B. M. V. de bono consilio, a coetu nautarum collato aere exstructa ac dotata, cui quatuor addicti sunt capellani confessionibus excipiendis et sacris celebrandis functionibus destinati.

Novissime quaestio orta est, ad quem spectet jus ferendi sanctissimum sacramentum in processionibus in hac ecclesia fieri solitis, an scilicet ad parochum, intra cujus paroeciae limites sita ecclesia est, vel ad ejusdem capellanum rectorem; quo super dubio opportuna declaratio ab hac S. Congregatione postulatur.

Episcopus informationem ac votum rogatus, audire e re sua censuit tam parochum, quam rectorem ecclesiae coetus nautarum. Primus non impugnat jus rectoris, quatenus processiones intra ecclesiam ducantur, minime vero, si extra ejusdem ecclesiae ambitum; alter vero jus suum protuetur ex decretis S. Rituum Congregationis 20. Februarii 1649, 4. et 23. Martii 1709 et 3. Augusti 1839, in quibus praescribitur Sanctissimum ferri debere a sacerdote, qui missam celebrat, si processio de mane ducatur, de sero autem a sacerdote, qui vesperas canit. Monet autem extra ecclesiae ambitum duci solere processionem in die tantum festo S. Mariae de bono consilio, qui celebratur dominica infra octavam S. Joannis Baptistae, et ad Sanctissimum ferendum invitari ab ipso coetu hucusque consuevisse vel Episcopum, vel ejus vicarium generalem, aut sede vacante vicarium capitularem, aut alterum sacerdotem de Episcopi licentia. Sed sustinet ceteroquin id officere non posse juri rectoris ecclesiae.

Ipse vero Episcopus parochi voto adhaeret.

S. Rituum Congregatio in generalibus decretis Urbis et Orbis diei 10. Decembris 1703 ad dubia XXI: „An intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri possint processiones juxta cujusque confraternitatis institutum absque interventu vel licentia parochi; et XXII: An eaedem processiones fieri possint extra ambitum dictarum ecclesiarum, absque licentia illorum parochorum, per quorum territorium transeundum est?“ respondit ad XXI: Affirmative; ad XXII: Negative, nisi adesset licentia Episcopi. Benedictus XIV. in instit. eccles. 105. §. VII. num. 136 resolutionem hujus S. Congregationis refert in Bononien. 15. Maji 1728, in qua ad dubium: „An confraternitas ultima dominica Septembris ducere possit processionem cum praedicta imagine ad plateam magnam civitatis cum assistentia parochi, vel, eo deficiente, proprii capellani, ac populo benedicere tam in propria ecclesia, quam sub stillicidio propriae ecclesiae, et intus eamdem?“ responsum fuit: „Affirmative, accedente tamen licentia Ordinarii, et comitante parocho, vel alio sacerdote de ejus licentia.“

Ex quibus resolutionibus colligi posse videtur, quod etsi processionibus extra ambitum ecclesiae ducendis parochi interventus aut licentia, intra cujus paroeciae limites transeundum est, requiratur; definitum tamen non est, ut parochus sanctissimum sacramentum gerat, nisi contraria fortasse consuetudo adesset, quam hisce in quaestionibus servandam esse monet idem Benedictus XIV. cit. loco. §. IV. num. 93.

Ceterum perpensis citatis S. Rituum Congreg. decretis generalibus, ex iisdem apparet fere omnia sodalitiis tributa fuisse exclusive ad parochos, cum ageretur de functionibus intra ecclesiam explendis, non ita tamen cum extra ejus ambitum celebrentur. Hinc judicabunt EE. VV., an idipsum in praesenti quaestione censendum sit, ceu proponit Episcopus.

Jus deferendi ss. sacramentum spectare ad rectorem, accedente tamen quoad processiones, quae extra ecclesiam ducuntur, licentia Ordinarii et salvo parochi jure iisdem interessendi vel per se vel per alium sacerdotem de ejus licentia.

481. Nepesina. — Juris canendi missas.

Die 2. Maji 1857.

In parochiali ecclesia S. Joannis Baptistae terrae Morlupo, Nepesinae dioecisis, capellania existit ad confraternitatem ss. rosarii pertinens jamdiu

ibi instituta cum variis oneribus capellanum gravantibus, inter quae onus etiam habetur canendi in capella et altari proprio ibi sito unam missam in festo ss. rosarii, ac quatuor anniversaria primis diebus non impeditis post festa Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, et Nativitatis B. M. V. Harum missarum cantus hodie causa controversiae est. Sacerdos enim Carolus Venturini actualis rector capellaniae jus esse sibi eas canendi contendit, quia et hoc onus fuit capellaniae rectoribus impositum, uti alia omnia, quibus jam ipse sine ulla contradictione satisfecit. Nicolaus vero archipresbyter Petrucci, actualis parochus dictae terrae Morlupo, jus idem sibi vindicat; quia putat rectores confraternitatum in parochialis ecclesiae functionibus sive parochialibus, sive non parochialibus haud se immiscere posse. Quae cum ita sint, idem rector capellaniae Carolus Venturini, supplici oblato libello, omnem hac de re controversiam sapientissimo EE. VV. judicio definiri postulat.

Datis ad Episcopum de more literis „ut audito archipresbytero in scriptis, et transmissa particula fundationis, super bono Oratoris jure referret,“ vicarius generalis pro Episcopo respondit; et cum primo monuerit haud posse ad hanc Sacram Congregationem remitti expetitam fundationis particulam, ex quo institutionis actus perierit incenso tabulario episcopalis cancellariae anno 1798, addit tamen, certo deprehendi ab actis s. visitationis, et a libris onerum missarum, existere capellaniam praedictam, et capellano onus etiam inhaerere canendi missam unam et quatuor anniversaria recensita, ceu eruit ex copia authentica decreti editi in actu s. visitationis sub die 7. Maji 1771, ubi onus canendi capellaniae rectori imponitur; et ex particula congregationis habitae a confratribus ven. sodalitii ss. rosarii sub die 8. Decembris 1740, praesente uti vicario foraneo, ita ipso illius temporis archipresbytero, in qua haec habentur: „Deinde praedicti fratres unanimiter dixerunt, capellanum teneri ad adimplenda omnia onera in erectionis instrumento praescripta, nempe missas, anniversaria, missam cantatam die ss. rosarii, ad recitandum rosarium diebus determinatis ad assistendum processionibus quavis mensis dominica etc.“ Ac tandem ex alia particula a libris onerum missarum anni 1760 deprompta, sequentis tenoris: „Rev. D. Dominicus Paulettus beneficiatus ss. rosarii celebrare tenetur pro anima fundatorum in supradicto altari missam unam cantatam in prima dominica Octobris. Item tenetur celebrare pro animabus benefactorum quatuor anniversaria in primis diebus non impeditis post Purificationem, Annuntiationem, Assumptionem, et Nativitatem B. M. V. in sup. altari.“

Plura etiam archipresbyter parochus in scriptis suis congerit; allegat enim primo consuetudinem, quam inductam putat ex eo, quod ab anno 1710 usque ad annum 1738, quo tempore ipsi archipresbyteri saltem ad multos annos capellaniam possederunt, archipresbyter pro tempore missas fere semper cecinit, uti et anniversaria: anno vero 1732 ter illius temporis archipresbyter canendo celebravit, quamvis capellaniae rector esset non archipresbyter, sed alius sacerdos nomine De Politis. Nititur deinde decreto s. visitationis edito sub die 27. Junii 1735 contra Bartholomaeum Carlucci capellaniae rectorem, qui missas lectas centum et octodecim supra mille celebrare omiserat, ac novem item missas cum cantu, atque unum supra triginta anniversaria: hisce vero verbis decretum conceptum est: „Pro quibus missis Illustrissimus Dominus decrevit et taxavit sequestrum super fructibus beneficii ad effectum deponendi in manibus archipresbyteri, ut dictas missas pro celeri illarum satisfactione a patribus S. Mariae in altari privilegiato eorum ecclesiae, et missas cantatas anniversaria in ecclesia parochiali...“ Addit

etiam decisionem S. R. Congregationis, quae ad dubium: „An in ecclesia parochiali confratres, vel eorum capellani immiscere se valeant, invito parocho, in ejusdem ecclesiae functionibus sive parochialibus, sive non parochialibus?“ die 12. Jan. 1704 negative respondit. Et ipsi tandem archipresbytero rationabile videtur, quod sicut canonici jus habent canendi in propria cathedrali ecclesia vel collegiata, ita et parochus jus idem canendi habere debeat in sua parochiali ecclesia.

At laudatus vicarius plura contra haec perpendit. Nihil enim ait ex consuetudine juris esse posse; quia omnes antecessores supplicantis Venturini, si casus excipiatur, quo archipresbyteris uti possessoribus onera adimplere incumbebat, ordinarie per se ipsos missas cum cantu celebrarunt, et facile supponi potest aliquando tantum ex commissione aliquem archipresbyterum cecinisse. Nihil etiam ex decreto s. visitationis diei 27. Junii 1735; quia Episcopus illa tantum decrevit, ut celerius fieret satis neglectis obligationibus ob incuriam capellani. Et nihil tandem ex decreto S. R. C., quia illud haud censet posse extendi ad privativam obligationem, quae capellanum tangit tamquam onus personale a fundatore beneficii seu capellaniae impositum. Post haec autem, quae summatim fuerunt relata, idem vicarius de Episcopi sententia concludit, „capellanum Oratorem bonum habere jus satisfaciendi oneribus personalibus suam capellaniam gravantibus, idque sine parochi permissu, dummodo parochiales functiones non impediantur. Parochum autem non teneri subministrare capellano in sua ecclesia parochiali celebrare volenti paramenta, utensilia et alia necessaria, nec ad id obligari posse, uti ex decreto S. C. EE. et RR. in Montis Alti 15. Maji 1699 patet, sed teneri capellanum, vel taxam solvere parocho pro utensilibus, vel sibi providere de proprio.“ De hoc tamen nulla in precibus quaestio fit.

Ad omnes hujus generis controversias dirimendas triplex juxta generalia decreta a Sac. Rituum Congregatione edita anno 1703 prae oculis habenda est functionum divisio, quam et haec ipsa S. Congregatio constantissime secuta est. Nam functiones aliae mere parochiales sunt, et ad parochos privative spectare dicuntur; aliae munera ecclesiastica appellantur, quae etsi de juribus mere parochialibus non sint, attamen ad parochos spectant, quia ipsis maxime conveniunt; et aliae ecclesiasticae tantum sunt, quae non modo a parochis, sed et ab aliis sacerdotibus exerceri possunt. An autem, prout in casu, celebratio missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis sit de juribus parochialibus, Sacra Rituum Congregatio in ipsis generalibus decretis anni 1703 ad propositum hujusmodi dubium negative respondit. Ejusdem vero sententiae hanc Sacram Congregationem fuisse patet ex resolutionibus, quibus functiones hujusmodi capellaniae rectoribus incumbere decrevit, uti in Thelesina, Anniversarii et missae solemnis 9. Febr. 1732 et in Hortana 5. Julii 1738, ac praesertim in Firmana 2. Dec. 1747, ubi proposito dubio: „An liceret rectori capellaniae S. Antonini et animarum purgantium erectae in ecclesia parochiali per se ipsum vel per alios sacerdotes sibi benevisos canere missas in diebus statutis a fundatore capellaniae et Ansuino Justiniano, et uti suppellectilibus ejusdem capellae ac propriis utensilibus; seu potius missae privative canendae sint a parocho?“ responsum prodiit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, dummodo non impediat functiones parochiales, et celebret per se ipsum.“ Aliud tamen videri poterit inductum fuisse in Comen. Functionum die 17. Maji 1794 (?), quia negativum responsum datum fuit ad dubium: „An in festo titulari ecclesiae, de qua agitur, aliisve festis missae

decantari valeant independenter a parocho?“ Ast id difficultatem facessere non videbitur, si hujusmodi responsum ex synodi dioecesanae dispositione repetatur, quae eo in casu expresse jus canendi privativum parochis tribuebat.

Spectare ad capellanum juxta votum Episcopi.

VII. DE REDITIBUS PAROCHIALIBUS.

482. Tuscanen. — Dismembrationis bonorum praebendalium et augmenti congruae parochialis.

Die 10. Julii 1865.

Firma permanente penes capitulum Tuscanense cura habituali duarum paroeciarum in cathedrali ecclesia existentium, actualis cura ab antiquis temporibus respective administrabatur per primicerium et archipresbyterum. Cum vero ii duo chori servitium cum animarum cura et officiis parochialibus saepe componere non possent, eveniebat ut vel choralia vel parochialia munia negligerentur. Hinc anno 1804 a s. m. Pio VII. impetratum fuit, ut, exemptis in perpetuum ab oneribus paroeciae tum primicerio tum archipresbytero, duo alii canonicatus cum animarum cura erigerentur, quorum singulis praeter incerta emolumenta adsignanda essent annua scutata sexaginta ex proventibus primiceriatus et archipresbyteratus detrahenda. Attamen ob temporum calamitates unus tantum erectus fuit canonicatus, et nonnisi anno 1816 per dismembrationem bonorum praebendae primicerialis, dum archipresbyter in suo primaevo statu cum cura animarum permansit usque ad annum 1861, quo labente Eminentissimus Episcopus illius temporis Bedini decreto diei 20. Septembris curam actualem animarum ab archipresbyteratu perpetuo separavit, novumque canonicatum curatum instituit.

Cum vero laudatus Eminentissimus probe intelligeret sexaginta scutatorum reditum minime sufficere ad congruam parochi sustentationem, alia tria simplicia beneficia erecto canonicatui adjungere curavit adeo, ut novi parochi praebenda canonicalis summam fere centum scutatorum attingeret. At cum morte praeventus decretum unionis manu sua firmare nequiverit, omnia perfecit Episcopus, qui nunc veluti Apostolicus administrator utramque regit ecclesiam Viterbien. et Tuscanen., expetita prius et obtenta facultate ab hac Sac. Congr. sub die 9. Januarii currentis anni pro unione unius ex praefatis beneficiis sub titulo S. Hieronymi, quod ob non factam suo tempore collationem, ad S. Sedem fuerat devolutum.

Eodem mense Januario novae preces a curia episcopali Tuscanensi ad H. S. O. porrectae fuerunt, quibus expostulatur facultas dismembrandi alia bona a praebenda archipresbyterali ac praesertim unum et alterum agrum positos in locis Comunella et Pantacciano, ad efformandam summam annuam scutatorum quadraginta, novo canonico curato retribuendam. Quibus precibus acceptis, Episcopum administratorem rogavi, ut transmisso indulto anni 1804, nec non decreto Eminentissimi Bedini, magis praecise referret de annuo reditu et oneribus praebendae archipresbyteralis. Quod illico Episcopus praestitit, sequentia insuper referens: „Archipresbyteralis praebenda a qua distracta fuere annua sexaginta scutata juxta decretum praedictum (anni 1804), modo annuos fructus demptis oneribus, in scutata biscentum quadraginta septem reddit. Hinc si ab ipsa distrahantur duo agri, quos actualis archipresbyter oeconomo curato tribuit fruendos, annui fructus archi-

presbyteralis saepe dictae praebendae erunt scutat. 207, et canonicatus curati, cui alia beneficia adnexa fuere, scutat. 140 circiter, in qua re cum et archipresbyter et capitulum conveniant, cumque agatur de beneficio parochiali, cui curae majores sunt adjunctae, posse annui precibus mihi videtur."

Proponitur igitur Eminentiis Vestris judicandum, utrum petita facultas dismembrationis bonorum concedenda sit. Animadvertendum est in genere ss. canones abhorrere a beneficiorum dismembratione, utpote quae alienationem quamdam prae se fert, et primitivum ecclesiastici beneficii statum perturbat, Abbas ad cap. Ad audientiam de eccl. aedif., Reiffenst. in lib. 3. decr. tit. 12. num. 27. Lotter de re benefic. lib. 1. quaest. 28. num. 17. Rota recent. p. 7. decis. 68. num. 4; nihilominus in specie si bonum ecclesiae, si tenuitas praebendarum et praesertim si animarum curae exercitium id exigat, dismembrationem bonorum alicujus beneficii, ut alteri uniantur, permitti aliquando solet juxta prudentissimam dispositionem Tridentinorum Patrum in cap. 5. sess. 21 de reform. in quo statuitur, ut „possint Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati juxta formam juris sine tamen praejudicio obtinentium, facere uniones perpetuas . . . beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis" et in cap. 13. sess. 24. de reform. in quo haec habentur: „In parochialibus ecclesiis, quorum fructus aeque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen regularium, id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione aut per parochianorum symbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur quod pro rectoris aut parochiae necessitate decenter sufficiat." Quibus principiis innixa S. haec Congregatio beneficiorum et parochiarum divisiones ac uniones pro temporum et locorum occurrentibus necessitatibus vel jam peractas approbavit vel peragendas indulsit, ceu videre est prae aliis inter antiquas Sacri Ordinis resolutiones in Derthonen. Dismembrationis diei 28. Januarii 1736, in Sarsinaten. pariter Dismembrationis diei 1. Septembris 1736, in Novarien. Divisionis seu dismembrationis paroeciae diei 20. Septembris 1760; inter recentiores vero in Verulana, Dismembrationis et erectionis parochiarum diei 10. Maji 1862, in qua, cum ab Episcopo proponeretur erectio quatuor parochiarum in agro Verulano ope suppressionis nonnullorum beneficiorum et impositionis pensionum capitulis cathedralis S. Erasmi et S. Pauli, ad dubia I.: „An sit locus dismembrationi et erectioni novarum paroeciarum in casu? II. An et quomodo sit locus suppressioni beneficiorum . . . ac unioni . . . favore novarum parochiarum in casu? III. An et quomodo sit locus impositioni pensionum in casu?" Eminentiae Vestrae responderunt ad I. II. III. Affirmative juxta votum Episcopi. In casu vero, de quo agitur cum erectus jam sit novus canonicatus ad chori servitium et parochiale munus sustinendum, et archipresbyter a quocumque onere et cura animarum exemptus, satis congrua praebenda provisus reperiatur, aequum esse videtur, ut hic aliquid de suis proventibus favore onerati canonici remittat. Neque aliunde petitae facultatis concessione praejudicium alicui infertur; quod profecto ex mandato S. Synodi caveri debet, nempe ut beneficia uniantur sine tamen praejudicio obtinentium: refert enim Episcopus administrator, archipresbyterum non modo suum assensum libentissime praebere propositae dismenbrationi bonorum, sed imo sponte sua jamdiu libere concessisse canonico curato, ut fructibus annuis distrahendorum fundorum frueretur.

Consulendum Sanctissimo pro dismembratione ac respectiva assignatione utriusque fundi juxta votum Episcopi administratoris.

483. Aquipendien.

Die 22. Novembris 1823.

Philippus Pellegrini, rector archipresbyteralis ecclesiae Celleris, Aquipendiensis dioeceseos, preces huic Sac. Congregationi dedit exponens, se reditum habere adeo tenuem, ut a congrua scutorum 100 longe distet, ideoque veniam impetrasse uniendi archipresbyterali praebendae simplex beneficium sub invocatione S. Nicolai, erectum in eadem ecclesia; unionem tamen sortiri effectum nondum potuisse, quia vivit adhuc beneficii possessor. Addidit autem, nuperrime a Sebastiano Petrucci relicta fuisse nonnulla bona sodalitio sanctissimi sacramenti, erecto in praefata archipresbyterali ecclesia, exoravitque, ut haec bona suae praebendae uniantur ad tempus, nempe donec beneficium vacaverit; quod nisi ab EE. VV. obtineat, paroeciam abdicare cogetur.

Requisitus Episcopus haec retulit: „Ecclesia parochialis oppidi Celleris, quae etiam titulo archipresbyteralis decoratur, exiguis quidem reditibus est provisa, nam juxta illius statum, in archivio hujus cancellariae ecclesiasticae asservatum, reditus ascendunt annuatim ad scuta 85, ex quibus detractis oneribus in summa scutorum 23, remanent pro parocho scuta 62, quae longe distant a congrua parochorum. Modernus igitur parochus Philippus Pellegrini subsidium temporaneum expostulat humiliter a Sede Apostolica, videlicet fructus legati instituti ab olim sacerdote Sebastiano Petrucci favore societatis sanctissimi sacramenti ejusdem oppidi, annui reditus scut. 26 cum onere missarum sex lectarum pro anima institutoris. Hujusmodi indultum implorat Orator ad tempus, scilicet usque ad obitum rectoris simplicis beneficii S. Nicolai, nunc pro tunc jam incorporati, et uniti praebendae parochiali. Assentiunt Oratoris instantiae confratres mox dicti sodalitii sanctissimi sacramenti, qui per secreta suffragia eorum assensum praebuerunt, utpote necessitati Oratoris proficuum, et sodalitio minime damnosum; nam societas sufficientibus reditibus est provisa, et parochi indiget opera pro functionibus, quae eidem societati incumbunt.

„Annuendum igitur Oratoris precibus putarem, eo quia expetitum indultum tendit ad bonum ecclesiae, ex ea potissimum ratione, quia pro necessariis alimentis rectoris reditus hujusmodi impendi debent."

Praetereundum non est, nonnullos ex confratribus societatis sanctissimi sacramenti, zelatorum nomine assumpto, petitioni archipresbyteri totis viribus repugnare, negando tenuitatem redituum archipresbyteralis praebendae, et sumptus extollendo, quos eorum sodalitium sustinere debet: obtrudendo denique, deceptos fuisse confratres, quando suum praedictae petitioni assensum praebuerunt.

Cum tamen Episcopus testetur, sufficientibus reditibus provisum esse sodalitium, tenues autem esse reditus archipresbyteralis ecclesiae; cum ex transmissa copia resolutionis in comitiis sodalitii editae appareat, novemdecim suffragia pro archipresbytero, novem tantum ipsi adversa fuisse; cum denique de asserta sodalium deceptione nulla probatio, nullum imo vel leve proferatur indicium: annuendum archipresbyteri precibus censerem, quibus etiam Episcopus favendum arbitratur.

Pro gratia perceptionis fructuum legati, adimpletis tamen oneribus, usque ad vacationem beneficii, facto verbo cum Sanctissimo.

484. Aquilana.

Die 27. Junii 1829.

In Aquilana Neapolitanae ditionis civitate exstat sub titulo S. Laurentii capitularis et parochialis ecclesia, cujus parochum ex jurepatronatus nominant Julius Marchio Quinzi et Maximus Quartari. Hujusce autem paroeciae reditus cum adeo imminuti sensim fuerint, ut eximiam nimis ducendaeque vitae prorsus imparem 24 ducatorum summam quotannis vix praestent parocho, hinc patroni supplicem huic S. Ordini libellum dedere, ut eidem paroeciae adjungeretur vacans in ecclesia S. Laurentii beneficium, sub titulo B. Mariae V. Gratiarum, cujus annui proventus ad 45 ducata pertingunt. Quibus quidem precibus Eminentissimos Patres libenti animo obsecuturos fore iidem patroni sibi pollicentur, tum quia vacantis beneficii juspatronatus suum esse probant, tum quia 120 ducatorum congrua cuilibet parocho ex nuperrime inter Apostolicam Sedem ac utriusque Siciliae Regem conventione sancita fuit.

Rogatus itaque Ordinarius de informatione et voto a patronis exposita primum confirmat. Addit deinde: „1. Parochus S. Laurentii praeter reditus enunciatos 25 ducata annua a municipibus loci Pizzoli percipiebat, qui tamen jam per plures annos hanc summam solvere detrectant; adhuc sub judice lis est neque videtur, quemnam exitum habitura sit. 2) Compatroni supradictae capellae et capitulum ecclesiae S. Laurentii unioni faciendae consensum praestiterunt. 3) Ab executoribus ultimi concordati nulla bona assignata sunt ad supplendam congruam neque ulla affulget spes, a patronis illud supplementum aliter posse procurari quam unione capellaniae supradictae, quia patrimonium familiae Quinzi aere alieno valde gravatum est et res familiae Quartari plene sunt disperditae. 4) Quamobrem opinor, enunciatam unionem esse concedendam, ut paroecia sit sufficienter dotata ideoque provideri possit personis dignis.

Pro gratia unionis juxta votum Episcopi impletis oneribus beneficii S. Mariae Gratiarum, facto verbo cum Sanctissimo.

485. Cuneen. — Legati pii.

Die 27. Martii 1858.

Augustinus Pellegrino suo quo decessit testamento dici 22. Novembris 1827 legati nomine reliquit capellae seu ecclesiae S. Rocho dicatae, intra fines paroeciae loci Bernezzo exstanti „libell. 200 annuas Pedemont .... dummodo dicta capella nunquam separetur a parochiali loci Bernezzo (dalla parrocchiale di Bernezzo); si hoc tamen acciderit, haeres solvat legatum parochiali loci Bernezzo (alla parrocchiale di Bernezzo) cum obligatione adimplendi onera legato imposita, ad servandum decorem ejusdem. . . .“

Ad hujus testamentariae dispositionis tramites, haeres Pellegrinii libellas biscentum memoratae capellae S. Rochi annuatim persolvit usque ad annum 1850. Quo quidem anno cum capella haec episcopali decreto sejuncta ac segregata fuerit a paroecia Bernezzo, jus ad legati perceptionem ex testamenti lege in eamdem paroeciam translatum fuit, quae reapse illius emolumentum ad praesentem usque diem sine querela percepit suumque fecit.

Dubium sed modo exoritur, utrum sub vocabulo Parrocchiale a testatore adhibito intelligi debeat beneficium seu cura parochialis, an potius ec-

clesia ac fabrica parochialis, ita ut hocce legatum converti integrum debeat in utilitatem parochi, vel applicari et erogari pro manutentione fabricae ecclesiae parochialis; sin minus dividendum aequis partibus sit inter ecclesiam et parochum, uti antea dividi inter capellanum et capellam consueverat.

Hinc actualis parochus Petrus Durbano, cui a testatore cura commissa est invigilandi super pii legati executione, haec supplici oblato libello, postulat declarari dubia: „1. Utrum sub vocabulo „Parrocchiale“ intelligatur beneficium parochiale, an potius ecclesia parochialis? 2. Utrum 200 libell. converti debeant in utilitatem parochi, an ad ecclesiam pertineant ideoque pro manutentione fabricae erogandae sint, an denique inter parochum et ecclesiam dividi debeant, ut antea inter capellanum S. Rochi et capellam.“ Parochi petitioni accedit commendatio episcopi, qui a sua edenda sententia abstinens, S. hujus Congregationis judicium praestolatur.

Orator in suo supplici libello haec in utramque partem observat. Ac primo quoad parochum, id ei favere, quod sub vocabulo Parrocchiale aliud nihil in concreta significatione intelligi queat, quam parochialitas; parochialitatis vero nomine venit animarum cura, ceu monet Ferraris biblioth. can. s. v. Parochialis. Deinde, quod idem vocabulum Parrocchiale sit derivativum vocis Parroco, et communi sermone reapse usurpetur ad significandum id, quod ad parochum spectat, ac proinde dicitur „beneficium parochiale, congrua parochialis etc.“

Favore autem ecclesiae perpendit, quod idem vocabulum Parrocchiale veluti adjectivum censeatur, cui subintelligi ideo debeat aliud vocabulum „Chiesa“, praeterea quod significatio haec magis consentanea videatur intentioni testatoris. Ac revera quoties legatum pure et simpliciter ecclesiae relictum fuerit, intentio testatoris ea fuisse censetur, ut ecclesiae utilitati, non rectoris commodo consulere voluerit, Amostaz de causis piis lib. 4. cap. 1. num. 58, S. Congregatio in Bononien. 20. Novembris 1824. §. Praediolum relata inter supplices libellos. Quae quidem interpretatio firmatur etiam tam ex verbis quae subsequuntur, hoc est „ad servandum decorem ejusdem“ quam ex toto orationis contextu, ceu legenti patet.

Ceterum cum praedictum vocabulum in utraque significatione recte adhiberi possit, perpendendum est, an voluntati testatoris consonum magis foret, legati emolumentum aequa distribuere lance parochum inter et ecclesiam ipsam, ad normam partitionis, quam fieri demandavit testator inter capellam S. Rochi ejusque capellanum, quousque legatum ad eamdem pertinuisset; eo vel magis quod in substitutione eaedem servandae sint leges et conditiones, nisi aliter cautum, quae in institutione statutae ac praescriptae fuerunt; quamvis in praesenti casu haud praetereundum, ea peculiari ratione ductum fuisse testatorem, ut capellanum legati participem faceret, quo nimirum ejus loci incolae ab quolibet praestationis onere vacui ac soluti evaderent, quae quidem ratio haud in praesens comprobari quoad parochum videtur.

Legatum, de quo agitur, integrum applicandum esse favore ecclesiae parochialis.

486. Civitatis Plebis. — Reintegrationis expensarum.

Die 29. Julii 1854.

Rector ecclesiae parochialis S. Donati in suburbiis Civitatis Plebis adlectus sacerdos Joseph Giommaroni fundos paroecialis beneficii colonica domo

invenit orbatos, ita ut ob deficientiam certae familiae rusticae ad agrorum culturam, et propter stabulorum defectum ad pecudum custodiam beneficiales reditus haud levem paterentur imminutionem. Hinc factum est ut, obtenta ab Episcopo venia parvas terrulas alienandi ab aliis fundis dissitas, convento pretio scut. 48 et obol. 12 ad domum praefatam construendam, operi manum admoverit, in id autem non minorem scut. 120 et obol. 53 summam, praecise necessitatis legibus haud praetergressis, insumpserit. Quibus adjecit alia scut. 20 in muri constructionem pro area efformanda ad frumenti triturum aliorumque usuum colonicorum opportunitatem necessaria.

Ex hisce scutatis 140 et obol. 53 in opus praedictum erogatis duo supra nonaginta scutata et obol. 41 de proprio aere contulisse parochum non ambigitur: quorum partialem redintegrationem in scut. 31 et obol. 36 ex alterius terrulae ad paroeciam spectantis venditione retractis auctorante Episcopo sub die 7. Julii praeteriti anni 1853 jam consecutus est. Unum vero supra sexaginta, quae supererant ad plenam expensarum redintegrationem scutata, ab hac S. Congregatione repetiit ex pretio alterius fundi debitis cum facultatibus divenditi pro summa scut. 107 desumenda.

Precibus hujusmodi ad Episcopum remissis pro informatione et voto, haec vicarius generalis reposuit: „Preces Josephi Giammaroni parochi ven. ecclesiae S. Donati in suburbiis hujus civitatis veritati omnimode nituntur. Cum enim parochiales agri rustica domo carerent, ubi et colonus moraretur et pecora custodiret, ex quorum defectu minor quam nunc est evadebat reditus, huic malo praesens rector obviavit parvam aedificando domunculam, cujus occasione fundorum fructus ob immissionem pecorum augeri compertissimum est, ac propterea de causae piae utilitate nullatenus dubitari potest. Expensae vero, quas in id obivit Orator scutata centum quadraginta superasse absque difficultate credendum est, atque idipsum constat ex attestatione fabri murarii. Ideo cum jam Josephus Giommaroni consecutus sit ex venditione quarumdam terrularum partialem ejus summae reintegrationem, petit ut ad plenam sui indemnitatem consequendam sibi fas sit sumere scutata sexaginta et unum prout in precibus ipsis. Neminem autem interrogavi, quia nemo praeter parochum ipsum interesse habet hac in re. Sed ut animi mei sensum candide aperiam, dicere arbitror, non tam facile mihi persuasum iri jus esse parocho Oratori quasi ex justitia expensarum refusionem cum bonorum ecclesiasticorum imminutione condicendi, quia domunculam istam cum ex propria voluntate construxerit, militat contra eum illa sanctio, quod, qui in alieno fundo sciens et prudens aedificat, domino fundi aedificat, idque eo fortius applicandum est in nostro casu, quia Orator Giommaroni juvenis aetate ut est spem lucri sibi potius proposuit, quam ecclesiae utilitatem. At quamvis ex justitia nihil debitum fortasse esset Oratori, tamen attenta domunculae ejusdem utilitate censerem ex aequitate valde conveniens esse, ut eidem Oratori aliqua reintegratio concedatur absque imminutione praebendae. Putarem ideo parochum Giommaroni petita gratia donari posse sub conditione, ut per eum quotannis summa scutatorum duodecim in loco designando deponatur usque ad complementum scutatorum sexaginta unius et obolorum quatuor investienda in bonis stabilibus in subrogationem pecuniae, de qua in supplici libello.“

Hisce tamen, quae a vicario generali relata sunt, cum Oratore Giommaronio communicatis, haec ipse opponit. Et primo quidem advertit ex praefata relatione factorum veritatem tum quoad expensarum quantitatem, tum quoad aedificii utilitatem ac necessitatem ultro depromi. Hinc deducit impensi repetitionem haud sibi posse denegari: sumptus namque utiles et

necessarii in aedificium erogati, ex legum praescripto aeque possessori bonae fidei ac possessori malae fidei restituuntur, leg. Domum §. Ejus autem 5. Cod. de rei judicat. Quamvis enim de eo, qui mala fide in alieno solo aedificium ponit, diversa fuerit Romanorum jurisprudentum sententia, hodie tamen „usu fori apud omnes gentes „receptum est, actionem tribui ad impensarum repetitionem non tantum possessori bonae, sed et malae fidei, ita suadente naturali aequitate, quae jubet ut quisque sui contentus aliena domino restituat." Sic Richer. in universa jurisprud. lib. 2. tit. 1. §. 618.

Addit autem sese nec possessorem malae fidei reputandum, quippe cum legitimus beneficii parochialis sit rector, nec mala fide aedificasse in alieno solo, cum superioris auctoritas intercesserit, qui domus constructionem rite probavit, ac terrularum venditionem decrevit, earumdem pretium in id destinando. Fortius exinde repetitionem impensarum sibi deberi animadvertit ex notissima juris censura; leges quippe „possessori exceptionem tribuunt, qua materiae pretium et sumptus a soli domino repetat; huic enim favet tum bona fides, quae donationis praesumptionem excludit, tum aequitas, quae non patitur, ut alter ex alienis spoliis ditior fiat," uti monet Richer. loc. cit §. 615. ex leg. Nam hoc natura 14. ff. de condict. indeb. Cui accedit dispositio in cap. Requisivit de restit. in integrum lib. 1. decretal. ubi Alexander III. textualiter cavit: „Providendum est tamen ne, si forte coloni possessiones illa expensis ac labore suo reddiderint meliores, sumptibus, quos bona fide fecerunt, debeant defraudari."

Eoque minus sibi nocere posse subsumit, quae ultimo loco vicarius generalis opponit ex Oratoris aetate deducta, quasi donandi praesumptionem hinc arguí liceret. Donationis autem praesumptionem excludit praevia superioris auctoritas, expressa Oratoris voluntas circa repetitionem expensarum pandita primum Episcopo, a quo partialem jam redintegrationem accepit, ac deinde S. huic Congregationi: ac praeterea donandi animum expellit ipsa rei natura ex notabili aedificii utilitate ac necessitate ob omnimodam colonicae domus deficientiam, inspecta qualitate personae, qualis est legitimus beneficii possessor et usufructuarius. Casum enim expendit ac resolvit praefatus auctor Richerius loc. cit. §. 614, ubi ait: „Fingamus, ut exemplo res melius innotescat, colonum aut fundi conductorem vel usufructuarium in area aedificium posuisse ex sua materia et propriis sumptibus. Sane nulla hic donationis indicia assistunt, sed eo consilio alteruter ex his aedificasse praesumendus est, ut aedificio interim utatur fruatur ad sui commodum et fundi utilitatem. Pretii ergo repetitionem habebit."

Cum igitur beneficiatus usufructuario comparetur, et Orator in legitima fundorum possessione sit constitutus, cumque non jam de voluptuosis, sed de necessariis ac utilibus impensis agatur, Episcopo assentiente atque auctorante facto exclusa donationis praesumptione, consequi videtur, principium a vicario generali adductum petitioni Oratoris adversum themati minime convenire. Ac proinde, cum non solum aequitatis ratione, sed etiam ex justitia plenam expensarum redintegrationem sibi competere propugnet Orator, aequitatis remedium, quod proponit vicarius generalis, arridere nequit Giommaronio, qui summam quidem petitam accipiet, eamdem tamen uti non suam ratatim adigeretur restituere.

Esse locum redintegrationi, facto verbo cum Sanctissimo.

487. Viterbien. — Decimarum.

Die 31. Martii 1860.

Asiatica lue Viterbium infestante anno 1855, municipium hujus civitatis ad cadaverum humationem praedium in regione S. Lazzaro situm, Eminentissimo etiam Episcopo assentiente, destinatum voluit. Cum vero ager iste solutioni decimae tum sacramentalis cum praedialis ex synodali lege obnoxius esset favore paroeciae sub titulo S. Mariae de Edera, hinc parochus decimarum solutionem seu ejus quod interest ex eo praedio amplius non fieri penes municipium urgere non omisit. Municipium vero rem de bono et aequo definiendam S. hujus Congregationis judicio deferre e re sua censuit.

Eminentissimus Episcopus, cui municipii libellus remissus fuit pro informatione et voto, supposito originario parochi jure decimandi super praedio in coemeterium deinde converso, de quo a partibus non controvertitur, censet, quod si spectetur quaestio prout a municipio proponitur, utrum scilicet praedium in coemeterium conversum decimas respondere teneatur, negativo responso absque dubio dirimenda foret, cum praedium ob coemeterii qualitatem infrugiferum evaserit, adeoque subjectum caret, super quo decimae essent persolvendae. At vero in casu inquirendum potius existimat, num parocho jus sit postulandi aliquam indemnitatem seu compensationem, ex quo decimas municipii facto super eodem praedio ipse amiserit. Porro quaestione ad hosce terminos reducta, favore parochi respondere non dubitat Eminentissimus Episcopus: „Licet enim, inquit, publici boni ratio in miseranda illa aetate postularet agrum, de quo res est, ad cadaverum humationem designari, publica ratio tamen juri quamvis privato, ob urgentem praesertim necessitatem, praevaleat, non hercle altero privilegio frui posset impune ceteros exspoliandi, domino nulla praestita indemnitate. Igitur si parochus necessitati publicae rei cedere debuit, ita ut praedium, de quo agitur, coemeterium efficeretur, jure aedepol decimarum non adeo orbari potuit, ut nulla imposterum ei daretur compensatio. Durum quippe foret ac justitiae repugnans, eoque fortius, quod parochialis praebenda non sit amplo ditata censu.“

Quibus praemissis addit, parochum a se interrogatum decimae compensationem postulare, ac pro una tantum vice, ad jurgia praesertim avertenda, scut. 25 solutioni acquiescere. „Nimia porro, concludit, aequitate parochi postulatio fulcitur, atque cum ipse revera bono jure potiretur in decimarum perceptione, compensationem petitam, ne praebendae detrimentum inferatur, a municipio persolvendam esse putarem.“

Post haec, quae ad rem edisserit Eminentissimus Episcopus, facile decernent EE. VV., quid in genere, quidque in specie quoad parochi petitionem municipio porrectam sentiendum sit. Civilibus enim legibus, quibus jura privatorum cum publica necessitate et utilitate conciliantur, cavetur, derogari quidem posse privatorum juribus ob bonum publicum, praestita tamen indemnitate, l. unic. C. ut nemini lic. in empt. spec. se excus. Glossa in l. Si locus ff. quemad. servit. amitt. v. praestare, Alexander cons. 151. incip. in causa Covaruv. variar. resolut. l. 3. cap. 14. Menoch. de arbitr. jud lib. 2. cap. 5. cent. 5. cas. 462. num. 12 et 13 aliique communiter. Quamobrem cum de bono parochi jure ad indemnitatem consequendam pro amissis decimis dubitari non posse videatur, perpendendum an indemnitas haec tam pro praeterito tempore, quam pro futuro

in scut. viginti quinque pro una tantum vice sit praestanda, in quo quidem maxima parochum aequitate uti testatur Eminentissimus Episcopus, vel potius expediat amissi lucri aestimatione rite peracta, ad juris rigorem indemnitatem exigere, idque eo vel magis si quidem non unam actualis parochi utilitatem spectandam, sed consulendum quoque indemnitati praebendae parochialis, indicto retrahendae pecuniae investimento, judicaverint EE. VV.

Esse locum indemnitati congruae paroecialis in summa liquidanda ad formam juris et favore ejusdem congruae investienda.

VIII. DE AMOVIBILITATE, RESIGNATIONE ET REMOTIONE PAROCHORUM.

488. Portuen. et S. Rufinae.

Die 14. Februarii 1846.

Cum modo suo rectore vacua sit archipresbyteralis ac paroecialis ecclesia Insulae Farnese, dioecesis Portuen. et S. Rufinae, Petrus V. illius curiae promotor fiscalis ab hoc S. Ordine postulat, ut ea praebenda, quae usque adhuc in titulum perpetuum collata est, in posterum declaretur amovibilis ad nutum Eminentissimi Episcopi. Hisce super precibus de more requisitus est idem Eminentissimus Episcopus, qui postquam retulerit, inter 19 paroecias in dioecesi Portuen. exstantes quinque tantum esse inamovibiles et has quidem in vicis dioecesis, paroecias autem mere rurales esse amovibiles, ipse quoque pro gratiae concessione efflagitat ob causas inferius exponendas.

Porro habent ss. canones, ne parochus sit conductitius et ne vicarii curati curam animarum exercentes sint annui et amovibiles, sed perpetui, ceu statuit Concilium Lateranen. in cap. Exstirpandae §. Vero de praeb., Concilium Remense (ann. 1148 c. 9) et insinuat Trid. Syn., quae (s. 24, c. 13) praecipit, ut pro tutiori animarum salute unicuique paroeciae perpetuum ac peculiarem parochum Episcopi assignent et sess. 7. c. 7. mandat, ut iidem procurent animarum curam in paroeciis capitulis vel monasteriis unitis per vicarios idoneos etiam perpetuos exerceri. Hinc hanc S. Congregationem respondisse ecclesias parochiales de sua natura in perpetuum conferendas esse et non amovibiliter, non obstante quacunque contraria consuetudine refert Gonzalez (in comment. ad reg. 8. canc., gloss. 5. §. 6. n. 60) ejusdemque constans praxis est, ut Episcopos, in quorum dioecesibus paroecias esse amovibiles ex relatione s. visitationis deprehendit, vehementer hortetur, ut eas perpetuas efficiant. Frequens enim ministrorum mutatio in maximum ecclesiae et animarum salutis praejudicium cedit ac parochi, qui sunt amovibiles, mercenarii ac conductitii pastores aestimandi sunt, quibus proinde nulla cura esse potest de ovibus juxta illud Joannis c. 10, v. 12: „Mercenarius autem et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem et dimittit oves et fugit,“ quemadmodum expendit Fagnanus (in cap. Ex parte de offic. vic. n. 16), quapropter oblatae preces nimis alienae a ss. canonum sanctione judicandae essent, praesertim cum in id spectent, ut paroecialis praebenda, quae modo perpetua est, amovibilis efficiatur. — Verumtamen pensandae sunt peculiares facti circumstantiae, quas recenset Eminentissimus Episcopus in haec verba: „Antea Insula Farnese vicus (paesetto) erat, nunc potius terrula (casale) nuncupari potest. Ceterum experientia in

hac dioecesi monstravit utilissimum esse immo fere necessarium, ut parochi rurales sint amovibiles ad nutum Eminentissimi Episcopi 1. quia difficiliter parochi tam idonei, ut inamovibiles instituantur, reperiuntur; 2. quia expedit, ut tales parochi semper timeant remotionem, quo timore ab illis negligentiis retinentur, ad quas sacerdotes in ruris solitudine inclinant; 3. denique quia praecipue in ultimo parocho Insulae Farnese mali isti effectus inamovibilitatis apparuerunt, cum non obstante ejus negligentia nimis nota, tolerari deberet usque ad renuntiationem voluntariam."

Attentis peculiaribus circumstantiis pro concessione pro hac vice; facto verbo cum Sanctissimo.

489. Meten. — Remotionis a paroecia.

Die 21. Martii 1868.

Res est de quodam sacerdote Balthassare M., qui ab Episcopo M. remotus est a paroecia R., quam paroeciam a duobus annis regebat tanquam „desservant". Longa est historia, quam praefatus sacerdos enarrat quoad officia quibus functus est in curae animarum ministerio sive qua vicarius parochorum coadjutor, sive qua parochus desservant. Scire praestat spatio unius anni eumdem suppetias tulisse parocho K. in P. anno 1846 ad 1847; hinc duobus annis eodem auctum munere adstitisse parocho P. in S. A. a 1847 ad 1849. Transiit postea ad paroeciam L., quam tamen duobus tantum annis rexit uti parochus desservant; nam translatus hinc fuit ad paroeciam L., in qua pariter duobus tantum annis permansit. Spatio deinde novem annorum exstitit rector paroeciae T., quam etiam permutare coactus fuit cum altera ad R., a qua tandem ex mandato sui Episcopi revocatus est, eique die 22. Septembris 1865 commissa fuit ecclesia succursalis de O.

Re quidem vera cum in prima et secunda ex praedictis paroeciis sacerdos M. nonnisi simplicis vicarii coadjutoris munere fungeretur, nil mirum est, quod ab utraque etsi post breve temporis spatium translationem subierit, imo ex secunda, quin dedecus ullum in ipsum redundaret, honor potius obvenit: siquidem ad majora ascendit parochi officio auctus. Non idem vero sentiendum esse videtur quoad quatuor alias insequentes translationes. Habemus enim ex actis, easdem absque ulla praevia monitione fuisse peractas, et non paucis querelis ex parte parochi praebuisse occasionem, ceu inferius referam; modo autem prosequar factorum seriem exponere.

Aegre ferens parochus mandata Ordinarii, quibus a parochia R. in aliam O. ex improviso transferebatur, consequi studuit, ut Episcopus a suscepto consilio recederet, praesertim cum ipse Ordinarius parocho declarasset, ut hic ait: „Aliam tibi assigno paroeciam 1. quia regionis praefecto displices 2. quia archipresbyter, quem offendisti, avocationem tuam desiderat 3. quia non excellis animi moderatione." Frustra tamen M. suam agendi rationem et cum praefecto et cum archipresbytero, seu cantonali parocho, explicare conatus est, suasque afferre justificationes, propitio sibi aliorum parochorum innixus testimonio; Romam proinde adveniens supplici libello apud Sanctissimum Patrem late prius exposuit quamplurimas facti circumstantias super relatis causis suae remotionis, et deinde petiit, ut expensis rationum momentis ab ipso adductis suae paroeciae R. restituatur.

Arduum hoc esse negotium praesentiens, monui Oratorem consultum magis esse, ut Episcopo suo obtemperaret; cum tamen ipse potius instaret juxta preces Beatissimo Patri exhibitas, die 2. Maji 1866 rogavi Reveren-

dissimum M. Praesulem, ut de Oratoris moribus, scientia, ac prudentia praesertim in parochiali ministerio exercendo referret, et sequens responsum accepi:

„Sacerdos M., de cujus anteacta vita et praesertim de prudentia in parochiali ministerio exercendo Sacr. Congregatio inquirit, fide orthodoxa et bonis moribus commendabilis, scientia sufficienti praeditus est. Ad sacr. presbyt. ordinem anno 1846 promotus primum vicarii, dein pastoris deservientis (gallice desservant) munia obiit. Quibus in officiis zelum quidem habuit, sed saepius amarum et non secundum scientiam et prudentiam. Sensus enim proprii tenax, et cujuscumque contradictionis impatiens, nec semel immemor obedientiae et reverentiae Episcopo promissae, in fideles suae curae commissos sive in privata conversatione, sive in concionibus, et etiam in sacro tribunali durius se exhibuit, beati Apostoli praeceptum oblitus: ‚Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes"; nec non et salutaria S. Gregorii in pastorali monita: „Cum delinquentes subditos propositi corrigunt, necesse est ut solliciti attendant, quatenus per disciplinae debitum culpas quidem jure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam aequales se ipsos fratribus qui corriguntur agnoscant." Porro in ista praedura et intempestiva agendi ratione exortae sunt populorum inimicitiae ac dissensiones, non quidem sine animarum perturbatione, detrimento atque scandalo."

Dum hae literae Romam adveniebant, novas mihi exhibebat preces sacerd. M., quibus lamentabatur se quibuscumque reditibus paroeciae suae privatum fuisse, redactum ideoque esse ad extremam egestatem. Rescribens itaque die 27. Julii praed. anni laudato Praesuli ita me habebam: „Literas Ampl. Tuae . . . benigno excepit animo Sacra haec Congregatio. Porro ex his placuit deprehendere nihil praefatum sacerdotem quoad mores ac scientiam reprehensione dignum prae se ferre: imo in vicariali ac parochiali munere exercendo commendabilem sollicitudinem ac zelum exhibuisse. Si quid autem nota dignum in eo deprehendis, ex iis quae scribis, non pravo ejus animo, sed naturali potius indoli tribuendum videtur. Quae cum ita sint, quamvis S. C. mens haud sit probare ejusdem sacerdotis non satis docilem consiliis Tuis agendi rationem, nec in ea, quae a Te provisa sunt, sese ingerere, nihilominus eximiam et jam perspectam pietatem Tuam excitare non incongruum existimat S. Ordo: ut huic sacerdoti jam ad inopiam vergenti opitulari cures, quod assequi poteris, si non aliam parochiam eidem conferendo, aliquod saltem aliud officium ecclesiasticum ipsi committendo, ex quo habeat unde vivat, et ecclesiastici ordinis decori consultum sit."

Nesciens parochus quid suprarelatis suis literis Episcopus ad Sacram Congregationem responderit, habita vero notitia aliarum literarum, quas Praesul ille super hoc negotio dederat ad Eminentissimum Villecourt, e re sua duxit peculiaribus animadversionibus ad singula reponere, quae in iisdem literis deducta ab Ordinario invenit. Serius vero mense Septembris cum conquereretur, nullum advenisse ab Episcopo responsum quoad provisionem aliquam ad ipsius inopiam sublevandam, rursus institit apud S. Ordinem, ut officium ab Episcopo responsum expostularetur. Die itaque 24. Decembris 1866 iterum scriptum est M. Episcopo in haec verba:

„Jam a die 27. elapsi mensis Julii Sacra haec Congregatio . . . per suas literas pietatem Amplitudinis Tuae excitandam duxit erga sacerdotem Balth. M., ut quatenus aliam paroeciam eidem conferendam haud duceres, aliquod saltem officium ecclesiasticum ipsi committeres, quo ejus inopia sublevetur, ac decori ecclesiastici gradus prospiceretur. Jam vero cum haud

hucusque cognoscere liceat, quid hoc super negotio actum ab Amplit. Tua fuerit, quodque consilium aut propositum sequi velis, ad Sac. Ordinis vota obsecundanda, hinc per alteram hanc epistolam Humanitatem Tuam excitandam ducit, ut miserum sacerdotem a moerore ac aerumnis sublevare pro viribus cures. Quod sane ob perspectam religionem Tuam jure meritoque sperare licet. Ceterum scias etiam nedum Sacr. Ordini, sed et Sanctissimo Domino Nostro, cui negotium relatum est, rem gratissimam Te facturum, si ex bono et aequo controversia omnis componatur."

Ad haec itaque reponens Episcopus die 12. Januarii 1867 his verbis usus est: „Quas die 24. Decembris literas Eminentia Tua ad me direxit, non sine maestitia et stupore perlegi. Sacra enim Congregatio Concilii pro Balthass. M. postulat, quod ipse pro seipso nunquam a me postulavit. Cum parochiam dict. R. susdeque verteret, et consilio episcopali saepius consulto, non eum pastorali munere depellere, sed ad aliam parochiam O. nuncupatam transferre statuissem, mandatum meum palam contempsit, et in responsione arrogantiam spirante, Romam appellandi, ut sua, ut ajebat, jura vindicaret, propositum denunciavit. Post aliquot menses revera Romam profectus est. Ex ea autem die, qua in Urbem pervenit, nullam unquam ab illo epistolam, nullam reverentiae et poenitentiae signum accepi. Nec mirum; certum enim deliberatumque illi erat, ut, omisso quocumque satisfactionis actu, in dioecesim victor triumphansque, superato Episcopo, ut praedixerat, reverteretur. Romae autem eum permansurum esse satis credibile est, quamdiu aliqua spes affulgebit scopum intentum pertingendi. Imo eodem tempore, quo Reverendissimus Sacr. Congr. Conc. Pro-Secr. humanissimas diei 27. Julii literas ad me scribebat, longe diversam excepi epistolam a quodam viro Romano mihi prorsus ignoto, gallico idiomate exaratam, qua iste minabatur judicium contra me, se procurante, imminere, nisi ad aliam aequivalentem paroeciam sacerd. L. remitterem. Cujus epistolae praedictus M. ad patruum et ad familiares transcriptum exemplar mittere properavit.

„Quid plura? vicesimum quartum episcopatus annum jam expleo. Quibus pastoralis meae sollicitudinis decurrentibus annis, quoties clericos in s. ordinis dedecus et animarum perniciem delinquentes redarguere, aut aliquando contra contumaciam seu delicta graviora severitatem adhibere debui, me nonnisi pensata diu et evidenti necessitate coactum aegre et dolenter poenis aut censuris canonicis usum esse in Domino confido. Quod ipsi sacerdotes ad meliorem frugem reversi magna mea consolatione sponte confessi sunt. Hanc charitate Christi temperatam agendi rationem erga D. M., qui jam antea paternis meis consiliis, et monitis non obtemperaverat, ultro tenuissem, ut testatur ipsius simplex ad aliam succursalem ecclesiam translatio pro emendatione imposita, nisi superbia motus scandalose restitisset. Sed hic idem primus et unicus auctoritatem meam publice sprevit, et, ut ita dicam, rebellionis vexillum, stupente et gemente universo clero, levavit. Et tamen S. Congregatio Concilii falsis, ut arbitror, narrationibus decepta, in gratiam illius sacerdotis intervenire opportunum existimat, quin ullum poenitentiae et melioris propositi testimonium, ullam satisfactionem pro injuria auctoritati et personae Episcopi palam illata, et pro disciplina, in quantum potuit, in discrimen adducta, ab eo exegisse videatur. „Unde (non miretur Eminentia Sua et ignoscat) in me cor meum moerens, et verba mea dolore sunt plena."

Perlectis his literis, vocatus fuit Orator, eique commendatum est, ut obedientiae et submissionis literas ad suum Episcopum daret, quod propositum etsi aegro aliquatenus animo ab initio exceperit, executioni tandem commisit: die enim 13. Aprilis 1867 Eminentissimo Sacrae Congregationis Prae-

fecto pro approbatione literas Episcopo mandandas proposuit, quibus deplorans dissensionem istam inter Episcopum ipsumque intercessisse retractat omnia, quae ex anteacta vita Episcopum offendere potuissent humilemque subjectionem ac devotionem maximam promittit, si Episcopus permitteret ipsum ad paroeciam R. redire vel, si hoc fieri omnino non posset, aliam ipsi paroeciam aequivalentem honorique convenientem assignaret."

Perlectis his literis, dubitatum admodum fuit de felici earumdem exitu apud Episcopum; rursus propterea advocato Oratore ad aulam Sacri Ordinis, hortari eumdem placuit, ut novas submissiori sensu confectas literas Ordinario suo transmittendas exhiberet. Id tamen praestare renuit, animadvertens se judicium Sacrae Congregationis expetere juxta acta et probata, nec ullatenus posse cujusvis culpae reum se coram Episcopo accusare contra honoris sui integritatem.

Rebus hucusque adductis, consultum visum est sapienti vestro judicio rem omnem submittere.

Ex Episcopi literis nil in facto deduci valet, quod arguendum sit contra parochi mores et scientiam, qui imo ex hac parte commendabilis ab ipso Ordinario dicitur. De indiscreto potius ipsius parochi zelo laudatus Praesul conqueritur, eumdemque removendum ideo forsan duxit, quia non secundum scientiam et prudentiam, ut Episcopus retulit, se gesserit in curae animarum ministerio.

Praestat autem heic nonnulla summatim referre, quae de sua agendi ratione copiose idem sacerdos exposuit. Remotum se a paroecia R. refert ob suam agendi rationem cum loci praefecto et cum archipresbytero, nec non ob acrem, tenacemque animi indolem ac cujuscumque contradictionis impatientem.

Quoad primum reponit, se per epistolam quandam, quae caeteroquin cum paroeciali ministerio nihil commune habebat (agebatur enim de nimia mora in solvendis solitis parochorum pensionibus) in praefecti indignationem incidisse; in ea tamen se talia retulisse facta, quae a nemine unquam in dubium revocata fuerant. Monet praeterea omnium suorum in sacro ministerio confratrum hac in re adprobationem se consecutum esse, et tamen cum hanc epistolam Episcopus opportunam non judicaret, statim ab ipso veniam se rogasse affirmat. Aliud irae praefecti argumentum inde ortum, quod parochus inculcarit parentibus ut pueros suos in lingua Germanica instituerent at merito et optime se gessisse ex hac parte putat, cum illius regionis incolae illam linguam loquantur, et nullam aliam intelligant.

Quod attinet injuriam, de qua questus est archipresbyter, sequenti ratione sese explicat. In quadam parochorum congregatione, cum fervens controversia exorta esset de danda vel deneganda absolutione his, qui confessarios saepe mutant, archipresbyter expedire contendebat, ut hodiernis temporibus omnes indiscriminatim poenitentes, qui sacrum adeunt tribunal, a peccatis absolvantur: huic opinioni Orator principiis sacrae theologiae et dioecesanis statutis innixus sese opposuit, ita tamen ut quoscumque verborum aculeos excluserit. Quod si postea plus aequo forsan acerbius locutus sit, id tribuendum asserit provocationi archipresbyteri, qui mensam vehementer et incomposite percutiens, ipsi silentium amaris verbis imposuit. Porro in hac controversia, quamtumvis agitata, nil notari potuisse contendit, quod remotionem a parochia requirere et honestare potuerit. Tandem ab insimulatione resistentis indolis et asperi ingenii se purgat, exhibens propitia sibi testimonia parochorum nec non civilium etiam magistratuum et praesertim parochianorum, qui simul ac certiores effecti fuere, apud curiam episcopalem

agi de remotione parochi, Episcopo porrexerunt supplicem libellum ab omnibus fere patribus familias, uno alterove tantum excepto, subscriptum, in quo parochum, quem magno amore prosequebantur sibi conservari enixe petebant.

His itaque aliisque animadversionibus preces suas coram Sacra Ordine sustentare satagit, haud unquam monere desinens, se nulla cujuscumque generis praeeunte monitione revocatum fuisse singulis vicibus a quatuor paroeciis.

Pauca nunc pro meo munere. Notissimum profecto est, quamplurimos rectores paroeciarum in Gallia qui succursalistarum vel deservientium nomine veniunt cuncta gerere in animarum cura, quae veri nominis parochorum sunt, eosque ea omnia prae se ferre, quae in parochis requiruntur, excepto tantum titulo perpetuae inamovibilitatis. Hinc sequitur ad eorum remotionem non servari causas et leges a jure praescri tas. Aequitatis tamen ratio et boni regiminis disciplina postulare videntur, ut aliqua justa et rationabilis causa intercedat, et nisi proprie dictae canonicae monitiones debeant ex necessitate praecedere, aequum tamen videtur, ut remotiones nec ad purum libitum, nec frequenter, aut prorsus ex improviso, sed prudenter et paterne locum habeant. In hoc enim habenda est ratio prudentiae, et amovendorum honori consulendum est: Piton. de contr. patr. alleg. 108. suppl. n. 23. Caute praeterea procedendum etiam videtur juxta ea, quae tradit Card. de Luca de benef. disc. 97. de manualibus n. 6. et seq. consulto scilicet prius ne „ex amotione dedecus vel infamia, seu aliud magnum praejudicium ejecto causetur.“ Quod si justa causa requiri solet, ut revocari possint vel ipsi vicarii curati amovibiles, ceu Sacr. Congr. in Asten. 27. Julii 1867, a fortiori profecto talis justa causa adesse debet, ut licite amoveatur parochus licet amovibilis. Quod tamen fieri rarissime poterit, nisi deservientes istiusmodi, excepto gravis negligentiae aut etiam culpae casu, in aequivalentem saltem paroeciam transferantur.

Haec brevi calamo animadvertenda duxi, ne historice tantum de hac quaestione agerem; Eminentiae tamen Vestrae summa qua pollent sapientia, perpensis omnibus hucusque a me relatis, judicabunt, quodnam consilium in themate suscipiendum erit.

Orator acquiescat et mandatis Episcopi se submittat.

Simul mandatum fuit, ut scriberetur Episcopo, S. Congregationem aequitati Episcopi confidere, ut, postquam Orator decreto S. Congregationis sese conformaverit, ei daretur congrua provisio.

490. Verulana.

Die 3. Septembris 1825.

Inter episcopalem curiam Verulanam et archipresbyterum Eustachium Olivieri gravis exarsit controversia, de qua actum est in comitiis diei 15. Septembris 1821 propositis dubiis I. „An sit locus privationi a paroecia archipresbyteri Olivieri in casu etc.“, et quatenus negative II. An sit locus remotioni oeconomi in casu etc.“; quibus EE. VV. responderunt ad I. „Negative et amplius;“ ad II, „Affirmative et amplius.“ Verum archipresbyter Olivieri jurgiis, dissensionibus ac processibus semper implicatus, jugiter abfuit a sua paroecia Strangulagalli; et Episcopus mense Octobris anni 1823 sacram visitationem peragens in eadem paroecia multam interdixit sac. supellectilem, eamque ab archipresbytero Olivieri reficiendam decrevit, simulque Francisco Bottoni archipresbyteri ministro indixit, ut ea de causa fructus bonorum paroeciae sequestro teneret. Haec omnia perpendens

archipresbyter Olivieri et parochianorum spirituali bono consulere cupiens, promptum se exhibet ad emittendam paroeciae renuntiationem; sed ab hac Sac. Congregatione petit, ut latum de sacra supellectili ab Episcopo decretum infirmetur, et congrua sibi pensio super praebenda archipresbyterali Strangulagalli constituatur.

Episcopum requisivi, qui exeunte mense Maji labentis anni 1825 ita sententiam suam aperuit: „Ex quo sacerdos Eustachius Olivieri reportavit ab ista Sac. Congregatione decretum sibi favorabile super causa: „an esset locus privationi a paroecia,“ mense Septembri 1821, fuit ex hac victoria factus audacior.

„Quartus jam volvitur annus, ex quo post praefatum decretum non residet, pergens morari in Urbe ... si vir esset moratae conscientiae, consideraret, se absque causis legitimis a paroecia absentem, praeter reatum peccati laetalis fructus beneficii non posse facere suos. Tutelari, ut ita dicam, aliquo modo posset ejus nimis longa absentia, si saltem curaret, ut per alios satisfieret cunctis oneribus praebendae. Quum anno 1822 voluisset remotum oeconomum, qui ab initio causae fuit a me deputatus; cumque ab ipso electus noluisset justa de causa ejus vices gerere, licet a me approbatus et exoratus; factum est, ut per undecim circiter menses parochia fuerit absque certo et determinato vicario, ideoque coactus fui praecipere, ut interim caeteri sacerdotes, meliori quo possent modo, se populi necessitatibus praestarent.

„Licet autem ab oeconomo curato, (quem ipsemet iterum elegi et deputavi sub die 4. Martii 1823, ut per idoneum vicarium certum cura animarum administraretur) a die 19. Martii 1823 usque ad totum annum 1823 cunctae missae praebendae archipresbyteralis fuerint celebratae; attamen idem oeconomus, a die 10. Junii 1823 usque ad hanc diem, nullam habuit mercedem; propterea postquam executus fuerit, et promiserit se diligenter executurum caetera officia vicarii, omisit celebrationem missarum a die prima hujus anni (1825) usque ad praesens, quia certus est, Oliverium non soluturum debitam eleemosynam.

„Actu sacrae visitationis anno nuper praeterito peractae, inveni nonnulla paramenta deficere, alia lacera et indecentia: ideoque coactus fui praecipere Oliverii procuratori, ut se abstineret a tradendo ei fructus massae communis, nisi prius factis expensis necessariis. Nunc ipse, amoto illo procuratore, alium praefecit, prohibens ne attendatur quodcumque meum decretum aut sequestratio.“

Parochum capitalibus inimicitiis implicatum absque ejus culpa et antequam ecclesiam obtinuerit exortis, a residentia paroeciae excusari, docent Host. in cap. Bonae l. de election. num. 5. in ver. Excusationem, Fagnan. lib. 3. decret. cap. Clericos, de clericis non resident. num. 25 et 26. Simili in casu Sacra Concilii Congregatio consuevit dare literas ad Episcopum, ut parocho veniam tribuat residendi in alio tutiori loco non ultra sex menses; quo tempore nisi sedatae sint inimicitiae, eidem parocho et alii sex menses conceduntur sine spe ulterioris prorogationis: parochum deinde inducendo ad resignandum vel permutandum, arg. cap. Ad supplicationem, de renunt., Fagnan. lib. 3. decret. loc. supra cit., Sac. Concilii Congr. in Camerinen. 8. Maji 1785.

Plures praeteriere absentiae anni; quaestio in hoc Sac. Senatu anno 1821 fuit agitata: nihilominus parochus Olivieri semper abest a paroecia, nullaque affulget spes, quae promptum ejus reditum suadeat; qua de causa

sacramentorum administratio negligitur, instructio in mysteriis religionis torpet, missarum celebratio pro populo omittitur, animarum cura divinusque cultus languet, et interim tartareus lupus rapit et dispergit oves.

Reditibus vero ecclesiae deficientibus parochi aliique beneficiati tenentur ad procuranda, et reparanda ejusdem ecclesiae paramenta, argum. cap. 1. de eccl. aedific., Pirhing. in jus canon. tit. de ecclesiis aedificand. num. 16, tum quia sine his divina celebrari nequeunt, tum quia fabrica ecclesiae et praeparatio ornamentorum parificantur, arg C. fin. de testam., Ferrar. biblioth. verb. Utensilia num. 12. in fin., Ventrigl. in prax. part. 2. annot. 18. num. 2. et annot. 19. num. 33, ac proinde obligatus ad instaurandam ecclesiam de ornamentis quoque illam providere debet, Barbos. de jur. eccles. lib. 2. cap. 4. num. 2., Panimol. dec. 6. annot. 8. num. 9. In ecclesia tamen archipresbyterali Strangulagalli anno 1728 Episcopus Verulanus Petrus Xaverius Tartagni ex praebendis archipresbyteri et beneficiarii aeditui massam communem constituit, cujus reditus annuam summam scut. 12 attingit, qua consulendum est expensis praevisis; non praevisis impensis autem occurrere debet pro duabus tertiis archipresbyter et pro alia tertia parte beneficiarius aedituus pro tempore. Hujus massae communis administratio fuit semper apud archipresbyteros: at die 12. Julii 1817 paroeciam deserente archipresbytero Olivieri, administrationem suscepit Verulanus Episcopus. Octo praeterierunt anni, ex quo archipresbyter Olivieri massae communis administrationem amisit: igitur penes Episcopum sunt horum octo annorum reditus, qui in comparanda vel instauranda sacra supellectili sunt impendendi.

Justa demum gravique intercedente causa, resignanti ecclesiasticum beneficium pensio potest super eodem constitui, Abbas in cap. Ad audientiam. 31. num. 6., Navarrus consil. 5. num. 1. et 2. de simonia, Garcias de benefic. part. 1. cap. 5. num. 295. et seq. Beneficii litigiosi resignatio inter justas causas adnumeratur a Reiffenst. lib. 3. tit. 12. de pension. num. 102. Controversia, de qua in themate, pluribus ab hinc annis agitatur. Assiduae sunt inter Verulanum Episcopum et archipresbyterum Olivieri dissensiones. His omnibus finem tandem aliquando imponere, non modo pium, laudabile, sed omnino est necessarium; quoniam de neglecta paroeciae administratione agitur, ideoque de continuo et gravi animarum periculo.

Admissa renuntiatione, Sacra Congr. sibi reservavit assignationem pensionis, et ad mentem.

491. Bononien. — Privationis paroeciae.

Die 8. Aprilis 1848.

Eminentissimus Archiepiscopus Bononien. hujus S. Ordinis oraculum sciscitatur super facti specie, quam suis literis enarrat per haec verba: „Die 26. Decembr. proxime praeteriti parochus ecclesiae S. Josephi „delle caselle“ missam celebravit populo adstante, postea multo die jentaculo jam facto alterius missae signum dedit et alteram missam celebrare cum scandalo parochianorum ausus est. Re mox in vicinis paroeciis divulgata omnes exspectant, qualis poena delinquenti infligatur. Hic nunc in domo religiosa est inclusus et in curia mea processus intenditur. — Praemissa hac narratione S. Congregationi dubium propono, an praedictus parochus, qui non jam bona utitur fama inter parochianos suos, beneficio curato possit privari, uti in tertio

Concilio Bracharensi, can. 10 stabilitum est: „Si quis presbyter non jejunus sed quocunque cibo praesumpto oblationem consecraverit in altari, continuo ab officio suo privatus a proprio deponatur Episcopo.“ Deinde in casu, de quo agitur, excommunicationem latam esse video a Concilio Toletano VII. in can. 1, quem refert Gratianus in can. 16. caus. 7. qu. 1.“

Parochus S. Josephi delle Caselle contra duplex ecclesiae praeceptum deliquit; non solum enim missam iteravit, sed medio tempore sese cibo reficere non dubitavit. Agendum primo est de missae iteratione. — Et norunt omnes, qui rerum ecclesiasticarum vel parum periti sunt, a primis ecclesiae saeculis illud in more positum fuisse, ut sacerdotes plura uno die missae sacrificia perlitarent, quemadmodum ex Christiani Lupi, Martenii, Card. Bona aliorumque auctoritate probat Xaverius de Zelada, decessor meus in voto ad causam Derthusen., quod exstat in thesauro resolutionum die 20. Aug. 1768. Istiusmodi vero mos, cum in corruptelam abiisset, quia turpi lucro aucupando permultis occasionem dabat; huic incommodo aliquod remedium afferre studuerunt multae synodi, inter quas mentione digna est Anglicana, quae inter canones editos sub Edgaro rege anno 967 et relatos in tom. XI. Conc. edit. Labbaeo, Venetae p. 918 et seqq. can. 37. docet: „ut nullus sacerdos missam saepius in uno die celebret, quam ter ad summum.“

Subinde Pontifices pro ea, qua premuntur ecclesiarum omnium solicitudine, legem in jus commune, quo utimur, inclusam statuerunt, ut unam quilibet sacerdos in die missam excepta nativitatis Domini die celebraret. Et quamvis tam in decreto Gratiani, quam in libro decretal. Gregorii IX. plures hac de re canones referantur, nempe cap. „Sufficit“ de consecrat. dist. 1. et cap. „Te referente“ 12. de celebr. miss., attamen optimorum doctorum vestigiis insistens Bened. XIV. in literis ad Oscensem Episcopum datis „Declarasti nobis“ die 16. Martii 1746 auctor est hujusmodi disciplinam ex cap. „Consuluisti“ 3 de celebr. miss. repetendam esse. Cum enim Wigorniensis Episcopus Innocentium III. interrogasset, „utrum presbyter duas missas in eadem die valeat celebrare?“ respondit: „Excepta die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare.“

Licet vero verbum illud: „sufficit“ canonistarum moralistarumque non parum torserit ingenia siquidem consilium prae se ferre videatur, nihilominus hoc in casu praeceptum importare extra dubitationem suadet tum consuetudo ubique omnino recepta, tum gravissima Benedicti XIV. auctoritas loc. cit. §. Igitur.

Jamvero per se vident Eminentissimi Patres nullam certam sanctionem praefiniri in eos, quos contra eandem legem peccasse constiterit. Adest quidem canon X. Conc. Bracharensis III. celebrati anno 572 sede Romana vacante (collect. concil. cit. ed. pag. 581) quem Archiepiscopus superius refert, itemque Gonzalez ad cap. 5. Ex parte, de celebr. miss. Sed primo patribus Bracharensibus hac uti severitate placuit ad praecavendos errores ac praesertim Priscillianam haeresim, qua corrupti quidam sacerdotes „in missa mortuorum etiam post acceptum merum ausierant consecrare.“ Secundo hujusmodi concilium provinciale tantum fuit adeoque in universam ecclesiam nequit vim suam prorsus exercere. Perpendendum est etiam, quod canon „Sufficit“ de consecr. dist. 1. statuit in fine: „Qui vero pro pecuniis aut adulationibus saecularium uno die praesumunt plures facere missas, non aestimo damnationem evadere.“ At vero praeterquam vox illa „damnatio“ generica est nullamque poenae speciem

praesignat, notandum est, hoc decretum potius ad avaritiam coercendam quam ad omnimodam missarum iterationem prohibendam conditum fuisse, ut ex auctoritate Bened. XIV. docetur in citato voto, adeoque regulam inde sumi non posse, unde statuatur, quaenam potissimum juxta hodiernam ecclesiae disciplinam poena missam binantibus sancita fuerit.

Quae vero sit hujus S. Congregationis disciplina super qualitate poenae binantibus irrogandae, colligere non datur; quoniam in tribus exemplis, quae in tabulario S. C. super hac re reperta sunt, quaestio in eo tantum vertitur, num sacerdos, qui missam iteravit, in irregularitatem inciderit. Cum tamen aliqua fortasse regula ex ipsis desumi queat, hinc easdem referimus. In Senen. diei 16. Nov. 1686 (relata lib. 36. decretorum p. 514) res est de quodam parocho, qui accusatus fuerat de pluribus missis eodem die celebratis avaritiae causa. Cum itaque convictus atque confessus fuisset, condemnatus fuit a vicario generali poena carceris ad biennium et suspensus a celebratione missae. Posthac domus privata loco carceris praestituta fuit et denique hujusmodi carcer in exilium commutatus. Cum tamen paroeciae reditus ad scut. 30 ascenderent adeoque parochi atque oeconomi subrogandae alimoniae impares omnino forent, parochus, qui resipiscentiae signa jam dederat, a S. Congr. deprecatus est, ut ab irregularitate absolveretur. Propositis itaque dubiis: 1. An Orator praefata ex causa in irregularitatem inciderit? 2. An cum eo sit dispensandum? S. Congr. censuit, cum Oratore esse dispensandum intra tempus ab Archiepiscopo benevisum. At vero pag. 540 ejusdem libri Decretorum 36 refertur ad eandem causam alia responsio, ut sequitur: Si Sanctissimo Domino N. placuerit, posse per literas in forma Brevis Archiepiscopo committi, ut tunc demum, quando eidem in Domino videbitur expedire, imposita eidem salutari poenitentia pro suo arbitrio et conscientia super irregularitate praefata gratis dispenset. — Altera est Placentina, Irregularitatis, relata lib. 58 Decretorum pag. 197 a tergo. Quidam alius sacerdos duabus vicibus missam lucri gratia geminaverat. Insuper, quo tempore pendebat inquisitio, e vinculis evaserat et Cremonam se receperat. Hic ementito nomine sacrum celebraverat, donec ab Episcopo Cremonensi prohibitus, multatus et e dioecesi fuerit ejectus. Post haec absolutionem a contracta irregularitate a S. Congr. exoraverat. Propositis dubiis: 1. An Orator incurrerit in irregularitatem? et quatenus affirmative, 2. An sit absolvendus in casu? die 9. Junii S. Congr. censuit „exspectandum esse exitum causae et injungendum Episcopo Placentino, quatenus procedat ad illius terminationem.“ Itaque causa disceptata generalis Placentinae vicarius sua sententia ad carceris poenam per biennium damnavit et in irregularitatem incidisse edixit, tum quod missam iteraverat, tum quod arma prohibita gesserat turpemque cum femina consuetudinem habuerat. Iterum igitur proposita causa die 11. Januarii 1710 libr. Decretorum 60. pag. 4. S. Congr. rescripsit: „Ad primum affirmative in casu, de quo agitur. Ad secundum supplicandum post expletam poenam.“

Tertia est Toletana Irregularitatis diei 25. Januar. et 15. Febr. 1772. Missae sacrificium duabus vi ibus iteraverat alius sacerdos; hinc curia archiepiscopalis inquisitionem contra illum instituerat et carceribus mancipaverat. (Non constat aeque ac in allata Placentina, an beneficium aliquod obtineret.) Affirmabat reus missam se repetivisse, quia defuerat alius sacerdos, quem ut missam celebraret, antea rogaverat. Fatebatur insuper et absolutionem se sumpsisse et cibum inter utramque missam degustasse. Post

aliquod tempus dispensationem ab irregularitate Apostolicam Sedem efflagitabat. Referebantur auctores, qui irregularitatem a sacerdote missam iterante contrahi autumant, ceu Thesaurus de poenis s. v. Missa §. 5; itemque alii, qui idipsum negabant, prout est de Amaeno de del. et poen. tom. 3. tit. 8. §. 3. num. 31 seqq. Dubiis itaque propositis: 1. An constet de irregularitate in casu? 2. An sit locus dispensationi? S. Congr. rescribebat: ad primum et secundum: esse locum dispensationi arbitrio Archiepiscopi ad cautelam.

Nunc ad doctorum placita transeamus. Porro, qui hac de re agunt, auctores opinantur hujusmodi reorum poenam judicis arbitrio relictam esse. Hos citat Pignatell. t. 4. cons. 1. n. 3; quibus omissis Pignatelli ipsius verba referimus, qui rem enucleatius expendit: „In celebrantem pluries in die absque legitima causa nullibi in jure aliqua constituta est poena adeoque poenam hujus delicti esse arbitrariam .... Et ideo non est ad hanc vel illam speciem determinata et proinde sufficit, quod in una specie sit proportionata delicto ... Quoniam autem hoc facinus a populo existimari solet gravissimum idque ut plurimum avaritiae causa a pauperibus et imperitis sacerdotibus perpetratur, ideo non debent judices leve illud judicare, sed debent inferre poenam accomodatam delicto, consideratis prius diligenter facti notorietate, populi scandalo ac personae delinquentis moribus, causa sive motivo, quo motus fuit ad delinquendum, praecipue si pro pecuniis, ut ait textus in d. can. „Sufficit“ de consecr. d. 1; si semel aut pluries hoc delictum commiserit, si non jejunus, quod saepe accidit, quia malitiose hoc delictum committentes sumunt absolutionem ne se prodant ac proinde gravius erit puniendus, quia committit duplex delictum, alterum contra praeceptum non celebrandi nisi semel in die et alterum non celebrandi nisi praemisso jejunio naturali, quod est gravius, quia strictius obligat, ut ex eo constat, quod doctores excepto quando agitur de complendo sacrificio, quod per inchoantem compleri non potuit, in rarissimis casibus aut in nullo conceditur posse celebrari a non jejuno, aliisque circumstantiis, quae augere vel minuere possunt qualitatem delicti. Quare hujusmodi delinquentem aliquando punitum fuisse poena pecuniaria locis piis applicanda et suspensione a celebratione missarum ego testis sum; interdum vero exilio cum poenitentiis salutaribus; quandoque carcere; saepe omnibus praedictis simul juxta personae factique qualitatem et scandalum. Non raro etiam poena graviori, nempe triremium, si personarum qualitas, delicti multiplicatio ac perseverantia populique offensio ac exemplum poenae, ut alii sacerdotes abstineant, id requireret. Poena tamen carceris frequentior est in casu, quo semel tantum deliquerit, prout semel tantum praesumitur sacerdotem in hoc crimen incidisse. Atque hinc si quis semel ac iterum in eadem die celebraret, putans bona fide ex aliqua justa causa id sibi licere etsi revera id non liceret, nisi tamen constaret quod malitiose se gesserit, poterit dimitti cum aliqua poenitentia salutari, quia, cum processerit ex bona fide, non habet locum poena (leg. „Si servum“ §. Praetor ff. de acquir. haered).“ Idemque sentit Pasqualigo. de sacrif. nov. leg. tom. 1. qu. 394.

Ad jejunii legem quod attinet, ex S. Gregorii Nanzianzeni, S. Augustini, Tertulliani, S. Basilii aliorumque Patrum auctoritate demonstrat Cardinalis Bona (rer. liturg. lib. 1. cap. 21) a primis Apostolorum temporibus legem viguisse, ut fideles jejuni ad mensem eucharisticam accumberent, licet nec semper nec ubique lex isthaec viguerit, quod accidit nominatim in Africa et Hispania, ubi plures synodi hujusmodi legem ad observantiam revocarunt,

ut apud Card. Bona l. cit. §. 2. legere est. — Concilium Toletanum VII. a Gratiano relatum caus. 7. qu. 1. c. 16. deserte statuit, ut „nullus post cibum potumque quemlibet vel minimum sumptum missas facere ... praesumat ... Si quis haec temerarie praesumpserit, excommunicationis poenam sustinebit.“ Eademque prohibitio absque tamen excommunicationis declaratione reperitur in cap. 5. „Ex parte“ de celebr. miss. nec non cap. „Liquido“ de consecr. dist. 2. et cap. „Sacramenta“ de cons. dist. 1.“

Benedictus XIV. in opere de sacrificio missae lib. 3. c. 12. §. 3 in fine animadvertit eum, qui pastus vel potus ad communionem accedit, excommunicationi obnoxium esse ex censura citati capitis ipsumque ex communi fidelium sensu graviter peccare. Ex quo forsan sequeretur officii privatio; excommunicatus enim ex veteri Ecclesiae praxi sacris privabatur officiis, ut notat Devoti inst. can. l. 4. tit. 17. §. 9. Quia tamen tum Conc. Trid. s. 25. c. 3. de ref., tum auctor idem loc. cit. §. 14. statuit canonicam et competentem monitionem excommunicationi esse praemittendam, dubitari posset, num parochus in casu excommunicationem incurrerit, utpote non monitus. At in hac hypothesi statuendum esset nunquam contrahi excommunicationem ab eo, qui unica tantum vice missae celebrationem iteravit, quod profecto absonum a memorati capitis doctrina videtur. — Fagnanus vero ad cap. Si constiterit de accus. lib. 5. decr. n. 16. beneficii privatione plectendum esse statuit presbyterum, qui non jejunus celebravit; at perpendendum est in eo capite Pontificem Alexandrum III. loqui de eo, cui ecclesia seu beneficium non perpetuo concessum, sed ad tempus fuerit commendatum, statuens contra de perpetuo beneficiato in secunda capitis parte, ne beneficio privetur nisi ob crimen, propter quod jure debeat spoliari. Cui sanctioni congruit generale principium, ne scilicet beneficii privatio habeat locum nisi in casibus a jure expressis, ut communiter traditur et nominatim apud S. Rotam in Cracovien. Praeposituraе Febr. 1667 coram Priolo relata a Lotterio pag. 377. Hinc patet, quo sensu sit accipienda nuper allata doctrina Fagnani.

Quibus omnibus probe consideratis ac iis praesertim, quae ex Pignatelli desumpta superius exscripsimus, optimum fortasse videretur interim rescribere exspectandum fore incoeptae contra parochum inquisitionis exitum, prout factum esse legimus in cit. Placentina, nisi aliter Eminentissimi Patres providere censuerint.

Scribatur eidem Eminentissimo Archiepiscopo, qui procedat ad ulteriora.

492. Limburgen.

Die 31. Martii 1860.

Episcopus Limburgensis exponit: „quod in dioecesi sua parochus est, qui licet aliis officii sui partibus non desit, magna tamen animi levitate tantum aes alienum contraxit hucusque atque contrahere pergit, ut sententia judicis saecularis tertia redituum ipsius pars a creditoribus jam occupetur, quo fit, ut tam parochiani sui, quam exteri, quibus pecuniam debet, scandalizentur, et in ipsius persona minime sistendo, totum clericorum statum conviciis suis consectentur. Accedit, quod in aere alieno faciendo eo jam sit progressus, ut non mediocrem pecuniae summam e fabrica ecclesiae paro-

chialis desumptam in suos usus converterit, ea utique intentione, ut deinceps restitueret, sed eo etiam periculo, ne postea restituendo sit impar.

„Jam vero cum saepe serioque monitus iste parochus hactenus non resipuerit, nec juxta indolem ipsius spes sit fore ut resipiscat in posterum, propter egestatem autem ipsius poena pecuniaria multari non possit, neque sperandum sit, poenas ecclesiasticas privatione beneficii minores ad meliorem frugem eum esse reducturas, Episcopus Orator humillime petit responsum dari sequenti quaestioni: An ad dictum parochum, si, quod Orator tenet, non emendetur, propter memoratam profusionem ipsius, aliosque huic forte similes beneficiatos applicari possit quod S. Conc. Tridentinum sess. 21. cap. 6. de reform. de iis, qui turpiter et scandalose vivunt, constituit, indeque in eos beneficii privatio statui possit? Sin minus quibus aliis juris remediis, scandalis, quae tales parochi vel beneficiati sua culpa obaerati publice praebent, ac periculo ex parte illorum imminenti ab Episcopo sit occurrendum?“

Poenam privationis beneficii irrogandam in casu suaderent fortasse Tridentini verba in cit. capite, ubi clericos scandalose viventes et in scandalo post monitiones perseverantes posse per Episcopum beneficio privari edicitur; et parochum, de quo agitur, revera prodigalitate sua aliis scandalo esse Episcopus testatur. Idque eo vel magis, si perpendatur aliam nullam poenam privatione beneficii minorem ad parochi emendationem efficacem existimari.

Sed e contra gravissimam hanc poenam neque jure ss. canonum, neque ex Concilii Tridentini sanctione ad expositae culpae coercitionem merito infligi posse videretur. Canones enim clericos apostatas, homicidas, aliisque gravioris notae criminibus reos privatione beneficii puniendos decernunt, minime vero alieno aere obaeratos. Tridentina vero synodus in cit. loco de clericis concubinariis et libidinis vitio inquinatis loquitur, qui nempe turpiter et scandalose vivunt, ceu se habent verba a Concilio adhibita, juxta communem dd. sententiam, Pichler cap. 2. de cohab. cleric. et mulier.

Nec plane efficax proposita poena videretur; quin imo parochus hic beneficio privatus adeoque ad egestatem redactus, aere alieno magis magisque gravabitur, vel mendicato victitare magno cum ordinis clericalis dedecore profecto cogetur.

Ceterum ad occurrendum malis ex nimia istius parochi profusione exortis, et ad majora fabricae ecclesiae damna praecavenda, cum non spes sit fore, ut levioris momenti ac disciplinaribus poenis multatus resipiscat, videant EE. VV., an expediat eidem potius bonorum ecclesiae ac beneficii parochialis administrationem interdicere. Hoc juris remedium, quod in prodigos adhibendum dictat lex civilis, justa de causa adhiberetur in casu quoad parochum, qui prodigorum more neque modum neque finem in contrahendis nominibus agnoscit. Administratori vero ab Episcopo deputando committi posset, ut reditus, qui subductis necessariis ad decentem parochi exhibitionem supererint, in distrahendis nominibus et in ecclesiae fabrica redintegranda rependeret.

Non esse locum privationi beneficii, sed potius deputationi ecclesiastici viri administratoris super bonis tam paroeciae quam fabricae, qui, subductis necessariis ad decentem parochi exhibitionem, superexstantes reditus eroget in dimissionem aeris alieni.

Die 26. Januarii 1861.

Non sibi tamen huic rescripto acquiescendum duxit Episcopus, qui eapropter novis datis literis, quas heic refero, nonnulla ulterius EE. VV. judicio subjicienda proponit. Haec ipse habet: „Quum debitas pro responso sub die 31. Martii mox elapsi a S. Congregatione Concilii mihi dato ad quaestionem: „an ad parochum aere alieno gravatum, quod et in dies magno fidelium scandalo augere temere pergit, quin ullam praebeat spem, fore ut emendetur, applicari quod S. Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 6. de reform. de iis, qui turpiter et scandalose vivunt, constituit, proindeque in eum beneficii privatio statui possit? sin autem minus, quibus aliis juris remediis, scandalis, quae ejusmodi parochi vel beneficiati sua culpa obaerati publice praebent, ac periculo ex parte illorum imminenti ab Episcopo sit occurrendum?“ gratias perago, liceat mihi animadvertere, laudato S. Congregationis responso difficultates, quas dicti parochi in alieno aere contrahendo levitas mihi parat, nullo modo tolli.

„Non enim tam de modo, quo bona parochiae ipsius et fabricae administranda, aut quo, quae creditoribus debet, iisdem tandem sint persolvenda, quam de magno scandalo agitur, quod ille parochus in parochia et in tota circum vicinia catholicis aeque ac acatholicis praebet. Licet turpiter eo in sensu, quo clerici concubinarii et libidinis vitio inquinati, non vivat, modus tamen ipsius agendi apud parochianos verbis ejus et adhortationibus vim omnem et effectum adimit, ipsumque et totum ministerium ejus despectui exponit, atque ansam praebet, ut multimodis omnis clericorum status conviciis perstringatur acerrimis.

„Malum, cujus causa iste est sacerdos, in dies serpit, et ni eidem fortiter resistatur, brevi totam paroeciam corrodet, ac existimationem, sine qua omnis, quam peragit functio non in irritum tantum cadet, sed et parochianis maxime erit perniciosa, subcutiet penitus atque subvertet.

„Quae cum ita sint, liceat mihi iterum proponere quaestionem, quibus aliis juris remediis, scandalis, quae tales parochi vel beneficiati sua culpa obaerati publice praebent, ac evidenti quod ex parte illorum saluti fidelium imminet periculo ab Episcopo sit occurrendum?“

Quatenus deputatio administratoris sufficiens fore remedium non videatur in praesenti specie, sed ratione scandali aliqua ulterior provisio decernenda sit, nihil plane prohibere videretur, quominus Episcopus ad juris tramites contra hujusmodi parochos vel beneficiatos procedere valeat, scilicet, monitionibus in irritum cessis, ad suspensionem, vel etiam ad remotionem a paroecia, ac tandem ad beneficii privationem. Quando enim parochi agendi ratio ea sit, quae non in aedificationem, sed in ecclesiae destructionem, et christifidelium scandalum convertatur, ita ut nullum ex ministerio suo fructum capere amplius possit, boni publici, quod privato semper praeferri debet, ratio exigit, ut de alio pastore populus provideatur, ac parochus contumax suae culpae poenas luat; quod proportione servata ac juxta varias temporum ac locorum circumstantias de aliis quoque beneficiatis censendum videtur ob scandalum, quod in populo praebent et dedecus, quod ecclesiastico coetui sua culpa inferunt.

Sed quid consilii capiendum sit in themate, prae sua spectata prudentia decernent EE. VV.

In decisis, salvo tamen jure Episcopi procedendi contra parochum, quatenus non resipiscat, ad formam ss. canonum.

IX. DE VICARIIS CURATIS.

493. Savonen. — Curae animarum.

Die 18. Decembris 1847.

Post luctuosas rerum Italicarum vicissitudines in integrum fuit restitutum Savonae coenobium Patrum Carmelitarum discalceatorum iisque cura animarum, quae jam coenobii ecclesiae erat adnexa, fuit perpetuo concredita ad formam ss. canonum et s. Concilii Trident. Curae autem hujusmodi exercitium residet penes unum ex eadem regulari familia a Priore locali deputandum et ad ejusdem Prioris nutum amovibilem, cui praeterea et alii duo pariter regulares in adjumentum assignantur, habita pro omnibus Episcopi approbatione.

Contigit autem paucis abhinc mensibus, ut circa praefatae curae exercitium dubium oriretur, num Prior localis possit tam praesente quam absente viro religioso ad animarum curam deputato munia parochialia et ipse exercere, ut praetendere videbatur, quin nec ab eodem vicario curato deputationem nec ab Episcopo approbationem accipiat. Rebus sic stantibus, procurator generalis congregationis Italicae supplex adfuit pro sequentium dubiorum declaratione:

I. An curato vicario absente Prior localis quantumvis ab Episcopo non approbatus possit ejus vices gerere? Et quatenus affirmative.

II. An etiam praesente vicario curato Priori locali liceat se immiscere negotiis curam animarum concernentibus?

Episcopus, cui preces fuerunt ablegatae pro informatione et voto audito parocho in scriptis, hujus responsionem transmisit, qui negativam in omnibus sententiam tuetur tum ad vitanda absurda et collisiones, quae in sensu affirmativo sequerentur, tum ad servandam in parochiali regimine unitatem. Huic actualis vicarii curati sententiae subscribit et plaudit vel ipse Episcopus, eamque confirmat tum ex consuetudine non solum generali in omnibus paroeciis, quae per regulares administrantur, vigente, sed etiam peculiari illius ecclesiae, de qua incidit quaestio; tum ratione jurisdictionis, quam Prior acquireret independenter ab Episcopo in illius territorio; tum denique ex gravissimorum malorum contingentia, quae ob facilem opinionum collisionem Priorem inter et vicarium deputatum sive in sacramentorum administratione sive in recta parochianorum disciplina ac moribus instituendis orirentur.

Quamvis posset dubitari, num Prior conventus, penes quem residet uti familiae moderatorem cura habitualis, retineat etiam actualem in qua consistit exercitium, eo quod vicarius ab eo deputatus sit tantum ad nutum amovibilis, quo casu tam actualem, quam habitualem remanere penes principalem tradit Barb. de off. parochi part. 1. c. 1. n. 64. et seqq.; nihilominus certum est in praxi sicuti explicat idem auctor inferius n. 75 omnimodam curam actualem transferri in vicarium, sive hic perpetuus sit, sive ad nutum amovibilis: ac proinde non licere superioribus conventuum, quibus adnexa est cura animarum jus aliquod exercere in subditos parochianos, sed privative ad Episcopum spectare ex adnotatis a Giraldio in eodem tractatu sub append. 2. de capitul. cathedr. et post num. 43 in add. n. IV. circa fin. Idipsum de canonicorum capitulis statuitur, qui, licet habeant habitu curam animarum, nequeunt tamen se immiscere illius exercitio, ut animadvertitur in Faventina, Coadjutoriae 22. Jan. 1763.

Parochis autem regularibus quantumvis amovibilibus eaedem competunt praerogativae, quae saecularibus, auctore Barb. loc. nuper cit. num. 39 et in cap. seq. num. 14.

Quibus praehabitis alterum etiam est extra controversiam ac omnibus doctoribus probatissimum, neminem scilicet posse ad curae exercitium deputari, quin ab Episcopo approbetur, ejusque examini subjiciatur, uti ad tramites Conc Trid. sess. 25. de regul. cap. 2. et constit. Inscrutabili 5. Febr. 1622 a Gregor. XV. emanatae unanimiter tradunt Gaudentius de Janua de visit. praelat. regularium dub. 20. cap. 7. sect. 2. num. 13 et 14., Barb. loc. cit. num. 16 et 24. et Giraldi in jus Pontificium part. 2. sect. 89., quibus consonant plures S. Congregationis resolutiones ac praesertim in Passavien. Jurisdictionis 1. Octobris 1661 ad 3. dub., in Aliphana, Curae 18. Jan. 1726, in altera Passav. 28. Julii 1731 et in Cingulana 19. Julii 1732, aliisque sexcentis. Idque verum est, etsi alicujus deputatio contingat ad breve tempus, sicut eruditissime monet Gaudentius de Janua loc. cit. tom. I. dub. 13. cap. 5. num. 91. et tom. II. dub. 20. cap. 7. sect. 2. num. 13 et 14. allata S. Congregationis auctoritate in Assisien. 16. Novemb. 1709 et in Nullius Montis Casini 26. Jan. 1726 ad 2. dub. Praeterea in absentia parochi seu vicarii alterius deputatio ab hoc fieri debet atque ad Episcopum spectat ipsius deputati approbatio, ceu docet Barbosa in cit. app. 2. n. 37. et Giraldi in jus pontificium loc. supr. cit.

Ex his, quae fuse cumulata sunt, probe noverunt Eminentissimi Patres, quantum abhorreat a jure ac a sapientissimis S. hujus Ordinis resolutionibus facultas, quam sibi arrogare posse Prior conventus Savonensis existimat. Quibus si et ea adjiciantur incommoda et collisiones, de quibus meminit tum Episcopus, tum actualis vicarius deputatus ad curam animarum, quaeque causam profecto dederunt superius allatis tum Concilii Trid. sanctionibus, tum uniformibus S. Congregationis decretis luculentissime patebit, quaenam sit propositis dubiis reddenda responsio.

Negative ad utrumque.

494. Aretina. — Amovibilitatis.

Die 20. Decembris 1851.

Quatuor ecclesiasticas capellanias, quas Nicolaus Spadari in cathedrali templo Aretino, reservato jure patronatus activo favore capituli, passivo autem suis descendentibus, erexerat, iisque deficientibus nobiles Aretinos presbyteros designaverat, exhausta fundatoris linea, nobilibus vero Aretinis minime opponentibus ob redituum illarum tenuitatem, uniri primum petiit et obtinuit capitulum favore mensae capitularis, donec expuncto aere alieno auctisque duarum praebendarum reditibus pro theologo scilicet et poenitentiario (cujus rei intuitu perfecta fuerat unio), resoluta superiori anno unione per literas apostolicas in pristinum statum restitutae fuerunt praefatae capellaniae. Ac duobus ex nominandis capellanis onus adjectum est quotidiani servitii choralis, ceteris vero duobus per quindecim dies in singulos menses ad chori pariter servitium alternative devinctis onus insuper coadjuvandi canonicum parochum in curae animarum exercitio fuit impositum.

Animadvertens autem canonicorum capitulum quatuor hosce capellanos ad tramites juris perpetuo illarum titulo cum canonica institutione fore pro-

videndos, supplex adfuit coram H. S. Ordine, ut hi quoque, sicut servatur in ceteris illius ecclesiae mansionariis, sub lege amovibilitatis provideantur, unde majus ac diligentius ecclesiae servitium, experientia teste, peragitur; praesertim cum ex iis duo canonicum parochum coadjuvare teneantur, quibus Episcopus facultates necessarias ad curam animarum administrandam professus est sese non concessurum, nisi lege inamovibilitatis a fundatore imposita per Sedem Apostolicam sublata, liberum esset Ordinario eosdem, quoties minus idoneos agnosceret, prudenti suo arbitrio semper et quandocumque removere.

Auditus Episcopus narrata confirmat omnesque interesse habentes per publicas cedulas avocatos siluisse omnino testatus, ea quae sequuntur adjungit: „Quod ad me attinet non solum capituli precibus libentissimo animo assentior, sed iisdem et meas audeo humiliter preces sociare . . . Quin imo, ad omnem dubitandi incommodam facilitatem subtilitatemque in posterum vitandam, efflagitarem enixe, quod pontificia auctoritas luculenter per novum nunc expetitum rescriptum declarare apposite velit, duos capellanos curae animarum addictos ita integre a choro pro medietate mensis vicissim vacaturos ut, si alter, cui interveniendi choro onus incumbit, inde abesse rationabili de causa contingat, nullatenus alteri interim vacanti socii locum in choro subeundi onus accrescat.“

Res est de commutanda fundatoris voluntate, quod nonnisi justa et gravi suadente causa tum ss. canonum sanctionibus, tum quotidiana S. hujus Ordinis praxi perficiendum esse docemur. Eoque magis in themate id desiderandum videtur, ubi fundatoris voluntas cum canonico jure et sanctione consentit: nil enim magis notum in jure quam beneficia ecclesiastica titulo perpetuo personis ecclesiasticis conferri, ita nimirum ut in dubio inamovibilitas praesumatur, docente Reiffenstuel lib. 3 decret. lit. 5 de praeb. num. 46; quod etiam desumitur ex can. Praecepta dist. 35, et cap. 1 et seqq. de clerico aegrot.

Huic autem juris dispositioni visa est inhaerere S. Congregatio in Carpen. 20. Decembris 1823 relata inter summaria precum apud Gamberinium num. 41. Ibi namque, cum ageretur de efficienda amovibili ad nutum simplici capellania, quam fundator inamoviliter edixerat conferri capellano, qui missas celebraret in quadam parochia ad populi commoditatem, rejecta fuit instantia, posthabitis incommodis, quae ex inamovibilitate dicebantur oriri; iis enim facile occurri posse perpendebatur cogendo capellanum juris remediis ad munus demandatum adimplendum.

Ad commutationem praeterea non solum necessitas sed etiam utilitas desiderari videtur in themate. Tenuis siquidem est quatuor capellaniarum annuus reditus, in scutatis 150 insimul computatus; adeo ut etiam antequam onere coadjuvandi duo ex praefatis capellanis gravarentur, difficile inter passive vocatos reperiebatur, qui illas appeteret: major profecto difficultas exsurgeret eas de proprio rectore providendi, si amovibiles redderentur, addito nunc curae animarum gravamine. Incommoda vero ex inamovibilitate oritura nec a longe proferuntur; quae tamen quoties evenient, facili negotio poterit Episcopus adhibitis juris remediis opportune coercere.

Gravis e contra Episcopi oppositio quoad capellanos parochi adjumento destinatos, firmaque illius protestatio de non admittendis inamovibilibus capellanis ad operam auxiliatricem parocho praestandam in cura animarum quamdam considerationem exigere videntur. Habita enim ratione loci et personarum, eo fortasse loci quiddam pertimescendum erit, quod alibi desideraretur omnino: ita enim ille: „adeo me annis et officiorum ecclesiasticorum

exercitio senem experientia docuit, ut vix capellanum in animarum cura principali parocho adjunctum, eique auxiliario titulo datum paterer inamovibilem."

Ceterum controverti nequit faciliori negotio contineri in officio et debita parochi subjectione capellanos, si remotionem facile possent pertimescere, quam si, servato tantum juris ordine instructoque processu, beneficii privationem essent passuri; quod profecto non sine gravi animarum detrimento contingeret. Qua de causa nonnunquam ab hac S. Congregatione concessum est, ut parochi etiam titulares amovibiles instituerentur, ceu paucis abhinc Eminentissimo Episcopo Portuensi pro rurali illius dioecesis paroecia est tributa facultas.

In casu autem accedit, quod ex implorata commutatione uniformitas haberetur, cum recentiores capellaniae Spadari eamdem induerent qualitatem atque naturam, quam ceterae omnes capellaniae seu mansionariatus illius capituli amovibilitatis ratione prae se ferunt. Objecta vero difficultas quoad capellaniarum provisionem parvi pendenda, vel nullo etiam in pretio habenda videtur, cum difficultas non ex amovibilitate vel inamovibilitate derivet, sed si qua interdum erit ex proventuum tenuitate dimanet.

Quoad declarationem vero, quam ultimo loco quaerit Episcopus, adeo per se clara literarum apostolicarum est depositio, ut nulla possit oriri dubitatio. Ubi enim de servitio chori a duobus capellanis parochum coadjuvantibus praestando disponitur, hisce Pontifex utitur verbis: „reliquis autem hujusmodi absentiam quindecim dierum quolibet mense alternatim perpetuo indulgere . . . possis et valeas"; constituitur nimirum inter eos alternativa seu mediaria, unde fit ut, impedito capellano in actuali servitio, alter minime absentis defectum supplere teneatur juxta regulas in alternativis servari solitas.

Pro facultate amoribilitatis pro duobus capellanis, qui parocho inserviunt; in reliquis provisum per literas apostolicas; facto verbo cum Sanctissimo.

495. Eugubina.

Die 31. Januarii 1824.

Laurentius Vantaggi vicarius curatus parochialis ecclesiae S. Mariae di Casamorcia, unitae capitulo cathedralis ecclesiae Eugubinae, ad quod habitualis cura pertinet, cum congrua careat, quia paroeciae reditus ex allato decennali calculo annua scuta 43: 50 non excedunt, EE. VV. preces exhibet, ut congruae augmentum a capitulo praestandum decernant.

Requisivi Episcopum de more, atque ab eo petii, ut proponeret media ad formam Tridentini Concilii, quibus augeri possit vicarii curati congrua; ipse autem haec retulit:

„In agro Eugubino reperiuntur unitae capitulo cathedralis nonnullae parochiales ecclesiae, queis canonici praeficiunt vicarium parochum. Ea est hujusmodi, quam vocant S. Maria di Casamorcia ad milliaria duo ab urbe sita, biscentum plus minus annumerans parochianorum, quamque presbyter Laurentius Vantaggi satis digne procurat. Videant EE. VV. depromptam a calculo decennali alimentarem Laurentii congruam, de cujus exiguitate capitulares ipsi judicium nequeunt reticere; non sane pertingit minorem eam scutorum 50., quam S. Pius V. in const. Ad exequendam diei 1. Novembris 1567 vicariis parochis attribuit. Disparitas exinde, ut

reor, non mediocris est a saeculo decimosexto ad decimum nonum; in hoc porro adlaborans quisque de re publica aucta mercede rependitur, saepe et muneratur prolixius. Heu cultores tantum animarum edunt panem et lacrymas in mensura! . . . . Inspectis ergo, quae s. m. Bened. XIV. in constit. sua „Cum semper“ Episcopo animadvertenda reliquit, putarem deprecanti Laurentio addendum omnino esse pro necessaria sua sustentatione; idque capitulo cathedralis pertineret, habitualem curam habenti in paroecia di Casamorcia. Quid vero? Canonicus, quilibet ecclesiae cathedralis pro sua congrua vix percipit scuta 85, fieretque, ut esurienti vicario ferentibus opem alimenta deficerent. Decretum igitur Tridentini sess. 21. cap 4. de reformat. in hac rerum pressura advocandum esse censerem, videlicet, uti parochiani ad congruam ex aequo supplendam compellantur per aes et libram.“

Exploratum est, vicariis curatis assignandam esse congruam portionem de reditibus ecclesiae incorporatae monasterio, collegio, capitulo, universitati, quae sit sufficiens ad commodam et honestam sustentationem, cap. De monachis 12., cap. Exstirpandae 30. de praebend., et cap. 5. eodem in 6., Conc. Trid. sess. 7. cap. 5., et cap. 7. de reformat. Decrevit autem S. Pius V. in constit. Ad exequendam §. 2. ut vicariorum congrua non major esset centum, non minor scutis annuis 50 computatis omnibus etiam incertis emolumentis, quae tamen habeant aliquam certitudinem, et aliis obventionibus communiter percipi solitis, uti respondit haec Sac. Congregatio in Asten. 28. Octobris 1585.

Propterea Concilium Trid. sess. 21. cap. 4. de ref. praecipiendo parochis seu vicariis curatis competentem assignandam esse portionem arbitrio Episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus: clare significare voluit, horum sacerdotum congruam illi ecclesiae primario incumbere, cui paroeciae sunt unitae, et non aliis, nisi in casu necessitatis; tunc enim Episcopo facultas conceditur compellendi etiam populum ad subministranda ea, quae sufficiant ad vitam dictorum presbyterorum sustentandam, uti definivit Conc. Trid. sess. 24. cap. 13. de reform.

Itaque canonicos ad congruae portionis augmentum teneri nequaquam est dubitandum: hi autem Episcopo teste ex praebendarum suarum reditibus vix percipiunt unde vivant. Profecto si res ita se habeat, si alia media desint, parochiani, ceu sentit idem Episcopus, cogendi erunt ad congruam ex aequo supplendam. Perpauci quidem sunt, atque ut credibile est, etiam pauperes; supplementum tamen admodum tenue, quo summa scutorum 43: 50 ad congruam scutorum 50 evehatur, minime secum fert ejusmodi onus, quod ab iisdem parochianis perferri nequeat: ceterum ad canonicos quoque et capitulum cathedralis ecclesiae Eugubinae haec pertinet animadversio.

Dilata, et Episcopus referat de numero canonicorum aliorumque choro inservientium.

Die 8. Maji 1824.

Datis ad Episcopum literis, ita respondit: „Sexdecim in praesenti numerantur canonici in hac Eugubina cathedrali ecclesia choro inservientes: ex iis nempe duodecim a vetustissima capituli fundatione, apud quos summa ipsius capituli residet, quique tantum jus habent nominandi et onus providendi de congrua vicarios curatos capitulo subjectos Eximia pietas Eugubini Episcopi Alexandri Sperelli anno 1668 tres alios istis adjunxit, ex propriis bonis tributo censu, qui sejunctam constituunt massam triumviralem.

Postremus vero cum separata omnino praebenda Eugubini patricii viri Biscaccianti religioni suam originem anno 1670 refert acceptam. Istis omnibus in chorali servitio octo insuper beneficiati accedunt, anno 1789 cum peculiari patrimonio constituti.“

Itaque jam omnia perspicua videntur. De jure siquidem congrua portio vicario curato assignanda est arbitrio Episcopi ex reditibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus. Augmentum ad congruam habendam et justum in praesenti casu et necessarium est: ad illud autem praestandum tenentur procul dubio duodecim canonici, qui ad vetustissimam capituli fundationem pertinent, apud quos summa ipsius capituli residet, quique tantum jure pollent vicarium nominandi. Habent ipsi quidem annuum reditum tantummodo scutorum 85, sed adeo tenuis est quantitas, quam praebere vicario curato Vantaggi debent, ut solutis annuis obolis 60, sive obolis quinque in singulos menses ab unoquoque ex indicatis duodecim canonicis congruam idem vicarius curatus consequatur.

Pro gratia juxta petita, et canonici primae fundationis ad praestandum congruae augmentum compellantur ab Episcopo, saltem usque ad complenda annua scuta quinquaginta.

Cum deinde novis precibus ampliorem congruam petiisset Orator, die 10. Julii 1824 rescripto fuit dimissus: *„Gaudeat impetratis, donec aliter a Sanctissimo fuerit provisum.“*

496. Fanensis.

Die 24. Maji 1823.

Sacerdos Petrus Monaldi ab Episcopo Fanensi ad regendam parochiam S. Leonardi, donec de pastore provideatur, subrogatus loco parochi, qui anno 1821 fuit eadem privatus; usque ad hodiernum diem moratus est in paterna domo intra paroeciae fines posita, domo parochiali recusata, quam ipsi obtulerat subcollector spoliorum: moxque mutato consilio, hanc domum inhabitare cupiens, propriam locavit. Subcollector autem spoliorum primo ipsi morem gerere renuit, nisi persolveret anua scuta 20, quot ex parochialis domus et adnexi horti locatione retrahuntur favore paroeciae, quam tanto aere alieno gravatam reliquit parochus, ut ea de causa ad bis indictum concursum nullus sacerdos comparuerit. Verum deinde idem subcollector domum obtulit, exceptis tamen horreis segregatisque cubiculis inferioribus, et dummodo pro horto annua duo scuta sacerdos Monaldi persolvat. Cum sacerdoti Monaldi hae conditiones minime arriserint, supplex ab EE. VV. petit, ut parochialem domum gratis et libere ipsi tradendam esse decernant.

Requisitus de more Episcopus haec retulit: „Bona paroeciae camerarius subcollector administrat, et a me Petrus Monaldi fuit spiritualis oeconomus deputatus, cui idem subcollector dat emolumentum scut. 4 cum dimidio quolibet mense, et eleemosynam missarum pro populo ad rationem obolorum 20 pro unaquaque missa.

„Hucusque Monaldius moratus est domi suae infra fines paroeciae ipsius S. Leonardi sitae, nunc propria locata domo, parochialem habitare desiderat. Subcollector camerarius, de hoc a me requisitus, asserit, uti a primis, sic promptum se nunc exhibere gratuitae domus parochialis traditioni,

horreis exceptis aliisque inferioribus cubiculis, et petit scuta duo annua pro horto.

„Legitima consuetudo in hac dioecesi non exstat in taxandis emolumentis oeconomi spiritualis vacantis paroeciae; sed mos servabatur, ut mihi dicitur, solvendi scuta 4 cum dimidio quolibet mense, libera ab omni onere etiam missarum pro populo, et nunc taxam hanc tenet camerarius subcollector de mente, ut dicit, thesaurarii.

„Nec ego aliquid oppono Monaldii votis, parochialem domum habitandi usque ad provisionem novi parochi, quam spero proximam; sed tot gravantia debita paroeciam ut facilius dimittantur, putarem Monaldio tradendam domum parochialem et hortum adnexum cum onere solvendi scuta octo annua, quam summam nec nimis onerosam puto, nec incommodam oeconomo, qui suam jam locavit domum, et aliunde utilem paroeciae invenio."

Onus residendi in domo parochiali non adeo urget parochos, quin ab eo excusari facile possint, quoties intra paroeciae fines lares suos habeant. Barbos. de offic. et potest. parochi part. 1. cap. 8. num. 3. idque certius dicendum de sacerdote Monaldi; hic enim precario nomine paroeciam administrat, et abunde nti congrua provisus est, percipiens annua scuta 54, et pro qualibet missae applicatione obolos 20; quoniam congruam vicariorum temporalium in scutis 50 computant doctores. Neque Oratoris preces ad majorem Dei cultum animarumque salutem referri videntur; cum ad hoc nil intersit, utrum oeconomus horreos habeat, hortum, et inferiora domus parochialis cubicula.

Cum tamen cavendum quoque sit, ne ob non traditam integram domum cum adnexis oeconomus ob locata horrea, cubicula inferiora et hortum servitutibus gravetur, quae incommodum ac fortasse damnum ipsi afferre possint; aequitati consona videri poterit ab Episcopo proposita conditio, paroeciae quoque utilitati accommodata, ut integra domus cum horto tradatur, onere adjecto solvendi scuta octo in singulos annos.

Pro gratia juxta votum Episcopi.

497. Praenestina. — Capellani curati.

Die 9. Junii 1855.

Sacerdos Franciscus Pizzi oppidi Zagaroli pluribus ab hinc annis obtinuit beneficium erectum in parochiali ecclesia S. Laurentii ejusdem oppidi, cui adnexum est onus coadjuvandi rectorem parochum in cura animarum. Reditus hujus beneficii attingebant tempore institutionis summam scut. 40, decreto curiae episcopalis anni 1802 accessere alia scut. annua viginti, quorum solvendorum onus parocho ecclesiae S. Laurentii impositum est.

Die 15. Februarii anni 1851 sacerdoti Pizzi, ex causis notis curiae, ablata est facultas audiendi fidelium confessiones; quod ubi rescivit sacerdos Franciscus Bianchi modernus S. Laurentii rector, emissa in cancellaria episcopali protestatione, declaravit, se solutum esse ab onere praedictam scut. 20. summam capellano curato suppeditandi, quousque ejus ad confessiones excipiendas inhabilitas perduraverit. Cum itaque instante pro solutione Pizzio lis hac de re contestata esset penes episcopalem curiam, judex admisit instantiam pro parte pensionis respondente tempori potestationem antecedenti tantum, pro reliquo autem tempore non deberi capellano pensionem pro nuntiavit.

Ab hac sententia ad S. H. Congregationem appellavit sacerdos Pizzi.

Eminentissimus Episcopus rogatus informationem et votum, audito parocho, per suum vicarium generalem relationem transmisit, in qua post relatam curiae sententiam haec habet: „Non inde tamen eruendum erat, quod parochus ab onere eam pensionem praestandi solutus fuerat: siquidem mens judicis erat et esse debebat, quod ea summa impendenda foret in providendo aliquem sacerdotem, qui defectum presbyteri Pizzi in audiendis fidelium confessionibus suppleret. Sed vero non bene id praestitit parochus Bianchi: auditus enim hac super re respondit, se a die latae sententiae usque ad praesens nullum virum confessarium, excepto tempore paschali, comparasse, et interim sibi integram retinuisse pensionem, ea innixum ratione, quod stante praefata inhabilitate creverit sibi labor in parochianorum confessionibus audiendis. Sed quoniam haec ratio satis non est ad statuendum jus in parocho integra sibi adjudicandi scut. 40, quae duobus praeteritis annis (1852. 53.), pensionis titulo coadjutori solvere debuerat; idque etiamsi aliquam pro gratificando confessario tempore paschali expensam subierit; hinc aequum videtur obligare rectorem Franciscum Bianchi ad restituendam favore presbyteri Pizzi medietatem duarum pensionum, scilicet scut. viginti, vel saltem sexdecim, si ita summae sapientiae Vestrae videbitur. Quoad futurum autem injungendum videtur rectori Bianchi, ut dictam annuam pensionem, durante in sacerdote Pizzi enunciata inhabilitate, curiae episcopali persolvat, et proviso per dictam curiam confessario loco Pizzi, si quid reliquum ex praefata summa erit, ipsi coadjutori fruendum relinquatur.

Cum stipendium debeatur in praemium laboris, text. in leg. Jubemus C. de advocat. divers. judic. rationi et juri consentaneum est, ut servitio non praestito nec correspectivum debeatur emolumentum: ferendos enim eos non esse, qui lucrum amplectuntur, onus autem eidem annexum respuunt docet lex. unic. Cod. de caduc toll. Hinc S. Congregatio stipendium a capellano coadjutore exactum restituendum, ex quo de servitio praestito non constaret, edixit in Pisauren. 28. Septembris 1754.

At vero distinguendum videtur inter capellanos, qui ex simplici deputatione cum stipendio laboribus respondente, eosque qui in vim canonicae institutionis ac beneficii coadjutoris munus exercent; quoad primos enim integrum fortasse erit emolumentum solventi, illud ad praestiti servitii rationem exsolvere; quoad alteros vero haud congrua qua ex beneficio potiuntur privari posse viderentur, nisi praemissis monitionibus officium, quod per se implere nequeunt, nec per alios praestare velint.

In casu sacerdos Pizzi ad munus capellani coadjutoris tenetur ratione beneficii, ad quod canonice institutus est. Pensio autem, quam ipsi parochus rependere debet, pars integralis est redituum ejusdem beneficii, cui, ex congrua parochiali detracta, unita et applicata est in dotis augmentum, ceu se habent verba decreti anni 1802. Quamobrem perpendant EE. PP., utrum capellanus Orator hac redituum portione privandus sit durante ejus inhabilitate ad confessiones excipiendas, seu potius obligandus sit ad sacerdotem confessarium comparandum, qui ejus vices hoc in munere agat; nisi magis arrideat curiae consilium in relatione expositum, quod quidem in idem quoad effectum recidere videtur.

Demum quoad tempus praeteritum decernent etiam, an habita ratione ad ea, quae parochus exponit, probandum sit ejusdem curiae votum, ut nimirum viginti tantum sexdecim scutata pro primo biennio a die latae sen-

tentiae transacto capellano restitui debeant, quae quidem restitutionis ratio, ubi probetur, etiam pro altero currenti biennio servanda esset, cum capellanus nihil hactenus, solutionem parocho detrectante, perceperit.

Juxta votum Eminentissimi Episcopi.

498. Reatina. — Capellani curati.

Die 16. Decembris 1854.

Episcopus Reatinus cum in sac. visitatione parochialis ecclesiae S. Mariae Virginis de Vacuneo suae dioecesis in regno Neapolitano habita die 28. Julii anni 1782 invenisset plurium annorum spatio vacantem ecclesiasticam capellaniam sub titulo S. Blasii erectam in dicto territorio, ejusque ecclesiam solo aequatam, cumque accepisset eamdem capellaniam „in subsidium spirituale animarum in dicta paroecia commorantium errectam fuisse, eo vel maxime, quia ad rectorem ejusdem beneficii spectabat onus celebrationis missae in praedicta parochiali omnibus et singulis diebus festis, quod nullimode implebatur, in reparationem divini cultus (sunt verba decreti ab eo lati) in dictarum animarum spirituale juvamen per modum provisionis decrevit unionem ejusdem ad dictam parochialem favore archipresbyteri pro tempore, cum obligatione perpetua nominandi, nobisque, successoribusque nostris praesentandi sacerdotem capellanum amovibilem qui resideat, celebret missam omnibus diebus festis in dicta parochiali, dictumque archipresbyterum adjuvet in animarum cura.“ In altera visitatione peracta die 29. Julii 1785 stabilem et perpetuam dicti beneficii unionem cum onere ut supra declaravit; ac tandem in visitatione diei 3. Julii 1783 lata haec decreta confirmavit.

At vero, quamvis unio beneficii peracta fuerit, numquam tamen ad haec usque tempora capellani coadjutoris nominatio parochorum incuria effectum sortita est, uti in decreto cautum erat.

Ex quo quidem contingit, ceu nonnulli ex oppidanis nomine totius communitati supplici oblato libello conqueruntur, ut illius paroeciae fideles longe lateque per septem pagos diffusi nequeant omnes unicae quae celebratur missae diebus festis adesse, doctrinae christianae imbui rudimentis, imo ut sacramentis non refecti nonnulli aliquando decedant, uno verbo, ut animarum salus non sine gravi bonorum scandalo prorsus neglecta jaceat. Cui malo mederi cupientes praedicti oppidani, suppliciter instant, ut episcopale decretum omni ex parte executioni demandetur, et archipresbyter parochus ad capellanum coadjutorem sibi adsciscendum adigatur.

Requisitus Episcopus pro informatione ac voto, praesertim audito parocho, haec retulit: „Parochus certior factus de supplici libello, flagitatusque de sententia, nescio qua de causa reticuit. Paroeciae reditus, utriusque stolae incertis computatis, biscentum et viginti circiter, onera vero prope septuaginta ducatos monetae Neapolitanae non excedere existimantur. Jam vero ex stylo in regno Neapolitano recepto, capellano parochum in animarum cura coadjuvanti annuum stipendium ducatorum dictae monetae sexaginta foret persolvendum; ex quo fieret, ut vix aegre superessent centum pro rectore. Qua de re cum sac. visitationem peragerem an. 1852 omnibus hinc inde mature perpensis constitui, ut cum parochus impar esset totis suis sumptibus capellanum manutenendo, ipsi oppidani aliquid tribuerent, quod se facturos promiserunt, deinde vero imperata exsequi negarunt. Quae cum ita sint, ne ultra vires et aequum parochus oneretur, oppidanos quoque vel ad

normam praefatae conventionis, vel quo meliori modo isthaec S. Congregatio decreverit, obligandos esse autumo.“

Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 4. de reform. decrevit: „Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum.“ Quod etiam statuit Innocentius VIII. in constitutione Apostolici ministerii §. 11. confirmata a Benedicto XIII. in constit. In supremo. Porro miseranda paroeciae Vacunei conditio, quam queruntur oppidani, argumento est, unum parochum muneri suo haud sufficere posse, ut adeo ex mente sacrosancti concilii uti ipse debeat opera auxilioque capellani coadjutoris, qui spiritualibus paroecianorum septem pagos incolentium necessitatibus praesto sit.

Id praeterea oneris parocho impositum in themate est decreto episcopali; quod quidem non ideo latum dignoscitur, ut parochus unito ditaretur beneficio, sed ut curante ipso parocho numquam in posterum deesset capellanus, qui in curae exercitio suppetias ei ferret ex ejusdem beneficii reditibus sustentandus. Quamobrem aequum non est, ut parochus in propriam utilitatem convertat, quod ad bonum commune constitutum est. Nec forte ab suscepta obligatione vacuus ac solutus censendus erit, ex quo non ei sarta tectaque maneret congrua parochialis. Nam ante unionem congrua minor erat, nec constat parochos praedecessores de congruae tenuitate unquam conquestos fuisse.

Ex constitutione S. Pii V. „Ad exequendum“ praescribitur parochis congrua non major scutorum 100, neque minor scutorum 50. Ex his autem, quae Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. quoad congruam parochorum decrevit, quamvis certo ejus quantitas determinari nequeat, exploratum tamen est, eam fuisse concilii mentem, ut decenti parochorum sustentationi consultum esset, et reditus subeundis oneribus pares haberentur; hinc pensionibus aut reservationibus fructuum gravari prohibuit parochiales ecclesias, quae summam ducatorum centum non excedunt. Qua quidem in re variam pro varietate loci, onerum et personae quantitatem assignare consuevit S. Ordo. Perpendendum igitur, num tantum sit parocho redituum, ut perpetuum onus ferre valeat suppeditandi stipendium capellano sine discrimine congruae, quae integra parocho manere debet pro ejus sustentatione ad normam cit. const. S. Pii V. et Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. de reform.

Jure cautum est, ut quoties parochi reditus ad id satis non sint, capellani stipendium ab Episcopo, et in subsidium a parochianis supplendum sit, text. in cap. de rectoribus 3. de cleric. aegrot. apud Fagn.; Barbosa de offic. et potest. Episc. part. 3. alleg. 63. num. 5.; S. C. in Nursina, Capellani curati 17. Febr. 1838. §. Quae.; ac demum eadem Tridentina Synodo suadente sess. 21. cap. 4. de reform. provideri potest coadjutoribus ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus. Quodnam autem ex his adhibendum sit remedium in themate judicabunt EE. VV. Quas tamen non effugiet oppidanos Vacunei data jam fide erga Episcopum sese obstrinxisse ad aliquid pro stipendio contribuendum, quin ullam proferant rationem, cur promissa modo solvere renuant. Ceterum, populum paroeciae posse ab Episcopo etiam compelli ad ea subministranda quae

coadjutoribus parochi alendis sufficiant, monet Trid. Synodus sess. 21. cap. 4. de reform. et S. Congr. in Nullius Guastallae 21. Junii 1788. §. Ea quidem.

Dilata, et scribatur Episcopo, qui magis praecise referat super reditibus tam paroeciae, quam beneficii, deductis oneribus.

Die 22. Decembris 1855.

Ad hujus rescripti tramites scriptum Episcopo fuit. Interim vero procurator communitatis notulam exhibuit redituum paroeciae, quam fideliter exscriptam asseruit ab originali peritia jussu regii gubernii an. 1853 redacta, ex qua reditus beneficii S. Blasii computantur ad annuos ducat. 127, reditus certi paroeciae ad annuos ducat. 136, ex quibus demptis ducat. 24. 40 pro vectigali fondiaria solvendis, habetur summa ducat. 238. 60. Hisce addendi reditus qui ex decimis quotannis percipiuntur in ducat. 102 necnon emolumenta stolae, quam vocant albae in ducat. 61, nigrae in ducat. 51, ac integra conflatur summa ducat. 452. 60. Haec itaque notula ad eumdem Episcopum transmissa fuit, ut in redigendo paroeciae statu activo ac passivo ea uti posset.

Nuper autem informationis literas ab eo accepi una cum praefata notula, additis ad ejus marginem et ad singulas partitas accuratis observationibus, ex quibus paroeciae reditus cohibentur ad annuos ducat 129. 52, beneficii vero ad ducat. 50, unde conflatur summa ducat. 179. 52. Haec autem ad rem habet: „Sive publicae tabulae censuariae, sive acta s. visitationis, quibus omnium ecclesiarum et beneficiorum Reatinae dioeceseos bona atque onera describuntur, sive cordati viri qui eamdem parochiam probe norunt consulantur, omnes illius reditus, addito etiam fructu cujusdam hortuli prope rectoralem domum, et utriusque stolae incertis computatis, vim ducatorum centum viginti novem, nummorumque quinquaginta duorum (grana 52) monetae Neapolitanae, beneficii autem ducatorum quinquaginta monetae similis, in totum ducatorum centum septuaginta novem, nummorumque quinquaginta duorum non excedere patebit. Atque hic notandum puto, alias inter onera recensitas a me fuisse missas pro populo celebrandas diebus festis, quod modo minime faciendum judicavi. Jam nunc in cit. notula multo majores paroeciae et beneficii reditus coacervantur et effinguntur. Sed falso: uti luculenter apparebit, si animadversiones ipsi notulae adjectae inspiciantur.“

Qui partes agit communitatis obiter primo animadvertit, adnotationes ab curia episcopali super notula redituum peractas, gratuitas prorsus, nulloque fundamento innixas esse, ut adeo nequeant exhibitam peritiam extenuare, quae a probatissimis viris ac rei peritis gubernii jussu redacta nedum praesumptionem, sed perspicuas veritatis notas praesefert. Posthabito autem singularum adnotationum examine, haud eas praetereundas existimat quae decimas praecipue respiciunt, in quibus longe vilissimum frumento pretium impositum observat, quam quod unquam vel in maxima annonae abundantia fuerit.

At vero et si paroecias et beneficii reditus, ceu vult Episcopus, ad duc. 179. 52 cohiberentur, nihilominus a nominatione capellani coadjutoris eximi non posse parochum contendit, cui nimirum, demptis 60 ducatis capellano tradendis, sufficiens congrua ducat. 120 circiter superesset.

Demum ubi onus hujusmodi non ferendum a parocho salva congrua videatur, nomine communitatis proponit, ut beneficium S. Blasii a paroecia

iterum separetur ac uniatur rurali ecclesiae a sanctissimo crucifixo nuncupatae intra paroeciae fines exstanti, concesso ejus jurepatronatus communitati, quae capellanum parochi coadjutorem nominaret, onusque sibi assumeret ex proprio aere supplendi, quod ejus congruae sustentationi deerit.

Utcumque rem definiendam putaverint EE. PP., ad hanc postremam quod attinet rei conciliandae rationem adnoto, aliquid difficultatis facessere propositam jurispatronatus concessionem. Facile enim imponenda non videtnr ecclesiae aut beneficio jurispatronatus servitus, quum vera sit alienatio, ac sub interdicto cadat extravag. Ambitiosae de reb. eccl. non alien., ceu notant Pirhing. in jus can. tit. de reb. eccl. alien. vel non num. 10., Leuren. in for. eccles. quaest. 150. num. 1., Barbosa de jure eccles. lib. 1. cap. 11. num. 28.; eoque magis quia satis non est ad acquirendum jus patronatus simplex dotis augmentum, Lambert. de jurepatr. lib. 1. patr. 1. quaest, 5. art. 12. num. 1., Fagn. in lib. 3. decret. cap. Cum propter de jurepatr. num. 67., sed requiritur, ut dimidia saltem dos constituatur, ceu tenent Vivian. de jurepatr. part. 1. lib. 2. num. 4., Fargna eod. tract. part. 1. can. 5. cas. 7. num. 19., Garc. de benef. part. 5. cap. 9. n. 127.

E contra perpendendum est, jurispatronatus concessionem non denegari, ubi id exposcat evidens ecclesiae utilitas, juxta ea quae tradunt Card. De Luca de jurepatr. disc. 10. n. 9., Lotter. de re benef. quaest. 8. num. 32. Hinc S. Congregatio juspatronatus concessit marchionibus Bourbon del Monte ob desponsam reparationem ecclesiae et augmentum dotis, quae erat scut. 44, in aliis scut. octo, uti videre est in Civitatis Castelli, Capellaniae 16. Augusti 1794; idemque peregit in Parmen. Jurispatronatus 6. Augusti 1791.

An rerum adjuncta in praesenti specie id exigant, Vestrum est EE. PP. judicare.

Esse locum nominationi capellani curati; et pro congruo ejus stipendio teneri parochum usque ad summam ducatorum quadraginta, et pro reliqua summa oppidanos cura Episcopi.

499. Verulana. — Vicarii curati quoad remotionem.

Die 18. Decembris 1847.

Ecclesia parochialis S. Michaelis Archangeli terrae Babuci (Bauco) in Verulana dioecesi sex praeter archipresbyteratum cum cura animarum ditata erat simplicibus et ecclesiasticis beneficiis. Cum vero unus archipresbyter haud satis esset occurrere spirituali animarum ultra 2300 necessitati, obtinuit a s. m. Papa Pio VI. per literas Apostolicas diei 9. Januarii 1797 suppressionem unius ex praefatis beneficiis primo vacaturi, ac hujus bonorum unionem praebendae archipresbyterali ea tamen adjecta conditione, „ut archipresbyter pro tempore teneretur eligere ac deputare presbyterum saecularem idoneum per Ordinarium loci prius examinandum et approbandum . . . . . et ad ipsius rectoris seu archipresbyteri nutum amovibilem, qui eidem . . . . rectori in exercitio curae animarum et ecclesiasticorum sacramentorum administratione . . . . cum congrua mercedis assignatione ex fructibus reditibus et proventibus praefatis arbitrio Ordinarii praefati stabilienda ac per ipsum . . . . rectorem annuatim praestanda inservire et coadjuvare obligatus existeret“ —

Literae Apostolicae die 30. ejusdem mensis et anni debito modo ab Ordinario executione donatae fuerunt, at earundem effectus suspensus manere debuit, donec beneficii vacatio contingeret, quae tandem habuit locum, dum archipresbyteralis praebenda suo jamdudum rectore vacaverat. Hinc factum est, ut interim e vivis excesserint tum oeconomus curatus, tum ejus vicarius; quare anno 1831 Episcopus Verulanus, durante adhuc diuturna archipresbyteratus vacatione die 8. Aprilis nominavit Vincentium Palmigiani in vicarium curatum praefatae ecclesiae, cui jam per quinque annos et amplius gratis inservierat, assignatis eidem pro mercede et stipendio omnibus et singulis fructibus provenientibus ex beneficio per praefatam bullam suppresso et exstincto nec non aliis certis vel incertis etc.

Ex hoc Episcopi decreto omnium bonorum suppressi beneficii, quae jam ex bullae Pianae dispositione ac subsecuto Ordinarii decreto executorio archipresbyteratus bonis erant incorporata, possessionem apprehendit ac libere usque ad praesentem diem retinuit Palmigianus, quamvis archipresbyteralem praebendem rite fuerint adepti primo Scipio Maciocchi ac deinde Paulinus Vinci, qui eam nunc etiam administrat. — At cum Vincentius Palmigiani in suspicionem venerit, ne modernus archipresbyter ex facultate per dictam bullam sibi tributa pro lubitu eum bonis praefatis beneficii exspoliaret, supplex petiit, „ut idem beneficium sibi concedatur ad vitam vel ne possit eo privari nisi causa cognita ab Episcopo et secundum leges canonicas.“ Ad cujus petitionis fulcrum adducit diuturnum servitium ecclesiae Babucensi praestitum sive qua gratuitus minister, sive qua oeconomus per plures annos, sive tandem qua vicarius curatus cum laude, assiduitate ac summa vitae integritate, uti vicarii foranei et plurium Babucensium ac praesertim prioris communalis referunt testimonia. Affert deinde plura damna, quae passus est ex Episcopi voluntate, ut vicariam praefatam assumeret. Coactus enim fuit ex muneris incompatibilitate aliam capellaniam dimittere annui reditus scutator. 60 et publicum magisterium cum annuo emolumento scut. 50 aliaque praeterea commemorat, ex quibus confidit expetitam gratiam se obtinere, ne ob suam sollicitudinem erga animarum salutem necessaria tandem careat vitae sustentatione.

Archipresbyter Vinci e contra totis viribus insistit, ut jus suum defendat praefatum Palmigiani amovendi etiam sine causa juxta facultatem sibi a bulla traditam, utque proinde in casu concessionis jus suum undique eversum ostendat; deinde causas quoque profert, ut Oratorem amoveat a vicaria; ac primum, ut bona suppressi beneficii suae praebendae vindicet ad formam concessionis; deinde ejus arguit socordiam et negligentiam in munere commisso obeundo, quod etiam tempore sui antecessoris accidisse demonstrat ex testimonio ipsius Scipionis Maciocchi; insuper illius reprehendit morum improbitatem et constantem in archipresbyterum aversionem, quibus de causis asserit in sui absentia nunquam fuisse praefatum Palmigiani ab Episcopo deputatum ob defectum fiduciae; tandem censum scutator. 200 impositum fuisse narrat in quodam archipresbyteratus fundo favore monialium s. Benedicti ex indulto in memorata bulla impertito ad effectum solvendi expensas tum bullae ejusdem, tum executorialis decreti, cum onere annuam quotam deponendi ex fructibus beneficii suppressi arbitrio Episcopi praefiniendam in ipsius census exstinctionem, quod tamen nullo modo factum fuisse et proinde integrum adhuc censum vigere concludit ac in posterum remansurum, nisi illegitima beneficii administratio a Palmigianio auferatur.

Episcopus de more rogatus facta enarrata undequaque confirmat, quoad autem Oratoris mores et jus archipresbyteri haec addit: „Ceterum quamvis non parva ex parte vera appareant exposita a presbytero Palmigiani, quamvis ipse si non optimus, non tamen adeo malus sit sacerdos, et quamvis archipresbyter ad ea quae praetendit adduci queat etiam ex aliis fortasse causis, quam ex rectae administrationis curae amore: tamen hujusmodi sunt facta a Palmigianio adducta, quae imparia mihi videantur ad evertendum jus archipresbyteri.“

Evidens per se est illegitima fundorum suppressi beneficii possessio ab Oratore apprehensa, non modo quia illius bona tam bullae apostolicae, quam decreti episcopalis vi fuerant praebendae archipresbyterali incorporata, sed etiam quia merces taxata favore vicarii curati praestanda est annuatim ex ipsius bullae dispositione per archipresbyterum, non propriis manibus a vicario curato percipienda, cui sanctioni sese accomodavit Episcopus; nam Oratori non bona sed fructus beneficii pro mercede et stipendio assignavit. Neque minus verum est ex ipsius bullae litera minime disponi, ut census impositus ex praefati beneficii fructibus sit taxative solvendus. Tota igitur quaestio in eo tantum versatur, num remotio vicarii curati ex bullae virtute fieri possit etiam sine causa; vel, si cum causa, an causae ab archipresbytero allatae eae sint, quae valeant remotionem importare. — De capellanis, qui sunt ad nutum amovibiles, decerni posse amotionem etiam absque causa refert Scarfant. elucubrat. canon. t. 3 dec. 35, n. 8, tom. 2, lib. 3, in animadv. n. 15.; Piton. de controv. patron. all. 100., in suppl. num. 54; Card. de Luca: de benefic. disc. 80. n. 5. Corradi in praxi benef. lib. 1. cap. 6. n. 276. et S. Congr. in Firmana 3. Martii 1787. De vicariis autem curatis pariter statuit Scarfant. tom. 2. lib 3. in suppl. n. 10 ad 13 vel ad summum quamlibet sufficere causam vel levissimam, dummodo non fiat ex odio vel malitia, idque confirmat idem auctor in tom. 3. addit. 19. num. 3. et 199.; Piton. loc. cit. all. 38. n. 1.; Card. de Luca l. cit. n. 17. et S. Congr. in Romana 21. Novembr. 1761, in Montis Alti 12. Junii 1762 ad 1 dub.; quibus concinunt Devoti instit. lib. 1. sect. 9. §. 84. et Bened. XIV. de synodo dioec. l. 12. c 1. n. 2. Contra tamen facit resolutio S. Congregationis in Civitaten. Decembr. 1585 (Decretorum lib. 4. pag. 89) in qua dictum fuit, ne ab Ordinario quidem vicarium curatum amoveri posse, nisi ex causa legitima atque probata et clarius in Romana 23. Apr. 1735 ad 1. dub., in Spoletana 28. Martii 1744 ad 3. et 4. dub., in Lunen. Sarzanen. 2. Sept. 1747 ad 1. dub., in Reatina 10. Maii 1755 ad 2. dub., in Nullius Farfen. 6. Aug. 1791, ac demum in Romana, quamvis die 28. Martii 1801 fuerit admissa doctrina remotionis sine causa, tamen die 20. Aug. 1803 recedendum censuit a decisis. Quamvis ceterum contraria sit fere omnium doctorum sententia, S. tamen Congregatio eam visa est semper retinere doctrinam, ut sine causa ab Episcopo approbanda removeri nequeat sive capellanus sive vicarius curatus, uti luculentissime constat ex Spoletana 8. Julii 1713. In relatis vero superius, quae contra faciunt, causas remotionis agnovit, quae asserebantur. Huc accedit praxis aliam quandoque apponendi clausulam, scilicet: „ad nutum etiam sine causa“ quae profecto in sensu contrario supervacanea evidenter foret. In casu autem causas ab archipresbytero allatas haud subsistere colligendum est tam ex Episcopi relatione, quam ex relato vicarii foranei aliorumque testimonio, atque hinc gravis exsurgit suspicio odii et malitiae, quo casu semper reprobatur amotio cum dedecore ac praejudicio vicarii deputati, uti

unanimis est doctorum sententia et constans S. Congregationis praxis. Praeterea eae sunt peculiares circumstantiae, quae Oratori favent, ut aliquam mereatur S. Ordinis indulgentiam.

Dilata et scribatur Episcopo, ut curet provideri de alio beneficio Vincentium Palmigiani et posthac S. Congregationem certiorem reddat.

Die 29. Julii 1848.

Cum proposuissem in congr. diei 18. Dec. anni superioris per summaria precum instantiam Vincentii Palmigiani, qui efflagitabat, ne sine causa legitima ab Episcopo ad formam ss. canonum cognoscenda removeri posset a vicariatu, quem ad nutum archipresbyteri amovibilem in pago Babuci jam ab anno 1831 retinebat, Eminentissimi Patres ad vitandas dissensiones vicarium inter et archipresbyterum, quae valde nocere possent curae animarum administrationi, prudenter rescribere censuerunt: „Dilata et scribatur Episcopo, ut curet provideri de alio beneficio Vincentium Palmigiani et posthac S. Congregationem certiorem reddat.“

Mandatis obsecutus Episcopus haec sub finem proxime praeteriti mensis Maji referebat: „Nullum beneficium inter paucissima ac pauperrima, quae exstant in hac dioecesi, nunc mihi effertur, de quo providere possim Vincentium Palmigiani ..... Officium viceparochi forsan vacaret in ecclesia S. Mariae ejusdem oppidi, ad quod nominat nepos ipsius Petrus Palmigiani praepositus parochus, sed hoc pariter est amovibile ad nutum rectoris, sicut et alterum, quod modo tenet in ecclesia archipresbyterali S. Michaelis Archangeli et super quo nunc litem agitat, nihilominus ei oblatum illud omnino recusavit.“ A partibus vero nihil amplius accepi.

Cum res igitur in eodem statu sint, quo erant die 18. Decembr. 1847, dignentur EE. VV. folium die illa distributum iterum perlegere, ut perpensis omnibus utrinque deductis quod justum aut expediens videbitur, valeant mature decernere.

Ex deductis in casu esse locum remotioni.

PARS VI.

DE LOCIS SACRIS ET SACRAMENTIS.

I. DE LOCIS SACRIS,

1. De concessione oratorii.

500. Monasterien. — Oratoriorum.

Die 5. Aprilis 1851.

Dubium proposuerat Monasteriensis Episcopus, utrum sibi liceret facultatem concedere oratoria privata erigendi, ibique missae sacrificium celebrandi. Quamquam enim hanc potestatem a Tridentino sess. 22. in decreto de observ. et evitand. in celeb. missar. episcopis sublatam fuisse plures S. Congregationis dicisiones declaraverint, ita tamen eo loci decretum Concilii interpretatum asserebat, ut quemadmodum ea facultate utitur Episcopus pro oratoriis publicis concedendis in perpetuum, ita eadem uti possit pro oratoriis ad tempus seu, ut verbis ipsius loquar, pro actu transeunte; et hanc fuisse consuetudinem usque eo in sua dioecesi observatam testabatur. Quod si hujusmodi consuetudo reprobanda videretur, enixe deprecabatur, ut omnia indulta antea concessa benigna donarentur sanatione, et novum concederetur nobili cuidam viro de Hovel pro erigendo in sua arce Tenking oratorio cum facultate missae sacrificium inibi celebrandi.

Dum hoc dubium Eminentissimis Patribus proponebatur per summaria precum, haec adamussim adnotata fuerunt. Licet omnes ss. canonum interpretes et doctores in eo conveniant, quod Episcopis ex decreto Concilii sit adempta facultas licentias hujusmodi concedendi, plures tamen exstant, nec parvi nominis, quos citat Barbosa in Conc. Trid. sess. 22. cap. 8. n. 18. et Gattico de orator. domest. cap. 15. §. 11. qui justa concurrente et legitima causa eam tribuunt Episcopis potestatem. At vero plures causas enumerat Gattico, easque gravissimas sive infirmitatis, sive ministrandi viaticum morti proximis, etsi parochialis ecclesia valde distaret, sive rationabilis impedimenti ad ecclesiam accedendi ob politicam causam, ob periculum infamiae ac vitae, vel ob luctum in funere cujusdam arctissima conjunctione devincti, sive demum consuetudinis celebrandi praesente cadavere antequam ad ecclesiam hoc deferretur; quas tamen causas ab hac S. Congregatione solemniter improbatas fuisse pluribus allatis resolutionibus ostendit loc. cit. a §. 11. ad 22. et Barbosa loc. cit. circa finem alios refert auctores, qui ne justa quidem de causa hanc posse Episcopos licentiam concedere opinantur, quam quidem rarissimam edicit memoratus Gattico loc. cit. §. 22. si de unius vel paucorum agatur necessitate; casum tantummodo certum

referens sub §. 26. superstitis in Episcopo potestatis permittendi celebrationem in privatis oratoriis, ubi scilicet res est de spirituali multorum necessitate ob ecclesiae publicae deficientiam, et impotentiam ejusdem ecclesiae aedificandae; quo casu etiam sub diu sacrum facere permitti posse subjungit.

Et sane dubitatio quaevis evanescet post declarationem ab hoc S. Ordine redditam, et jussu s. m. Pauli V. die 10. Martii 1615 omnibus Episcopis per encyclicas literas communicatam, qua solemniter firmatum fuit soli Beatissimo Rom. Pontifici hujusmodi facultatem esse reservatam; quare omnibus Ordinariis in praefatis literis (quas referunt Pasqualig. dec. 165. de sacr. nov. leg. et Passerin. de hom. stat. et offic. quaest. 189. art. 10. in fin. n. 979) injunctum fuit, ut se ab illis utcumque concedendis abstinerent, ac si quas alias quoquomodo quam ab ipso Summo Pontifice concessas reperiissent, nullas atque irritas esse quamprimum decernerent, enixeque curarent, ne ulla illarum ratio imposterum haberetur. — Quam adamussim sanctionem ad tollendos irrepentes abusus Max. Pontifex Ben. XIV. confirmavit in const. Magno animi nostri dolore, ubi literas S. Congregationis recitatas commemorat.

Nec ulla prorsus ratione prodesse poterit contraria quaelibet observantia vel consuetudo, maxime postquam anno 1703 Clementis Papae XI. recol. mem. jussu editum fuit decretum, quo consuetudines Tridentinae legi adversantes penitus everterentur. Post cujus promulgationem in Germania, hujus ditionis Episcopos illius dispositioni obsequentissimos sese praebuisse, nec amplius inter Germanos morem perstitisse licentias hujusmodi permittendi, nisi a Rom. Pontifice necessarium impetratum fuerit privilegium, innuit Leuren. libr. 3. tit. 41. qu. 975, et memorat Gattico loc. cit. §. 15.; ac Pontifex ipse Ben. XIV. in cit. constit. de similibus abusibus disserendo ita concludit §. 29. nullum amplius esse privilegium vel exemptionem, quae obstet, quaeque impediat quominus abusus tollantur.

Quibus inspectis et mature perpensis, Eminentissimi Patres in comitiis diei 23. Januarii 1847 hocce dederunt responsum „non licere Episcopo hujusmodi licentias quocumque sub obtentu concedere ne pro actu quidem mere transeunte: hanc facultatem esse soli Romano Pontifici reservatam; eidemque Episcopo literas S. Congregationis a Paulo V. approbatas expediri: et quoad facultates huc usque alias quam a Romano Pontifice concessas consulendum Sanctissimo pro earumdem sanatione: quoad nobilem virum de Hovel supplicandum Sanctissimo, ut pro hac vice tantum dignetur Episcopo impertiri facultatem expetitum indultum eidem de Hovel concedendi, facta tamen mentione apostolicae delegationis: quoad futurum Oratorum preces, si qui sint, ad Apostolicam Sedem mittat.“ Quam resolutionem a Sanctissimo Domino Nostro in audientia die 1. Febr. ejusdem anni benigne approbatam una cum memoratis S. C. literis Episcopo Oratori communicandam curavi.

Evecto nuper ad ecclesiam Monasteriensem novo Episcopo, dubium hic proposuit, num per praefatam resolutionem omnes licentiae et indulta similium oratoriorum, quae ad sex supra quinquaginta circiter in ea dioecesi satis ampla numerantur, fuerint reapse sanatione roborata; ac insuper aliqua Episcopo facta delegatio. Observat autem pleraque ex memoratis indultis concessa fuisse nobilibus familiis, quae longe distant ab ecclesia parochiali, et quae praeter pietatem et religionem, qua in fide orthodoxa ceteris praeclarum exhibent exemplum, meritis peculiaribus praecellunt ob eorum liberali-

tatem et beneficia in ecclesiam collata; omnia quae ad decentiam et ornatum requiruntur, remotis abusibus, rite servari; ac similia indulta absque ulla temporis seu personarum limitatione, ceu ex Episcopi literis colligitur, fuisse concessa. Adnotat praeterea in perpaucis ex hisce oratoriis sanctissimum etiam sacramentum asservari. Addit quoque consuetudinem in illis regionibus ubique vigere concedendi facultatem sacrum faciendi sacerdotibus infirmis in oratorio rite instructo et benedicto, durante eorum infirmitate, nec non nosocomiis et orphanotrophiis publicis, comprehensis etiam domibus, in quibus spiritualia habentur exercitia: quod ab Apostolica Sede minime reprobari confidit.

His enarratis duo postulat Episcopus, sanationem scilicet omnium indultorum familiis privatis hactenus concessorum, et apostolicam delegationem, ob nimiam illius regionis ab Urbe distantiam, similia indulta in casibus opportunis ad tempus saltem trium vel quinque annorum concedendi. „Spero, ita concludit, fore ut preces meae eo facilius exaudiantur, cum in omnibus dioecesibus vicinis et verosimiliter in omnibus cisalpinis ejusmodi licentiae ab Episcopis promiscue ex facultate ordinaria juxta S. Conc. Trid. constitutiones tribui soleant; et equidem promitto quod circa hanc rem omni meliori modo disciplinam ecclesiasticam stricte servare et reformare studeam.“

Dubium, quod movet Episcopus circa sanationem concessam per resolutionem anni 1847, justum profecto videtur: duo siquidem nunc proferuntur, quae tunc latuerunt, licentias nimirum absque temporis limitatione concessas, et permissam ss. sacramenti in nonnullis oratoriis domesticis asservationem. Indulta autem hujusmodi personarum intuitu ab Apostolica Sede conceduntur, et cum personalia sint, morte personarum exspirant, neque in his datur locus successioni, vel ad haeredes transmissioni, unde nunquam in privatis domorum oratoriis perpetua conceduntur, quippe nec localia, nec mixta reputantur, ut monet Gattico loc. cit. cap. 21. §. 31. et 32. Sanctissimum vero eucharistiae sacramentum asservari nequit in aliis ecclesiis quam parochialibus absque expressa S. Sedis facultate, uti quamplures testantur s. hujus Ordinis resolutiones, quae tamen dari nunquam suevit pro oratoriis privatorum domesticis. Revocanda hinc videretur effraenata hujusmodi licentia, reformando concessionem pro celebratione missarum cum limitatione ad vitam praesentium indultariorum, ne perpetuam concessionem contra stylum S. Sedis Summum Pontificem sanavisse credatur. Insuper, cum ignoretur, num oratoria actu in ea dioecesi existentia cum indulto celebrandi omnia exstiterint quo tempore per rescriptum anni 1847 sanatione donata sunt, necne, novam sanationem ad cautelam concedendam putarem, quae ad omnia actu existentia protendatur, firma in reliquis forma et conditionibus praecedentis resolutionis. Delegationem enim, quam petit Episcopus, haud expedire censerem, postquam ab Apostolica Sede consimiles facultates Episcopis et nuntiis Apostolicis concessae ob non leves excessus revocatae fuerunt, prout innuit Gattico loc. cit. cap. 24. §. 18. et seqq. ne scilicet renoventur abusus. Quin aliquid suffragetur usurpata dioecesium finitimarum et omnium fere cisalpinarum auctoritas, quae certe ferenda non esset; nec locorum distantia, cum agatur de privilegiis, quae non sunt absolute necessaria.

Ceterum potestas, qua putat Orator Episcopos gaudere, concedendi infirmis sacerdotibus licentias ejusmodi, solo Romano Pontifici est reservata veluti tum ex superius adnotatis, tum ex praxi quotidiana docemur. Monendus propterea videtur Episcopus, ut ab illis concedendis abstineat. Non ita vero dicendum quoad orphanotrophia et nosocomia publica, et alia similia

loca pia, quamvis Episcopi auctoritate non fuerint erecta. Haec siquidem indulta Episcopi potestatem non excedere, articulo plenissime discusso, solemni resolutione sancitum fuit in Viglevanen. Oratorii die 27. Martii 1847 ubi primum dubium hisce verbis conceptum „An oratoria in hospitalibus ceterisque piis locis absque Episcopi auctoritate erectis constituta in prohibitione concilii Tridentini comprehendantur?“ resolutum fuit responsione negativa. Idemque profecto tenendum de domibus ad exercitia spiritualia paratis, dummodo sint domus religiosae ad praefatum usum tantummodo destinatae.

Consulendum Sanctissimo pro sanatione omnium indultorum hactenus concessorum ad vitam tantum praesentium patrum familias, qui faventur indulto. Quoad facultatem vero retinendi ss. eucharistiae sacramentum Episcopus moneat indultarios, dummodo non agatur de locis piis publicis, post sex menses indultum exspiraturum, nisi a S. Sede confirmationem vel novam concessionem obtinuerint. Quoad loca pia et religiosas domus vel pro spiritualibus exercitiis erectas cum approbatione Ordinarii, vel publica sine approbatione, Episcopum non indigere facultatibus pro concedenda licentia sacrum in eis peragendi. In reliquis curet Episcopus, ut serventur decreta Apostolicae Sedis.

501. Monasterien. — Oratoriorum.

Die 28. Maji 1853.

Quum Episcopus Sacrae Congregationis decreta circa privata oratoria, ad plures abusus qui inde a saeculo irrepserant eliminandos recenter edita, omnibus ejusmodi oratoriorum possessoribus fideliter intimari et adamussim deinceps observari mandasset; factum est, ut complures nobilium familiae, quae in suis arcibus ab immemorabili fere tempore oratoriis gaudent, eumdem Episcopum adierint, asserentes oratoria praedicta publica esse, atque ideo ab Sacrae Congregationis mandatis exempta penitus existere. Quamvis nimirum in privato palatio exstructa, nec immediate secus viam publicam patentia, inde a saeculis tamen non modo ad celebrandum sacrum dominicis etiam festisque diebus inserviunt, sed indulgentiis quoque plenariis a Sede Apostolica concessis beneficiisque ecclesiasticis Episcopi auctoritate erectis utuntur. Insuper praeter familias nobilium possessorum, exteri etiam in vicinia habitantes ad sacra audienda ibidem concurrunt, seque ecclesiae praecepto satisfacere bona fide opinantur. Hinc praelaudatus Episcopus penes Sacrum Ordinem supplex adstans dubium benigne resolvendum proponit: „An publica censenda sint ejusmodi oratoria, quae licet in palatio soloque privato cum aut etiam sine choretto vel aditu in domum internam exstructa, nec immediate ad viam publicam patentia ab immemoriali tamen vel pro publicis habita, et in publicis documentis ita nominata sunt, vel saltem exteris ad sacrum audiendum constanter inservierunt inserviuntque, vel insuper praedictis indulgentiarum altarisque privilegiis, aut ecclesiasticis beneficiis gaudent.“

Quamvis dubium vix esse queat, quin oratoria, de quibus res est, ut privata ab initio concessa fuerint, siquidem in privatis nobilium arcibus atque ad ipsorum commodum cum aditu in domum internam plurimum erecta: attamen quia oratoria privata usu immemoriali tacitoque saltem Ordinarii consensu publica evadere possunt, ceu liquet ex S. Congregationis resolutione in Ruben. 23. Julii 1731, Gatticus de orator. domestic. cap. 3. n. 8.,

hinc tota impraesentiarum quaestio in eo est, ut quae ex S. Consessus more veniunt signa publici oratorii, contingere in themate demonstrentur. Inter quae apprime recenseatur opportet, quod ostium ita omnibus patuerit atque pateat, ut non solum de familia servitioque possessorum, sed exteri etiam fideles ad sacrum inibi audiendum de consuetudine bonaque fide confluxerint, nec Ordinarius ejusmodi usum reprobaverit, Fagnan. in cap. De auctoritate n. 7. de censibus, Pignatell. tom. 1. consult. 93. n. 22. 27; maxime cum accedit, ut per campanae pulsum sacri peragendi signum publice datum fuerit, Gatticus de orat. domestic. cap. 3. n. 7., S. Congregatio in Grossetana 16. Maji 1778. Praeterea in vulgato ejusdem S. Senatus stilo habetur, publica oratoria declarari, dummodo ab Episcopo in honorem alicujus sancti consecrata seu benedicta, vel etiam in ecclesiasticum beneficium canonice erecta collataque fuisse appareat, Pignatell. tom. 1 consult. 93. n. 27., S. Congregatio in Campsana 31. Maji 1707 et 18. Augusti 1705 et in Nitrien. 12. Februarii 1735.

Denique vix anceps quis haerebit, si a Sede Apostolica non in ipsorum utilitatem tantum, sed etiam in omnium quoque fidelium spirituale lucrum plenariae indulgentiae altarisque privilegia concessa reperiantur, prout firmavit S. Congregatio in Savonen. 28. Julii 1724. Quin officiat, quod oratoria, ut in themate revera accidit, in solo privato nec immediate secus viam publicam, cum aditu insuper vel prospectu in aedibus privatorum aedificata sint, S. Congregatio in Campsana 31. Maji 1707 et 18. Augusti 1705 et S Congregatio Episcoporum et Regularium in Ostunen. 20. Martii 1698, Gatticus de orator. domestic. cap. 3. n. 8. Ceu enim ad rem notat Amostaz de causis piis lib. 5. cap. 10. n. 11. ingressus privatus non tollit formam oratorii publici, cum illud dicatur publicum quod est omnium usui destinatum, leg. Sed Celsus 6, leg. Pacta conventa 72 §. Papinianus ff. de contrah. empt.

Negotium at vero in themate facessere videtur, quod propter abusus ad moderna usque tempora productos ex ejusmodi indiciis concludi vix quidquam valebit; praesertim ubi nec consecrationis vel benedictionis, nec etiam visitationis ordinarie peractae vestigia exstant: nulla enim eorum mentio fit in precibus. Inde ad equivoca fere redactis publicitatis indiciis, firma tamen atque certa permanent, quae oratorium privatum redolent, nimirum exstructio in palatio soloque privato cum aditu vel prospectu in aedes, Fagnan. in cap. De auctoritate n. 17. et 24. de censibus et in cap. De his n. 18. de privileg., Pignatell. tom. 6. consult. 42. num. 18., quamvis in posterum ostium publicum superadditum sit.

Quo in casu, ut definiatur, utrum oratorium publicum vel privatum censendum sit, illud considerandum insinuat Amostaz loc. cit. an scilicet simile oratorium cum ingressu privato constructum fuerit magis ad commoditatem habentis privatum ingressum, quam ad usum publicum, et tunc censet ex aperitione januae publicae publicum non evadere oratorium. Si vero a principio oratorium istud sit principaliter destinatum ad usum publicum et ad id janua publica aperiatur, licet habeat alium privatum ingressum, et hoc in casu tenet publicum esse hujusmodi oratorium, dummodo apertum sit ostium et cum aliquo tintinnabulo fiat signum ad missam celebrandam. Hinc Sacro Ordini in more est praescribere, ut territorium ante hujusmodi oratoria situm in commodum publicum cedere teneantur possessores, ad hoc ut publica valeant declarari oratoria, ceu videre est in Savonen. 28. Julii 1724, in Nitrien. 12. Februarii 1735.

Verum quidquid sit de initio erectionis hujusmodi oratoriorum, cum tamen in his plura concurrant publicitatis signa, et usu immemorabili tacitoque Episcoporum consensu sacrum in eisdem pro fidelium commoditate perpetuo celebratum fuerit, publicis forsan oratoriis accensenda erunt. Quod si ut mixta haberi velint, semper tamen publica erunt, quia in mixtis, uti ad rem perpendit Amostaz. loc. cit, attenditur qualitas potentior, quae trahit ad se minus principale, Gabriel. lib. 1. cons. 2. n. 15., Gratianus tom. 3. cap. 36. num. 24., Larrea decis. 1. num. 9. et 22.

Dummodo concurrant vel omnia vel aliquot saltem ex requisitis ab Episcopo enumeratis quoad praeteritum possessores horum oratoriorum non esse inquietandos, facto verbo cum Sanctissimo.

502. Pampilonen. — Oratorii.

Die 16. Decembris 1854.

Nicolaus Maria de Echeverria Pampilonensis, anno 1842 villam nuncupatam de Alloz in ejusdem nominis oppidi terminis sitam a gubernio hispanico emit satis ampla domo ditatam, quae ad monasterium de Franzu olim pertinebat. In extremitate domus exstat oratorium decenter ornatum sacraque supellectili instructum turrim habens campanariam cum parva campana, qua missae signum datur, ad quod patet aditus ex atrio semper aperto, quod viae communi haeret. Ab immemorabili tempore in praedicto oratorio missa semper celebrata fuit, cui non solum famuli et mercenarii domus numero sane plures, sed viatores etiam, gregum pastores et agricolae qui in proximo suis laboribus incumbunt frequentes adesse consueverunt.

At vero cum duobus ab hinc annis hodiernus villae dominus Nicolaus de Echeverria sacerdotem invenire non posset, qui domi degens missam celebraret, rogassetque Episcopum Pampilonensem, ut facultatem parocho faceret secundam post parochialem in oratorio missam celebrandi, nedum voti compos factus non est, sed ipsi injunctum, ne ullo modo in posterum missam in praedicto oratorio celebrare faceret. Nihilominus cum postea sacerdotem alterius ministerii expertem invenisset, denegatam antea veniam obtinuit ad sex menses, ita tamen ut sacro interessent tantum qui domi degunt, ac intra id tempus a Sede Apostolica indultum oratorii publici retinendi impetraret.

Quamobrem supplici oblato libello postulat Nicolaus Orator rehabilitationem praefati oratorii in forma publica retinendi.

Episcopus informationem ac votum rogatus retulit, se audito parocho de Equiarte, intra cujus fines villa de Alloz invenitur, et monacho ex suppresso monasterio de Franzu, cognovisse, villam de Alloz ad monachos Cistercienses s. Mariae de Franzu pertinuisse, et in ea monachum perpetuo morari solitum, praediis et laboribus rusticis praefectum, qui in oratorio publico adhuc existente, et absque dubio decenter ornato, sacrosanctum missae sacrificium celebrabat ex privilegio, inquit, communitatis. Quamobrem autumans privilegium hoc cum communitate exstinctum fuisse, nec ad Oratorem transmissum, qui monachorum bona emit, haud suae potestatis esse censuit veniam concedendi, ut in praedicto oratorio adhuc missa celebraretur.

„Villa de Alloz (prosequitur) abest ab ecclesia parochiali de Equiarte circiter viginti et duobus minutis, et via lutosa ac modico intervallo aliquantum periculosa equitantibus. Oratorium indotatum manet, sed cum is, qui villam emit, sit ditissimus, confidendum est, quod nihil ad reverentiam loco

debitam desideretur, et si in eo celebrari permittitur, magno futurum commodo praecipue domus dominis, eorumque famulis, hospitibus et operariis, quod vero necessarium minime existimo.

„Cum oratorium sit publicum (habet enim portam quae via communi haeret) omnes quotquot diebus feriatis ad missam in eo audiendam concurrent, nec publicationibus matrimoniorum et ordinandorum intererunt, nec de obligationibus in hebdomada monebuntur, nec in doctrina christiana instruentur, nec divinum verbum exaudient, quae omnia etiam ipsos domus dominos ceterosque supradictos respiciunt.“

Demandat S. Concilium Tridentinum sess. 22 de observ. et vitand. in celebr. missae, quod extra ecclesiam et in oratoriis in privatis domibus existentibus missa celebrari non debeat: sed quoties oratorium sit publicum, nec desint alia necessaria requisita, de quibus apud Barbosam ad Conc. d. cap. num. 22. non comprehenditur sub prohibitione dicti decreti, uti tradit idem Barbosa, et respondit S. Congregatio in Florentina 2. Decembris 1628 lib. decret. 13. fol. 558. Episcopus refert publicum esse oratorium, quia praeter celebrationem missarum ab immemorabili in eo sequutam, et admissionem plurium personarum ad sacrum audiendum, habet januam in publica via per quam omnibus patet accessus, et turrim campanariam cum campanula, quae duo simul juncta suppeditant invictam publicitatis oratorii demonstrationem, uti cum aliis tradit Amostaz. de caus. piis lib. 5. cap. 10. num. 12. et seqq. Praeterea oratorium decenter ornatum est, sacraque supellectili instructum, ac missae in eo celebratio magnam affert commoditatem domus incolis, ceterisque agricolis, qui proximas villas incolunt. Quamobrem nulla subesse videtur ratio, cur a sacri litatione interdici debeat. Nec aliunde ordinarias Episcopi facultates excedit designandi publicum oratorium ad divinum cultum, et ad celebrationem sacrificii, ceu communiter doctores, apud Ferraris Biblioth. s. v. Oratorium n. 29.

Aliquam fortasse facessere possent difficultatem ea, quae animadvertit Episcopus tum quoad congruae dotationis defectum, tum circa spirituale detrimentum, quod exinde colonis obveniret, qui audiendo sacrum diebus festis in oratorio carerent verbo Dei et catechismo, ignorarent vigilias et festivitates de praecepto, et denuntiationibus matrimonialibus non interessent, ita ut impedimenta matrimonialia aliquando non revelentur, uti late ponderant Card. Petra ad const. apostolicam Paschalis II. tom. 1. p. 390. n. 69. et Monacell. in formul. tom. 2. p. 52. 42. Utrique autem incommodo occurri facile posse videtur, ubi adigatur Orator ad dotis constitutionem facta obligatione in forma juris valida, vel praestito idoneo fundo pro manutentione oratorii et sacrarum supellectilium, et Episcopus horam statuat opportunam ac competentem pro missae celebratione absque praejudicio functionum parochialium, ac praesertim servari mandet decretum Conc. Romani in tit. 1. cap. 5, quo celebrantibus in oratoriis, capellis, et ecclesiis ruralibus, ubi sacra celebrari consueverunt, sub poena suspensionis a divinis Episcoporum arbitrio imponenda praecipitur, ut principalia saltem fidei rudimenta populum edoceant. Quas quidem conditiones S. Congregatio his difficultatibus occurrens, praesertim in permittenda publici oratorii constructione, praescribere consuevit. Ita in Cesenaten. Erectionis publici oratorii diei 6. Junii 1840 ad dubium: „An et quomodo locus sit constructioni publici oratorii in loco de quo agitur in casu?“ respondit: Affirmative, et Episcopus utatur jure suo tam pro assignatione dotis congruae, quam pro designatione horae sacrorum commodae populo diebus festis; nec non pro conditionibus juxta concilii Tridentini et concilii Romani tit. 1. cap. 5. regulas praescribendis.

In confirmationem expositae doctrinae operae pretium erit sequentes S. Congregationis resolutiones heic addere quae inter ceteras relatae habentur in Nitrien. 12. Februarii 1735.

In Vercellen. diei 3. Augusti 1673 Episcopus Vercellensis prohibuerat, ne diebus solemnioribus missa celebraretur in oratorio intra moenia castri Catallengi existente; at comitibus de Catallengo exponentibus, idem oratorium esse sacra supellectili instructum, ab immemorabili tempore in eo nocte Nativitatis Domini pluries celebratam fuisse missam solemnem, et publicum ac liberum ad illud haberi aditum, S. Congregatio respondit, oratorium esse publicum, adeoque licitum esse ibi celebrare festis etiam solemnioribus, ut in lib. 29. decret. pag. 124.

In Nullius diei 13. Januarii 1626 eadem S. Congregatio „censuit, comittendum esse Ordinario, ut ubi Orator publico instrumento se obligaverit, semitam qua itur ad capellam unicuique liberam in perpetuum servare, atque illius situs dominio ac juri efficaciter renuntiaverit, declaret, capellam istam non comprehendi in decreto a Congregatione edito de privatis oratoriis, petitamque celebrandi licentiam pro suo arbitrio concedat, ubi tamen prius dictam capellam visitaverit, ac divino cultui peragendo aptam, ac decentem esse compererit, atque ita ut nullum hinc praejudicium inferatur juribus parochialis ecclesiae, ut in lib. 17. decret. p. 316.

Non indigere, et Episcopus utatur jure suo tam pro assignatione dotis congruae, quam pro designatione horae opportunae absque praejudico functionum parochialium nec non pro conditionibus juxta Concilii Tridentini regulas praescribendis.

503. Laquedonien.

Die 7. Junii 1834.

Spectat ad patritios proceres de Gregorio Laquedonienses publicum oratorium Beatissimae Virginis doloribus sacrum, situm in prima contignatione palatii sub dormitorio, ubi jugiter sacrificium aliaque religionis officia maxima cum populi utilitate rite persoluta sunt ad annum usque 1829, quo ex decreto Episcopi Laquedoniensis defuncti oratorium interdictum est, dum ex camera superstructa lectus aufferretur, nisi id S. Sedis indulgeret. — Ast cum gens de Gregorio ob temporum acerbitatem eo inopiae devenerit, ut aliam habitationem substituere non posset fratri, cui in domus divisione obtigit pars illa, quamque numerosa auctus familia incolit, canonicus Rochus supplicem huic S. Ordini obtulit libellum petens, ut sibi liceret celebrare in dicta ecclesia non obstante causa supraexposita, ne afflictioni Oratoris superaddatur afflictio interdictione ecclesiae publicae, quae tempore praeterito populo ipsi tantum praebebat commodum. — Propitiam Oratoris precibus sententiam pandit vicarius capitularis atque testatur interdictum praedictae capellae illatum magnam populo attulisse admirationem, postremo capellam enarratam populo utilitati fore magnae.

In casu, de quo agitur, ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo: Factaque de praemissis per infrascriptum Secretarium die 9. ejusdem mensis relatione Sanctissimo Domino N., ipsa Sanctitas Sua attentis peculiaribus circumstantiis in facto concurrentibus benigne remisit preces arbitrio et conscientiae Episcopi Laquedoniensis, ut, quatenus nihil a

sanctitate divini cultus absonum neque scandalum inspicientibus admittatur, Oratoris precibus, donec de exposita necessitate coram praefato Episcopo vel Ordinario pro tempore constiterit, annuere possit et valeat juxta petita, ita tamen, ut directe super altare non exstet cubile et praesens rescriptum eadem Sanctitas Sua suffragari voluit, perinde ac si literae Apostolicae in forma Brevis desuper expeditae fuissent.

504. Apuana. — Oratorii.

Die 30. Augusti 1831.

Domus quaedam Nicolai Capiferri in parochia vulgo „Tilattiera“ annexum habebat publicum oratorium, cui est cubiculum superpositum. Domus hujusce dominium favore Joannis Savini cessit, qui cubiculum oratorio superpositum in usum dormitionis adhibuit, maxime cum ipsum oratorium haud brevi 25 annorum intervallo clausum omnino remansisset. Nunc autem cum oratorii patronus, Nicolaus Capiferri, ad populi commoditatem et ad implementum legati missarum, quo patronus ipse tenetur, oratorium praefatum iterum aperire, ibique ss. missae sacrificium ceterasque functiones a jure permissas celebrare peroptet, supplex adstat, ut his non obstantibus, novo domino domus facultas concedatur in cubiculo superposito lectum retinendi pro dormitionis usu comparatum, habita praesertim ratione ad ejusdem domus angustias et exiguam, quam exhibet incolentibus commoditatem. Episcopus sententiam rogatus, factorum veritate confirmata, ita animi suj sensum exponit: „In his rerum adjunctis, et cum oratorium fornices habeat ex lapidibus et calce constructos, censerem illam facultatem concedi posse.“

Ecclesia semper sollicita visa est eorum, quae ad decentiam ac reverentiam sacris locis debitam pertinent. Hinc Sedes Apostolica in literis concessionis oratoriorum solet opportune cavere, ut eadem decenter ornentur, et ab omnibus profanis usibus libera et immunia serventur. Haud exinde videtur abs re, si dubium proponatur, num liceat super fornice oratorii citra decentiae et immunitatis ejusmodi violationem alicui domestico locum sternere, ibique dormire.

Plures sane fuerunt Episcopi, qui in synodalibus statutis expresse demandarunt, ut usus a hujusmodi cubiculis oratorio sive privato sive publico vel ecclesiae superpositis arceretur. Inprimis autem locum tenet magnum illud Episcoporum exemplar, divus Carolus Borromaeus, qui optime conscius Tridentinorum Patrum intentionis cautum expresse voluit in IV. concilio provinciali tit. de profano usu et a sacris tollendo, impresso in tom. I. actor eccl. Mediolanen.: „Ne ecclesiae aut capellae, aut etiam oratorii, in quo missae sacrificium aliquando peragitur, tecta palearum acervis, neve aliqua lignorum strue onerentur, ne item a parte superiori vel coenaculum, vel cubiculum vel omnino locum habeant, ubi aut dormiatur, aut habitetur, aut quidquam profani fiat.“

Simile autem statutum, quamvis sit diligenter custodiendum, ubi viget, ceu monet Gattico de orator. domest. cap. 23. n. 6, lex tamen quaedam generalis minime adesse videtur, qua memoratus usus interdicatur. Decentia enim requisita ab apostolicis indultis locum ipsum oratorii, non jam cubiculum oratorio superexstructum proprie respicit, ut ibi praefatus auctor observat. Et in ipsa Mediolani civitate non obstante statuto praedicto, oppositum omnino in quibusdam publicis oratoriis servari testatur Assemanni

de orator. publ. cap. 19. n. 347. Imo usum enuntiatum permitti prorsus existimant auctores nonnulli, in quibus Lacroix lib. 6. part. 2. num. 266. in privatis praesertim oratoriis; quia in privatis domibus rarius occurrit tantam esse cubiculorum copiam, ut ad cubilia singulorum domesticorum locus etiam oratorio superjacens non desideretur.

Ceterum, etsi praelaudatus auctor de oratoriis domesticis commendet Ordinariorum statuta, quibus lecta super oratorium ad continuum domesticorum usum non patiuntur, haec tamen eatenus observanda monet, nisi ob maximam habitationis angustiam permittatur, ut super fornicem publicorum oratoriorum, ecclesiarumve cubicula ad communes usus deputata erigantur; hoc siquidem in casu nonnihil indulgendum esse opinatur.

Haec autem omnia mirifice concurrunt in casu; domus enim angusta est, et cubiculum oratorio jam superexstructum, cujus si denegaretur usus enuntiatus, in magnum emptoris id verteretur incommodum: praesertim cum ob diuturnum 25 annorum non usum oratorii in pacifica possessione reperiatur. Aperitio contra ipsius oratorii illiusque restitutio ad sacras functiones et missae sacrificium peragendum commendatione digna videtur.

Pro facultate juxta petita arbitrio Episcopi, qui curet pro sua prudentia, ut oratorium reddatur liberum ab hujusmodi incommodo.

505. Recanaten. — Odei.

Die 24. Augusti 1850.

In ecclesia S. Annae dicata antiquum colitur simulacrum B. Mariae Virginis Lauretanae intra sacellum ad instar venerandissimae Nazarenae Domus exstructum (ubi etiam nonnulla domus ipsius sacratissimae lateritia asservantur fragmenta), quo cives Recanatenses magna frequentia et devotione conveniunt, ac easdem, quas personaliter templum Lauretanum invisentes, si antiquae et constanti traditioni fides est adhibenda, lucrantur indulgentias, qui in praefato oraverint sacello, ubi physico detineantur impedimento, quo minus ad sacratissimam aedem Lauretanam accedant. In hac civitatis Recanatensis ecclesia pium jamdudum erectum est sodalitium sub invocatione ss. Trinitatis, cujus sumptibus et piis fidelium eleemosynis divinus cultus et ecclesiasticae functiones exercentur. Attiguam parvam sodalitium possidebat domum, cujus inferiora cubicula, ad sacrarii usum inserviebant. At lacrimabili Gallicae invasionis effectu una cum ceteris sodalitatis bonis haec etiam domus divendita est, et transiit in dominium patricii Recanatensis Ignatii Garulli, qui avitas aedes praedictae ecclesiae contiguas habebat.

Septimum jam labitur lustrum, ex quo restitutum sodalitium cubicula ad sacrarii usum jam destinata conducere cogitur ad eundem usum necessaria, quatuor scutatorum in singulos annos persoluta mercede. Cum vero nulli sint sodalitio reditus praeter scutata quindecim, quae ex parvae domus locatione quotannis eidem perveniunt, quaeque nisi piorum fidelium accederent eleemosynae, pro cultu ecclesiae minime sufficerent, in ea se versari conditione nuper exposuere sodales, ut nequeant amplius expensas sustinere pro cubiculorum conductione, quae ad usum sacrarii eidem sunt necessaria. Quod cum Ignatio Garulli sit undequaque perspectum, pro sua qua pollet pietate perpetuam proposuit dictorum cubiculorum cessionem cum translatione dominii favore sodalitii, dummodo sibi potestas fieret in propriis aedibus fenestram aperiendi, quae haberet prospectum in eamdem ecclesiam cum

facultate sacrum audiendi pro se suaque familia in perpetuum. Pergratum id fuit sodalitio, quod exinde majores sibi suaeque ecclesiae a pio viro Garulli elargitiones adpromittit, et preces continuo dedit pro hujusmodi odei concessione.

Petitione ad Episcopum ablegata pro informatione et voto, vicarius generalis respondens hactenus narrata confirmat, sententiamque suam in haec verba concludit: „Quamquam a jure generatim aperitio fenestrae in ecclesiam prospicientis prohibetur, tamen plura dantur exempla concessionis a S. Congregatione tam Concilii, quam Episcoporum et Regularium elargitae, nam circumstantiae exhibentur, quarum intuitu prohibitionis ratio evanescit, ceu mea quidem sententia in casu dignoscitur. De petitione siquidem indulti perpetui agitur ex quo, permissa fenestra cum duplici crate ferrea, nullum irreverentiae periculum oritur; sed dum patriciae genti Garulli commodum audiendi divina conceditur, sacrarium, cujus dominio nunc sodalitium omnino caret, perpetuo acquiritur, et annuae recensitae pensionis scutatorum quatuor onus tollitur; imo eidem Garulli cubicula vindicandi facultas aufertur, qua secus illico uteretur, quin sodalitio locus ad usum sacrarii superesset.

Servitus, de qua est quaestio, odii plenissima est, et a sacris canonibus constantissime reprobata, adeo ut Sacr. Congregatio Episcoporum et Regularium per modum regulae definierit in Veronen. 15. Junii 1655, non licere privatis personis haberc ac tenere fenestras prospicientes in ecclesias contiguas habitationi. — Idemque semper sensus fuit SS. Verbis Congregationum, ut S. Immunitatis C. in Aquilana 9. Martii 1632, S. Rituum Congregat. in pluribus resolutionibus, ceu testatur Pignatell. tom. 4. consult. 129. num. 8. et passim S. H. Ord. ac praesertim in Mantuana 18. Maji 1727, in Florentina Indulti 23. Aug. 1738, in una Nullius Foropompilii 26. Jan. et 28. Februar. 1758, in Firmana Servitutis 8. Junii 1782 aliisque sexcentis.

Quod si hujusmodi indulta concessa aliquando reperiuntur, duobus tantum de causis factum esse comperitur, vel scilicet ob fundationem et patronatum ecclesiae, vel ob insignia beneficia in ecclesiam ipsam collata. Nec tamen semper eadem servata est praxis, nam non semel S. haec C. indultum denegavit patrono, si in actu fundationis sibi jus non reservasset, ut patet ex Reatina 2. Junii 1731, in Regien. 7. April. et 2. Sept. ejusdem anni et in Veronen. 26. April 1732. Ubi vero de ecclesiae benefactore ageretur, nisi insignia beneficia probarentur collata, indultum expetitum perpetuo denegavit, ceu non solum ex hactenus allatis exemplo deprehenditur, sed etiam ex Acheruntina, Odei, in qua S. Congregatio indultum jam concessum Fittipaldio sub die 26. Januar. 1845, semel et iterum revocavit, cujus ultima resolutio prostat in folio S. Congregationis diei 26. Januarii anni labentis, quia etsi plura scutatorum centena in ecclesiae fabricam contulisset, ea tamen haud sufficere visa sunt ad praerogativam insignis benefactoris constituendam.

Nec relevat consensus rectorum ecclesiae, et ipsius Episcopi favorabile votum, nam in re per se odiosissima gravissima patere debet causa ad evidentiam. Hujus rei reperiuntur exempla in superius citata Reatina 2. Junii 1731 et in altera Reatina 24. Maji 1732, aliisque compluribus. Adeo enim hujusmodi indulta sacris canonibus et menti S. Congregationis adversantur ut, si totus evolvatur resolutionum thesaurus, rarissima reperiantur concessionum exempla, eaque non paucis restrictionibus et cautelis subjecta tam quoad temporis durationem, quam quoad modum in usu servandum, frequentissima vero rejectionis occurrant.

Hisce praehabitis serio perpendendum est, num tanti sint peculiares facti circumstantiae, quarum meminit vicarius generalis, ut expetitum indultum sit concedendum. Commodum quod cedit ecclesiae vir pientissimus Garullius, per se haud tale videtur, ut tantam mereatur correspectivitatem, ejus enim valor ne ad centum quidem scutata, si cum annuo fructu conferatur, assurgit. Potiusquam materialis valor, inspicienda foret deficientia sacrarii, quod ex rejectione sequeretur, tam in actu, quam in potentia, novum scilicet exstruendi; vel saltem nonnisi ingenti cum impensa sodalitii, quam profecto sustinere nequiret: atque hoc posito necessitas et evidens ecclesiae utilitas pro concessione concurreret. In qualibet hypothesi indultum absque temporis limitatione quoad durationem quam maxime exorbitare censerem.

Praevia donatione perpetua cubiculi ad usum sacrarii pro gratia constructionis odei ad vitam Ignatii Garulli cum facultate ex eo audiendi sacrum et satisfaciendi praecepto pro familia et cohabitantibus, facto verbo cum Sanctissimo.

506. Camerinen. — Indulti.

Die 2. Augusti 1856.

Venantius Zecchini oppidi Sefri domum ruri possidet, cui adnexum est publicum oratorium sui jurispatronatus, in quo sacrum pro suimet commoditate celebrare facit eo temporis quo ibi rusticationis gratia moratur; et cum pedibus sit impeditus januam apertam habet in interiori domo, ex qua facilius et commodius ad oratorium accedit, ut sacrum audiat, ceterisque pietatis actibus faciat satis. Nuper vero Archiepiscopus in sacra visitatione hujusmodi privatum aditum claudi praecepit sub poena suspensionis oratorii, nisi illico obtemperatum fuisset. Quamobrem Zecchinius supplex adstat penes S. hanc Congregationem, ut praefatae januae usum habere sibi liceat.

Archiepiscopus ad quem preces remissae sunt, tum parochum, tum vicarium loci foraneum hac de re sententiam rogavit; qui ambo conveniunt, ut Orator ob expositam causam implorato indulto donari valeat ejus vita naturali durante. Primus vero addit: „Relinquitur auctoritati ecclesiasticae dijudicandum an deceat, ut in camera ecclesiae contigua, per quam ad eam accedendum esset, etiam lectum sternatur, uti inpraesentiarum fit.“ Alter subjicit: „Ut a loco sacro omne periculum irreverentiae absit, submisse censerem injungendum esse Oratori, ut aditus semper claudatur, et ipse illum tum solum aperiat, cum in illa domo commoratur et s. missae assistere vult vel alios devotionis actus exercere, neque ipso absente personae ab ipsius familia extraneae hoc indulto utantur.“ Hisce porro sub cautelis Archiepiscopus ipse Oratoris petitionem excipiendam censet.

Servitutes in ecclesiis per ipsamet jura civilia reprobari testis est lex Si prius 17. ff. de aqua et pluvia arc. §. sed loco, ac multo magis per sacros canones ac summorum Pontificum constitutiones evincit Clementina I. de sent. excomm. Generatim autem constitutum est, ut nemo possit habere fenestram per quam prospectus, nec portam per quam transitus sit in ecclesiam, ut pluries declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium, et signanter in Casertana 8. Junii 1646, in Alexanen. 14. Nov. 1659, imo injungitur Episcopo, ut cryptas et aditus subterraneos a domibus privatorum ad ecclesias et loca immunia claudere faciat. S. Congreg. Immun. in Aquilana 9. Martii 1732. Neque privato cuilibet januam habere licet,

per quam e propria domo transeat in ecclesiam, etiamsi exstaret longa consuetudo, et esset patronus, ceu declaravit eadem S. Congreg. EE. et RR., in Faventina 15. Februarii 1619 et refert Ferraris s. v. Ecclesia art. 5. num. 4. Nam verendum est, ne domesticorum, mulierum, ac puerorum assiduo interventu absurda et incongrua oriantur, et decori domus Dei quidquam detrahatur. Quamobrem et haec S. Congregatio facilius indulsit odei, quam januae usum, ceu pandunt exempla relata in Acheruntina Odei et Inscriptionis 26. Januarii 1845, §§. Quidam et Pariter.

Nihilominus perpendendum est, an peculiaris ratio, qua Oratoris preces nituntur indulgendum suadeat, quod ceteroquin jure communi spectato denegandum foret; praesertim vero ubi opportunae adhibeantur cautelae quas vicarius foraneus et Episcopus proponunt, unde quodlibet irreverentiae periculum arceretur. Videndum denique an pro debita sacro loco reverentia tolerari possit, ut proximum oratorio cubiculum ad dormitorii usum inserviat, ceu loci parochus animadvertit.

Pro gratia pro Oratore tantum ejusque vita naturali durante, et cum conditione, ut proximum oratorii cubiculum ad dormitorii usum non inserviat et janua reseretur tantum occasione audiendi sacrum, arbitrio et conscientia Archiepiscopi, facto verbo cum Sanctissimo.

2. De conservatione ecclesiarum.

507. Savonen.

Die 26. Februarii 1825.

Aloysia Gambetta, vidua Colla, ecclesiastica auctoritate approbante anno 1825 donavit Laurentio Biale canonico Magiscola in ecclesia metropolitana Januen. simulque ejus fratribus juspatronatus capellae existentis in ecclesia parochiali di Celle dioecesis Savonensis dicatae S. Annae et immaculatae Conceptioni B. M. Virginis una cum fundo olivato pro dote dictae capellae constituto. Dioecesim deinde perlustrans Episcopus Savonensis capellam reparationibus indigere et sacra supellectili carere agnovit, ideoque opportuna utramque in rem edidit decreta.

Fratres Biale, capellae patroni, ad illam restaurandam sacraque supellectili instruendam parati cum de fundatione ac oneribus ejusdem capellae nil certi invenire potuerint, ab hac S. Congregatione implorant, ut de oneribus statuere dignetur „1. ut dicti fratres Biale, eorum descendentes, haeredes et possessores qualescumque ratione reditus fundi pro dote assignati in scutatis Rom. quinque circiter tam conservationem dictae capellae quam provisionem sacrae supellectilis, cerae etc. curare teneantur; 2. ut omnibus diebus festis secundum usum introductum lucernam accendere debeant; 3. ut tantum in festivitate S. Annae missam cantari curent.“ Praeterea veniam sibi indulgeri petunt, ut imagines titularium, nempe immaculatae Conceptionis et S. Annae cum aliis tabulis pictis S. Raphaelis Archangeli et S. Laurentii vel sanctorum protectorum familiae commutare possint, retenta tamen parva imagine S. Annae.

Rogatus de more Episcopus haec retulit: „Sumptis opportunis informationibus, audito parocho et interesse habentibus cognovi vera esse, quae in supplici libello fratres praedicti exposuere. Perquisitis enim ecclesiae et cancellariae episcopalis libris (quae perquisitio jam a R. Ghiglini, qui fuit

vicarius generalis hujus dioecesis, de annis 1672, 1679, 1688, 1698 videtur inutiliter facta fuisse, uti constat ex parva pagella in chartulariis familiae Gambetta existenti) invenire haud potui actum fundationis capellaniae ideoque nec onera in origine statuta eidem annexa. Perspexi etiam ex enumeratis pagellis familiae praedictae, annuum reditum neque fuisse, nec in praesens esse magis, quam lib. 30 monetae Genuae, scutorum Rom. quinque circiter; item onera ipsius olim in eo constitisse, quod juxta reditum tot missae lectae celebrabantur, postremo vero (et ignoratur qua licentia) una tantum missa celebrabatur in cantu in festo S. Annae, et lampas accendebatur omnibus diebus festivis infra annum. Summa nunc vere necessaria pro reparatione sacelli centum foret libellarum, sive scutorum Rom. 15 cum dimidio circiter (quamquam mihi constet, praedictos fratres Biale centum impendere velle scuta Romana in ornamentum sacelli, et acquisitionem sacrae supellectilis). Actus vero ultimae donationis jurispatronatus approbatus fuit a curia episcopali die 28. Augusti anni 1823; alia denique non adest causa mutationis s. iconis, nisi ex peculiari devotione actualium patronorum. Quapropter in votis essem, si ita videbitur EE. PP., rescribendum pro gratia, prout in precibus.

Fratres Biale donatione Aloysiae Gambetta viduae Colla patroni capellae sunt facti: patronus autem ecclesiam defendere, reparare, atque impensis necessariis regere tenetur, uti respondit haec Sac. Congreg. in Nullius S. Martini 8. Augusti 1801 §. Neque praetereundum. Igitur praedicti fratres aere proprio capellam restaurare deberent, ac sacra supellectili instruere, totumque fundi reditum pro celebratione missarum, ut olim, erogare.

Verum latet capellae fundatio, et onera eidem adnexa prorsus ignorantur; ac fortasse fundus pro manutentione capellae relictus fuit, nullo adjecto missarum onere: idque narrata ab Episcopo eorumdem onerum variatio suadere videtur. Cum autem Episcopo teste summam scutorum Rom. centum in restauranda et ornanda capella impendere velint praedicti fratres, annuendum eorum precibus censerem: non tamen ea in parte, in qua facultatem poscunt amovendi iconem sanctorum titularium, quae nonnisi gravissima ex causa est removenda. Nulla in themate affertur legitima causa, et forsan aliorum sanctorum imagines addi possunt, relicta praefata icone.

Quoad facultatem removendi iconem sanctorum titularium: Lectum, facta tamen potestate addendi aliorum sanctorum imagines in parva tabula; in reliquis pro gratia juxta preces et votum Episcopi, facta per fratres Biale obligatione in forma juris valida, et capta inscriptione super fundo idoneo.

508. Fanen. — Reaedificationis capellae.

Die 10. Junii 1848.

Erecta fuit in ecclesia parochiali s. Georgii Favensis dioecesis a tempore, quod hominum memoriam excedit, capella sub invocatione ss. Crucifixi per familiam Lavarelli Ravennatensem, quae, servato sibi honorifico jurepatronatus ejusdem capellae, sua haeredumque suorum bona devinxit onere manutentionis altaris et supellectilium, necnon annuae solutionis librarum frumenti biscentum favore parochi pro tempore pro celebratione missae solius praesentiae in praefata capella quolibet die Martis explenda.

Juspatronatus hujusmodi cum universitate bonorum primum in gentem Monacelli Forosemproniensem pertransiit, ac inito anno 1826 emptionis venditionis contractu a Monacelliorum familia ad Eminentissimum Principem et Cardinalem Albani transitum fecisse compertum est. Viro Eminentissimo e vivis sublato contigit, ut bona hujusmodi ad fratrem jure haereditario devoluta in dominium rev. Camerae Apostolicae vi cessionis seu vitalitii contractus obvenerint. Haec autem dum onera annuae solutionis ordinaria juripatronatus adnexa fideliter implevit extraordinariae quoque obligationi refectionis supellectilium ad parochi petitionem anno 1837 adamussim satisfecit.

Quoniam vero ob temporum injuriam non modo altaria et capellas vetustate collabentes, sed totum s. Georgii ecclesiae aedificium jamdiu fatiscens ruinam minitare compererit Episcopus, cum obiret sacram visitationem anno 1840 interdicto praefatam ecclesiam supposuit. Adeo autem ecclesiae illius parietes et contignationes fatiscebant, ut nulla prorsus reparatio sufficiens aptaque videretur, sed nova funditus requireretur aedificatio. Hinc factum est, ut parochus de hujusmodi reaedificatione sollicitus capellarum patronos monuerit, familiam scilicet Leonelliam Senogalliensem, quae capellae alterius patronatu fruebatur, et R. C. Apostolicam, ut pro rata ad respectivae capellae reaedificationem contribuerent. Dum vero familia Leonelli propriam agnovit obligationem libenterque professa est, se quotam expensarum subituram, onus econtra R. C. A. suscipere recusavit.

Preces tunc dedit parochus Sanctissimo Domino Nostro, ut summa scut. 205 in constructione capellae ss. Crucifixi collata a R. C. A. sibi solveretur; quae cum fuerint a Sanctissimo ad S. C. remissae, informationem et votum tum a R. P. D. Prothesaurario, tum ab Episcopo, ut moris est, exquisivi. Respondit ille jam inde ab anno 1841, parochi petitionem a R. C. A. fuisse rejectam, causam rejectionis exponens, quod rejectio facta esset juxta relationem ab administratore bonorum cameralium Urbini residente transmissam; familiam enim Albani, prout in actu publico habetur, ad nihil aliud teneri, quam ad solvendum quolibet anno ecclesiae duos modios frumenti altari ss. Crucifixi ecclesiae s. Georgii, et ad sustentandam supellectilem istius altaris. Hanc supellectilem petente parocho restitutam esse anno 1839; ab hac obligatione vero legitime non posse deduci illam restaurandi ecclesiam et capellam, imo quaestionem posse moveri, num sit obligata haereditas Albani ad expensas conservationis vel altaris tantummodo. Hinc parochi jura ad illud unum constringi, ut ad conservationem altaris cogere posset hereditatem Albani, omnino autem in hoc praetergressum esse illum limites, quod non patronum rogasset, ut quomodo magis conveniret, ad restaurandam capellam patronatam concurreret, sed expensas suo arbitrio in restauratione jam peracta factas resarciret.

Episcopus autem, confirmata factorum historia quam hactenus enarravimus, testatur obligationem manutentionis altaris et supellectilium tum ex actis s. visitationis tum ex tabulis illius curiae abunde constare. Dein addit: „Haec de origine et jure. Caput difficultatis est recens, et maximum de reaedifiatione altaris. Cum enim pluribus abhinc annis ecclesia s. Georgii pene collapsa ac omnino indecora iterum exstructa fuerit novis elegantioribusque molitionibus, nova quoque altaria (loco veterum, quae et ipsa collabuerant), necessario quoque substruenda erant et aptanda. Id persuasum perspectum patronis fuit collatoque aere sine querela praestiterunt, sola R. C. A. abnuente. Haec vero (dicam quod super hac re sentiam) eadem qua ceteri, astringi obligatione mihi plane videtur, utpote quia, cum ad perpetuam

altaris manutentionem teneatur, quod indubium est, eodem jure ad illud de novo exstruendum teneri eam arbitror, si injuria temporum, vel alia quacumque causa in eum casum adductum sit, ut missae ibidem juxta fundationis legem celebrari amplius nequeant.“

Duo, ceu probe nostis Patres Eminentissimi, in hac controversia inquirenda sunt: primum scilicet, num R. C. A. uti cessionaria bonorum, quibus juspatronatus inhaeret, ad altaris manutentionem obligetur; alterum vero a primo dependens, utrum ad eam teneatur expensarum summam quam parochus postulat. Primum autem a R. C. A. rejiciendum censet R. C. D. Prothesaurarius, quia nullo pacto in instrumento emptionis venditionis de altaris manutentione cautum est, neque ab onere refectionis supellectilium legitime posse deduci onus manutenendi altare; obligatio enim, cum sit stricti juris, stricte est interpretanda, nec de casu ad casum protrahenda juxta textum in lib. 9. ff. de reg. juris et communem DD. sententiam, quam pluries firmavit Rota; et praesertim in Auximana, Ampliat. eccl. et restaur. aedium parochial. 4. Martii 1785 cor. Soderino, et in Remana damnorum 5. Febr. 1836 cor. De Petro. §. 7.

Posita vero obligatione nunquam tamen patronam teneri tuetur ad solutionem summae petitae, quia non modo excedens apparet, sed insuper arbitrarie insumpta fuisse videtur; nam patronus, etsi teneatur subsidiarie ad restaurationem seu reaedificationem altaris, propriae satisfacit obligationi, si veterem sequatur formam et ornatum, ceu naturalis ratio suadet; ac proinde cum parochus in nova constructione elegantiores formas et ornatus ad voluntatem adhibuerit, petita summa esset reformanda, cum nemo ex clarissima juris sanctione ad expensas voluntarias restituendas obligetur.

Parochus econtra in exhibita jurium allegatione statuit primum indolem jurispatronatus in casu esse vere realem, ceu probant facta eloquentissima transitus jurispatronatus cum bonorum universitate ad quoscunque possessores, ex quo infert R. C. A. non modo ex generalis juris regula teneri ad altaris dispositionem, cum nec rector existat, nec beneficium, cui hoc onus incumbat Piton. de controvers. patron. all. 100. num. 180, Barbosa de protestat. Episc. all. 64. num. 16., et Card. de Luca de jurepatronatus disc. 52. num. 12., sed etiam ex speciali fundationis lege, prout tum act. 1. visitationis, tum monumenta curiae luculenter testantur, quia fundator bona sua manutentionis onere devinxit, quod profecto quoscumque sequitur possessores; obligatio enim realis adhaeret rei et non exstinguitur nisi exstincta ipsa re juxta elementare principium, et de jurepatronatus adamussim docet Reiffenst. lib. 3. tit. 38. §. 2. num. 31. de jurepatr.: „transit cum re, cui inhaeret.“ Hinc observat nullo in pretio habendam esse onerum restrictionem in instrumento venditionis favore Eminentissimi Card. Albani cum ecclesiae praejudicio peractam, praesertim cum non liceat patrono conditiones et onera fundationis immutare, sed hoc ecclesiasticae tantummodo potestati cum patronorum et interesse habentium consensu sit reservatum, ac proinde quamvis nullum onus expresse susceppisset emptor, onera tamen fundationis integra sustinere deberet, donec bonorum possessionem retineat ex quibus concludendum profecto videtur in hujusmodi jurepatronatus patroni obligationem non esse mere causativam, quatenus scilicet juspatronatus velit retinere, sed absolutam omnino et praecisam, quia non personae sed bonis onus inhaeret.

Atque haec obligatio manutentionis altaris etsi ex fundatione vel actis authenticis non appareret, inde etiam colligitur, quia destructo altari

frustranea redderetur fundatoris voluntas, nam nec supellectilium refectio, nec demandata missarum celebratio haberet locum; at omnia jura clamant fundatorum voluntates sancte religioseque esse servandas.

Quod autem patronus exsequi teneatur novam ecclesiae structuram, pluribus parochus demonstrat. Et primum ordo symmetricus plurimum in ecclesiis per ss. canones commendatur et comprobat usus universalis, ac proinde patronum teneri se conformare formae et structurae ecclesiae in casu identico firmat Card. de Luca de jurepatr. disc. 84. ac plurimis argumentis sustinet Pitonius de contr. patr. all. 12. a num. 12. ad 23., in quibus illud principem locum obtinere videtur, quo utitur n. 17. „Quinto quia nulla ratio assistit cur patronus habens unicam capellam, debeat dare legem fabricae totius ecclesiae, ita ut majus corpus ecclesiae debeat se conformare cum capella, sed potius militat ratio in contrarium, quod nempe patronus conformare se debeat cum majore corpore basilicae, quodque ad symmetriam illius redigere capellam teneatur, quia pars regulanda est a suo toto, non autem econtra.“

Neque diversa S. Congregationis praxis; nam in Brixien. 18. Junii 1597 hanc edidit resolutionem: „Patronis qui habent capellas in ecclesiis regularium (eo magis in ecclesia parochiali) easque in renovatione totius ecclesiae restaurare et ornare recusant, praefigendus est ad hoc faciendum competens terminus arbitrio Ordinarii, addita comminatione, eos praetensis juribus privandi ac aliis eorum altaria concedendi.“ In casu autem hujusmodi terminus nec potuit nec debuit ab Ordinario praefigi; nam cum R. C. A. respectu Episcopi habenda sit velut superior, nequit inferior legem dicere superiori et propterea sola interpellatio, quae eidem facta est, plusquam sufficiens reputatur; impune autem omitti poterat termini praefixio, quia non agebatur de extraneo ad patronatum admittendo ex reaedificatione, seu indigitatur in allata S. C. resolutione; quo casu non modo praefixio termini, sed nec simplex interpellatio requiritur, ut optime ad rem docet Piton. loc. cit. n. 24., ubi dicit interpellationem tunc solum requiri de jure, quando agitur de admittendo extraneum patronum ad reaedificandum propriis sumptibus; tunc enim de necessitate requirendus est prior patronus, ne privetur jure praelationis quam habet in reaedificando et invitus patiatur consocium jurispatronatus. Alia etiam accedit ratio, nimirum necessitas praecisa reaedificandi, quam habet patrona in casu ex natura jurispatronatus bonis infixi, ceu superius animadversum est, atque hinc interpellatio supervacanea prorsus evasit.

Hisce fuse per parochum consideratis, nullus ambigendi locus relinquitur, ut mihi videtur, quin R. C. A. non solum ad expensas peractae reaedificationis teneatur, sed etiam integram debeat persolvere summam scut. 205, quam parochum jure repetere ex eo constat, quod vere in capellae patronalis reaedificationem tantumdem fuerit insumptum, ceu accurata et fidelis periti relatio testatur ab Episcopo ipso transmissa. Idque eo magis obtinet in casu, quia reaedificatio ecclesiae non jam arbitrarie sed ex necessitate peracta est, ut monet Episcopus, et quia summa scut. 205 minime censenda est excedens, si attendatur ad ingentem et conspicuam summam scut. 2400, quam parochus pro totius ecclesiae reaedificatione corrogavit.

Rev. Cameram Apostolicam teneri ad refectionem expensarum pro capellae, de qua in precibus, reaedificatione juxta petita, et notificetur eidem Rev. Camerae Apostolicae.

3. De destructione et profanatione ecclesiarum et oratoriorum.

509. Bituntina. — Aediculae.

Die 22. Decembris 1866.

Vetustis erecta temporibus in horto palatii familiae Lubini Bituntinae civitatis parva exstat aedicula, seu publicum oratorium Deo in honorem s. Onuphrii dicatum, quod ad eum praecise finem aedificatum fuit, ut commoditati esset familiae patronae, a qua etiam ejusdem oratorii manutentioni, sacrisque in eo perlitandis duarum vinearum reditus addicti fuere. Exstincta vero masculina descendentia familiae Lubini, cum illius bona dispertita fuerint inter haeredes ex feminis, et praefatae vineae ex donatione matrimonii causa a quodam Vincentio Sylos-Lubini transierint in filium Joannem, absque ulla conditione manutentionis oratorii vel celebrationis missarum, curarunt quidem ambo donans et donatarius decori aediculae illius consulere, missarumque et aliarum functionum in ea celebrationi; at paulatim imminutus est cultus Deo exhibitus. Tandem cum a nonnullis annis palatium, cui oratorium adnexum est, et circumstantes aedes plurimis sint locatae familiis, sacer ille locus in dies majus detrimentum patitur; et quoad materialem conservationem et quoad cultus decentiam expositus enim est irreverentiis hominum saepe parum devotorum.

Ad haec avertenda mala praefatus Joannes Sylos-Lubini, qui nunc palatii oratorii proprietate potitur, aediculam ad profanos usus convertere exoptat. Ne autem id magis officiat cultui divino et venerationi sanctorum, sequentia a se exequenda proponit:

1°. „Altare sancti titularis et imago Crucifixi eximio opere elaboratum e capella tollantur, et debitis in locis collocentur in ecclesia parochiali s. Silvestri, in qua familia Sylos-Lubini a tempore immemorabili exercet patronatus jus, et Orator expensas feret hujus translocationis, et comparabit ea quae ad servitium istius altaris sunt necessaria. Praesens vero capella ad omnes usus profanos converti poterit.

2°. „Ecclesia parochialis assumat haec perpetua onera: manutentionis decentis altaris conservati; et solemnitatem s. Onuphrii cum vesperis primis cantatis, missa solemni, et 20 missis lectis et aliis operibus charitatis ipso festo die.

3°. „Orator tradet parochiae creditum annuum ducator. 20, ad ferendas expensas, et infra tres annos hanc summam convertet in reditum in tabulis publicis inscribendum, quem in forma juris parochiae cedet. Post haec duae vineae al Palombaro liberatae erunt ab omni onere et in libero dominio praesentis proprietarii.

4°. „In memoriam harum rerum Orator suo aere collocabit lapidem marmoreum juxta altare, quem parochus semper conservabit. Haec omnia Orator humiliter exponit SS. Patri, ut si aequa invenerit, approbatione sua confirmet.“

Communicatis his precibus cum Episcopo Bituntino, ut suam in re de qua agitur sententiam panderet, et audito praesertim parocho in scriptis, referret de valore, annuo reditu, et oneribus utriusque vineae, de legitima execrationis causa et an populi devotioni et commoditati praejudicium inferatur, testatus est Episcopus vota Sylos-Lubini mereri, ut a Sacro Ordine

propitie excipiantur „Certiorem me fecit parochus, nullum damnum populo ex destructione capellae eventurum esse, sive ob non prosperum ejus situm, sive ob paucissimos dies, quibus aperiebatur. Porro affirmat provicarius meus, reditum annuum ducat. 20 sufficere pro manutentione altaris, et pro missis, quas Orator proponit. Hinc puto ei concedi posse gratiam ita tamen, si aliter S. Congregatio non senserit, ut emittat in mea curia obligationem de reditu duc. 20. quae parochiae s. Stephani tradere vult."

Ut vero manifestum fieret, quanti aestimari valeant coementa et area oratorii, nec non quot sint reditus vinearum, binas transmisit idem Antistes relationes a peritis ex officio deputatis exaratas, ex quibus eruitur valorem coementorum et areae oratorii summam attingere libell. Ital. 601, reditum autem vinearum computari posse in duc 20. seu lib. Ital. 85. Monuit tandem laudatus Episcopus, perquisitis actis curiae, et praesertim ss. visitationum, nullam inveniri potuisse notitiam quoad fundationem praefati oratorii sancti Onuphrii.

Sacr. Conc. Trid. sess. 21. cap. 7. de reform. conservationem et restaurationem ecclesiarum summopere commendat „ne ea quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant, et ex hominum memoria excidant"; et ad hujus praecepti tramites sacra haec Congregatio saepe demolitioni ecclesiarum obstitit, uti in Ravennaten. 29. Julii 1775, et in Aesina demolitionis 26. Augusti 1780. At praedicta Trid. Decr. verba non undequaque absolutum praeceptum continere videntur; siquidem iidem Tridentini Patres post commendatam episcopis ecclesiarum restaurationem, quatenus ea expleri nequeat, mandant, ut profanato, non tamen ad sordidos usus, loco, in matrices aut alias ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum arbitrio suo, atque in iisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus, vel in jam erecta altaria et capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis. Non dubitatur itaque, quin justae demolitionis causae dari possint. Inter hujusmodi autem causas, si resolutiones hujus Sacri Ordinis consulantur, non ultimum tenet locum periculum irreverentiae et profanationis cui aliqua ecclesia obnoxia sit, quod periculum praesertim verificatur relate ad aediculas positas in agris, ceu traditur in una Terracinen. 14. Aprilis 1764.

Praedicta itaque occurrente causa, non semel Sacer Ordo demolitionis licentiam concessit, ceu in Firmana aediculae 12. Decembr. 1861 (?), in cit. Terracinen. an. 1764 et in Lucana demolitionis et translationis oneris missarum 18. Augusti 1781, maxime si favorabile Episcopi votum accesserit. Ex allatis proptera in themate de quo agitur circumstantiis perpendant EE. VV., utrum legitima demolitionis et profanationis causa urgeat.

Ex profanatione aediculae, quatenus ea permittenda sit, sequitur consulendum esse debito cultui imaginis Christi Jesu in cruce affixi, quae pretiosi operis esse renunciatur, et curandum quoque, ut transferantur onera missarum, quae in praefata aedicula celebrari hucusque consueverunt. Monet quidem Episcopus, minime reperiri potuisse fundationem oratorii, ex qua forte constaret de imposito onere missarum; at paratum se praebet Orator ad hujusmodi onera in posterum adimplenda, praevia fundatione reditus ducat. 20 in singulos annos, quae satis esse oneribus sustinendis Episcopus docet. Quoad perpetuam vero manutentionem altaris in ecclesia s. Silvestri, praeterquam quod satis provideri videtur per ea, quae in illo suis impensis explere Orator promittit, satis etiam consultum est per juris dispositiones, cum Orator ipse jurepatronatus ecclesiae gaudeat.

In cit. Terracinen. anni. 1764 tam de demolitione quam de translatione onerum missarum agebatur, propositisque sequentibus dubiis I. „An sit locus profanationi ecclesiae ruralis s. Nicolai in casu. II. An sacrae imagines, supellectilia et onera quaecumque in eadem ecclesia existentia transferri et respective adimpleri valeant in ecclesia propria monialium in casu? Patres Eminentissimi rescripserunt ad I. Affirmative juxta votum Episcopi. Ad II. Affirmative. In Firmana vero 12. Dec. 1861 superius pariter citata ad dubium, an liceat PP. claudere et in alios usus convertere aediculam s. Petri, atque onere missarum sint transferenda ad altare eidem s. Petro dicatum et existens in ecclesia PP. in casu, responsum fuit: Affirmative cum onere augendi missas, juxta votum vicarii.

Approbandam esse propositam translationem et conventionem juxta votum Episcopi, capta tamen inscriptione hypothecaria super fundis stabilibus pro securitate annui reditus ducatorum 20, usquedum tradatur summa capiti respondens legitime et tute investienda favore altaris cura Episcopi, qui caveat etiam ne in sordidos usus aedicula deserenda convertatur.

510. Cingulana.

Die 17. Martii 1827.

Novam publicamque viam struere, quae ab Aesina civitate per Cingulum pateat in Septempedum, aggressi sunt Cingulani municipes; sed illam commodiorem ac rectam ducere prohibet derelicta ac fatiscens ecclesia S. Mariae Novae penes Cingulanam civitatem. Hujusmodi ecclesia sodalitati „del Gonfalone“ olim concredita praeteritis temporum vicissitudinibus quolibet censu exspoliata fuit translatisque in alias ecclesias oneribus missarum sacro cultu orbata remansit et nunc etiam propter dotis defectum vix interdum ex cujusdam religiosi viri sollicitudine ac devotione in ea fidelium pietati datur accessus. Alia similiter in media Cinguli civitate exstat derelicta ecclesia S. Marci ad monasterium S. Sperandiae olim pertinens, quae instaurationibus, sacra supellectili et congrua indiget dote. Itaque Cingulani cives ad hanc ecclesiam S. Marci, in qua imago B. M. V. de Mercede summa religione celebratur, sacro cultui redonandam et ad memoratam publicam viam recto tramite perficiendam facultatem postulant destruendi suburbanam ecclesiam S. Mariae Novae, ut ejusdem coementorum ac lignorum pretium in dotem ecclesiae S. Marci erogetur. — Precibus de more pro informatione et voto vicario Apostolico ablegatis, ita suam adaperuit sententiam: „Bonis omnibus queis confraternitas „del Gonfalone“ potiebatur, divenditis de sodalitate in pristinum revocanda nihil unquam actum fuit ob defectum dotis ad ecclesiae manutentionem requisitae: eo vel magis quia ejus fabrica tamdiu neglecta brevi faticescere periclitatur. Haec ecclesia una cum altera S. Marci modo ad R. Cameram Apostolicam pertinet . . . quae tamen voluntatem suam mihi aperuit, ecclesias istiusmodi uni vel alteri piae confraternitati sive privatis etiam personis libenter donandi, dummodo acquirentes eas ad divinum cultum perpetuo revocare et aere proprio caveant manutenere. Cum neutra dictarum ecclesiarum neque a sodalitate aliqua neque a privata quavis persona sit hucusque expetita sequitur, R. Cameram Apostolicam unicam adhuc esse partem super hac re interesse habentem. — Typus novae viae publicae a supremis magistratibus approbatus lineam protendit, qua dictae ecclesia S. Maria Novae superficies penitus intersecatur, quae quidem linea si detorquenda

foret, via ipsa magis incommoda, longior ac impeditior evaderet. Ad tramites hujus initus est cum publico redemptore contractus atque opus non adeo inceptum, sed etiam aliquantulum productum est. — Quandoquidem conditiones positae in epistola R P. D. Thesaurarii impleantur, de ecclesia S. Marci libere disponi, sacrae ibi supellectiles altaria, tabulae, ceteraque omnia, quae divinum cultum respiciunt, ab ecclesia S. Maria Novae transferri ipsaque necessariis poterit reparationibus communiri eo vel magis quia idem R. P. D. Thesaurarius ad hoc scut. 30 constituit. Materiae vero diruendae ecclesiae S. Mariae Novae scutis circiter 200 venditari posse arbitrantur duo fabri coementarii, verumtamen dato etiam, quod scuta tantum 150 ex horum venditione colligerentur, constitui recte posset ex tali summa sors fructuosa, cujus census ad scuta novem vel decem annuatim deductus ad ejus sufficeret manutentionem.“

Pro gratia, erecta tamen cruce ad formam S. Concilii Tridentini juxta votum vicarii apostolici translatis etiam missarum oneribus in ecclesiam S. Marci, facto verbo cum Sanctissimo et notificetur R. P. Thesaurario.

II. DE SACRAMENTIS.

1. De sacramento confirmationis.

511. Clusina et Pientina.

Die 19. Aprilis 1834.

Postulat Episcopus Clusinus, ut per S. H. Ordinem decernatur, an iteranda sit sub conditione confirmatio fratris Paschalis Cortonensis ex ordine Capuccinorum, de qua dubium est, an unquam eidem collata fuerit. Nullum siquidem de eadem monumentum exstat in una ex paroeciis Cortonensibus, in cujus finibus degebat Paschalis neque in curia episcopali. Ava ipsius nihil plane de confirmatione eidem ministrata se meminisse testatur; binae ipsius sorores quarum altera annis 6, altera binis annis majores natu sunt, asserunt se bene memores esse temporis quo ipsae receperint sacramentum confirmationis, sed se nescire omnino fratri suo esse collatum confirmationis sacramentum; imo dubitant valde, quin id unquam receperit. Pater quidem opinabatur, filium recepisse confirmationem secundum mandatum, quod dedisset avae, quin tunc de hac re certiorem se reddidisset. Ipse autem Paschalis nulla prorsus de suscepto hoc sacramento memoria se tenere testatur; haud tamen silentio praetereundum, ex defuncti cancellarii episcopalis ignavia indicem confirmatorum minus accurate descriptum fuisse, adeo ut de nonnullis aliis quoque lateat, num eo fuerint sacramento muniti. Hinc et curiones et Episcopus dubitandum de Paschalis confirmatione censent. At scribit Gregorius Magnus ad Felicem Episcopum (l. 12. cap. 31.), ut quoties de confirmatione aliquorum dubitatio sit et nec scriptis nec testibus ratio certa habeatur, utrum confirmati sint, confirmentur tales, ne dubitatio illa ruina fidelibus fiat, quoniam non certis indiciis ostenditur rite peractum.

Ex deductis non constare de confirmatione fratris Paschalis; eam proinde conferendam sub conditione.

2. De ss. missae sacrificio.*)

512. Argentinen. — Indulti.

Die 17. Septembris 1859.

Vi indulti die 9. Aprilis an. 1802 ab Cardinali Caprara Parisiis editi plures dies festi in territorio Gallicae tunc temporis reipublicae fuerunt suppressi, ita ut illis diebus fideles jam non teneantur ad auditionem missae et libere operibus servilibus incumbere possint. Inter dies festos praefato decreto suppressos occurrit quoque festum Circumcisionis Domini, quod simul in Gallia est festum civile, et ideo pro civili aequiparatur per omnia festis per indultum conservatis. Hinc Episcopus Argentinensis dubitans, num in festo circumcisionis Domini facultatem ss. missae sacrificium iterandi concedere possit, quaerit ab hac S. Congregatione: „Utrum rectores animarum et caeteri sacerdotes, quibus Episcopus Argentinensis concessit facultatem diebus dominicis et festivis de praecepto duas missas celebrandi in dissitis locis, hac facultate uti possint in festo Circumcisionis? Et quatenus negativum edatur responsum, supplicat ex gratia speciali, ut praedicto festo hoc idem facere possint, quod diebus dominicis et festis de praecepto faciunt.“ Ratio praecipua supplicationis est, quia fideles, qui proprium parochum non habent, non nisi aegerrime ferrent, si praedicto die ss. missae sacrificio privarentur.

Ex communi theologorum sententia ad ss. missae sacrificium eodem die bis offerendum requiritur vera et gravis necessitas: ita parochus, qui duas habet parochias, duas eadem die missas celebrare potest, si in alterutram parochiam non possit populus convenire, nec alius sacerdos quam parochus sit, qui missam celebrare possit; et idem dicendum de parocho, qui duos populos maxime sejunctos habet, ita ut ob locorum distantiam alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo posset; dummodo per aliud canonicum remedium hujusmodi necessitati occurri nequeat, ut per alterius sacerdotis deputationem vel parochiae dismembrationem. Ita docet Benedictus XIV. de sacrif. missae l. III. cap. 5. num. 1., et in epist. 16. Martii 1746 ad episcopum Oscensem; idemque tradit S. Congregatio in voto ad causam Derthusen. 20. August. 1768. §. 13. et seqq. Inde ab hoc S. Ordine licentia sacrificii eadem die iterandi quandoque fuit ad determinatum tempus concessa, ut constat ex citata Derthusen. §. 20. et ex Vintimilien. 19. Decembris 1835, pluries vero talis licentia fuit denegata, ut constat ex eadem Derthusen. §§. 29—32, ex Apten. indult. 8. Maji 1734, et Nicien. 27. Novemb. 1790.

Quoties vero in casu necessitatis parocho vel ecclesiae rectori permittitur sacrificium iterare, talis licentia non videtur concessa nisi pro dominicis diebus et festis de praecepto, quibus nimirum populus ad missae auditionem tenetur, nec hujusmodi licentia extendi potest ad illos dies festos, in quibus non amplius obligat praeceptum audiendi missam; quod observandum praecepit haec S. Congregatio in Lingonen. 23. Januarii 1847 per summaria precum proposita, adjecta in rescripto voce festis tantum de praecepto.

*) De missarum legatis vide n. 187—243.
de missa conventuali n. 347—357
de missa pro populo n. 462—474.

His in jure praemissis, in casu perpendent EE. VV., qua innixi ratione sacerdotes dioecesis Argentinensis uti possent facultate ipsis pro diebus dominicis et festivis de praecepto concessa in festo Circumcisionis Domini, cum tamen non sit festum de praecepto.

Decernent deinde, an expediat indultum, quod secundo loco petit Episcopus, concedere.

Oratoris precibus videtur favere circumstantia festi civilis hac eadem die recurrentis, unde fit, ut in omnibus fideles se gerant ac in festis de praecepto, et consequenter nonnisi aegerrime ferrent, ut ss. missae sacrificio privarentur; et ceteroquin quam maxime esset fovendus pius usus sacrum audiendi etiam diebus festis suppressis. Ex adverso autem perpendi potest, festum civile in casu publice celebratum ob recurrentem primum anni civilis diem, omnino diversum videri a festo ecclesiastico Circumcisionis Domini, quod semper manet post indultum 2. Aprilis an. 1802 festum, ut ajunt, devotionis, quo fideles ad missae auditionem non tenentur. Nec videtur juvare, quod ex circumstantia festi civilis eveniat, fideles magno numero consuescere hac die ad ecclesiam accedere, aeque fere ac si festum foret de praecepto; idem enim contingit in aliis dioecesibus quoad plurima festa per indultum Cardinalis Caprara an. 1802 suppressa, praesertim in parochiis ruralibus; et nihilominus, cum Episcopus Namurcensis, supponens ista festa communiter a fidelibus suae dioecesis servari, ad S. Rituum Congregationem preces direxisset, ut sibi concederetur facultas permittendi in praedictis diebus iterationem sacrificii illis sacerdotibus, quibus diebus dominicis et festivis de praecepto hanc licentiam dare consueverat, retulit responsum: Non expedire; ut constat ex decret. S. R. C. in Namurcen. 11. Sept. 1841, num. 4786.

Pro gratia ad quinquennium facto verbo cum Sanctissimo.

513. Treviren. — Eleemosynae missarum.

Die 23. Martii 1861.

Episcopus Trevirensis sequentia exponit: „Sacra Congregatio Concilii Tridentini decreto 25. Septembris 1858 edito declaravit, non licere sacerdoti, qui binam eadem die dicit missam, eleemosynam seu stipendium accipere pro secunda missa Qua de re sequentia proponuntur dubia dirimenda: In multis dioecesis nostrae parochiis existunt fundationes, vulgo primissariae vocantur (beneficia et simplicia et curata) quibus provisum est, ut dominicis diebus et festis praeter quasdam ferias sacrum celebretur matutinum. Ejusmodi vero fundationes ob exiguitatem redituum et penuriam sacerdotum plerumque proprio carent sacerdote. Ut autem menti fundatorum, quantum fieri potest, satisfiat, parochi, obtenta binandi facultate, diebus dominicis et festis binam dicunt missam, sacrum matutinale et sacrum summum pro populo, et in utroque sacro traditur homilia sive instructio catechetica, pro quo peculiari labore sive industria parochi hucusque ex ejusmodi fundationibus certam percipiunt remunerationem. Sunt et alii parochi, qui diebus dominicis et festis binam dicunt missam, partim in ecclesiis parochialibus, partim in filialibus, quia necessitas moralis id exigit. Non pauci parochi ad ecclesias dissitas per vias asperas tempore aestus, frigoris et nivis tendunt, qui infra sacrum simul tradunt doctrinam christianam.

Quaeritur igitur: I. Utrum parochi, qui ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binam dicunt missam, et pro fundatoribus primissariarum applicant, salarium ex fundo primissariarum pro peculiari labore percipere possint? II. Utrum parochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis, sive in ecclesia parochiali, sive filiali dissita, bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant?“

In Cameracen. Missae pro populo diei 25. Septembris 1858, ad quam appellat Episcopus, vetitum omnino deprehenditur parochis binandi facultate donatis, pro secunda missa eleemosynam recipere, quamvis, quando paroecia una sit, ab ea pro populo applicanda eximantur. Id quidem pluries alibi decrevit S. Congregatio, praesertim in Vintimilien. 19. Decembr. 1835. Ad rem fortasse facere videtur casus propositus in Brixien. relata inter summaria precum die 3. Martii 1855. Mos enim illa in dioecesi invaluerat, ut a quibusdam piis sodalitiis aut a praefectis fabricae ecclesiae retribueretur parocho peculiaris eleemosyna pro missa diebus dominicis aut festis de praecepto celebranda vel canenda; idque aliquando sine onere specialis applicationis. Hinc quaerebat Episcopus: utrum haec praxis, ubi ab immemorabili consuetudine firmata invenitur, tolerari possit, saltem pro diebus festis quibus offertur eleemosyna absque obligatione determinatae applicationis. S. autem Congregatio censuit rescribendum: „Consuetudinem juxta exposita esse reprobandam, et servandam esse constitutionem Benedicti XIV. „Cum semper oblatas.“ Ceterum in hoc casu de missa parochiali tantum agebatur.

Sed ad propositam speciem quod attinet, cum eleemosyna non ratione celebrationis aut appliationis secundae missae rependi videatur, sed titulo remunerationis pro speciali labore ac industria, decernendum erit ab EE. VV., num prohibitio, de qua supra, comprehendat etiam id quod ex hujusmodi titulo offerri solet.

Ad rem hanc cohonestandam in medium profertur declaratio S. Congregationis Rituum in Monasterien. 11. Junii 1845, quae etiam relata fuit in cit. Cameracen. Proponebatur ibi: „Parochus Heistermacen. in Keken hujus dioecesis propter necessitatem populi licentiam obtinuit diebus dominicis et festivis bis celebrandi in ecclesia parochiali, et pro hoc officio suscepto a parochianis, qui alias multo majoribus sumptibus, quod non possunt, sacellanum sustentare tenerentur, remunerationem quamdam accipit. Quaeritur num respectu hujus remunerationis, obligetur etiam hanc secundam missam, de cujus applicatione nihil stipulatum est, pro populo, sive parochianis remunerationem praebentibus applicare pro futuro, uti ipsam missam parochialem, numque pro praeterito propter omissam bona fide hanc applicationem aliquid restituere teneatur? II. Deinde saepe in hacce dioecesi contingit propter latitudinem paroeciarum, quod in iis sacella inveniantur, ubi dominicis et festivis diebus, sive ex fundatione, sive ex contractu parochi et parochianorum, missa celebrari debeat pro incolarum ab ecclesia parochiali remotorum, in primis seniorum et infirmorum necessitate vel commoditate. Viget consuetudo, quod si per fundationem vel contractum de applicando sacro ad certam intentionem nihil statutum sit, in ejusmodi casu celebrans pro alio stipendio applicet vel ad propriam intentionem. Quaeritur num haec consuetudo, de cujus legalitate dubitatur, pro futuro tempore permittenda, et num pro praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis qui bona fide ea

usi sint?“ S. Congregatio respondit: „Ad I. Negative in casu. Ad II. Posse permitti.“

Posse permitti prudenti arbitrio Episcopi aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione missae.

514. Senen.

Die 26. Augusti 1826.

Peregrini sacerdotes in Senensem archidioecesim identidem se conferunt et aliquando ibidem commorantur. Ut eis sacrum peragendi facultas ab Archiepiscopo Senensi impertiatur, testimoniales exhibent literas, ex quibus hoc unum colligitur, quod ipsi nulla censura aut irregularitate sunt irretiti. Ex occultis autem Episcoporum literis constat, eosdem sacerdotes vitiis esse imbutos, adeo ut valde sit timendum, ne ceteris offendiculum praebeant. Quare fluctuans animo idem Archiepiscopus ab hoc s. Ordine expostulat, utrum ex informata conscientia possit eis facultatem litandi sacrum denegare, etiamsi tempore, quo in ejus archidioecesi moram ducunt, nullam dent populo scandali occasionem.

In casibus, de quibus agitur, licere Archiepiscopo licentiam denegare.

3. De sacra unctione.

515. Bobbien. — Visitationis sacrorum liminum.

Die 27. Februarii 1858.

In relatione status ecclesiae Bobbien. ad hanc S. Congregationem transmissa habetur: „E duodecim, in quos haec dispertitur dioecesis, sex vicariatus prope festum Ascensionis D. N. J. C., non vero feria quinta majoris hebdomadae, ut praescribitur, sacra olea ab ecclesia cathedrali recipere, et ab ipsis vicariis foraneis in pervigilio tantum Pentecostis parochis sibi subjectis ea distribuere in usum pene invaluisse jam a meo in dioecesi adventu aegre perspexi. Novi pariter veneratos meos praedecessores in hujusmodi tum ss. canonum tum legum synodalium infractiones saepius etsi absque felici exitu exclamasse. Cogitanti autem mihi et tales abusus (monitionibus meis etsi rigorosis nihil proficientibus) invitissime ferenti, illi nonnisi viarum triginta milliarium et ultra arduitati, seu potius semitis paschali eo magis tempore nivibus undequaque occlusis, adscribendi esse videntur. Quamobrem rei gravitate bene perpensa Eminentias Vestras suppliciter rogabo, ut mihi rescribere dignentur, an ipsimet sex vicarii foranei adhuc sint in posterum ea de causa inquietandi, vel hoc in casu effatum illud accipi possit — nemo potest ad impossibile obligari. — Accedit quod si iisdem facultas tribuatur ab Eminentiis Vestris, benedictionem fontis baptismalis in pervigilio tantum Pentecostis peragendi, simul ac parochis suae plebaniae eadem die intervenientibus s. olea distribuendi, praeter omnium incommodorum amotionem, eo magis decora solemnitas haberetur.“

Sicuti debent Episcopi sanctum oleum feria V. majoris hebdomadae consecrare et benedicere, ita quoque parochi oleum ipsum jam consecratum

ab Episcopis suscipere tenentur, de consecrat. dist. 4. can. 123. Et tempus quidem canon iste praestituit quo illud exposcere debent: „Presbyteri, qui dioecesanas regunt ecclesias, non a quibuslibet episcopis, sed a suo ante Paschatis solemnitatem chrisma petant.“ His apprime consonat Rituale romanum tit. de sacram. baptismi administrando: „S. chrisma et s. oleum, quod et catechumenorum dicitur, quorum usus est in baptismo, eodem anno sint ab Episcopo benedicta feria V. in coena Domini. Curet parochus, ut ea quam primum suo tempore habeat et tunc vetera in ecclesia comburat . . Veteribus oleis nisi necessitas cogat ultra annum non utatur.“ Doctores relatis verbis suo tempore eamdem vim tribuunt ac hisce ante fontis benedictionem, quae quotannis sabbato sancto fieri debet. Demum in eamdem rem allegari possent et Pontificale romanum de officio feriae V. in coena Domini (in fine), et Rituale romanum de sacram extrem. unctionis. Hinc patet tum ex jure canonico, cum ex generalibus rubricis sancitum haberi, ut nimirum s. olea ante paschalem solemnitatem per parochias distribuantur. Et haec est legitima interpretatio a s. synodis passim confirmata, quae mandant, ut parochi ante Paschatis solemnitatem s. olea petant et recipiant. Sic synodus Carthag. IV. can. 36. praecipit: „Presbyteri qui per dioeceses ecclesias regunt, a suis (Episcopis) ante Paschatis solemnitatem chrisma petant.“ Idem mandatum legitur in synodo Vasensi canone. 3.: „Ut per singula territoria presbyteri vel ministri ab Episcopis per annos singulos chrisma petant appropinquante solemnitate Paschatis.“

At vero recepta est apud omnes sententia, justa intercedente causa dilationem cohonestari posse, et casu necessitatis occurrente vetus oleum non tantummodo valide, verum etiam licite in sacramentis baptismi et extremae unctionis adhiberi. Locorum distantia, viarum asperitas et difficultas, aeris temporumque vicissitudines et intemperies haud dubio aliquoties impedire possunt, quominus parochi s. olea suo tempore recipiant. Nequaquam tamen haec rerum adjuncta hujusmodi plane sunt, ut diem certum post Pascha pro recipiendis ss. oleis determinare valeant, sunt enim ut plurimum transitoria et diversa ac varia pro varietate locorum. Ceterum unam invectae consuetudinis rationem posthabendam hac in re rescripsit S. Rituum Congregatio die 16. Decembris 1826, ubi ad dubium: „An decani distributionem (oleorum) differre possint usque post dominicam in albis?“ responsum prodiit „Negative“; quae sane resolutio data fuit non obstante consuetudine contraria, quae corruptela et abusus vocari debet.

In themate haud satis probatum videretur vicarios foraneos justam habere causam, ut receptionem ss. oleorum differant toto illo temporis intervallo, quod intercedit inter feriam V. Coenae Domini et pervigilium Pentecostes, et hanc nequaquam saltem perpetuo comprobari vel ipsae reclamationes Episcoporum evincunt.

Perpendant tamen EE. VV., an excipiendum sit remedium quod proponit Episcopus, semel scilicet in pervigilio Pentecostis tantum benedicendi fontem, sed econtra vero fontis consecrationem et sabbato majoris hebdomadae et pervigilio Pentecostes celebrari solitam accepimus, ut aliquid primi instituti retineret ecclesia, iisdemque proinde diebus consecrarentur fontes, quibus antea salutari lavacro lustraba tur, qui Christi Domini religionem ac disciplinam susceperant; his autem quae sapienter instituta sunt haud derogare consuevit ecclesia. Praeterea non tam laborandum, ut decora habeatur caeremonia, quam ut quae rubricae leges praescribunt fideliter observentur.

Consuetudinem, de qua agitur, esse tolerandam, sed servandas rubricas excepto casu necessitatis judicio Episcopi definiendo.

4. De sacramento matrimonii.

516. Bisinianen. — Dissolutionis sponsalium.

Die 19. Septembris 1841.

Cum in comitiis diei 27. Februarii anni 1836 constiterit Angelum Cafone sponsalia iniisse cum Anna Feraco, ut evaderet poenas stupri eidem illati ac copulae repetitae, eaque confirmasse sponsione et juramento, propositis dubiis: I. An constet de sponsalibus inter Angelum Cafone et Annam Feraco in casu? II. An Cafonius cogendus sit ad matrimonium cum ea ineundum vel potius assignata eidem dote possit a contractis sponsalibus recedere in casu? responsum fuit: Ad I. Affirmative; ad II. Affirmative ad primam partem juxta sententiam vicarii generalis, negative ad secundam.

Mense Februario ineunte currentis anni preces dedit idem Cafone, ut ab iis sponsalibus dispensaretur cum Angela Feraco, quam dotare paratus est. Favebat precibus vicarius capitularis, qui addidit, Angelum ab hoc matrimonio abhorrere, cum Anna uno oculo careat, et proinde notabiliter sit deformis, eumdem coram officiali civili sponsalia iniisse cum Anna Manfredi, cum qua degit, et ex qua tres habuit filios: in irritum cessisse censurarum comminationem ac privationem sacramentorum eidem indictam, cum ipse ab eo conjugio, quod esse debet vinculum amoris, omnino abhorreat.

Rogatus vicarius idem, ut Annam Feraco audiret, praesertim super causis dissensus retulit: „Ipsam Feraco per parochum explorandam curavi, et ex responsis ejusdem videtur non propria auctoritate dissentire (nam ab aliis in matrimonium expetitur) sed imperio suae matris, quae dissentit, et filiam dissentire imperat, ne dicatur in illa terra Accii (dioecesis Bisinianensis), praedictum Angelum Cafone matrimonium contrahere cum Anna Manfredi et hisce de causis promissam dotem recusat.“ Addit Angelum Cafone ab hoc matrimonio abhorrere nedum ob deformitatem mulieris oculo carentis, verum etiam ob genitorum metum, contra quorum voluntatem sponsalia promisit non deliberate, sed coacte in actu, in quo in concubinatu mutuo consensu cum dicta Anna deprehensus fuit; addit eosdem parentes illum minitasse exheredandi, si hoc matrimonium per verba de praesenti contrahere vellet; subjungit praefatos parentes paratos esse ad solvendum Annae dotem nedum 40 ducatorum, prout defunctus Episcopus definierat, verum etiam 50. Post haec cum in irritum cesserint censurae ac vetita sacramentorum participatio, utque removeatur scandalum ex concubinatu Angeli, putat pernecessariam solutionem sponsalium cum onere solutionis dotis ducatorum 50 in favorem dictae Annae Feraco, si Sanctissimo Domino videbitur.

Persolutis prius a familia Cafone ducatis 80 pro dote Annae Feraco, pro facultate dissolvendi sponsalia inter Angelum Cafone et eamdem Annam Feraco arbitrio et conscientia vicarii capitularis, facto verbo cum Sanctissimo.

517. Nullius Ferentilli. — Sponsalium.

Die 29. Maji 1852.

Constat de sponsalibus Nicolaum Poletti inter et Mariam Fiorelli, ambos terrae Ferentilli, duobus ab hinc annis contractis. Factum est autem, ut inde sponsus homicidii insimularetur in personam sacerdotis Francisci Carocci;

unde post fiscales investigationes in carcerem fuit conjectus apud Spoletanam arcem, ubi adhuc usque judicis sententiam exspectat. Quibus ita se habentibus, quum resciret Nicolaus, sponsam nova moliri sponsalia etiam de praesenti contrahenda, ad pro-vicarium abbatialem iterato rescripsit ad impediendum, quominus Mariae liceret, posthabita sponsalium data fide, alienas nuptias appetere. At mulieris pater videns filiam quammaxime abhorrere a nuptiis contrahendis cum viro de atroci crimine accusato, supplex postulat a S. Ordine, ut sponsalia dissolvere Eminentissimi Patres dignentur.

Ordinarius auditus exposita confirmat, quin tamen suam pandat sententiam. In jure obvium quidem est, nefas esse contrahentibus altero eorum invito a data fide resilire. Ast de sponsalibus cautum, nedum ea mutuo dissolvi posse consensu, sed etiam altero reluctante, si nimirum justa intercedat causa, cap. Quemadmodum. de jurejur. Imo, si non intercesserit juramentum, etiam ex levi et levissima causa ab iis resilire permittitur, uti cum communi, doctorum sententia docet S. Congr. in Calaritana Sponsalium 8. Maji 1824. §. Itaque.

Num sufficiens adsit in themate causa, quae suadeat posthabendam esse viri contradictionem ad status libertatem Mariae decernendam e re est perpendere. Omnium porro consensu constat, gravem imo gravissimam causam esse supervenientem infamiam sive juris, sive facti ea sit. Nicolaus homicidii reus apud judicem fuit insimulatus; et licet nondum per sententiam infamiam incurrisse videatur, tamen vulgata de patrato ab eo crimine opinio, propter quod bona delinquentis existimatio apud honestos viros laeditur, idipsum secumfert, quod nimirum diffamatus in facto remaneat, Reiffenst. lib. 5. decret. lit. 27. §. 3. num. 53., S. Congr. in Cajetana 14. Junii 1823. §. Deinde. inter impress. per summaria prec. Card. Gamberini.

Ob hanc potissimum diffamationem Mariam a matrimonio cum ejusmodi viro contrahendo potissimum abhorrere compertum est. Superveniens autem odium seu gravis aversio inter sponsos dissolubilia reddit sponsalia, Reiffenst. lib. IV. decret. de spons. §. 8. num. 267, Sanchez lib. 1. dist. 58. n. 3. cum comm.

Nec opportunum videtur exspectare judicis sententiam. Praeterquam enim durum nimis esset Mariae aetate satis maturae, utpote triginta duos jam annos natae, diutius rei eventum praestolari, attamen, ubi etiam absolutoria sententia prodeat, non inde pristinae existimationi et famae cito restitueretur, nec aversio puellae cordi infixa facile deleretur. Ceterum in quovis etiam dubietatis anfractu, ponderandum superest, num potius expediat ab impedimento mulierem solvere seu dispensare, quam vel coactas nuptias, vel grave mulieris ejusque familiae damnum ex vinculo obventurum permittere.

Pro dissolutione sponsalium.

518. Pistorien. — Sponsalium super dispensatione.

Die 7. Junii 1856.

Sententia episcopalis curiae Pistoriensis lata die 18. Julii anni superioris definitum fuit, constare de legitimis sponsalibus inter Josephum Civinnini, et Mariam Annam Biagini, viroque qui contra egerat triginta dies praestituti sunt, ut matrimonium cum praedicta femina contraheret. Sententiae acquiescere visus est vir, qui appellationis beneficio valedicens satius duxit supplex

apud S. hunc Ordinem instare, ut a sponsalium vinculo exsolveretur sublata de medio inhibitione a Biaginia apposita, et sibi nuptias cum altera puella, quas ardentissime cupit, conciliare liceret.

Episcopus rogatus informationem ac votum, refert „pluries Oratorem monitum fuisse de obligatione exsequendi promissionem Annae Biagini factam et agendi juxta sententiam contra ipsum latam; verum nullo modo adduci ad id potuit et ob animi aversionem contra illam feminam, quae ex lite aucta etiam est, et ob maximum amorem, quo ad alteram sponsam rapitur, quacum (ut etiam illius mater affirmat) ita versatus est, ut majoribus vinculis erga eam teneatur.“ Hinc censet „censurarum ecclesiasticarum irrogationem frustraneam fore ob pertinacem hominis voluntatem se cum illa muliere nunquam conjungendi. At etiam si perveniretur ad propositum, ad quod sola Biagini aspirat, infelicissimi praevidentur talis matrimonii exitus et quamvis ipsa a me admonita nullum timorem fingat, sed ad omnia etiam gravissima ferenda paratam se exhibeat, si tamen ad desideratam unionem perveniat, mihi videtur in hoc conflictu malorum, prout praesens casus offert, melius consilium illud esse declinandi mala gravissima ex matrimonio coacto oritura, quam procuratio conjugii censurarum inflictione in sponsum renitentem atque id eo magis, quia mulier, cui inefficacia sponsalium nunc nocet, consolationem aliquam inveniet in certitudine effugienda illa mala matrimonii coacti et in mulcta quam altera pars persolvere debet.“ Concludit hinc Oratoris preces benigne, sua sententia, excipi posse.

Justa concurrente causa sponsalia impune dissolvi posse, post textum expressum in cap. Ex literis 10. de sponsal.: „nisi rationabilis causa obstiterit“ concorditer tradunt doctores, apud Cosci de sponsal. filior. famil. vot. 5. n. 79. Neminem autem latet prudenti permitti judicis arbitrio videre ac decernere, an causae rationabiles sint ac legitimae ob quas a sponsalibus recedi possit, ceu monet S. Rota decis. 19. num. 7. part. 10. recent. ac ideo res pendet a singulorum casuum peculiaribus circumstantiis, uti perpendit idem Cosci loc. cit.

Plura porro concurrere videntur in themate quae petitam solutionem suadent; ac primo firmum Oratoris propositum verbis ac factis declaratum, ac in viro maturae quadraginta annorum aetatis plane in pretio habendum, numquam scilicet hujusmodi contrahendi nuptias, a quibus tantopere se abhorrere constanter edixit; juxta ea quae docet Rota in decis. 77. num. 10. cor. Kaunitz tom. 1. et decis. 516. num. 20. coram Ansaldo tom. 5. Deinde summa aversatio, qua in mulierem fertur Orator, qui sex ab hinc annis ejus domum frequentare destitit, illamque allocutus amplius non est, quaeque excrevit etiam postquam alteram deperire coepit puellam, et ne cum ista nuptias iniret, prohibitus ex apposito impedimento fuit, unde lis haec contestata ac in longum tempus per tres annos scilicet traducta est; quod quidem rationabilem causam, ne ad coactionem deveniatur, praebet, ceu pluribus cumulatis auctoritatibus in duriori casu docet Cosci vot. 7. num. 103. Denique ad id conferre videtur ipsum mulieris consilium, vexandi potius virum, quam cum eo reapse conciliandi nuptias; quippe quae coram testibus, cujus exstant in actis depositiones, professa est, se cum litem ageret, in animo non habuisse, ut Josepho nuberet.

Ceterum non tam facile ad censuras et coactionem deveniendum esse, etiamsi de sponsalibus indubitanter constet, receptum apud omnes est, quia coactiones difficiles solent exitus habere; eo magis si praevideri possit censuras in specie efficaces non futuras, Sanchez de matr. lib. 1. dist. 29.

n. 47., Covaruv. de sponsal. p. 1. cap. 4. §. 1. num. 5., Reiffenst. lib. 4. decret. lit. 1. de spons. et matr. num. 164. a quibus eapropter, in irritum jam cessis monitionibus, abstinendum videretur.

Ex altera parte obstat petitae solutioni jus certum mulieris, quod nonnisi gravissimis concurrentibus causis posthaberi posset, praesertim ab diuturnam viginti et amplius annorum consuetudinem, licet honestam, quam Orator cum ipsa habuit, quae fallacibus ideo promissionibus circumventa, provecta jam aetate omnem nubendi occasionem amisit, et nonnihil etiam existimatione ob tam diu productam familiaritatem periclitata in vulgus est. Leves autem existimandae causae, quae pro rescissione afferuntur; uti sunt contrarium pertinax propositum, quod quidem renuentes simulare semper possent ut coactionem effugerent et concepta aversatio, nec non lis haec diu acta, quia secus coactionis remedio locus nunquam esset, si haec pro solvendis sponsalibus habenda in pretio forent. Unde receptum est odia hujusmodi ex litis calore in altero ex sponsis excitata nihili facienda, et eis non obstantibus ad coactionem deveniendum esse, Rota dec. 376. num. 6. coram Ludovisio, decis. 421. num 10. coram Cavalerio. Minus denique deferendum editae a muliere declarationi, qua alienam se professa est a nuptiis cum Josepho conciliandis, verba enim haec dum lis ferveret in aestu iracundiae prolata minus recte proferentis intentionem reddere palam est.

Nihilominus ubi Oratoris precibus favendum censeant EE. PP., videant an saltem pecuniaria praestatione eidem imponenda cavendum sit mulieri, ceu proponit Episcopus.

Pro gratia juxta petita deposita tamen prius per instantem dote arbitrio et prudentia Episcopi praefinienda, facto verbo cum Sanctissimo.

519. Dubium dispensationis seu sanationis in radice.

Die 22. Junii 1844.

Maria Angela ex dioecesi N. annos tredecim et menses septem nata, unica tamen proclamatione praehabita ceteris duabus ab archiepiscopali curia remissis, nupsit in civitate archiepiscopali ultra montes die 12. Octobris 1818 nobili viro Simoni baroni loci N. Quatuor ex hoc conjugio geniti fuerunt filii. Vir ex hac vita migravit die 17. Februarii 1828.

Dum vidua uxor in filiorum educationem incumbebat, literas accepit a quodam juvene Eduardo qui tuetur matrem Mariae Angelae illicitam copulam habuisse cum Simone praefato ac proinde contendit se et esse filium Simonis, viri Mariae Angelae simulque esse hujus fratrem ex parte matris.

Certum in facto est ex fide baptismatis constare Eduardum baptizatum fuisse die 18. Octobris 1817, natum eadem die. Certum est patrem Mariae Angelae suum assensum praestitisse nuptiis filiae die 11. Junii 1818. Ex his porro consequitur, quod si reapse locum habuisset asserta copula et nativitatem Mariae Angelae copulam praecessisse et Eduardum esse filium adulterinum renuntiandum.

Ad suam actionem aliquo modo probandam Eduardus fidem protulit sui baptismatis, in qua legitur ipsum esse „juxta notitias habitas ex statu nobili, filium genitorum non cognitorum“; additque suum cognomen illud ipsum esse, quo nuncupabatur Simon, sed per literarum inversarum

anagramma conscriptum, pluresque alias probationes se adducturum pollicitus est. Haec autem omnia eo fine pandidit Mariae Angelae, ut suis juribus praesertim a matre debitis prospiceret idem Eduardus. Post haec ita subdit Maria Angela: „Non credo, Beatissime Pater, defunctum meum maritum tales actus immorales exercuisse quia experientia scio, illum me maximi fecisse et matrem meam valde reverenter tractasse; neque puto, si revera illud commercium illicitum intervenisset, illegitimam habendam esse meam prolem, quae semper pro legitima habita fuit; sed his non obstantibus ut quo meliori fieri potest modo omnes effectus canonicos et civiles confirmem, ne ullo modo sub praetextu aliorum interesse habentium ipsi ruina praeparetur, humillime prostratus ad pedes Sanctitatis vestrae peto, ut expediatur bulla sanationis in radice, si revera exstiterit illud quod asseritur impedimentum.“

De mandato itaque Sanctissimi D. N. Eminentiarum VV. judicio subjicitur, num concedenda sit saltem ad cautelam petita dispensatio retroactiva seu sanatio in radice hujus matrimonii.

Antequam EE. VV. dispensationem super dirimente impedimento et sanationem in radice concedendam esse necne decernant, praestat nonnulla in jure animadvertere.

Et primo quidem observandum videtur, Eduardum, qui matrimonii nullitatem accusat, esse filium adulterinum, ceu ex praemisso facto constat.

Jam vero licet jus caesareum ipsi quodlibet jus neget super parentum bonis, ac etiam super alimentis ac horum fructibus, Auth. Ex complexu, de incestis nupt., et Auth. Licet, de naturalib. liber. Cod., nihilominus jus canonicum ex aequitate filiis adulterinis jus tribuit ad alimenta; cap. Cum haberet, de eo qui duxit in matr. in fine. Ex hoc consequitur, Eduardo ipsi quoad patris haereditatem nullum aliud jus competere quam ad alimenta, secundum quod haereditatis suppetunt facultates. Quinimo quoad matrem eidem Eduardo nullum jus competere quam pro stipendio nutricis primo triennio tradit Glossa ad dict. cap. Cum haberet et DD. ad leg. Nec filium. Cod. de patria potest. et ad cap. Ex literis, de convers. infidelium et ex argum. leg. Alimenta de negotiis gestis.

Quoad filios vero Mariae Angelae observandum videtur, ipsos legitimos declarari pro effectibus civilibus et canonicis in cap. Cum inter, 2. et in cap. 14. Qui sint filii legit., etenim nati sunt ex matrimonio publice et sine contradictione ecclesiae contracto, quod putabatur validum ex ignorantia occulti impedimenti. Nec praetereundum est hodie istud matrimonium impugnari ob interesse et lucrum, quae actio excluditur in cap. 5. Qui matrim. accusare possunt.“

Hisce in facto et in jure perpensis ac prae oculis habitis locorum et personarum circumstantiis EE. VV. sapientiae erit decernere, utrum expediat concessio petitae dispensationis seu sanationis in radice.

Non indigere.

520. Wratislavien. — Benedictionis mulieris post partum.

Die 18. Junii 1859.

Ex relatione status ecclesiae Wratislaviensis ad S. Congr. ab Episcopo transmissa die 8. Martii 1858, sequens habetur postulatum: „Rituale Romanum nihil dicit, an mulieres post partum illegitimum possint accipere bene-

dictionem in ordine sacramenti matrimonii post partum praescriptam. In multis dioecesibus Germaniae valet antiqua consuetudo hanc benedictionem tantum uxoribus impertiri vel viduis post partum postumum. Quaeritur, an haec consuetudo sit rituali conformis, et quatenus negative, an possit tolerari, ut praefata benedictio post partum illegitimum denegetur.“

Quamvis nulla fiat mentio in rituali Romano, nullumque quoad sciam prostet decretum in thesauro resolutionum S. Rituum Congregationis relate ad hanc mulierum benedictionem post partum illegitimum, tamen si attendatur origo, ex qua hujusmodi profluit caeremonia, nec non si reliqua argumenta perpendantur, hujusmodi benedictio mulieribus post partum illegitimum deneganda videretur. Enim vero ritus ille vetus prouti praescribitur Levitici cap. 12. tantummodo legitimas uxores spectabat, quae ex maritali vinculo filios procreassent, sicuti videre est ex integro laudati capitis contextu, ubi non quaecumque mulier sed potius vera uxor denotatur, quae post partum erat lustranda.

Pressius sed vero ad rituale Rom. quod attinet, licet ex eo edoceamur hujusmodi ritum non esse praeceptivum, sed tantum religiosum, tamen deduci posset talem ritum mulieres legitimo matrimonio conjunctas respicere, utpote qui apposite post sacramentum matrimonii tamquam de re affini, non autem ad caput de benedictionibus referatur. Ad rem Catalanus in comment. rit. Rom. ad tit. 7. de sacram matrim. cap. 3. de benedict. mulierum sub n. 17: „Reliquum est (inquit) ut ad calcem hujus commentarii circa puerperas purificandas et istud notemus, benedictionem post partum ei tantum mulieri concedi, quae ex matrimonio pepererit, non autem illi quae ex fornicatione et potissimum ex adulterio aut damnato alias coitu parturiit. Ita plane docent communiter doctores, ac statutum etiam in synodis ac ritualibus legi.“ Et revera ita sentiunt pastorales Mechliniensis, Brugensis et rituale Leodiense; imo modernus auctor de Herdt in suo opere cujus titulus s. liturgiae praxis juxta rit. Rom. Lovanii an. 1852 edito de introductione mulieris in ecclesiam post partum n. 11. haec expresse habet: „Ad hanc benedictionem jus tantum habent mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt; ita ut ad hanc admitti nequeant illae quae notorie ex adulterio aut fornicatione prolem pepererunt, iis enim potius imponenda esset publica poenitentia.“

His accedit auctoritas Baruffaldi ad rit. Rom. comment. de bened. mulier. post. part. tit. 43. sub n. 18., qui contendit hujusmodi ritum congruentius in ecclesia parochiali esse celebrandum hac potissimum ratione, quia haec benedictio videtur quid consequens ad contractum matrimonii. Praesertim vero haec amplectenda videtur sententia cum nulla urgeat necessitas, ut quod in silentio quammaxime occultari deberet, non sine aliquo scandalo patesceret, devotionis siquidem gratia puerperae hujusmodi benedictionem exposcerent. Quae omnia si suadeant consuetudinem, de qua in casu, omnino esse rituali conformem, satis quaestioni esset provisum.

Ceterum perpendendum est verba ritualis Romani generalia esse, nec ullam facere distinctionem inter partum legitimum et illegitimum; quidquid ceteroquin sit de occasione quam sumpsit rituale Rom. loquendi de hac benedictione post matrimonii sacramentum. Imo si ratio hujusmodi ritus probe inspiciatur, scilicet purificandi feminas post partum in ecclesiae ingressu, potiori ratione lustrari viderentur mulieres post partum illegitimum. Si vero ratione scandali benedictio haec nullo modo impertienda censeatur post partum notorie illegitimum, saltem videretur quaedam limitatio admittenda quoad eas

mulieres, quae occulto et praesertim deceptae humanae cesserint fragilitati. Quam distinctionem inter occultam et notoriam fornicationem insinuare videtur Pignatellius tom. 5. consult. 76. n. 14. Ita ibi: „In ultramontanis partibus, speciatim in toto Belgio, moris est ut puerperae, quae ex concubinatu vel fornicatione notoria pepererunt, nonnisi ab archipresbytero seu decanis purificentur, ut istius purificationis occasione informationem accipiant de patre prolis natae, quam ad vicarium Episcopi transmittunt, ut contra fornicatorem castigandum juridice procedatur."

Videant tamen Eminentissimi Patres, utrum sit prudenter admittenda consuetudo, quam recolit auctor iste, maxime si rituali haud videatur esse conformis ex graviorum doctorum sententia. Et quamvis praejactam distinctionem sequi censeantur, inter notoriam scilicet et occultam fornicationem, neoterici quidam Gallici scriptores, hi tamen omnes haud satis clare perspicueque sese exprimunt, si tantum laudatum de Herdt excipimus, qui loc. cit. praxis liturg. Rom. p. 6. n. 15. §. 1. hanc limitationem ad partum notorie adulterinum cohibet, hoc scilicet sensu, ut jus sit uxoribus petendi praefatam benedictionem, quoties occultum sit adulterium, quod sane longe distat a fornicatione quoad prolem editam in figura matrimonii.

Ad benedictionem post partum jus tantummodo habere mulieres quae ex legitimo matrimonio pepererunt.

521. Neapolitana seu Lycien.

Die 6. Maji 1837.

Marchio Carolus mense Aprilis anno 1813 Catharinam in urbe Lyciensi sponsam sibi conjunxit, nulla tamen hactenus suscepta prole. Relativam impotentiam causantes conjuges matrimonialis vinculi dissolutionem a Summo Pontifice petierunt. Per annos enim 24 cuncta remedia ac experimenta, ut impotentiae mederi posset, in irritum cesserunt. Sub die tamen 25. Julii elapsi anni 1836 Sanctissimus mandavit, ut partes utantur juribus suis in curia episcopali Lycien. per viam assertae nullitatis servatis tamen ceteroquin servandis ad formam constitutionis sa. mem. Benedicti XIV. „Dei miseratione."

Huic rescripto iidem conjuges haud acquiescentes iterum exposuerunt, Lyciensem Episcopum habendum non esse tanquam judicem competentem, cum Carolus Neapolitanae, minime Lyciensis urbis civis aestimandus sit, tam ex origine, cum Neapoli, ut ex fide parochi probatur, die 31. Nov. 1790 baptizatus fuerit, quam ex domicilio; et uxor ex lege domicilium mariti sequi teneatur. Quamobrem postulat, ut causa de matrimonii nullitate penes Eminentissimum Archiepiscopum Neapolitanum decernatur. Postremas supplicationes ablegavi eidem Eminentissimo Archiepiscopo necnon Episcopo Lyciensi, ut votum panderent et referrent, in qua dioecesi quilibet ex Oratoribus natus sit, de tempore, ex quo Neapoli morantur, ac ubi matrimonium fuerit contractum et an unquam ad Lyciensem urbem redierint. — Eminentissimus Archiepiscopus haec refert: „Conjuges in civitate Lyciensi matrimonium contraxerunt die 8. Aprilis 1813, statim vero post celebrationem matrimonii huc venerunt, ubi stabile domicilium constituerunt ita tamen ut pluribus vicibus in provinciam redirent. Quod ad meritum petitionis attinet, ut judicium super matrimonii validitate in hac curia tractetur, cum de eorum domicilio in urbe Neapolitana constet, omnino ex arbitrio Sanctitatis Suae

illorum dispensatio pendet applicata favore conjugum lege: „de incolis“ Revera jam decem annos Neapoli habitant Oratores, et si aliquando abierunt per breve tempus, hoc fecerunt, ut negotia sua in Lyciensi civitate curarent. Deinde consensus litigantium judicem reddit competentem, si quidem is, qui eligitur, habeat jurisdictionem.“ Episcopus vero Lyciensis ita respondit: „Ambo conjuges sunt ex illustrioribus familiis hujus provinciae et Catharina . . . lavacro baptismatis renata est die 27. Aprilis 1796, et Carolus . . . Neapoli ortum habuit, cum tunc temporis genitores ibi morarentur, quique annis abhinc plurimis ex illa civitate reduces nunquam amplius hoc domicilium deseruere et hic mense Aprilis 1813 Catharinam Carolo filio sponsam dedere. Carolus per vices modo hic modo Neapoli degit et Catharina ibi quoque vivit. Quod ad forum attinet, in Domino confido, hanc curiam a Beatissimo Patre ab hac anxietate eximi et auditis senioribus canonicis id exquirendum enixis precibus eorum consilium suasit, qua de re formaliter juri quomodolibet competenti ceditur et renunciatur, ita ut curia archiepiscopalis Neapolitana annuente Summo Pontifice de re cognoscere, peragere et judicare possit.

Pro gratia, ut causa nullitatis conficiatur in curia metropolitana Neapolitana cum facultate subdelegandi quoad testes absentes, facto verbo cum Sanctissimo.

522. Neapolitana. — Veniae ad matrimonium.

Die 1. Februarii 1868.

Vertente anno 1861 acta est coram Sacro Vestro Congressu causa Neapolitana sub titulo matrimonii inter Theresiam P. et Josephum D. L., qui etsi a praedefuncta uxore septem jam filios suscepisset, raptus fuerat in judicium tanquam impedimento impotentiae detentus et ad sequentia dubia: I. An constet de nullitate matrimonii in casu? Et quatenus negative: II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu? Sacra Congregatio die 2. Martii praedicti anni censuit esse rescribendum: ad I. Providebitur in secundo: ad II. autem Affirmative, vetito Josepho D. L. transitu ad alias nuptias nisi consulta prius S. Congregatione. Quae resolutio confirmari meruit in congregatione diei 17. insequentis Aprilis per rescriptum: „In decisis et amplius,“ ac demum approbari in omnibus a Sanctissimo D. N. in aud. diei 6. Maji praedicti anni 1861 et per Breve apostolicum, quod Sanctissimus jussit expediri.

Extraordinaria viduitatis necessitate perculsus Josephus D. L. et prohibitus ne inconsulta S. Congregatione novas sibi conciliaret nuptias, an. 1862 supplici libello exponens Sanctissimo Principi, se ad alias nuptias transire coactum esse, cum in aetate virili constitutus et viduus neminem habeat, qui curam gerat et sui ipsius et duorum filiorum e primo matrimonio superstitum ideoque petit licentiam Brevi apostolico requisitam, ut et moribus et familiae necessitatibus prospicere possit.

Cum has preces ad Sacrum hunc Ordinem Sanctissimus ablegare dignatus fuerit, rogavi Eminentissimum Neapolitanum Antistitem, ut servata forma Benedictinae constitutionis „Dei miseratione“ referret super Oratoris potentia, transmissis physicorum peritiis. Confectae itaque fuere novae processuales tabulae coram archiepiscopali curia super actuali statu Oratoris, acceptisque medicorum relationibus, expletisque opportunis interrogatoriis, Eminentissimus

Praesul acta omnia ad hanc Sacram Congregationem transmisit, quae cum rite confecta esse testatus fuerit, quoad animi sui sententiam his verbis mentem suam aperuit: „nihil est quod super asserta Oratoris potentia peritorum sententiis detrahendum vel adjungendum puto.“

In allegatione, quae typis edita circumfertur habent Eminentiae Vestrae medicorum relationes; haud opus proinde arbitror esse, ut eas in hoc summario ad verbum exscribam. Tres in arte periti decreto curiae ad inspectionem deputati sunt, iique sub juramenti fide judicium de actuali potentia Oratori propitium protulerunt. Primus enim Fridericus Tesorono rogatus a curia, quale judicium sibi formaverit de habitudine corporis dicti D. L. et praecipue partium genitalium, postquam retulerit, ex signis generalibus, ex temperamento cholerico, ex indole vivaci, e statura brevi et forti, e thorace amplo, ex firmitate musculorum . . . e barba dura et forti, denique e tono virili vocis sicut etiam ex inspectione partium genitalium se judicare debere, laudatum D. L. copulam perficere posse cum qualicunque muliere, seu virgine, seu deflorata; ad quaesitum in specie, an dicto D. L. possit permitti matrimonium seu cum virgine seu cum deflorata, repetit, eum esse absolute potentem, quamvis nervorum affectione e causa morali temporanea impotentia accidere possit. Medicus alter J. Fermella ad easdem interrogationes quoad essentialia eadem respondit. Tertius denique ita votum suum concludit: „Deducta debilitate quadam nervorum temporanea, quae cuicumque accidere potest, istum D. L. omnibus bene inspectis et consideratis bene functiones maritales exercere posse censeo.“

Haec ex deductionibus et judicio peritorum: pauca nunc ex allegatione, quam Josephi Orator distribuit.

Malum exitum profecto habuerunt nuptiae a Josepho celebratae cum Theresia P., id tamen evenisse Orator contendit ex culpa mulieris, quae cum alterum virum deperiret, invita Josepho nupsit, ut parentum voluntati obediret. Hinc jurgia et dissidia, quae brevi duorum mensium contubernio adeo insuperabilem animorum alienationem et odium excitarunt, ut Josephus praetulerit, non admodum obsistere dissolutioni matrimonii, quam mulier petiit. Sed pro aris et focis anno 1861 coram Sacro Ordine contendit, ne exinde impotentiae vitium deduceretur, rogavitque, ut ad dubium super dispensatione responderetur quidem affirmative, attamen concessa viro venia ad alia vota transeundi. Non ita reapse in omnibus judicatum fuit; explicans tamen Orator rescriptum editum anno 1861, observat responso Sacri Ordinis haud absolute praeclusam fuisse Josepho veniam alias in posterum sibi conciliandi nuptias, sed eam tantummodo implicitae conditioni fuisse alligatam.

Siquidem Impotentiae opinio non certa sed tantum dubia fuit, secus Sacer Ordo prohibuisset omnino transitum ad alia vota, prout in Salernitana Matrimonii diei 9. Augusti 1862 et 21. Martii 1863. Atqui si dubia fuit de impotentia opinio, vel ipsa Sacra Congregatio agnovit fieri posse, ut novis probationibus res in posterum melius favore Josephi declarari valeret. Cui declarationi nihil obstare subdit concessam dispensationem super simpliciter rato matrimonio, cum ad eam satis sit, ut actus expletae copulae defecerit et causae pro dispensatione non desint.

Admonet deinde inspectionem ad judicandum de viri potentia peragendam esse in ejusdem viri corpore: quo posito, adnotat judicium medicorum in causa anni 1861, quoad virilem potentiam fuisse vel incertum, vel eidem Josepho propitium; affert deinde deductiones peritorum, qui post septem annos eumdem Josephum inspexerunt, et tuetur eorumdem judicium legitimum undequaque esse, et veram constituere viri potentiae probationem.

Plurimum praeterea ad rem conferre factum illud deprehendit, quod Josephus ex primo matrimonio cum Maria P. P. septem filios procreaverit. Ne igitur in magnum conscientiae discrimen ob perpetuam continentiam Josephus adducatur, ipsius preces excipiendas esse defensor concludit, ceu factum esse memorat ab H. S. O. cum Joanne Santoro, anno 1864, etsi par rescriptum adjectum fuisset in ejus causa Neapolitana. Nullitatis seu dispensationis matrimonii die 14. Junii 1862. Quod si praefato Joanni Santoro in rescripto pro novi matrimonii venia apposita fuerit clausula, ut matrimonium cum vidua tantum inire valeret (Neapolitana relaxationis status liberi diei 24. Septembris 1864) in casu tamen Josephi D. L. autumat Orator, minime praefatae clausulae locum esse debere, cum duo ex peritis nullam faciant exceptionem, sive cum vidua, sive cum virgine idem Josephus matrimonium inire velit, alter vero, nempe Fridericus Avallone expresse renunciet, eumdem Josephum potentem esse sive cum adhuc virgine, sive cum deflorata.

Quae omnia utrum sufficiant ad contrariam praesumptionem rejiciendam, quae ex causa et resolutione anni 1861 inducta fuit, EE. VV. summa qua pollent sapientia judicabunt, ergo interim animadvertere non omittam, ex disciplina Sacri Ordinis receptum esse, ut in hujusmodi veniae rescriptis apponatur ordinarie praedicta superius clausula Cum vidua tantum, ceu habetur in Bononien. Matrimonii 23. April. 1842 et in cit. Neapolitana 24. Sept. 1864. Ideo autem addidi ordinarie, quia non desunt exempla in quibus Sacra Congregatio etiam postquam memoratae conditioni veniam alligaverit, ex noviter deductis impositam restrictionis clausulam relaxavit, ceu reapse factum fuisse legitur anno 1855 die 12. Novembris, ex aud. Sanctissimi cum quodam Angelo Marcelli per sequens rescriptum: „Scribatur Episcopo pro relaxatione status liberi favore Angeli Marcelli, servatis ceteroquin servandis quoad hujusmodi relaxationes.

Affirmative cum vidua.

523. Treviren. — Dubium matrimonii.

Die 18. Decembris 1852.

Exponit curiae Treviren. officialis, quod ipse operam pro viribus quidem navat, ut juxta tramites Benedictinae constitutionis „Dei miseratione“ in omnibus adamussim procedatur, si quandoque contigerit causas matrimoniales, in quibus apprime res vertatur circa nullitatem ex non servata Tridentini forma scatentem, ad ecclesiasticum tribunal deferri. Verum hinc, ait, potissimum difficultas est, cum aliquando telam judiciariam subeunt nuptiae, quae non solum ab Ecclesiae benedictione, sed a nuda etiam forma essentiali omnimode et notorie alienae sunt, simul tamen grave in mora periculum et scandalum exhibent. Fieri, prosequitur, exempli gratia nequit, quin durius interdum, ne dicam inconsultius appareat, ut si nuptiae solo actu civili contractae, et eodem capite nullae a judice primae instantiae declaratae fuerint, altera conformis sententia sit exspectanda, priusquam partes ad alia vota transire valeant. Unde idem officialis hujus S. Congregationis oraculum supplex efflagitat, utrum nimirum sa. me. Benedicti XIV. constitutio: „Dei miseratione“ de die 3. Novembris 1741 etiam quoad illas nuptias sit servanda, quae per se pro ecclesiasticis matrimoniis nullo pacto haberi nequeunt, ex eo quod neque

in facie Ecclesiae, neque alia in foro Ecclesiae quomodocumque valida forma contracta fuerunt.

Pro cujus resolutione ad ipsius Benedictinae indolem respiciatur apprime opportet. Sane ejusdem legis rationem in eo maxime versari colligitur, ut ordine judicii ad unguem praescripto, matrimonii sacramentalis valori perpetuaeque firmitati consulatur juxta divina Ecclesiae catholicae principia. At vero haec eadem principia vix periclitari prima fronte viderentur per casus in themate propositos; siquidem mentio ibidem habetur de actu quodam pure civili vel alias ab omni forma rituque Ecclesiae prorsus alieno, quem pro juris formalitate magis quam substantia in judicio disceptari quandoque contingit. Quodsi ratio in lege expressa ejusdem potentiam efformat, ita ut determinet casus sub lege comprehensos, etiam quoad correctionem juris communis, docente Fagnano in cap. Nuper num. 4. de decimis, consequenter matrimoniales, de quibus hic res est, causas a Benedictina constitutione exclusas esse facile in promptu foret.

Verum, ut ejus generis ratiocinia e diametro abscindantur, vel unica haec sufficit nota. Licet nimirum in scholis acri satis stylo decertatum fuerit, an quoad matrimonium inter fideles sejungi valeat contractus quem vocant civilis a charactere sacramentali, ita ut non existente hoc ultimo ille nihilominus adsit matrimoniumque teneat; hodie tamen in praxi acta omnis quaestio apparet, siquidem Tridentini Patres, ut Benedicti XIV. verbis utar, eorum qui praeter formam a se praescriptam matrimonium contrahere attentant, non sacramentum modo, sed contractum psum irritum diserte pronuntiant, constit. ejusdem pontif. „Redditae sunt“ super hoc edita tom. 3. Bullar. Benedict. in supplem. num. 3. Quoad ceteros vero fideles, qui Tridentina lege non obstringuntur, receptissima viget opinio, quod cum ipsi contrahentes sint sacramenti ministri, hoc necessario ab iisdem conficiatur, simulac validum inter se ineunt contractum, prout idem Benedictus XIV. fuso recenset calamo in opere de synodo dioec. lib. 8. cap. 13. n. 4. seqq. Proinde quotiescumque in themate res vertitur circa matrimonium quomodolibet validum vel nulliter celebratum, quaestio etiam cribratur de sacramento, indeque in omnibus aperte currit Benedictinae legis ratio. Quae etiamsi dubitationi adhuc obnoxia essent, tamen cum eadem lex tamquam corrigens locum obtineat legis correctae, Fagnan. in cap. Non debet. num. 2. de consang. et affin., planum redditur, in dubio pro illa, tamquam pro jure communi, interpretationem late faciendam esse, inprimis quoniam alias facile oboriretur periculum, ne spreto forsan temere ordine judicii a Benedicto XIV. sancito, matrimonii sacramento dedecus et animabus pernicies pararetur.

At quidem, si denuo ad Benedictinae tenorem respexeris, in ea sancitur pertinere ad defensoris matrimonii officium, ut in judicium veniat, quoties contigerit „matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo judice disceptari.“ Hic itaque dictiones nullitas vel validitas ex adverso correlativa esse videntur, ita ut nullitatis verbum idem significet ac invaliditas. Proptereaque defensoris officium et consequenter totus, in quo ille necessariam gerit personam, judicialis ordo nec non lex ipsa ad casus super validis nuptiis restricta potius foret.

Sed in themate nuptiae proponuntur, quas quidem de facto constat nullatenus in forma quomodocumque valida initas fuisse, in quibus tamen judicialis declaratio pro juris formalitate requiritur, eaque declaratio non datur relate ad invaliditatem, sed relate ad non existentiam matrimonii.

Hinc judicis tantum erit, ut id quod tam in jure, quam in factis notorium omnino habetur, notorium revera esse declaret judicialiter.

Jam vero hasce, si tamen opus fuerit, difficultates perpaucis dissipare satagam. Inprimis notandum venit, quaestiones super non existentia nuptiarum quoad praxim saltem sejungi nullatenus posse a dubio super non-confectione sacramenti, ita ut quotiescumque judex male pronuntiaverit contra nuptiarum existentiam, quae tamen revera adessent, ipsum periclitaretur sacramentum, divinaque illa Ecclesiae principia afficerentur. Ex quo aperte infertur, currere Benedictinae legis rationem. Hinc licet in ipsius constitutionis corpore ordo, de quo sermo est, judicalis restrictus videretur ad nullitates praedicto sensu acceptas; cum tamen ratio generalis expressa in lege ampliet dispositionem specialem, omniaque, quae ejusdem rationis sunt, includantur sub dispositione tamquam expressa, Fagnan. in cap. A nobis n. 42. et 43. de bigam., in propatulo jacet, casus in themate recensitos comprehendi lege Benedictina, etiamsi quis objicere vellet, rationem illam solummodo in prooemio a Pontifice expositam fuisse, teste eodem Fagnano ad cap. Ex parte num. 2. de privilegiis. Dictio insuper nullum seu nullitas saepe significat, non quod invalidum, sed quod revera non est, Barbosa dict. 229. num. 9., perinde ac si nullo modo fuisset factum, Menoch. cons. 230. n. 13.

Notorietatem facti tandem quod attinet, monendum utique erit cum Glossa in cap. Ad nostram 2. de filiis presbyt. v. requiris, et in cap. Cum olim 24, de verb. sign. plerumque evenire, ut quod alias in factis notorium est, tale non sit judici. Quibus Gonzales in lib. 2. decr. tit. 18. cap. 14. n. 4. haec subjungit: „Unde ante omnia judex curare debet, ut constet de notorio; non quia notorium probari debeat, sed quod necessarium sit probare illud notorie factum fuisse. Quod ut probetur, ait, duo vel tres testes requiruntur et sufficiunt. Actus proinde judiciales in ejusmodi notoriis etiam interveniunt, et hinc valebit quoque legislatoris praescriptum, ut in quolibet actu matrimonii defensor citetur, totusque uno verbo locum habebit ab eodem sancitus juris ordo in primo pariter ac in ceteris gradibus. Verum ita judex minime impeditur, quominus juxta cujusque causae indolem et evidentiam magis summarie ac celerius procedat, cum in hoc etiam s. Ordine mos vigeat, ut quandoque Benedictinae constitutionis observantia in substantialibus tantum sufficiens habeatur. Quo pacto partium gravamina de mora et scandalo haud difficile apparet evitari, et si revera pro ipsis quaedam incommoda nascerentur, melius sane incomparabili mensura videretur, ipsas in temporalibus magis et fictilibus gravari, quam ut sacramento dedecus et animabus pariter ac proli periculum pararetur.

Dilata et ponatur in folio.

Discussa iterum causa die 29. Januarii 1853 responsum est:

In casu prout proponitur, negative.

PARS VII.
VARIA.

524. Civitatis Castellanae. — Remotionis ab officio oeconomi.

Die 26. Februarii 1848.

Bernardinus Baroni qui munere perfungitur vexilliferi, praesentiens suae remotionis casum ab officio administratoris, quod multis abhinc annis exercet in seminario Civitatis Castellanae ex deputatione piae memoriae Antistitis Ercolani nuper e vivis erepti, S. adiit C. ut inhibitionem obtineret contra hujusmodi innovationem, si a vicario capitulari contingeret attentari; affirmabat enim hoc, ubi fieret, non modo vicarii capitularis potestatem excedere, sed insuper et injustum merito fore reputandum ob poenam gravissimam, quae absque culpa infligeretur cum maximo suae aestimationis detrimento et aequitati repugnans, dum ob auctas a se fortunas seminarii ad ingentem summam scutorum circiter 4000 indecoram remotionis notam deberet sustinere; hinc suppliciter expetebat, ut novum Episcopum exspectandum esse decerneretur, se interim paratum edicens ad reddendam suae gestionis rationem.

Hujusmodi preces vicario capitulari remittendas censui pro informatione et voto, auditis deputatis seminarii, cum injunctione nihil interim innovandi. At dum haec praescribebantur, vicarius capitularis cum voto deputatorum seminarii, ac de expresso totius capituli mandato remotionem Oratoris ex causis inferius exponendis decreverat, eumdem eligens in ipsius seminarii thesaurarium de congregationis deputatorum consilio, ut foret illius aestimationi honorique consultum.

Praefato remotionis decreto perculsus Orator preces instauravit pro obtinenda illius suspensione, eadem fere repetens, quae in primis precibus exposuerat; enucleatius tamen in haec verba praejactans peractas favore seminarii utilitates „quod assumpsisset administrationem pene deperditam ab oeconomis antecessoribus (e coetu ecclesiastico assumptis), quod permulta debita exstinxisset atque ex suis facultatibus ad necessaria majori lucro emenda summas praebuisset, vineas plantasset seminariique aedes sumptuosis substructionibus sustentasset et duobus ultimis annis summam scut. 970 et tandem scut. 1100 reposuisset, quae nunc in arca administrationis exstarent, quin desideraretur cella vini plena et nominum haud parvus numerus.“ Neque ex iis solum, sed insuper ex duabus sententiis syndicatoriis honestatem et utilitatem suae administrationis ostendit; quarum prima reddita anno 1833 ab eodem archipresbytero Cicuti, uti syndico deputato, qui hodie illius decernit remotionem; altera anno 1846 novissime interposita a duobus syndicis deputatis, et ab ipso Episcopo vita functo solemniter approbata.

Asserit insuper ideo suam remotionem fuisse executioni commissam, ut memoriae praedefuncti Episcopi injuriosus fieret contemptus, atque aviditas multorum ex pecunia seminarii deposita explereter, ac ipsius decreti arguit nullitatem ac defectum approbationis deputatorum qui praedictae remotioni subscripserunt a provinciae praeside necessario, ut ipse inquit, interponendae.

Requisitam interim informationem transmisit vicarius capitularis, quae ita se habet: „Omnibus de capitulo hujus civitatis ut mihi praecipue erat jam perspectum, nullum pene ordinem, ac innumera inconvenientia multis abhinc annis hoc in ven. seminario existere culpa tantummodo oeconomi Bernardini Baroni qui omnibus seminarii ejusdem congregationis jussis reluctans, et rectoris, quamvis esset vicarius generalis, praeceptis nequaquam parens, omnia arbitrio suo mutuque fiebant. Frustra alumni clamabant, ipsis alimenta minime sufficere, quandoque etiam subtrahi, famulos necessarios deesse, nihil obtinebant; eoque arbitrium ejus devenit, ut etiam horologio duobus abhinc annis usque ad praesens, deputatis, rectore, magistris, alumnisque frustra inclamantibus, seminarium omnino privaretur. Animadvertite, precor, et hoc, Eminentissimi et Reverendissimi Patres, quinam ordo esse potuerit et possit, ubi omnia sine ordinis moderatore procedunt. Hinc factum est, ut vix mortuo Episcopo, quotidie me circum deputati et canonici plerique alumni cursarent, se e seminario excessuros minitantes, ubi eorum necessitatibus nemo occurreret. Hinc commoti canonici vix die 3. Jan. currentis convenere, ut capitularis vicarius ab ipsis eligeretur, eoque renunciato, prima eorum cura fuit, seminarium meis curis commendare, enixe deprecantes, ut oeconomo Baroni amoto, alterum de capitulo in ejus loco sufficerem, uti ex folio n. 1. constat, eoque magis, quod cum sit hodie Gonfalonerius et ipsi cura sit praesertim super oeconomia, incompatibile onus existimetur: esset enim uno eodemque tempore actio et passio. Cunctari mihi consilium fuit, ut viderem, an oeconomus, de quo sermo est, rationem immutaret; nequaquam tamen; nam ut antea res, immo in pejus procedebat. Usus sum auxilio ejus amicorum, et praesertim canonico Cantoni et cancellario capitulari, ut suaderent ipsi abdicare; incassum omnia. Convocati igitur in unum seminarii deputati die 11. currentis, omnibus, de quibus supra, mature perpensis sententiam capituli sequi censuerunt, et unanimiter fuit decretum, ut ex folio n. 2. clarius eruitur, et in ejus locum fuit electus reverendissimus canonicus Ribaldi, ipso oeconomo Baroni seminarii bonorum ac redituum depositario renuntiato. Et haec hujus rei gestae fuit ratio.

„Nec audire est redundantiam pecuniae ad duo millia et nonaginta septem scutata, quae per ipsum seminario parta est. Etenim percurrentes seminarii cubicula et loca, sane ingemiscendi locus fuit nobis, cum omnia quae necessitatem spectant, supra quam cuique credibile est, penitus desint, et pauca quae ibi inveniuntur, tabernae more parata. Animadvertite, quaeso, folium ab ipso rectore olim vicario generali praestitum propria manu scriptum, in quo etiam multa alia desunt. In eo siquidem de multis millibus missarum, quae nunquam adimpletae fuerunt, nulla fit mentio. Quo super negotio jam a rev. fabrica S. Petri de Urbe commissarius hujus dioeceseos mandatum acceperat pro executione, quod nunc ob Episcopi mortem suspensum manet. Ex quibus, ut brevius dicam, omnis pecuniae redundantia minime sufficeret ubi omnibus, quae desunt, esset consulendum. Insuper hanc pecuniae exuberantiam non ab ejus administratione repetendam, sed potius a more inducto de emittendo e seminario alumnos prope finem Julii, non Augusti mense integre exacto, uti statutum est: a magistrorum stipendio imminuto, a famulorum numero ad tres redacto, a ceterisque ejusmodi, quae

si omnia diligenter perpendantur, quin redundantia appareret, videre esset deficientiam.“

His quae fuse a vicario capitulari hactenus deducta sunt, aliae dein accesserunt oblatae a canonico secretario deputato declarationes, quibus Baronii merita circa jactatas utilitates non parum imminuuntur. Narrat siquidem non vineas plures sed unam tantummodo fuisse ab illo plantatam; addit deinde victualia vel numquam fuisse copiose parata, excepto vino sed minutatim, vel si id aliquando praestitit Baronius, haud fore ipsi merito tribuendum, cum vi conditionis assumptae administrationi in correspectivitatem adjectum onus subire teneretur faciendi omnes provisiones necessarias e propriis facultatibus, uti legitur in regestro resolutionum congregationis seminarii sub die 14. Sept. 1837. Novum esse demum observat deputatos seminarii approbatione provinciae praesidis indigere, ut munus demandatum exerceant; ac proinde risu potius quam serio accipiendam esse concludit propinatam ex hoc capite remotionis nullitatem.

Alium post haec libellum dedit Baronius, quo nititur ostendere archipresbyterum Cicuti vicarium capitularem semper fuisse animo infenso contra omnes Episcopos praedecessores, ita ut graves animadversiones factae fuerint in eum a S. C. Episcoporum; ideoque Oratorem divexari, quia postremo defuncto Episcopo addictissimus fuit: obtrudit demum ejusdem electionem in vicarium capitularem pravis conventionibus fuisse peractam, et proinde uti simoniaca labe nullitatis infectam, atque poenis canonicis, ac praesertim censuris ecclesiasticis innodatam; ex quibus illius arguit arbitrium et propriae remotionis indignitatem.

Hasce vero injuriosas incusationes ut refellat vicarius capitularis plura profert documenta ex cancellaria episcopali deprompta, quibus comprobat ab omnibus Episcopis, haud excepto Reverendissimo D. Erculani, maximas semper accepisse honoris, benevolentiae, et fiduciae significationes ob plura ecclesiastica munera eidem prae caeteris commissa, nec solum in dioecesi, sed etiam extra ad vicarii generalis officium tum in abbatia Nullius Ferentilli, tum Terracinae fuisse assumptum; ad probandam autem legitimam ipsius electionem testimonium affert ab omnibus canonicis capitulariter congregatis subscriptum, quo falsitate et impudentia laborare praefatum libellum demonstratur.

Cum vero et alia hinc inde allata sint documenta cum deductionibus, dum haec praelo committerentur, ea cum allegato in relatione vicarii capitularis citato legent Eminentissimi Patres in foliis seorsim impressis, ut cum plena rei cognitione subortam definiant controversiam.

Haec mihi erant in facto praenotanda. Quae autem in jure animadvertenda sunt, ea omnia ad quaestionem reducuntur, utrum ea polleat facultate capitulum, seu ejus vicarius in sedis episcopalis vacatione, qua possit ad hujusmodi remotionem devenire.

Habetur titulus expressus de jure, ordine nonus in lib. 3 decretalium, quo praecipitur ne sede vacante debeat aliquid innovari. Hinc deneganda videretur capitulo potestas, de qua quaeritur: praesertim cum ex ea grave derivet tertio detrimentum, ita ut in causis gravioribus merito possit computari, quae capituli potestatem excedunt. Praeterea eam tantummodo jurisdictionem episcopalem ad capitulum in sedis vacatione transire, quae necessaria est, non autem voluntaria, docent Gonzalez in cap. Illa, tit. Ne sede vacante, num. 5., Fagnan. eod. loc. n. 13. et sequ. ex Glossa in Clem. 1. in verb. Capituli de haeret. ubi capitulum dicitur admini-

strator necessarius et non voluntarius. Ex his proinde sequeretur, ut prohibita fuerit vicario capitulari remotio Bernardini Baroni ab administratione seminarii, quia nulla id necessitas postulabat, cum alia praesto essent eidem remedia ad abusus corrigendos, si qui forte reperirentur.

Ast praeterquam hujuscemodi destinctio et limitatio omnibus non arrideat ss. can. interpretibus, ut advertit Fagnan. loc. cit. n. 14. et adhuc sub quaestione manere hujusmodi difficultatem aperte doceat Rota in dec. 346 n. 5. p. 1. recent., illud est apud omnes probatum ad capitulum sede vacante devolvi jus universum Episcopi, eaque omnia ipsum agere posse, quae sunt ordinariae jurisdictionis, nisi expresse reperiantur prohibita, uti communiter docent Card. de Luca in adnot. ad Conc. Trid. disc. 31. n. 1., Leuren. de vicar. quaest. 456. et seqq., Fagnan. in cap. His de major. et obed. n. 49., Barbosa de canon. et dignit. cap. 42. n. 61., Pignatell. consult. 159. n. 3. tom. 9. et consult. 121. n. 1. tom. 10., Scarfant. in lucubr. canon. tom. 1. lib. 2. tit. 4. in animadv. n. 1. et tom. 2. lib. 4. tit. 7. n. 2., ubi affirmat omnimodam Episcopi jurisdictionem in capitulum sede vacante transire „tam si ea sit contentiosa quam voluntaria, exceptis tantum nonnullis casibus in jure expressis“: habet enim quoad exercitium episcopalis potestatis universale tam circa temporalia, quam spiritualia intentionem fundatam in jure, adeoque ea nequit despoliari, nisi expresse casus prohibeatur in jure, quia cum edictum sit prohibitorium, quodcunque non prohibetur, per consequentiam admittitur, ceu ipsis verbis tradunt Fagnan. in cit. cap. His, de maj. et obed., Barbosa, Pignatelli, et Scarfantonius in locis supra citatis, aliique omnes generatim. Nullibi vero datum est reperire praesentis casus exceptionem, hinc in vicarii capitularis potestate videtur fuisse controversam remotionem decernendi. Neque hujusmodi remotio inter causas graviores accensenda videtur, cum oeconomi officium sit natura sua amovibile; et licet graviorum causarum naturam indueret, earum tamen cognitio vicario capitulari non denegatur, ut monet Barb. de can. et dign. loc. n. 72.

Superest igitur, ut mature perpensis, quae utrinque afferuntur, dijudicent EE. VV. num legitima fuerit causa vicario capitulari hujusmodi remotionis decretum pronunciandi.

Non expedire propositam remotionem et scribatur vicario capitulari.

525. Civitatis Castellanae. — Remotionis ab officio oeconomi.

Die 26. Februarii 1848.

Cum contra eamdem personam Bernardini Baroni eadem quasi, quae superior, excitetur causa, hanc praecedenti connectimus.

A duobus fratribus Honorato et Thoma Stefani in Civitate Castellana erectum fuit orphanotrophium. Anno 1834 piae memoriae Episcopus Erculani locum illum pium aperuit pro solis feminis, quarum orphanarum magistrae vivunt religioso habitu distinctae.

Prout opportuit, ita ab initio praeclarus ille Episcopus administratores orphanotrophii instituit partim ecclesiasticos, partim laicos viros. Haud diu tamen post omnis administratio de facto transiit in solius administratoris oeconomi manus, nomine Bernardini Baroni, qui proinde proprio marte, inconsulto administratorum collegio, sed sub mero Episcopi beneplacito,

qui plene ipsi in omnibus deferebat, contractus emphyteuseos, censuum, aliasque obligationes iniit.

Proxime elapso mense Decembris hanc cum meliori vita commutans laudatus Episcopus ultimo voluntatis elogio orphanarum hunc asylum omnium suorum bonorum haeredem instituit, illiusque voluntatis executorem voluit sibi charum Bernardinum Baroni mensae episcopalis oeconomum.

Archipresbyteri autem Cicuti in vicarium capitularem electi, et capituli simul prima cura fuit bonae hujus pii loci administrationi consulere, atque eum in finem prolapsam administratorum congregationem ex quatuor canonicis et quatuor laicis viris restituit. Hi autem a vicario capitulari expostularunt, ut ab officio administratoris oeconomi, qui munus illud hucusque solus de facto exercuit, removeretur Bernardinus Baroni, in ejusque locum vir ecclesiasticus sufficeretur.

Eumdem Baronium porro in hoc suo munere sustineri haud posse ajunt ob tria quibus gaudet officia in una persona incompatibilia. Est enim oeconomus et administrator orphanotrophii, quod in haereditatis ab Episcopo piae mem. Ercolani sibi relictae possessionem debet immitti: est et oeconomus mensae episcopalis apud se pecuniam relictam retinens, aliaque bona Episcopi sub custodia conservans; est demum et ipse executor ejusdem haereditatis constitutus, cujus proinde est cura, ut quoad omnia voluntas pii testatoris adamussim executioni mandetur. Deinde observant inconveniens omnino esse, quod homo laicus continuum quasi aditum habeat ad personas religiosas orphanotrophii magistras puellasque ibi commorantes. At vicarius capitularis quamvis ab administratorum opinione minime dissentiat, priusquam tamen aliquid statueret, judicavit Eminentiarum VV. oraculum consulere, quid sibi potius in hac re agendum putetis.

Jure suo usus fuisse videtur vicarius capitularis congregationem administratoriam, a defuncto quidem Episcopo juxta ultimam, ut videtur, fratrum Stefani voluntatem institutam, sed sensim prolapsam, in officium restituendo; sicut enim Episcopo ita et vicario capitulari competit urgere executionem testamentorum, et rectae piorum locorum administrationi advigilare, cap. Tua nobis, de testam. Fagnan. in cap. Joannes et cap. Nos quidem eod. tit. Wiestner, Ne sede vacante lib. 3. n. 22. et Barbos. de can. cap. 12. n. 76. et seqq.

Quoad remotionem vero praefati Baroni, etsi ea vicarii capitularis facultatem minime excedere videatur ex dictis in praecedenti controversia, utrum tamen expediat in casu, videant Eminentissimi Patres, cum nulla offeratur causa, quae legitima esse possit, et nihil praesertim adducatur de mala ipsius administratione, vel de improbando ejus ad orphanotrophii magistras aut puellas accessu, unde scandalum sequatur vel admiratio. Nec sufficiens videtur ratio quasi ad hoc officium ecclesiasticus adlegendus esset. Nihil enim obstat quominus Episcopus etiam ecclesiarum et clericorum res pecuniarias et civiles committere possit laico, Glossa in cap. Decernimus 2. de judiciis v. praesumat., Panormit. ibi n. 5., Wiestner, lib. 1. tit. 79. de off. et potest. judic. deleg. n. 31.

Quamvis autem nullam adesse causam existimem pro remotione, necessariam e contra temporaneam provisionem putarem, cum reapse incompatibilia sint tria munera, quibus ipse perfungitur, et alium eidem subrogandum in munere oeconomi orphanotrophii ad solum tamen effectum accipiendi ab illius manibus haereditatem orphanotrophio relictam et plenam urgendi piae voluntatis executionem.

Servetur decretum vicarii capitularis.

526. Aquen. — Juris votandi et praecedentiae.

Die 24. Augusti 1850.

Exposuit nuperrime Aquensium Archiepiscopus, sicut in ceteris Galliae provinciis partim jam sunt celebrata, partim quamprimum celebranda supersunt, in sua quoque metropolitana ecclesia sexto idus impendentis Septembris cogendum esse provinciale concilium. Quia vero singularis casus occurrit, ut in memorata metropoli commoretur episcopus mere titularis, qui episcopatui cessit, quem obtinuit jampridem in aliena provincia, antequam illuc conveniant episcopi suffraganei cum ceteris, qui sedem habent in concilio, tria, quae ad calcem exscribentur, dubia S. huic Ordini dirimenda proposuit.

Ad primum quod attinet dilucide constat ex cap. 2. sess. 24. de ref. S. Concil. Trid. ad concilium provinciale convenire debere omnes episcopos scilicet suffraganeos, et alios, qui de jure vel consuetudine vocari et interesse solent. Jamvero certum est ad concilium admittendos esse abbates et commendatarios tam cum jurisdictione et territorio, quam absque eo, capitula ecclesiarum cathedralium et collegiatarum habentium jurisdictionem quasi episcopalem, vel ipsarum vicarii, ceu unanimiter docent Quaranta summa bullar. V. Concilium provinciale a qu. 2. ad 6., Van Espen de jur. eccl. univ. part. 1. tit. 20. num. 12. et seqq. tom. 1. De aliorum autem admissione res pendet a consuetudine, ceu notat Van-Espen loc. cit. Hinc sequitur, ut de necessitate ad concilium vocandus vel admittendus non esset episcopus, de quo quaeritur, nec ex jure nec ex consuetudine; non ex jure, quia de necessitate juris vocari debent soli episcopi totius provinciae, aliique jurisdictionem quasi episcopalem habentes, ut monet Quaranta loc. cit. qu. 6., Petra loc. cit. aliique complures: non ex consuetudine, quia casus est singularis et extraordinarius. Non ideo tamen admissio eidem denegatur, si concilio placuerit, ceu de episcopo alterius provinciae apposite testatur Zerola in prax. Episcop. V. Concilium qu. 5. ad quintum dub.: „An possint admitti Episcopi alterius provinciae? Sylvester in verbo Concilium num. 9. §. 6. dicit quod sic, si accedant voluntarii et ibi ut consultores.“

Hisce praenotatis facilis videtur primi dubii resolutio: habere enim vocem decisivam est actus jurisdictionis, ut notat Quaranta loc. cit. in addit. ad qu. 3. et Thomas Campegius de auctorit. ss. concilior. cap. 7. §. 1. et 4., unde sequitur, una cum episcopis provinciae habere votum decisivum abbates et commendatarios tantum qui populum habent et jurisdictionem quasi episcopalem, quod extremum esse constat omnino necessarium ad ferendum suffragium deliberativum; et hoc proinde denegatur tam ceteris abbatibus sine jurisdictione, quam capitulis cathedralium, seu illarum deputatis, qui votum habent tantummodo consultivum, veluti communiter sentiunt Thomassini de nov. et vet. ecclesiae discipl. part. 2. lib. 3. cap. 58. num. 9., Petra loc. cit. a num. 35. ad 43., Van-Espen loc. cit., Fagnan. de his quae fiunt a major. part. in cap. Et si membra, Gavant. in manual. episc. V. Concilium provinciale num. 53. et seqq., Leo in thesauro for. eccl. part. 1. cap. 9. num. 7. et 8. Gallemart. et Barb. in Conc. Trid. cap. 2. sess. 24.

De episcopis titularibus haec habet Campegius loc. cit. §. 5: „Similiter episcopi, qui ecclesiis praesunt in terris infidelium, et qui renunciarunt episcopatui vocem habent decisivam, quoniam dare vocem in concilio non est

specialis jurisdictionis hujus vel illius ecclesiae, sed competit universali ecclesiae et episcopis eam repraesentantibus de cujus corpore sunt hi episcopi, cum dignitatem retineant episcopalem, omniaque retineant personae cohaerentia, sintque episcopi universalis ecclesiae, licet administratione careant, retinentes ordinem et honorem, quin etiam jurisdictionem habitu. Similiter repraesentant populum habitu, licet non actu, quos etiam credimus non carere populo christiano infidelibus permixto.“ Haec tamen quadrant profecto quoad concilia generalia et oecumenica, de quibus indubie agit Campegius, non autem quoad concilia particularia, seu provincialia, in quibus ut episcopus voce polleat decisiva, necesse est, ut actuali fruatur jurisdictione in provincia, cujus negotia et causae tantum subjectorum in concilio expenduntur, et proinde qui non habet jurisdictionem in ea, caret auctoritate in judicando et statuendo. Quod clarius patet ex verbis eruditissimi Catalani ceremon. episcop. cap. 31. §. 2. num. 6.: „Soli itaque episcopi comprovinciales cum metropolitano vocem decisivam obtinent, unaque cum ipso judicant et apertissime patet de jure quoad vicarium metropolitani, qui sit episcopus et concilio intersit una cum metropolitano, illi enim suffragium denegatur, teste Card. Petra loc. cit. n. 64. et ex superius relata doctrina Zerola, ubi loquitur de episcopo alterius provinciae, qui admitti potest uti consultor, seu cum voto consultivo, nisi tamen ad votum decisivum admitteretur ex consensu concilii, in quo requiritur consensus omnium coepiscoporum, ut tradit Petra loc. cit. n. 68 et 69. et Quaranta loc. cit. in addit. ad qu. 28.“

Posita autem admissione enunciati episcopi titularis ad concilium Aquense. videndum sequitur, num episcopos suffraganeos praecedere debeat, si antiquior illis fuerit in promotione ad episcopatum, quod secundo loco quaeritur. Patula est dispositio cap. 31. lib. 1. ceremonialis episcoporum, qua statuitur, ut episcopi praecedant juxta ordinem eorum promotionis, nullo habito respectu ad dignitatem vel praeeminentiam ecclesiarum, ubi observat Catalanus in §. 15.: spectant haec quidem tum oecumenicas, tum provinciales synodos. — In hoc omnes concordant doctores et ss. canonum interpretes, et praesertim Thomassini loc. cit. et cap. 44. n. 12., Petra loc. cit n. 60., Quaranta loc. cit. qu. 22., Zerola loc. cit. qu. 4., Gavant. loc. cit. num. 49. et seqq., Leo loc. cit. n. 4. et seqq. Navarr. de major. et obed. cons. 3. 5. et 8., Gallemart et Barb. loc. cit. Ad quem tamen effectum attendendum esse tempus electionis, non autem consecrationis observat Campegius loc. cit. cap. 15. §. 9. uno excepto metropolitano, qui uti praeses concilii primum semper obtinet locum. Atque haec convenire videntur tam episcopis cum jurisdictione, quam episcopis titularibus, nulla enim fit eos inter exceptio, et e contra episcopus, qui renunciavit episcopatui, ordinis praerogativas, honorem et jura reverentialia certissime retinet, cum nihil exinde amittat praeter administrationem et ordinis executionem, uti per se patet.

Nihilominus verius videtur, ut episcopo mere titulari ad concilium admisso praecedant episcopi suffraganei, seu comprovinciales cum jurisdictione, quia sunt assessores et conjudices cum metropolitano, ceu perpendit ut supra de vicario metropolitani, qui sit episcopus, praesente metropolitano, Petra loc. c. t. n. 64. Clarius autem controversiam resolvit Card. De Luca in disc. 16. de praeem. n. 7.: „Quod vero ad alterum casum, concursus scilicet hujusmodi praelatorum (quaestio enim erat inter Archiepiscopum Sebasten. merc titularem vicarium seu coadjutorum Archiepiscopi Pragen. qui titulo etiam suffraganei absque jurisdictione decorabatur, et Episcopum

Lithomericen. suffraganeum cum jurisdictione), „in ipsa civitate metropolitica ejusque dioecesi, vel provincia, distinguebam inter functiones publicas et jurisdictionales ratione episcopatus et praelaturae actualis, puta in synodo provinciali, in consecratione episcopi comprovincialis, in dieta regni, in coronatione Regis vel Reginae, cum similibus; et inter actus omnino indifferentes ac privatos. In prima specie absque dubio pro Episcopo respondendum esse dicebam, quoniam cum isti sint actus, qui geruntur in titulum sub nomine praelaturae, dictus archiepiscopus titularis, utpote non existens de illo ordine, seu genere, nullum jus habet in eis interveniendi, quia extra suum officium, unde reputatur vir mere privatus ac etiam urget eadem ratio casus praecedentis, ut scilicet habens jurisdictionem in proprio territorio seu loco praecedat non habentem; altera etiam ratione ponderata, quod metropolitanus cum suis suffraganeis unum et idem constituit provinciae corpus, cujus ipse est caput, alii sunt membra, ideoque non potest diversa persona intermediare etc.“. Atque huic sententiae consentaneam fuisse congregationis ss. Rituum resolutionem testatur idem auctor sub finem ejusdem disc. num. 12. Hic autem notandum occurrit duriorem fuisse casum ab auctore discussum, cum ibi in titulari concurrerent dignitas archiepiscopalis et titulus suffraganei, licet absque jurisdictione, in specie autem proposita sit simplex episcopus absque jurisdictione, nulloque alio honorifico titulo decoratus.

Quia vero citata SS. Rituum Congregationis resolutio haud omnino consona videtur, operae pretium judicavi hic genuinam exscribere una cum aliis duabus, quae nonnihil quaestionem attingunt, ex authentico illius Congregationis registro depromptis: Pragen. Archiepiscopus Sebasten. in partibus infidelium suffraganeus Eminentissimi Domini Card. De Harrach Archiepiscopi Pragen. declarari postulavit, an ipsi uti Archiepiscopo supra Episcopum Lithomericen. praesentem in civitate et dioecesi Pragensi praecedentia competeret. Die 29. Januarii 1636 S. R. C. respondit: „Ad Archiepiscopum uti Archiepiscopum majoritate gradus supra Episcopum praecedentiam spectare.“ Pragen. Archiepiscopus Sebasten. suffraganeus Pragen. exposuit ei a dignitatibus metropolitanae in aliquibus praecedentiam controverti. Die 1. Decembris 1657 S. R. C. respondit: „Archiepiscopo titulari aeque ac Archiepiscopo de residentia praelationem et obsequia deberi: siquidem, etsi diversae sint sedium sortes, tamen praesulum jura semper eadem permanent, cum utique detur catholicae religionis hostibus vim actui, non tamen habitui potestatis et jurisdictionis inferre, qua fraudatur episcopalis dignitas, non minuitur: ac propterea Archiepiscopum Oratorem ceteris dignitatibus archiepiscopali inferioribus ubique et in omnibus praeferendum esse declaravit.“ Ephesina generice resoluta die 8. Aprilis 1636 ita se habet: „Archiepiscopi et Episcopi titulares existentes in aliena dioecesi debent praeferri Archiepiscopis consecratione junioribus, nec non aliis episcopali charactere senioribus, sed gradu archiepiscopali posterioribus; extra tamen ecclesiae ambitum, intra quam Ordinario privative quoad omnes Archiepiscopos et Episcopos etiam seniores praecedentia competit.“

Probe igitur perpendendum est, num praecitatae resolutiones ea valeant destruere rationum momenta, quae protulit doctissimus Card. De Luca, cum prima fronte contrariam praxim praeseferre videantur: seu potius ita illarum sensus accipi debeat, ut actibus mere privatis seu non jurisdictionalibus vim suam exserant, minime vero in jurisdictionalibus, ceu quodammodo elucet ex limitatione apposita in postrema ex tribus allatis resolutionibus. Episcopi enim in concilio provinciali coacti considerari possunt tanquam in propria ecclesia, ut maximum jurisdictionis actum perficiant; ibi namque legislatorum et judicum

partes exercent. Atque in unum congregati suffraganei cum metropolitano unum morale corpus constituunt, ceu optime notat Card. De Luca, adeo ut in eodem actu a proprio praeside nulla possint ratione disjungi. Hujusmodi siquidem intellectus maximam habere videtur congruentiam in casu, praesertim cum in praefatis resolutionibus de archiepiscopis agatur, iisdemque praecedentia tribuatur attenta majoritate gradus ita, ut cum proposita specie plenam haud exibeant identitatem.

Post haec supervacanea procul dubio videtur tertia, quae proponitur quaestio. Siquidem episcopus exemptus, de quo loquitur Tridentinum in superius citato capite, est episcopus cum jurisdictione, qui in concilio provinciali, cujus metropolitanum elegit, agit partes assessoris et conjudicis non aliter ac episcopi suffraganei, et hic proinde sumit praecedentiam inter ceteros juxta ordinem respectivae promotionis ad episcopatum, prout unanimiter tradunt canonistae et signanter Gallemart loc. cit. n. 2. Quaranta loc. cit. quaest. 22. et Zerola loc. cit. qu. 4.: „Exemptus episcopus non sedere debet supra omnes suffraganeos non exemptos, nisi sit in promotione antiquior;“ et ad rem citat resolutionem S. hujus Congregat. Idque contra opinionem glossae in cap. Per tuas 7. de major. et obed. lit. j., ubi dicitur de exempto: „sedeat in meliori loco,“ servandum esse docent Abbas in comment. ad d. cap. n. 1. et Card. Petra loc. cit. n. 61. et 62., ubi declarationem glossae ita doctissime concordat: hoc procedit, quando sint pares in ordinatione, cum non sit habenda ratio dignitatis, et sic fuit declaratum a Gregorio XIII. ut supra relatum a Genuensi in cap. 89. n. 15. et sic observari in Gallia docet Cassan. in catal. glor. mund. part. 4. consid. 44. Imo episcopus, qui fuit prius archiepiscopus, etiam secundum ordinationis tempus locum obtinet, juxta declarationem dicti Gregorii allatam. In actibus videlicet conciliorum provincialium attendendum est tempus ordinationis episcoporum, non autem dignitas et ordo ecclesiarum“ in quo consentit et Quaranta loc. cit. in addit. ad qu. 22. atque haec conclusio, et Pontificis declaratio maximam addit vim iis, quae circa secundam quaestionem superius adnotavi, eaque luculenter illustrat.

Dubia:

1. Utrum Episcopus, de quo quaeritur, votum decisivum ferre in concilio provinciali possit ac valeat.

2. Utrum praecedentia frui debeat quoad ceteros Episcopos suffraganeos, si prius consecrationem episcopalem receperit.

3. Utrum considerari possit tamquam Episcopus exemptus.

Ad 1. Negative, nisi omnes et singuli Episcopi consentiant.
Ad 2. Negative.
Ad 3. Negative.

527. Spoletana. — Indulti.

Die 3. Julii 1852.

Testamento anni 1648 quatuor Cesius Tesei erexit beneficia in ecclesia castri Turris Ursinae, cavitque ut quatuor sacerdotes teneantur ad scholas gratis habendas, per annum quisque, et ad exponendam doctrinam christianam diebus festis, et ad celebrationem quotidianam. Is cui eo anno incumbit

schola et expositio catechismi, quotidie ante auroram celebret; omnes vero quatuor diebus ferialibus missam applicent pro anima mea et parentum meorum et diebus festis vesperas in ecclesia simul recitent . . . Denique omnes sint parati ad confessiones excipiendas, si ita placuerit Illustrissimo Episcopo."

Sacerdos Paulus Paolangeli unum ex dictis beneficiis jamdiu possidens, quum nonnullis ab hinc annis chronico nervorum morbo lectulo detineatur, ita ut impos evaserit oneri publicae instructionis satisfaciendo, supplex adstat ut ab eodem eximatur. Archiepiscopus auditus refert communitatem, ad quam jus nominandi pertinet, precibus haud refragari, dummodo publicae instructioni consultum maneat per ceteros beneficiatos; qui ceteroquin respuunt hujusmodi conditionem. Monet praeterea idem Archiepiscopus fundatoris mentem neminem ex beneficiatis fideliter exsequi partim ob defectum scientiae, partim ob provectam aetatem; ideoque nec confessiones fidelium, uti deberet, audiri, nec sacrificium ad populi commoditatem celebrari, nec puerorum instructionem fieri. Exposita demum necessitate illius oppidi, ut de idoneo sacerdote provideatur, maxime quod parochus a duobus hinc mensibus in deplorabilem caecitatem inciderit, rogat S. C. ut quid respondendum censuerit Oratori, infelici tamen statui illius oppidi aliquo modo consulatur.

Reditus singulis beneficiorum rectoribus obtingentes assurgunt ad annua argentea sexaginta sex, quorum, expunctis oneribus, libera remanent octodecim plus minusve.

Compertissima est impensa Ecclesiae pietas erga clericos aegrotantes. Eos quidem ab eo munere exemptos durante infirmitate declarat, quod usque dum valuerunt diligenter explevisse constat. Videndum tamen num regula haec, quae dubio procul militat pro clericis chorali servitio adstrictis, suffragetur etiam Oratori, qui non a chorali servitio, sed a munere scholae obeundo dispensari postulat absque ulla fructuum beneficialium jactura; nam quoad publica gerentes officia illud potius obtinere videtur, ut in casu impedimenti insit ipsis onus per alium ea absolvendi. Sic quoad parochos, aliosque id genus officiorum gerentes servatum conspicere est.

Ast in themate animadvertendum occurrit quod idem munus quatuor sacerdotibus commissum est annuatim per orbem absolvendum. Hinc ex praesumpta testatoris voluntate ambigendum esset, num altero eorum impedito, munus devolvatur ei qui ratione turni proxime sequitur. Hanc enim regulam servari compertum est inter eos qui officium aliquod per turnum explere tenentur. Sic inter chorales quoad officium hebdomadarii et missam conventualem, turnus abbreviatur, quando quis legitime impeditus ea absolvere nequit, quin tamen iste aliquid de praebenda vel distributionibus amittat. Multa equidem aequitatis ratio adesset ut idipsum in themate admitteretur, ne secus tunc sustentationis media deficiant, quum magis ipsis opus est.

Difficultatem tamen maximam ingerunt ea quae refert Archiepiscopus de ceterorum obligatorum impotentia ac ineptitudine, nedum ad scholae munus, sed etiam ad cetera onera juxta fundationis legem explenda, ita ut grave etiam spirituale damnum populo illi obveniat. Qua super re generice monendum, Episcopos ex Trident. sess. 22. cap. 8. de reform., urgeri ad piarum dispositionum executionem fideliter obtinendam, et proinde jus ipsis esse visitandi loca quaecumque, et etiam scholas; nec non magistros examinandi, eosque ac respuendi prout casuum experientia suaserit, ceu etiam evincitur ex cap. I. sess. 5. de ref. ejusdem concilii.

In specie autem, ne saltem pueri necessariis fraudentur erudimentis, illud suggerendum esset Archiepiscopo, ut compellat obligatos quatenus per alium scholae muneri satisfaciant, collata tamen ab ipsis quota ex beneficii fructibus, quae congruam magistro mercedem exhibeat. Non enim aequum est, ut ab ipsis impune integri reditus deglutiantur, absque eo quod respondentia onera sustineant. – Ceterum si aptius remedium applicandum occurrerint, indigitabunt Eminentiae Vestrae.

Pro gratia exemptionis juxta petita favore sacerdotis Paolangeli, satisfacto munere per alios tres, et in casu eorum inhabilitationis per alium sacerdotem ab Archiepiscopo eligendum expensis eorum trium.

528. Spoletana. — Remotionis.

Die 28. Aprilis 1860.

Sacerdos Alexander canonicus Patrizi cum per plures annos in sodalitio della Morte sive della Misericordia nuncupato Spoleti exstante capellani correctoris, ut vocant, munus obiverit, de injusta sui ab hujusmodi officio remotione a confratribus pii sodalitii nuper decreta graviter conqueritur, proindeque reintegrari supplex expostulat.

Archiepiscopus, cui remissae fuere preces pro informatione et voto, utque per secreta suffragia sodales audiret, convocata eorum congregatione, retulit: ex triginta octo sodalibus qui interfuere, triginta sex, duobus tantum contrariis, confirmasse praecedentem resolutionem, qua Patritii remotio decreta fuit. Ad rem demum, a sua tamen promenda sententia abstinens, sequentia tantum animadvertit: „Quod in ecclesiasticis beneficiis, licet ex eorum institutione amovibilibus, seu manualibus, rectores sine justa ac rationabili causa nequeant amoveri, hodie explanati juris est. Quemadmodum ex canonistarum opinione indubitatum videtur, capellaniis amovibilibus, quae ecclesiastica beneficia non sunt, posse fieri revocationem sine causa, malitia cessante et odio in amovente. At in praesenti specie notandum, correctoris officium in piis sodalitiis non induere naturam ecclesiastici beneficii. Non enim confertur in vim praesentationis, neque is, qui ad ejusmodi officium a confratribus deputatur, canonice instituitur, caretque investitura: uno verbo nulla prorsus reperitur ex iis qualitatibus quas ss. canones requirunt ad constitutivum ecclesiastici beneficii et capellaniae proprie dictae. Corrector deputatur a confratribus, qui stipendium labori respondens et quidem modo majus, modo minus, ei rependunt in ea quam credunt quantitate". Num vero jure an injuria Patritius a munere correctoris remotus fuerit, sapientiae EE. VV. decernendum relinquit, postquam rationes hinc inde deductas noverint atque expenderint.

Principio itaque confratres pro certo tradunt munus capellani correctoris esse ad nutum amovibile, ceu Archiepiscopus testatur, atque probant tum ex statutis quibus sodalitium regitur, quae eadem sunt cum illis quae vigent in sodalitio Mortis de Urbe, cui illud Spoletanum canonice aggregatum est. Ibi enim cap. 51. legitur: „Electio et remotio capellanorum spectabit ad congregationem secretam, cum omnes amovibiles ad arbitrium esse debeant"; tum confirmant ex actis sodalitii ex quibus constat, ab anno 1837 usque ad annum 1849 quatuor capellanos sibi ad invicem in hujusmodi munere successisse; tum demum ex eo evincunt, quod capellani a confraternitate deputantur, quin tamen canonica iis detur institutio, ut adeo ad ipsius sodalitii deputantis nutum removeri quandocumque absque injuria possint ab officio quod

precario gerunt, ceu accidit de aliis sodalitio inservientibus, quos vocant salariati. Imo de capellano Patritio adnotant, hunc anno 1815 ad hujusmodi officium fuisse assumptum, expulsum vero causa dissensionum, quas inter sodales excitaverat volvente anno 1836, ac solum anno 1849 provisorie tamen ac precario fuisse revocatum. Ex quo arguunt Patritium etiam sine causa amoveri potuisse, praesertim cum non probetur in confratribus odium vel malitia, nec praeterea exinde dedecus eidem irrogatum censeatur, qui in vim officii sui quandocumque et ad libitum removeri poterat juxta ea quae communiter tradunt DD. ac perpendit in sua relatione Archiepiscopus. Ad summum vero censent, in casu quo de removendo officiali vel capellano ad nutum amovibili agitur, non graviorem requiri, sed levissimam sufficere causam, uti nimirum quaelibet mali animi livoris ac simultatis, a quibus ss. canones tantopere abhorrent, arceatur suspicio.

Atqui plures easque graves adfuisse causas subdunt, quibus moti sodales remotionem decreverunt. Causae hae in quodam folio a pluribus subscripto testibus continentur, quod exhibitum apud acta fuit a sodalibus. Ibi itaque edicitur, Patritium male meritum fuisse de sodalitio: „1. quia recusavit comitari sodales cotta et stola indutus, cum pergerent ad sepeliendos pauperes defunctos, uti antea factum fuerat et nunc cum summa civitatis aedificatione fit; 2. quia in sacris sodalitii functionibus continuo errores committebat; 3. quia non pacem et concordiam in confraternitate fovit, sed malis artibus optimum sodalitii camerarium removere studuit, ex quo tales ortae sunt discordiae, ut multi sodales ab operibus pietatis abstinerent qui remoto canonico Patritio redierunt; imo valde auctus est numerus, et omnia unanimiter geruntur.“

Addunt alia testimonia ex quibus ejusdem Patritii negligentiam ac desidiam in auxilio praestando pro sacris functionibus in sodalitii ecclesia fieri solitis comprobant; nec non demum ex relatione duorum sacerdotum, qui ad inspiciendos libros missarum sodalitio inhaerentium deputati fuere, demonstrant, ab an. 1831 ad annum 1855, quo Patritius capellani munere functus est, in hujusmodi libris omnia incomposita esse ac perturbata ita, ut colligi nequeat, num revera ipse omnibus fideliter oneribus satisfecerit. Quae quidem omnia sat esse existimant nedum ut capellanus amovibilis ad nutum, verum etiam ut qui stabili ratione et canonice in hoc munere institutus sit, jure meritoque removeri queat.

Contra haec canonicus Patrizi contendit haud in facto consistere, quod nominatio ac deputatio capellani correctoris fieri soleat provisorie et precario, ac non potius stabili ratione, ita ut liceat sodalitio ipsi ad suum libitum capellanum removere, vel illius postquam rite electus sit confirmationem in munere secretis supponere sodalium suffragiis, ceu aliorum capellanorum, et parochi collegiatae S. Petri, ad quam Patritius pertinet, testimonio evincere studet. Quo praeterea innixus reliqua satagit refellere asserta a sodalibus, seu potius ab iis qui sodalitii nomine causam contra ipsum agunt. Negat siquidem se fuisse ab officio expulsum anno 1830, cum sponte eidem renunciaverit; quin potius ex quo revocatus iterum fuerit, evidentissimum id esse monet suae in gerendo hoc munere diligentiae ac honestatis argumentum. Calumniosa vero esse quae asseruntur ex adverso de mala ejus agendi ratione, cum potius amplissima commendatione dignum parochus eum existimaverit. Hinc malo animo actualis prioris et camerarii sodalitii suam remotionem attribuit, quibus cuncta ad libitum et contra sodalitii statuta agere volentibus ipse acriter obstitit, quibusque opibus valentibus et gratia facile fuit ceteros circumvenire sodales, ut in duabus habitis congregationibus ejus expulsionem

decernerent. Cujus tamen deliberationis nullitatem vel ex eo demum impugnat, quod non ibidem receptum sit, ceu laudatus parochus testatur „ut si sacerdos officium negligat, trina monitio procedat, et gravamina, si certa sint, superiori exponantur“, quod tamen omissum penitus est in remotione sua, ad quam incunctanter ac inopinato deventum est. Denique ubi relata testimonia satis non sint, rogat PP. EE. ut Ordinarium percontari iterum velint, qui super assertorum hinc inde veritate fideliter inquirat ac referat. In dubio autem pro se absque dubium judicium ferri oportere contendit.

Itaque ubi officium capellani correctoris natura sua sit amovibile ad nutum, quamvis ex constanti praxi stabiliter conferri soleat, nihilominus nullam ac injustam arguit censendam esse suam ab hujusmodi officio remotionem, utpote quae decreta fuerit nulla justa impellente causa, sed ex odio et malitia nonnullorum qui in sodalitio primos gradus obtinent. Nam facultas removendi ad nutum, quamvis eximat a solemnitatibus quas pro remotione ab officiis perpetuis ss. canones exigunt, non id tamen secumfert, ut procedi valeat sine causa, et ex mero voluntatis arbitrio; quod quidem esset contra naturalem aequitatem, quae non patitur officium sine causa auferri, cum ab hac privatione dedecus et ignominia quaedam sejungi non soleat, juxta ea quae communiter tradunt DD., inter quos ad rem Valenzuel. cons. 130 n. 22. et seq.: „Officialis etiam ad libitum creatus sine causa legitima mutari non potest. Nam quaelibet verba etiam ad arbitrium et voluntatem posita, arbitrio boni viri sunt regulanda, ... Quia quaevis ampla et absoluta potestas intelligitur, dummodo ne quid turpe, ne quid illicitum, ne quid jure prohibitum fiat.“ Alias enim rationabili deficiente causa, remotio odio, malitiae, et calumniae, seu injustae indignationi tribuenda erit, adeoque nulla ac irrita declaranda, ceu monent Lara de capellan. lib 2. cap. 6. n. 11., Ceccoper. tom. 2. lib. 3. tit. 3. in animadvers. n. 11. et tom. 3. in addit. 19. n. 11., Corrad. in praxi benef. lib. 1. cap. 6. num. 176. et Card. de Luca de benef. disc. 97. n. 11. et 12.

Lectum.

I. Index locorum.

(Numeri indicant paginas.)

Adjacen. 120, 139.
Aesina 50, 175, 273, 634, 700.
Agrigentina 416.
Alatrina 205, 422.
Albanen. 673.
Albaregalen. 145.
Alben. 695, 796.
Albien. 157.
Alexandrina 421.
Amalphitana 155, 550.
Amerina 461, 688, 718.
Ampurien. 123.
Anconitana 275.
Andrien. 129, 725.
Anglonen 110, 141, 346, 779.
Aprutina 126, 488.
Apuana 71. 717, 863.
Aquen. 459 898.
Aquilana 821.
Aquinaten. 494, 613.
Aquipendien. 132, 243, 466, 820.
Aretina 317, 388, 841.
Argentina 876.
Ariminen 149, 163, 196.
Asculana 192, 193, 230, 323, 354, 364, 759.
Assisien 203.
Astoricen. 777, 798.
Aturen. 93.
Auximana 381, 493, 701.

Balneoregien. 554, 618.
Barbastren. 34.
Barchinonen. 641, 729.
Baren 113
Beneventana 772, 775.
Bergomen. 27, 82, 611.
Bisinianen. 881.
Bituntina 872.
Bobbien. 155, 178, 305, 800, 879.
Bononien. 209, 455, 833.
Bosanen 418.
Bovinen. 436.
Brictinorien. 261.
Brixien. 296. 362, 789
Brixinen. 37, 43, 294.
Burdigalen. 61.
Burgen. 55.
Burgi S. Donnini 470.
Burgi S. Sepulchri 497, 668.

Cadicen. 119.
Cadurcen. 31.
Caesenaten. 374.
Cajetana. 135.
Calaguritana 1.
Calaritana 735.
Callien 114, 269.
Camerinen. 21, 276, 319, 536, 866
Caputaquen 96.
Carcassonen. 22.
Carpen. 473, 507, 714.
Castri Maris 732.
Catanien. 521.
Cathacen. 76, 97, 690.
Caurien. 722.
Centumcellarum 732.
Cephaluden. 64, 117.
Cervien. 2.
Cingulana 256, 874.
Civitatis Castellanae 309, 368, 741, 893, 896.
Civitatis Castelli 135, 236, 605, 810.
Civitatis Plebis 822.
Clodien. 578, 595.
Clusina 875.
Collen. 569.
Colonien. 19, 314, 595,
Comaclen. 79, 101, 189, 310, 599.
Comen. 517.
Compostellana 341, 779.
Compsana 12.
Conversana 127, 131.
Cremen. 225.
Cuneen 821.

De Linares 30.
Derthonen. 44, 199, 466.
Dublinen. 794.

Eugubina 843.

Fabrianen. 55, 537.
Fanen. 231, 370, 526, 845, 868.
Faventina 106, 152, 175, 183, 240, 289, 628.
Ferentilli (Nullius) 881.
Ferentina 672, 809.
Ferrarien. 337, 359
Firmana 211, 250, 254, 268, 281, 283, 392, 396, 410, 432, 593, 602, 649, 650, 670, 715.
Florentina 3, 17, 639.
Forolivien. 414, 671.
Forosempronien. 267.
Fossanen. 227.
Fulginaten. 609, 660, 667.

Goana 707, 708.
Goritien. 538.
Granen. 127.

Herbipolen. 592.
Hieracen. 271.
Hispaniarum Regni 124.
Hortana 137.
Hydruntina 17, 579.

Januen 7, 77, 291, 349, 637.
Ilcien. 212.
Imolen 169, 331, 377, 451, 523, 636, 755.
Interamnen. 139.
Ipporegien. 297.
Isclana 814.
Isernien. 573.

Lamecen. 121
Laquedonien. 862.
Lauretana 49, 557.
Lemovicen. 786.
Limburgen. 333, 597, 837.
Liparen 795.
Litomericen. 41
Lucana 235, 655, 686, 786.
Lucen. 118.
Lycien. 401, 571, 887.

Maceraten. 60, 588, 744.
Mandelen. 398.
Marsorum 147.
Massanen. 380, 678.
Massen. 52.
Mathelicen. 86, 149, 623.
Mazzarien. 14, 216, 697.
Mechlinien. 783.
Mediolanen. 39, 62, 277, 303.
Melevitana 67, 245, 259, 503, 529, 531, 576.
Meten. 827.
Mileten. 483.
Mimaten. 141.
Mindonien. 786.
Moguntina 565
Monacen. — Frisingen. 376.
Monasterien. 855, 858.
Montis Alti 115, 409, 474, 477, 754
Montis Falisci 164, 253, 464, 491, 534, 631, 652, 666, 705, 711.
Montis Politiani 508, 658
Mutilana 756.

Nanneten 94
Narnien 645.
Neapolitana 4, 7, 10, 551, 887, 888
Neocastren. 97.
Nepesina 78, 191, 197, 221, 815.
Neten. 761.
Nicoteren. 79, 607.
Nolana 148, 438.
Novarien. 459.
Nucerina 553, 729, 764, 769.

Olomucen. 583.
Oppiden. 134, 757.
Oritana 501.
Ortonen. 36.

Pacten. 774
Pampilonen. 29, 35, 68, 100, 860.
Panormitana 26, 154.
Parisien. 70, 803.
Parmen. 468.
Patavina. 73, 318, 443, 806.
Pergulana 425.
Perusina 243.
Pientina 875.
Pinhelen. 75.
Pinnen. 85, 126, 574.
Pipernen. 540.
Pisana 89.
Pisauren. 171, 288, 343.
Piscien 499.
Pistorien. 63, 693, 882.
Placentina 173, 458, 767.
Platien. 127.
Policastren. 73, 790.
Populoniae 380.
Pontis Curvi 181.
Portuen. et S. Rufinae 826.
Portugallen. 121.
Praenestina 351, 469, 846.
Praten. 510.

Quastallen. 403.
Quiten. 180.

Ragusina 626.
Reatina 90, 247, 262, 321, 539, 685, 813, 848.
Recanaten. 864.
Regien. 676.
Remen. 143, 762.
Ripana 737.
Romana 179, 187, 217, 242, 256, 299, 404, 449, 541, 656, 691, 698, 739.
Rossanen. 95, 562.
Rothomagen 585.
Rupellen 799.

Sabarien. 57.
Sabinen. 347, 735.
Salernitana 53.
Samogitien 31.
Santandrien 683.
S. Agathae Gothorum 89.
SS. Conceptionis de Chile 615.
S. Martini (Nullius) 699.
S. Miniatis 248, 454, 771.
Sarnen. 7, 102.
Savonen. 840, 867.
Sebenicen. 720
Seguntina 141.
Senen. 879.
Senogallien. 279, 402, 581.
Setina 598.
Signina 162, 285, 429, 622, 704.
Soanen. 81, 132
Sorana 130, 169, 300, 335, 339, 357, 367, 563, 590.
Spiren. 560, 801
Spoletana 233, 302, 365, 369, 439, 472, 498, 742, 776, 901, 903.
Squillacen. 352. 568.
Sublacen. (Nullius) 234.

Suessana 116
Surrentina 151.
Sutrina 644
Syracusana 99, 128.

Tarentina 390
Tarnovien. 104.
Taurinen 87, 113, 292.
Teatina 8.
Terracinen 540, 598, 745, 747.
Theanen. 132, 167.
Tiburtina 161, 194, 306, 488, 515
Tranen. 129.
Treviren. 25, 91, 877, 890.
Tricaricen 329.
Tridentina 59.
Triventina 125, 708.
Tropien. 109.
Tudertina 133.
Tursien. 110, 141, 346, 779.
Tuscanen. 312, 407, 546, 681, 818.

Urbanien. 750.
Urbevetana 412, 479, 512
Urbinaten. 384, 450.
Utinen 46.

Veliterna 680.
Venetiarum 8, 15, 23, 545
Venusina 356, 426.
Vercellen. 18.
Veronen. 463.
Verulana 208, 447, 519, 620, 831, 851.
Vintimillien. 533
Viterbien. 201, 264, 442, 461, 484, 825.
Volaterrana 736, 792.
Vratislavien. 885.

II. Index rerum.

Abbates quando in concilio provinciali interveniant 898.
Absentia a beneficio studiorum causa 667 sqq. — ob infirmitatem 676 sqq.; vide Infirmi; ob inimicitias 832; — Absentium jura et onera 667—676; absentia a choro 595; per indultum 697; vide Vacatio Jubilatio.
Absolutio a piis oneribus; exempla 193, 216, 267—272; a missis non persolutis 294, 300, 312, 329 sqq. 582 et saepius.
Ademptio legatorum 175.
Administratio legatorum piorum, quomodo ejus securitati provideatur 182.
Administratores seminarii, quomodo eligantur 388.
Adulterini filii quoad irregularitatem 99; quoad haereditatem 885.
Aetas 14 annorum ad beneficia obtinenda requiritur 426, 475, 485; aliquando tamen dispensatur; exempla 448 sqq., 473, 480, 482, 490, 534; ad capellanias laicales non requiritur 451. Aetas ad ordines recipiendos, quomodo probetur 96.
Alienatio rerum ecclesiasticarum quando concedatur 186, 188, 192, 193, 194, 206, 375.
Alimenta patronis pauperibus praestanda 250, 252 sqq., 490, 510. Alimentorum legatum in seminario 391.
Amovibilitas ad nutum 742, 841; quaenam causa ad amotionem requiratur 742, 853; regulae et jura amovibilium 831; amovibilis vicarius an curam actualem solus habeat 840; conversio parochiae inamovibilis in amovibilem 826, vid Capellania, Remotio.
Animi defectus irregularem facit 100 sqq.
Anticipatio matutini concessa 553 sqq. 594; — vesperarum 550, 551.
Applicatio missae quando imposita censeatur in fundatione 291—295, 299.
Approbatio Episcopi ad curam animarum 840.
Arbores excisae quando beneficiato cedant 491; — dejectae vel mortuae 496.
Archidiaconi jura in ordinationibus et examinibus 708; de onere adipiscendi magisterium ei imposito 715.
Arctatus ad ordines 2.
Assistentia laici in missa an sacerdoti caeco permittenda sit 23.
Assignatio sortis pro securitate legati pii 179. 191.

B

Benedicti XIV. merita de Congregatione Concilii VIII, XV.; ejus constitutio de causis matrimonialibus restringitur sive explicatur 890.
Benedictio post partum iis tantum mulieribus danda, qui ex legitimo matrimonio pepererunt 885.
Beneficium utrum ecclesiasticum sit an laicale 434, 436, 451, 464; an sacerdotale 457; beneficiorum pluralitas vel incompatibilitas 518; — vacatio 515 sqq.

Beneficiati jura in reditus beneficii 493 sqq.
Bigamia; dispensatur a b. vera 124; a b. similitudinaria 125.
Brachiorum defectus quoad exercitium ordinum 26—34; eorum inflexibilitas 35-39.

C.

Caducitas legati 171, 372; beneficii 515, 520, 539 sqq.
Caecus vel caecutiens irregularis 17—24; — a servitio chorali eximitur 694.
Caeremoniarum magister 733.
Canonis emphytentici reductio 216.
Canonici honorarii, quid juris habeant 613; nominandi cum concensu capituli 538.
Canonici ut diaconi et subdiaconi quando ministrare debeant 431.
Capellaniae inamovibilis in amovibilem concessa mutatio 891; in c. amovibilibus remittitur juris rigor 258. vid. Vicarius.
Capituli et ejus vicarii potestas sede vacante 895; capituli cathedralis deputati votum consultivum habent in concilio provinciali 898; capituli libri 742.
Carbonaria secta 131, 132, 136.
Celebratio missae personalis 296—299; — certo loco 299, 307, 318, vel die 302, 305.
Censurae transgressio irregularem facit 126—135.
Census impositio 771; an recte constitutus sit 217; an in censibus constitui possit patrimonium sacrum 12; reductio 213
Cessionis exempla 194.
Civium nomine quis comprehendatur 281, 403, 455, 538.
Claudicans irregularis dispensatus 79.
Clerici aegrotantis beneficia 902; — conjugati 149, 521; negotiatores 151, 155.
Coadjutor canonici quae jura habeat 505, 663.
Collatio canonicatuum 531, 538.
Collegiatae ecclesiae praebendae 532, 535; quoad onus magisterii 713.
Comitiali morbo affecti irregulares 90 sqq.
Commutatio horarum canonicarum in alias preces 156; ultimae voluntatis an et quando fieri possit 170, 228, 231, 238, 288; — beneficii in legatum perpetuum 197 vide Conversio.
Concilium provinciale; quinam in eo intervenire possint et debeant 898; de praecedentia in eo 899.
Concubinarii 103.
Concursus parochialis; dispensatur ab eo 772; fraudes in eo 772; ejus iteratio 774; de conciuncula in eo exaranda 775; appellatio a concursu 774.
Conditiones appositae in ultima voluntate 161, 171-174, 204, 209, 410, 492; — non nubendi 137; — nubendi aut monachandi 303, 408, 409; aliae 505; — severiores canonicatibus postea non imponantur 531.
Condonatio debiti 267, 271, — fructuum perceptorum 497; — missarum 199.
Confirmationis sacramentum collatum sub conditione 875.
Confraternitatum jura 814.
Congregatio Concilii quid sit IX.; ejus origo V., officium IX., — relate ad alias congregationes X.; personae XI., modus agendi XI., responsa et resolutiones XIII. seqq, earum auctoritas XX.; collectiones resolutionum XIV.
Congregatio super residentia Episcoporum VIII.; super relatione status dioecesium VIII.
Congrua sustentatio parochi 353, 355, 614, 849; quomodo computanda 804; augetur 818 seqq. Congrua vicarii curati 843.
Conservatio fundationum quomodo fiat 179, 180.
Consuetudinis vis 559, 594, 607, 643, 744; — contra Concilium Tridentinum 632, 776, 856; — circa distributiones quotidianas 681, 687, 690, 691; — circa missas pro populo 784; — circa fructus beneficii vacantis 497.
Contractus de missis celebrandis quando solvi possit aut mutari 336.
Conversio legati missarum in beneficium 221 seqq. 225; — canonicatus in beneficium simplex 227; — beneficii in canonicatum 230; legatorum in restaurationem ecclesiae 231; — in cantorum subsidium 234; — beneficii in alumnatum seminarii 234; — ad usus charitatis christianae pro ss. missionibus 234; pro orphanotrophio 236; ad subsidia pauperibus propinquis danda 240, 242, 244, 245, 248, 258, 260, 267.
Cruris defectus irregularem facit 76—81, 86.
Cultus incrementum est causa commutationis ultimarum voluntatum 431, vide Reductio missarum.
Curae animarum habitualis et actualis differentia et jura 840.

D.

Decimae 825.
Degradatio 104.
Demonstrative aut taxative dictum quid sit 9, 179, 342, 400.
Devolutio nominationis seu collationis beneficii 471.
Diaconus ss. Eucharistiam ministrans an irregularis sit 101.
Digitorum defectus irregularitatem parit in ordinandis 46, 55, 60 sqq. 64, 73—76; in ordinatis 57—60, 62, 63.
Dignitates insignium collegiatarum magisterio ornatae esse debent 713.
Diminutionis onerum in fundationibus exempla 203 seqq.; — redituum fundationis 212, 499, vide Reductio.
Dismembratio beneficii 436, 818, — parochiarum 749.
Distributiones quotidianae; earum constitutio 616, 618, 620; varia genera distributionum 690, 696, 725, 727; ad tertiam partem fructuum cohibentur 616, 625; singulis horis assignentur 596; earum taxatio 622; an inter fructus praebendae computandae sint 636; — absentes non percipiunt 576, neque in vacationibus trium mensium 627, 704; lucrantur eas canonici curati absentes 622, 696 et infirmi 678, aliique 702, atque etiam conceduntur ex gratia absentibus 641, vide Fallentiae; Punctaturae, Infirmi, Indultum, Theologus etc.
Domicilium quoad ordines, vide Episcopus ordinationis; quoad forum competens 887.
Donatio quomodo interpretanda 167; tacite an expresse fieri debeat 190, 191; an revocari possit 168, 270.
Dotalia subsidia quibusnam competant 401: pauperibus 401; civibus certi loci 402, 403; honestis 413, 415. Testatoris descendentibus magis favendum quam extraneis 407. Caducitas in subsidiorum jure 412—416; causae gratiosae 405—416; cumulatio 406.
Dubium in Congregatione Concilii quid sit XIII.
Duellum quando irregularem faciat 143.

E.

Ebrius clericus 132.
Ecclesiarum conservatio et reaedificatio 867—871; — destructio et profanatio 872—875.
Electio quomodo fieri debeat 485.
Eleemosyna missarum, an ex ea aliquid retineri possit 314.
Emolumenta parochialia varii generis 804; — funerum 804- 812; — vicarii capitularis et generalis 707.
Emphyteusis 192, 201, 216.
Epileptici irregulares 90—94.
Episcopus quoad ordines: — originis 2, 127; — competens ex privilegio 3, 141; — domicilii 126, 127, 129, 139; beneficii 140.
Episcopus titularis quando in concilio provinciali votum habeat 898; exemptus in concilio provinciali 901.
Erectio canonicatus 523—531; beneficiorum aliorum 425 sqq.
Error in testamento quomodo corrigatur 523.
Examen ordinandorum et parochorum, quae partes in eo sint archidiaconi 708 an ad examen parochi revocari possint 779.
Examinatores synodales; electio eorum in synodo dubia 776; — an emolumentum percipere valeant 777.
Excardinatio clerici ex dioecesi, contra voluntatem Episcopi 4 — ad ordines suscipiendos 4, 7, non absoluto decennio 7.
Executio litterarum apostolicarum 529.
Exoneratio ab obligatione 267 sqq.
Expensae litis in Congregatione non reficiuntur 747; — aedificationis a praebenda beneficiario rependuntur 747.

F.

Facultas suscipiendi ordines a s. Sede data 1.
Falcidia quarta an detrahi debeat in legatis piis 171.
Fallentiae quando et quibusnam debeantur 621; — cui applicandae sint 625; — solvendae in vacatione trium mensium conciliari 626, 627; — quomodo inter duos canonicorum coetus ejusdem capituli dividendae 628; inter praesentes tantum distribuendae sunt 633, non obstantae contraria consuetudine 634, neque a canonicis condonari possunt 639, 728, exceptis quibusdam casibus 704.
Vide Distributiones.

Filii legitimi 885, adulterini 99, 462, 885.
Forum competens quoad causas matrimoniales 887; fori privilegium 149.
Fundi assignatio in sortem et securitatem fundationis 179, 180; — demonstrativa aut taxativa 179, 342, 400.
Fundationum suppressio vel cessatio 377.
Funeris associatio 810—814.

G.

Genu impeditus irregularis 76, 77, 79, 85.
Gibbus ab irregularitate dispensatus 87, 89.
Gratia concessa an aliorum juribus praejudicare possit 483, 485.

H.

Homicidium quoad irregularitatem; — involuntarium 116, 117; — culpabile 118—123, 143; — in bello 124, 136, 143; — suspicio 118, 109, 135.
Horae canonicae in alias preces commutantur 156.
Hypothecaria inscriptio 181, 191, deletio vel restrictio 210, 211.

I.

Jejunium ante communionem et poena in transgressores 836.
Illegitimi, vide Filii, Natalium defectus.
Impotentia matrimonii impedimentum 888.
Incompatibilia officia 597—602.
Indemnitas pro decimarum amissione concessa 821.
Indultum absentiae ratione studiorum 667 sqq. ob munus confessarii 697, 699, pro ss. missionibus 698, ad missas celebrandas 700, pro familiaribus Papae 705, ob reditus tenues 706.
Infamia quoad ordines 6, 102, 113; — ob publica crimina vel eorum suspicionem 136, 145; ob viles artes 138.
Infirmorum indulta 676 seqq. qualis infirmitas seu probatio infirmitatis requiratur 678, 684, 693; an emolumenta extraordinaria lucrentur 688.
Inhabilitas ad canonicatum 459, 533.
Inscriptio hypothecaria 161, 191.
Insignes ecclesiae collegiatae 713.
Institutio an danda sit ei, qui post praesentationem inhabilis factus est 459.
Interpretatio Concilii Tridentini Papae reservata IV.
Interpretatio voluntatis testatoris 9, 169, 303, 308, 474 seqq., 483, 523, 821, et saepe in parte quae agit de missarum fundationibus.
Interusurium 421 seqq.
Inventarii expensae 191.
Irregularitas; vide totam partem I. et singulas causas irregularitatum, — ob iterationem missae illegitimam 844 seqq.
Jubilationis indultum a S. Sede tantum conceditur 643, post servitium 40 annorum 643, continuum 644, 648; non computatur tempus studiorum 647, 654, sed infirmitatis 651. Et quamvis sit privilegium odiosum 655, 693, conceditur tamen etiam obstante capitulo 649, 652. Jubilatus aliorum fallentiis et adventitiis emolumentis participat 655, 658—667; exceptis quibusdam 657; et ad residentiam non obligatur 622, potest tamen ex necessaria causa ad servitium chori revocari 650.
Jus quaesitum per gratiae concessionem non laedendum 458.
Juspatronatus; — ejus donatio 256; quando ex augmento dotis acquiratur 468, 851, quomodo in beneficio parochiali per unionem beneficii simplicis acquiratur 466; — passivum 480, 489; familiare 481, hereditarium 534, mixtum 255.

L.

Laesae majestatis crimen 104, 146.
Laicalis capellania 451; quomodo in ea administranda se ingerere possit Episcopus 465.
Laicis ecclesiarum res pecuniariae etc. committi possunt 897.
Legatum ad pias causas sine solemnitate valet 162, 163, 178; quarta Falcidia non detrahitur 171; — caducitas 171; — ademptio et revocatio 175, administratio 182; taxative seu demonstrative relictum 172, 212, 329; perpetuum aut personale 306; legatorum piorum unio 363.
Legitimatio per subsequens matrimonium quoad ordines 97; per matrimonium putativum 885.

Lenitatis defectus irregularem facit 131, 141, 145, dispensatio ad cautelam 114, 115, 143; an parochus judicibus criminalibus libros parochiales absque defectu lenitatis exhibere possit 116.
Libri baptismales 96, 99, 116; — capituli 742.
Literae dimissoriales 140, falsae 128, 141; dispensatur ab eis proferendis 1. Literae testimoniales requisitae 4, 8.

M.

Magister caeremoniarum Episcopi 743.
Magisterii onus quibusdam dignitatibus impositum 713—715.
Manus defectus irregularem facit 39—45; vel si rigida sit 49—55 aut contracta 67—73.
Manipulus quid significet 20.
Massa communis canonicorum, ejus constitutio et distributio 613—619.
Matrimonium ob lucri spem impugnari non debet 885; matrimoniales causae circa validitatem non semper juxta constitutionem Benedicti XIV. tractandae sunt 890.
Matutinum qua hora recitandum 556; ejus anticipatio 553.
Missa extra ecclesiam et in oratoriis privatis non celebretur 854, 861; celebrandi licentiam Episcopus sacerdotibus exteris ex informata conscientia denegare potest 879.
Missae iteratio 834, quando concedatur 876; in festis suppressis concessa vel denegata 877; excluditur duplex stipendium missae, non vero aliud salarium 877; illicita iteratio qua poena plectatur 834.
Missarum fundatio an adsit 273—277; a quo persolvenda sit 277—290, 307; et quomodo 288—289; — praescriptio vel cessatio 376—379, vide Reductio.
Missae conventualis obligatio 580, an ad beneficiatos seu vicarios extendatur 589, 592; canenda, non legenda 595, quotidie pro benefactoribus in genere applicanda 597; ejus reductio 578 seqq.; translatio in aliam diem 586, 587.
Missa pro populo omnibus diebus festis applicanda. etiam in festis suppressis 783 seqq.; consuetudo contraria an valeat 784; an ex consuetudine stipendium pro ea accipi possit 790; an sit onus personale parochorum 785, 791; in ecclesiis succursalibus 786; coadjutores parochorum in filialibus ecclesiis et capellani nosocomiorum etc. non tenentur ad eam 794, 795, 796, 798; an in ecclesiis collegiatis cum habituali celebranda sit 790, 792; — duplex celebranda in beneficiis aeque principaliter unitis 788; dispensatio ab applicatione in binatione data 799, denegata 800 seqq., etsi paupertas adsit vel sacerdotum penuria. In missa parochiali facienda est explicatio evangelii 793.
Montes pietatis 421 seqq.; an aliquid usurae loco exigere possint 421, 423; monsfrumentarius 422.
Mulieribus subveniunt leges 209.

N.

Natalium defectus quoad ordines 97, 99, 143.
Negotia saecularia a clericis vitanda 151—155.
Nepotes an filiorum nomine comprehendantur 261.
Nominatio an cadere possit in literarum ignarum 469.
Notorium, quid in notoriis probandum 892.
Nullitatis verbum quomodo intelligatur 891.
Numerus missarum ex fundatione celebrandus 305 sqq.

O.

Oblationes piae ad quem spectent 418, 804; quomodo erogandae 417.
Obreptionis vel subreptionis exempla 262 seqq., 364.
Oeconomi et administratoris seminarii officium amovibile 896.
Oculus quoad irregularitatem: defectus vel debilitas 17—25.
Odeum (fenestra) in ecclesiam prospiciens prohibitum est et difficile conceditur 864 seqq.; item janua privata 866.
Officium divinum 545 seqq.; ejus commutatio in alias preces 156.
Oleum sacrum ante Pascha a parochis petendum excepto necessitatis casu 879.
Onera missarum an reducenda in patrimonio sacerdotis 14, 15.
Optio in praebendis canonicorum 608, 610, et poenitentiarii 736.
Oraculum vivae vocis 510.
Oratorium; quid circa ejus concessionem possit Episcopus 855; oratorii indulta personalia plerumque sunt ideoque cum personis indultariis exspirant 857; — oratoria in nosocomiis sub decreto Concilii Tridentini non comprehenduntur 858;

publica et privata quibus signis dignoscantur 858—862; dormitorium super oratorium non sit 862, 863.
Ordinatio regularium 8, 97, 99.
Ordinum collatio si recusetur, quaenam sit praxis S. Sedis 6.
Origo quoad ordines 2. vide Episcopus.
Ortus vide Civis.

P.

Parochiarum erectio 749 et seqq.; dismembratio 749, 754, 756, 758, 759, 767; — unio 751, 761; translatio 759, 762, 766. Duo parochiae in una ecclesia materiali 762, contra regulam generalem 749.
Parochorum congrua vide Congrua; eorum reditus et emolumenta 803, 818 826; eorum jura quoad confraternitates 814 818.
Partes hereditariae et viriles 523.
Patrimonium sacrum an adsit 140, quomodo differat a beneficio 11; cui competat 8, a quo tempore percipiatur 10; an in censibus constitui possit 12; an cum missarum oneribus computandum sit 14, 15, 227, an missae reducendae ob ejus tenuitatem 15; alienatur ob paupertatem 247.
Patronatus jus; fundationis interpretatio 448 seqq., de successione in jus activum p. 463; de jure passivo 481 et saepius; patroni officia pro conservatione et reaedificatione ecclesiae 867 871; patrono quando alimenta ex beneficio debeantur 250, 252 seqq.
Pauperes quinam sint 401.
Pedis defectus irregularem facit 81, 82.
Pensio a Papa imponenda 402; imposita ad finiendam litem inter praesentatos 482, et in renuntiatione parochiae 833; an dies ejus venerit 503; an imponenda sit 507, an perpetua sit 508; quando cesset 510, 512; conjugatis clericis prohibita 521.
Penuria sacerdotum causa dispensationis ab irregularitate 81, 82, 85.
Perduellio 146.
Permutatio rerum ecclesiasticarum 196 et saepius.
Pollicis defectus quoad irregularitatem 46, 55—58, 62—67.
Poenitentiarius quoad onera capituli et missas 739; quando absens distributiones lucretur 738; ejus praebendae optio 736, et vacatio 737.
Possessio triennalis quando possessori beneficii suffragetur 472.
Praecedentiae jura, inter Episcopos 899 seqq.; canonicorum 602, juxta gradum hierarchiae, non praebendae possessionem 605—613.
Praescriptio 378, an contra legem fundationis valeat 478, 499; vide Consuetudo.
Praesentatio ad beneficium quomodo fiat 457, 461; facta an revocari possit 461.
Privatio canonicatus ob non receptos ordines 539 seqq.
Privilegium 300, 366.
Processiones confraternitatum intra fines parochiae 814.
Procuratio in visitatione Episcopi 501.
Prodigus parochus an beneficio privari possit et quomodo cum eo agendum 807 sq.
Punctaturae 625, 627, 639, vide Distributiones, Fallentiae.
Pusillus statura dispensatur ab irregularitate 87, 89.

Q.

Quarta Falcidia an detrahenda in legatis piis 171.

R.

Reductio legatorum 169; onerum 212 seqq.; — capellaniarum, vide Unio.
Reductio missarum 294, 331; ob onus nimis grave 294—335, etiam interveniente contractu 336 seqq. 356; ob augmentum taxae eleemosynae 342, 343, 346; ob defectum sacerdotum 345, 359; ob infirmitatem vel paupertatem sacerdotis 348; ad obtinendam congruam sustentationem parochi et canonicorum 349 seqq.; rejecta 351; ad restaurationem ecclesiae 232, 329, 357, 361; ob bonum parochiae 359, vel cultus 428.
Episcopi missas reducere non possunt 367; difficilius conceditur missarum quam aliorum onerum reductio 354, et missae cantatae ante lectas reducuntur 354, 356; difficilis est post oneris acceptationem 356. Exemplum reductionis etiam non diminutis reditibus fundationis 350; perpetua 338; an valida sit 364 seqq.
Reductio officii choralis quando concedatur 552; exempla 557—568; — per indulta alternativae vel tertiariae 568—578, 594; — pro temporibus quadragesimae et adventus et festis concedi non solet 563, 564, 567, 569, 572, 617.
Regulares, eorum ordinatio 5; — facilius dispensantur ab irregularitate 86.

Remotio ab officio ad nutum amovibili 742, 827, 851, 903; vide Amovibilitas; ab officio oeconomi seminarii 893.
Renuntiatio parochiae 769, 831.
Reparatio ecclesiæ et suppellectilium quomodo fieri debeat 232, 867—871; procurata ex legatis missarum 232.
Residentia clerici in dioecesi sua 147, 148.
Residentiæ lex quando beneficio imposita sit 499.
« canonicorum 568, 697; dispensatio ob onera incompatibilia 597—602.
« parochi intra fines parochiæ 780; in dom. parochiali 846.
Resignatio beneficii 515, 719.
Revocatio legatorum 175, 178.

S.

Saltus in ordinationibus 141.
Sanatio matrimonii in radice petita 884.
Scholarum inspectio Episcopis incumbit 902.
Scientiæ defectus 100 seqq.; 156.
Seminarium, aetas alumnorum 390; alimentorum legata in eo 390 seqq.; taxa et administratio seminarii 380—389.
Sepultura 803 seqq.
Sodomiae crimen quando irregularem faciat 111.
Sortis assignatio pro securitate legati 179, 191.
Sponsalium dissolutio; exempla 881 seqq., an censuris sponsi cogendi sint ut matrimonium contrahant 883.
Statura pusilli irregulares dispensantur 87, 88.
Statuta quomodo condere possit capitulum 608; eorum confectio praescribitur 633, 728; quis ea interpretari possit 640; statuta circa distributiones quotidianas 679, 686.
Stipendium missae quantum esse debeat 419.
Studiorum indulta a Congregatione Concilii petenda 668.
Subreptio vel obreptio 262 seqq.; 364.
Subsidium, vide Commutatio voluntatis Conversio, Alimenta.
Substitutio in legato 322.
Successio filii in beneficio patris 474.
Suspensio erectionis beneficii 715, seu collationis 253, 258. Suspensationis poena 156, in concubinarios 103; vide Censurae transgressio.
Summaria precum VIII, XII.

T.

Taxa seminarii, an ad eam contribuere debeat pensionarius 380, aut monialium conventus 383, aut communitas 385 seqq. Taxa eleemosynae missarum 419.
Testamentum reciprocum an mutari possit 165.
Theologalis praebenda. Ejus erectio facta cum quibusdam conditionibus et sine concursu 707, ex praebenda juri patronatus subjecta 718; erectio suspenditur 715. Modum lectionum praescribit Episcopus 731, 734; de numero lectionum 721, 733; de materia earum 721, 724, 733; de loco lectionis 723 et de translatione in seminarium 724; de consuetudine non legendi 721; de lectione per substitutum 718, 735. Distributiones quando theologus absens lucretur 724, 725, 729, 731, de extraordinariis 725, 727, 731. Tempore feriarum scholarium a choro non eximitur theologus 732, et vacatio ad tres menses cohibetur 734; tenuitas praebendae non excusat a lectionibus habendis 734; commutatio temporis lectionum 735.
Vide Poenitentiarius.
Transactionis exempla 199, 201, 474.
Translatio beneficii 229, 436; — oratorii 321; — missarum 317—329, 369; servitii choralis 545—550.

U.

Ultima voluntas pie servanda 170, 260; derogationis exempla 203 seqq.
Unio beneficiorum 439—448; legatorum piorum 363.
Usurae in montibus pietatis 421, 422.
Usurpatio ordinis 130.
Utensilia missarum a quo praestanda 312—339, 817, 833.

V.

Vacatio beneficii per dimissionem habitus clericalis 516, per matrimonium 520, et professionem religiosam 521, seu militiam assumptam 471, 517.

Vacantis beneficii reditus 497.
Vacatio trium mensium ab officio chorali canoni... quando concedatur 568, 574, 617; quot canonici simul abesse possint 570, ... quibus temporibus abesse non possint 563, 564, 567, 569, 572, 617; extra diö... im sine Episcopi licentia exire non licet 670.
Varus pes irregularem facit 81.
Vestis clericalis 149.
Vetitum ecclesiae ut matrimonii impedimentum 888.
Vicarii capitularis potestas 895, 897; et potestas in concilio ...vinciali 898; ejus emolumenta 707; et in quibusnam rationem reddere debeat ... Vicarius parochi, jura quoad parochiales actus 840; ejus congru... 843, si servitia non praestet 846; a populo quando congrua praestanda vel sup...enda sit 849; vicarius parochi quoad emolumenta 803, 806; capituli quoad funeru... emolumenta 809; — amovibiles non facile constituantur 753, 842.
Violatio censurae irregulares facit 126—135.
Visitatio ss. liminum VIII.
Votandi jus in conciliis 898; vota in electionibus 485.

Corrigenda.

Legendi haec folia quam plurima menda contra regulas grammaticae occurrent. Animadvertat igitur lector, omnibus fere hominibus forensibus Curiae Romanae omnem linguae latinae elegantiam deesse, imo ea semper apud eos in usu esse, quae grammatici neque ipsis barbaris scriptoribus permiserunt. Nos dolentes ea reliquimus, quia haec omnia ad artis regulas revocare non potuissemus, quin immutaretur penitus forma authentica restrictus, cui innitebatur Congregationis resolutio, quae necessario conservanda erat, ut fides operi adhiberetur.

Pagina	linea	corrige
4	12	discessorialibus.
25	30	disciplinis
26	6	concessionum
26	28	ignarum
32	4	cum in hanc
32	32	periculo
40	5	sua.
44	7	amoveri
47	5	destituti
53	2	nec
63	21	utendi
63	37	ob infortunium
69	2	deri vari
70	12	accommodata
70	penult.	Oratore
72	44	minimi,
73	34	resolutiones
81	10	novissimis in
81	ult.	quo
82	11	sacro
88	28	nulla utilitas aut necessitas
102	24	123
109	ult.	tamquam
156	26	conjunctae
162	8	diverso modo
163	36	impendendum
164	17	ponderatis
164	18	sit
165	9	„Requiem“
166	42	descripti fundi
167	34	theoriam
180	17	milia nummorum argenteorum
180	20	2200.
189	26	an
190	3	aestimata ac
192	13	aliata
194	45	utrum
194	penult.	non solum
197	„	fuerint, necne;
199	46	integre
200	38	noceret
201	42	posset
202	30	an
203	8	transactiones
203	25	quingentorum
203	45	auctoritate
204	2	vinculo
205	41	Alatrii
207	13	non solum
209	26	an
209	36	benigniori
213	4	mille gravaretur
213	46	possit.
214	44	ascendunt
218	33	an
220	23	censuarium
223	29	in
224	35	sua
224	47	familiarissimum
226	47	utrum ratio
226	49 et ult.	an vero
226	penult.	amissurus sit
227	45	exigant (hujusmodi — providere.)
231	15	voluntatis
232	33	dimiserit.
236	27	Castelli
237	44	sublevantur
238	15	ponuntur
239	44	propensos
240	44	promiserat se
242	3	donandi an non.
245	42	supervenientium
252	42	testimonio
253	penult.	obtenturae sint
254	16	Petrum ejusdem patrem
257	13	eadem ei
257	24	inferetur
261	29	obtinendam
263	26	loco: sibi constituerentur — lege: reciperet.
269	36	expediat
273	22	patrimonii
273	31	possit
278	17	comitissam
288	38	assignavit
293	8	firma
293	24	instituisset
294	9	dici
298	27	deleatur „et“
299	penult.	eo
305	23	Legati
306	14	testator.
307	16	milium
308	26	milium
308	ult.	contigerit
309	24	habitae
313	20	permissio
313	12	dummodo ne
315	6	persolvant
316	41	expositis
327	21	ad
337	28	ipsae
339	26	tamen non solum missarum
346	23	capellanis imposito
352	3	voluntatum
360	22	petitioni
366	8	quod
368	5	reductionem
369	8	duplum
370	35	afflictio
371	40	rescripsit
374	34	innixus
375	17	atque
376	35	valeat, necne.
377	25	3.
381	ult.	monasteriorum.
387	8	remedium
388	ult.	sit electus,
392	10	id eum
394	42	jus suum
395	17	nominatis
396	29	qua
397	5	loquendo
397	29	menses elapsi
397	36	dozzina
399	29	acquisito
404	45	notis
405	3	identidem
408	13	emensae aetatem
408	16	earum
409	28	renuerat
412	ult.	pollenti
414	7	scripsit
416	36	successore invitato.
426	21	executioni datis
427	31	juris
428	48	satisfaciant
429	penult.	Proponunt
430	„	eandem
438	29	evidentis
439	8	sacra
440	29	accommodare
442	21	deleatur „de“
443	7	verba italica haec significant: de jure passivo nominationis in favorem cujusquam; et votum aliud non posse dari, quam quod petitis faveat si tamen possessori beneficiorum unitorum injungatur onus, ut quotamnis celebret 12 missas pro anima institutoris Chinucci et canonicatus, cui unitur beneficium, nomen accipiat S. Catharinae Senensis.“

Pagina	linea	corrige
443	43	et p. 445. l. 3 6000.
445	27	possidere
446	18	deletione
447	3	post Ferentinus add condidit,
447	33	quatuor
451	13	quaeritur
457	11	objiciatur
457	13	„et“
460	40	latifundiv
461	1	regat.
461	20	detects
471	40	vacaj
472	25	prandum
475	7	rumenta
476	13	aescriptio
478	44	communia
478	4[illegible]	quas
479	2	teneatur
479	38	quatenus
484	2	existimo.“
48[illegible]	7	debet
30	44	beneficialistas
491	38	nummorum
497	penult.	ceteroquin
502	40	consuetum
510	36	Cum
515	11	calculis
520	9	obstant, ne
521	33	videtur
521	36	dispositione
525	10	divisionem
525	34	voluerit
526	3	jusserit
526	26	capellano injuncto
529	39	erat
530	18	Quot
531	26	juri
532	16	derivat
533	4	ita ut
533	17	in quem
539	45	percipere, sed non
540	1	inopia; quare
540	41	gesisse
541	29	passae
541	37	recipiat ordines, cum etc.
542	2	distributionum
542	29	restitutam
542	36	cohibitam
544	43	ordinum
547	9	reperiuntur
547	24	obsolescant
548	16	vetuerint, ne
551	10	praedictam in
551	19	de illis in paroecias erectis
559	50	existimarunt, quamvis
561	5	restituantur
561	31	possint
569	41	tempore
571	25	consuluisse;
572	39	quin juxta
573	20	accedit, quod
576	12	enuncietur, ajunt
577	28	folii
580	29	primas partes
582	8	in qua
584	10	R.
584	34	etsi
585	33	primam
586	13	Hebraeos
586	16	divini cultus augendi
587	34	scrupulose
594	13	milium
595	6	judicandam
596	ult.	compellitur
597	5	conjuncta
599	23	meae
602	12	contentus
603	4	ut promoveantur
603	39	quartum
606	33	tertio
607	44	distulit
612	44	comprobari — ait.
615	35	Civitate Imperiali

Pagina	linea	corrige
17	20 et 21.	fol.
618	19	quingentis
619	25	consuluerat.
624	31	separatos
630	22	causa,
630	48	tum
642	29	exemptus
643	10	obtinet
643	31	animadvertendum
644	30	non tantum
648	20	ei, qui
649	25	coeperit
649	34	grandaevus
654	35	praesertim
655	2	negaret — rescinderet
655	14	„per“ deleatur
656	29	respiciunt
657	penult.	ut eam
659	32	illis
660	48	et in
662	27	non intersit
663	14	supperaddita
663	16	auferendi
664	6	repraesentare coadjutum
664	32	adimere
668	8	„ad — theologum.“
671	39	operam navare
678	8	indultariorum
678	34	mille
680	27	399.
681	33	censuerint
681	46	se non
682	41	extemplo
683	36	civitatem sibi
684	48	decretorum
685	14	402
687	24	deleatur „si“
688	42	pluribus
691	1	nunquam
691	9	distributione
691	23	vellet
692	2	beneficiatorum
692	47	deleatur „cum“
694	17	oculi dextri
695	2	Benedicto
697	26	quo
699	34	suadente
700	3	se fuisse
700	7	negotia constat;
700	20	vindictae
700	44	summis
701	16	sunt 15
701	40	praesentia
702	36	beneficii
702	41	absentia
703	34	Passerin.
705	37	datum
705	38	acceptum
712	10	Duae
712	13	mero
712	36	Octobri
715	25	bulla
717	13	propensio
726	1	inter
728	8	omittatur ‚sed“
729	12	delato
730	11	occupati
730	31	addendum
732	12	universitatibus
735	29	lyceo
739	27	consuetudo
741	37	dimoverit
742	6	mendas quasdam
743	39	reapse
744	15	resolutiones
744	32	statuto capitulari
746	2	narrativam
746	10	dispositiva
751	37	censuerunt
751	42	sustentandos
751	50	per
754	26	communitatis
754	41	dell' Isola
759	12	difficilis
759	16	erigere — habere
759	36	solvenda

Pagina	linea	corrige
762	24	paroecia
762	ult.	supplicium
764	4	separatumque
766	25	probabiliter
768	6	mentem
768	40	processerunt
769	48	indigeat
770	5	ab
771	19	viderentur
773	25	enumeratis
773	30	muneri ipsos esse
775	49 et 776,	l. 2. accommodatam
776	18	praescribuntur
777	1	interrogatos
779	ult.	paroeciae
780	14	obvenisse
780	21	permittant Oratori?
781	25	concedi
783	27	hujus
785	30	possint
787	1	sequendo usum
788	25	praesenti
790	15	vetuisse
796	47	eam donatum iri
797	29	derivari
799	18	367, ubi
801	12	elargitum esse Pontificem est
803	29	administratoris
805	11	censendi
806	24	potuissent
806	42	derivarentur
807	31	detrectassent
808	11	Nec non
808	19	quidquam
809	ult.	occurrit
811	45	accommodare
814	24	ipsi debetur restitutio
815	ult.	dioecesis
819	49	dismembrationi
821	21	video
824	7	suis
835	30	Insuper
835	ult.	ablutionem
836	24	ablutionem
837	2	diserte
842	11	evocatos
845	30	annua
846	46	protestationem
847	ult.	non viginti, sed
848	12	erectum
848	23	1788
848	28	communitatis
849	13	ipse egeat
851	6	videtur
854	4	et
854	18	affertur
855	11	decisiones
857	35	Summus Pontifex
859	8	accesserit quod
859	33	aequivoca
862	13	committendum
862	23	judicio
862	32	Sedes
863	17	celebrari
863	32	ab
865	9	Regularium datae
865	21	habere
868	6	Genuen.
869	48	collapsa erant
869	penult.	sentio
870	16	Romana
872	19	decentiam;
876	21	sententia
879	26	applicationis
879	32	„I. Parochus
881	ult.	deinde
890	18	ego
890	40	ex
890	ult.	quoad
891	24	ipsum
894	3	explieretur
894	12	faciebat.
895	27	maximas se
896	5	distinctio
896	26	decernere

262.211 45938
L645
Lingen - Reuss
AUTHOR
Causae Selectae
in S. Congregatione Cardinalium
TITLE

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

45938